UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicæ

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

urn:nbn:de:hbz:466:1-62040

Visual Library

M. II. 45
M. II. 45.
Th. 4771.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INSTITUTIONES CANONICÆ

CUM

COMMENTARIIS

IN EJUSDEM

JURIS REGULAS

Universam Juris Canonici materiam continentes.

QUAS

Facili, brevi & clarâ Methodo hujus Juris

Studiosis, tanquam prima Ejusdem Elementa

prælegit

Admodùm Reverendus & Eximius Dominus

D. ANNO SCHNORRENBERG

CANDIDI ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS

Ecclesiæ Steinfeldensis Canonicus, in Alma Universitate Colonienſi Ss. Theologiæ Doctor, Professor ordinarius & Publicus, Examinator Synodalis & Collegii S. Norberti intra Coloniam Præses.

Collegii SS.

OPUS, JURIS UTRIUSQUE CANDIDATIS perquàm utile.

Paderb.

1769

EDITIO ALTERA,

Sed genuina, à prima Spuria vindicata, uti Præfatio demonstrat.

COLONIÆ,

EX OFFICINA NOETHENIANA,

Unter gölden Wagen. M. D. CC. XXXX.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis speciali.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Privilegium Cæsareum.

CAROLUS Sextus Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wurtenburgæ, Comes Tyrolis &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quòd, cùm Nobis Noster & Imperii Fidelis Dilectus SERVATIUS NOETHEN, Bibliopola Colonienfis humillimè exponi curârit, quem in modum R.D. Anno Schnorrenberg Ord. Præmonstratensis *Institutiones Canonicas cum Commentariis in Ejusdem Juris Regulas* prælo committere resolverit: vereatur autem, ne Æmulorum invidiâ hanc Editionem imitantium impendii & laboris sui fructu frustretur, ideóque Nobis demissè supplicârit, quatenùs ejus indemnitati Privilegio Nostro Cæsareo succurrere clementissimè dignaremur, Nos submissæ pariter & æquæ ejus petitioni annuendum censuimus: Ac proinde Authoritate Nostrâ Cæsareâ omnibus & singulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis, & aliis quibuscunque rem librariam seu negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, vetamus & interdicimus, ne quis suprà nominatas R.D. Schnorrenberg *Institutiones Canonicas cum Commentariis in Ejusdem Juris Regulas* sub hoc alióve titulo per octo annorum spatium ab hodierno die computandum, intra Sacri Romani Imperii, & Regnorum Ditionumque Nostrarum Hæreditariarum fines recudere, vel aliis recudendas dare, aliorsúmve impressas apportare, vendere vel distrahere, citra præfati Impetrantis, Hæredúmque, ac Successorum voluntatem & assensum, in scriptis obtentum, ausit vel præsumat; Si quis verò secùs faciendo Privilegium hoc Nostrum seu Interdictum violare contemneréque præsumpserit, eum non solùm ejusmodi Exemplaribus, ubicunque locorum repertis, perperàm quippè recusis & apportatis (quæ dictus SERVATIUS NOETHEN sive propriâ authoritate, sive Magistratûs illius loci auxiliô sibi vindicare poterit) de facto privandum, sed & quinque marcarum auri puri pœnâ Ærario seu Fisco Nostro Cæsareo & parti læsæ ex æquo pendendâ, omni spe veniæ sublatâ, mulctandum decernimus, dummodò tenor hujus Nostri Privilegii in fronte Libri impressus reperiatur, & consueta quinque

Exemplaria Consilio Nostro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & singulis, & Sacri Romani Imperii Regnorúmque, & Dominiorum Nostrorum Hæreditariorum Subditis & Fidelibus tam Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus, cujuscunque Statûs, Gradûs, Dignitatis aut Ordinis exstiterint, præsertim verò iis, qui in Magistratu constituti, vel suo vel Superiorum suorum nomine jus justitiámque administrant, ne quempiam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum impunè violare, spernere aut transgredi patiantur; Sed si quos contumaces reperierint, consuetâ à Nobis mulctâ eos puniri, & quibuscunque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi gravissimam Nostram indignationem, prædictámque pœnam evitare voluerint, Harum testimonio literarum Manu Nostrâ subscriptarum & Sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur in Civitate Nostra Vienna die trigesimâ Septembris Anno millesimo septingentesimo trigesimo octavo, Regnorum Nostrorum Romani vigesimo septimo, Hispanicorum trigesimo sexto, Hungarici & Bohemici verò vigesimo octavo.

CAROLVS mpp.

(L.S.)

Vt. JO. ADAM Comes de METSCH mpp.

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Maiestatis proprium.

J. J. Hayeck de Waldstätten mpp.

PRÆ-

PRÆFATIO

In hanc novam Editionem

Ad Lectorem Candidum.

Sicut duobus potissimùm subjecti sunt periculis Liberi posthumi, uno, ne paternâ destituti tutelâ eorum, qui illos tueri debebant, fraudibus portione hæreditariâ priventur; altero: ne post nonum forsan mensem editi tanquam illegitimi ab eadem repellantur.

Ita & Libros, qui sunt Sapientûm liberi & fœtus partu tantò feliciore, quantò spirituales animæ potentiæ utero materno & nobiliores sunt & fœcundiores, si post fata Authorum suorum obstetricante manu alienâ in lucem edantur, jure merito posthumos vocamus, eiisdem, imo & majoribus non raro subjectos malis ac periculis, quàm liberi posthumi, quibus *D. D. Impp.* ff. de lib. & posth. hæred. instit. C. de posth. hæred. instit. subvenerunt; Libris verò posthumis ita subventum non est; experimur hos quandoque aut alieno ita immutatos ingenio, ut non posthumus ac genuinus Defuncti, sed potiùs novus Compilatoris fœtus, aut variis Patre suo Eximio indignis mendis & erroribus involutus ac difformis totus appareat, ita, ut hæreditatem doctrinæ, quæ defuncti laus est, & Posterorum utilitas, aliorum inscitiâ aut negligentiâ amissam doleamus.

Sortem hanc ante annos aliquot subierunt posthumæ Institutiones Canonicæ *Authore Sapientissimo Patre, admodum Reverendo & Eximio Domino ANNONE SCHNORRENBERG (utimur Verbis Editionis istius*

in præfat.) *Viro per omnia consummato, de re litteraria meritissimo, toti litterato Mundo ob insignem Suam Editionem apprimè noto.* Titulos & Laudes agnoscimus, augere nolumus Domestici, dum præconizant Extranei; ingemiscimus interim & ingemuimus, quod partus hic Candidi & Canonici Ordinis nostri Viri Eximii, ingenio formatus alieno, Juris Canonici minùs perito, ex vitioso Discipuli extranei pariter indocti manuscripto prælo jam tum exiisset, antequam Reverendissimus D. Abbas Noster p. m. interpellaretur pro edendi licentiâ, quam tandem post multas instantias & plurimas ad finem Operis cum Notaminibus alicujus ex Nostris rejectas Correctiones, facilitate tamen nimis adhuc misericorde, concessit, damni, cujus causa non eramus, cavendi gratiâ; Veruntamen Correctiones istæ, prout palàm est, difformitatem tam grandem non deterserunt totam, remanserunt materiarum transpositiones; mutilationes, sententiarum variationes, ineptus Juris citandi modus, oratio pro affirmante negans & è converso, ac plura his similia, quæ fœtum fœtere faciunt, nauseam creant, Lectoribus etiam imperitis; neque libet Juris Candidatis continuo ad correctiones recurrere; Cedunt quoque in dehonorationem Viri tam impensè suprà laudati & laudabilis, præsertim apud eos, qui vivum noverunt.

Quare, benevole Lector, pro publica, quam speramus, utilitate, & grata Eximii p. m. Authoris memoria conservanda, atque si alicubi passa forsan, restauranda, elapso nunc Privilegii Cæsarei Nobis quoque insciis obtenti tempore hanc *Institutionum*, &c. Editionem Operis posthumi adornavimus, quam etsi alteram dicamus, verè tamen prima & genuina est. Utere & vale.

APPRO-

APPROBATIO.

OPus posthumum, cui Titulus: *Institutiones Canonicæ cum Commentariis in Ejusdem Juris Regulas universam Juris Canonici materiam continentes, Authore Admodum Reverendo & Eximio Domino D.* ANNONE SCHNORRENBERG, *Candidi Ordinis nostri Præmonstratensis, Ecclesiæ Steinfeldensis Canonico, in Alma Universitate Colonienſi Ss. Theologiæ Doctore, Professore Ordinario & Publico, dum viveret, ac Examinatore Synodali, & Collegii S. Norberti Coloniæ Præside*, ab omnibus erroribus ac mendis vindicatum, & curis domesticis Authori suo restitutum prælo dignum censemus, proin & servatis servandis imprimendi licentiam impertimur. Dabam 12. Novembris 1739.

(L.S.)

F. CHRISTIANUS STEINHEWER Ss. Theologiæ Doctor, Ordinis Præmonstratensis Abbas in Steinfeld, ejusdémque Ordinis per diversas Provincias Vicarius Generalis, Almæ Universitatis Colonienſis p.t. Rector mpp.

APPROBATIO CENSORIS ORDINARII.

PRæsens Opus *Institutionum Juris Canonici cum Commentariis in Regulas Juris* Doctrinæ Christianæ, Orthodoxæ Fidei & sacris Canonibus nihil repugnans exhibet; & sanè dignum & elegans, ac eruditione plenum reperitur. Proinde Typis aliàs impressum, denuò publicâ luce condecorari meretur. Datum Coloniæ Agrippinæ 11mâ Aprilis 1740.

JOANNES NEUMAN J. U. D. Perinsignium Collegiatarum S. Severini, & Archi-Diaconalis S. Cuniberti, & ad S.S. Apostolos Canonicus, & respectivè Decanus, Proto-Notarius Apostolicus, Serenissimi ac Rmi Principis Electoris Colonienſis Consiliarius Ecclesiasticus, ac per Archi-Diœcesin Librorum Censor Ordinarius mpp.

AP-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO.

FOrtissimus Israëliticæ Gentis Defensor olim invenit in faucibus extincti leonis examen apum & favum mellis, cibum videlicet grato sapore palatum afficientem & vivos famelici reficientem, *quem cum sumpsisset in manibus, comedebat in via*, Jud. 14. Invenient, quotquot investigare voluerint, gratam & utilissimam non tantùm theoricam in Schola, verùm etiam practicam pro foro, deliciosam, variisque casibus adumbratam, fructuosam, è firmis principiis derivatam Juris Canonici notitiam, relictam à piè defuncto, multis nominibus celebrato, Admodum Reverendo & Eximio Domino ANNONE SCHNORRENBERG, Sacri Ordinis Præmonstratensis Ecclesiæ Steinfeldensis Canonico, Ss. Theologiæ in Universitate Colonienſi Doctore, Collegii Norbertini intra Coloniam Præside, quam Posteris gustandam offerunt *Institutiones Canonicæ cum Commentariis in Ejusdem Juris Regulas:* quas quatenùs plurium avidè exspectantium appetitui satisfiat, cùm nihil Orthodoxæ Fidei aut bonis moribus contrarium, sed optimè fundatam Juris Canonici doctrinam contineant, ut præli beneficio publici Juris fiant, dignissimas censeo Coloniæ 7. Aprilis 1740.

F. THOMAS SCHMITZ, Ord. S. Benedicti, Abbatiæ Brauweilerensis Professus, Ss. Theologiæ Doctor, Sem. Bened. Regens mpp.

APPROBATIO.

OPus Posthumum expurgatum Eximii Domini ANNONIS SCHNORRENBERG Seminarii Norbertini olim Præsidis, cui Titulus: *Institutiones Canonicæ cum Commentariis in Regulas Juris*, propter copiosa, quæ spargit, doctrinæ lumina lucem meretur publicam Coloniæ 1740. 9. Aprilis.

Ità censeo F. JOSEPHUS PRICKARTZ Ss. Theologiæ Doctor, Præses Seminarii Norbertini mpp.

Quæ-

Quæstiones Præliminares JURIS CANONICI.

Quæres primò. Unde nomen JURIS CANONICI, quia, ut ait Ulpianus *in l. 1. ff. de Justit. & Jure. Juri operam daturum priùs nôsse oportet, unde nomen Juris descendat?* R. Jus dicitur à justum. *Can. Jus generale. 2. dist. 1.* hoc est, ut vult *S. Th. 2. 2. q. 57. a. 1.* Ars, quâ cognoscitur, quid sit justum. Appellatur autem *Jus Canonicum* à Græco nomine *Canon*, quod latinè regula, eò quòd normam rectè benéque vivendi præbeat, vel quod distortum pravúmque corrigat. *Can. Regula. 2. dist. 3.* dicitur *Pontificium*, quòd Romanum Pontificem Authorem habeat, sive, quòd ejus authoritate vim sanctionis obtineat. Vocatur quoque *Ecclesiasticum*, ab Ecclesiâ, quam dirigit. *Sacrum*, à materiâ, quæ vel sacra, vel ad finem sacrum ordinatur. *Divinum* juxta *cap. 2. de Privilegiis in 6.* non quòd immediatè à Deo conditum sit, sed quia vel quædam ex sacris Literis excerpta, & in Conciliis repetita continet, vel quia Canones instinctu Spiritûs Sancti dictati sunt: *Can. Violatores. 5. caus. 25. q. 1.* Vel quia sunt conclusiones ex principiis Legis Divinæ deductæ: *cap. qualiter. 24. de accusat.* Vel denique ab eo conditum est, qui immediatè ab ipso Christo ligandi solvendique accepit potestatem.

Quæres secundò. Quomodo Jus Canonicum definiendum? R. *Jus positivum à summis Pontificibus Ecclesiæ traditum, constitutum, vel approbatum.* Dicitur *1mò: Jus positivum*, sive scriptum, sive non scriptum, vel quod aut moribus, aut legibus constat: in quo Jus Canonicum cum Jure Civili convenit. *2dò à summis Pontificibus*; quia hi soli tanquam supremi Legislatores in tota Ecclesia jus dicere, & universales leges omnes Fideles obligantes condere possunt. *3tiò. Ecclesiæ traditum:* quia in hoc Jure quædam ex sacris Literis tradita sunt. *4tò. Constitutum*, hoc est editum, & per decretales epistolas, rescripta & constitutiones Apostolicas legitimè promulgatum. *5tò. Approbatum*: quia sunt quædam in Jure Canonico ex Decretis

Conciliorum Provincialium, ex placitis Principum sæcularium, ex sententiis sanctorum Patrum desumpta, quibus nisi summi Pontificis authoritas accedat & approbatio, vim regulæ ac legis pro tota Ecclesia obtinere non possunt.

Quæres tertiò. In quibus Jus Canonicum præeminet Juri Civili? R. Præeminet *1mò. Origine*; quia à Christo & à potestate merè spirituali Petro ejúsque Successoribus immediatè à Christo communicata dimanat, cùm Jus Civile à potestate sæculari, à populo in Principes translata, ortum suum habeat. *2dò. Universalitate;* omnes enim fideles obligat. *cap. Canonum statuta. 1. de constitut.* cùm leges civiles non nisi unam tantùm Provinciam, Nationem, aut Regnum astringere noscantur. *3tiò. Materiâ.* Nam materia remota sunt personæ & res sacræ & spirituales: materia proxima, hominis Christiani actiones: materiæ autem legum sunt personæ & actiones profanæ. *4tò* demùm *fine*, qui est spiritualis; Canones enim per se primò justitiam Christianam, remotè vitam æternam spectant, leges verò solam justitiam legalem, quietem Reipublicæ temporalem, & fœlicitatem naturalem intendunt.

Quæres quartò. In quibus Jus Canonicum Juri Civili derogat? R. Quamvis Jus Canonicum in pluribus à Jure Civili adjuvetur. *Can. si in adjutorium. 7. dist. 10. cap. intelleximus. 1. de novi operis nuntiat.* Et multi Canones ex legibus civilibus desumpti sint, ideoque leges civiles in foro Ecclesiastico sæpiùs recipiuntur, attamen Jus Canonicum Juris Civilis dispositiones corrigit, ejúsque leges non admittit: *1mò.* Quæ rebus vel personis Ecclesiasticis officiunt. *cap. 1. de consuetud. cap. 1. de jurejur. and. in 6. cap. fin. de Immunit. Ecclesiast. in 6. 2dò.* Quæ statuunt aliquid de personis & rebus Ecclesiæ, licèt id Ecclesiarum commodum & favorem respiciat. *cap. Ecclesia. 10. de constitut. 3tiò.* Quæ decernunt aliquid in materia merè spirituali, ut Sacramentorum, voti, juramenti, &c. *Can. duo sunt. 10. Can. si Imperator. 11. dist. 96. 4tò.* Quæ bonis moribus adversantur, ut leges permittentes concubinatum, usuram, præscriptionem malæ fidei, &c. Ratio est: cùm enim leges civiles vitæ civilis commoditatem & pacem publicam præcipuè intendant, ideò multa sæpè permittunt, quæ quantum ad cives populosque tuendos faciunt, Christianis tamen moribus adversantur; Jus verò Canonicum præter justitiam legalem intendit conscientiæ puritatem, ideòque non permittit, ut in minimo à rationis præscripto devietur.

Quæres quintò. Quinam Juris Canonici fontes? R. Jus Canonicum scriptum ex quinque potissimùm fontibus depromptum est. *1mò.* Ex Verbo DEI scripto & non scripto, sive Traditionibus. *2dò.* Ex Decretis Conciliorum. *3tiò.* Ex Constitutionibus summorum Pontificum. *4tò.* Ex sententiis sanctorum Patrum. *5tò* demùm ex placitis Principum sæcularium. Singuli fontes in sequentibus clariùs explicabuntur.

Quæres sextò. Quid sint Traditiones? R. Traditio est doctrina non scripta, non

quòd

quòd nullibi unquam litteris sit consignata, sed quòd à primo Authore scripta non sit, sed solâ voce prodita ad nos veluti per manus pervenerit, etsi posteri eam scripto consignârint. Distinguuntur Traditiones ex principiis, à quibus proveniunt, & à materia, quam tradunt. A principiis aliæ sunt Traditiones Divinæ, aliæ Apostolicæ, aliæ Ecclesiasticæ. *1mò.* Traditiones Divinæ sunt à Christo, Apostolos docente, eandémque vim, quam divina Præcepta in Evangelio tradita, obtinent, talia sunt, quæ ad materiam & formam Sacramentorum pertinent. *2dò.* Traditiones Apostolicæ, quæ ex Apostolorum præceptis dimanâsse dicuntur, quales sunt trina immersio eorum, qui baptizantur: Jejunium Quadragesimale & quatuor Temporum, quæ parem vim habent & authoritatem, quam quæ nobis Apostoli scripto reliquerunt. *Can. Ecclesiasticarum. 5. dist. 11.* Ideoque Traditiones Apostolorum relinqui non possunt ab iis, qui Christiani dici volunt. *Can. ridiculum. dist. 12. 3tiò.* Traditiones Ecclesiasticæ antiquæ sunt consuetudines, à primis Ecclesiæ Pastoribus & Fidelibus ad nos usque deductæ, & tacito populorum consensu vim legis obtinuerunt; hæ eandem quam leges Ecclesiæ scriptæ vim habent; eadem enim est vis consuetudinis approbatæ, quam legis scriptæ. *Can. consuetudo. 5. dist. 1.*

Penes materiam Traditiones distinguuntur; aliæ enim de fide sunt: ut quòd B. M. V. semper fuerit Virgo. Aliæ de moribus: ut quòd certis diebus jejunia & festa sint celebranda. Aliæ sunt necessariæ & in forma præcepti: ut celebratio Paschæ in die Dominica post decimam quartam Lunam Martii, aliæ liberæ & ad modum consilii.

Quæres septimò. Quid sunt Concilia? *R.* Nomen Concilii consultationem plurium indicat cum resolutione. Græcè synodus sive congregatio ad exquirendum & concludendum Concilium appellatur. Sunt autem Concilia Generalia, Provincialia, & Episcopalia.

Concilia Generalia sunt, quæ Episcopi ex Orbe universo authoritate Sedis Apostolicæ Fidei Catholicæ asserendæ causâ in unum convenientes condiderunt. *Can. 1. dist. 15. can. 1. & seq. dist. 17.* Dicuntur generalia & œcumenica sive universalia, & in iis Ecclesia universalis repræsentatur. Authoritate summi Pontificis congregantur, in illis ipse summus Pontifex vel Legati ejus nomine præsident, alioquin nec legitima nec rata dicenda sunt. *Citatâ totâ distinct. 17. S. Th. 2. 2. q. 1. a. 10.* nisi posteà ejusdem summi Pontificis approbatio & authoritas accedat. *Totâ distinctione 16.* Quæ in hisce statuta decernuntur, Canones appellantur, & ab omnibus per omnia servari debent, nempè si à summo Pontifice fuerint confirmata; Concilia enim legitimè celebrata & confirmata in iis, quæ ad mores & fidem spectant, errare nequeunt, quia Ecclesia, cujus doctrina in Conciliis est, nobis infallibilis fidei regula & magistra morum existit.

Concilia Provincialia sunt, quæ ob causas Ecclesiasticas à Metropolitano seu Archi-Episcopo, omnes Provinciæ Episcopos convocante, celebrantur.

Can. propter 4. dist. 18. Præter Metropolitanum Legatus quoque à Latere, *qui majus omnibus post Romanum Pontificem in Provincia sibi decreta imperium censetur habere, hæc Concilia convocare potest. cap. si Abbatem. 36. §. hujusmodi. de elect. in 6.* Olim ad minus bis in anno celebrabantur. *Cit. can. propter. can. pervenit. dist. 18.* Hodie ex præscripto *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 2.* quolibet saltem triennio, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris Canonibus permissis, convocanda.

Concilia Episcopalia sunt, quæ Episcopus in sua Diœcesi convocatis Abbatibus, Presbyteris, Clericis singulis annis celebrat. *Can. decernimus fin. dist. 18.* In his Conciliis statuta non propriè Canones, sed constitutiones dicuntur, & tantum ejusdem Provinciæ, civitatis vel Diœcesis subditos obligant, si Canonibus Conciliorum Generalium vel Conciliorum per Generalia receptorum non adversentur: Interdum confirmatione Sedis Apostolicæ indigent. *Cap. cùm accessissent. 8. de constitutionibus.* Confirmata & à Sede Apostolica toti Ecclesiæ proposita omnes Christianos obligandi habent potestatem.

Quæres octavò. Quot hucusque in Ecclesia Concilia Generalia celebrata fuerunt? R. Decem & octo. *1mum* fuit Nicænum, Anno 325. sub Pontifice Sylvestro, imperante Constantino Magno, celebratum, in quo à 318. Patribus blasphemia Arii de inæqualitate Sanctissimæ Trinitatis condemnata fuit. *Can. Canones. 1. dist. 15. can. quidam. 39. caus. 24. q. 3.* Post hoc Concilium Sardicense Anno 347. sub Julio Romano Pontifice, & Imperio Constantis servatum fuit, quamvis hoc Concilium fuerit œcumenicum, inter universalia tamen approbata Concilia non numeratur, quandoquidem cum Nicæno unum censetur, cùm utrique iidem ferè Patres interfuerint, & Nicænum confirmaverint, magisque explicaverint.

2dum Concilium Generale Constantinopolitanum 1mum Anno 381. sub Pontifice Damaso, imperantibus Gratiano & Theodosio, in quo à 150. Patribus Macedonius, negans Spiritum Sanctum esse DEUM, condemnatus fuit. *Cit. can. Canones.*

3tium Generale Concilium Ephesinum 1mum Anno 431. juxta Baronium sub Cœlestino I. Pontifice, Imperii sceptra tenente Theodosio Juniore, in quo Nestorius duas in Christo personas asserens condemnatus fuit. *Cit. can. Canones.*

4tum Concilium Generale Chalcedonense Anno 451. sub Leone Papa & Martiano Imperatore, in quo à 630. Patribus Eutyches Constantinopolitanus Abbas, Verbi DEI & Carnis unam scilicet Divinam Naturam pronuntians, cum Sequacibus & Defensoribus suis proscriptus ac damnatus fuit. In hac 4ta œcumenica Synodo Theodorus Mopsuestanus Ibas Edessenus & Theodoretus Syrus Episcopi faventes hæresi Nestorianæ factorum & scriptorum pœnitentes, absoluti & in communionem recepti sunt.

5tum Concilium Generale Constantino-

tinopolitanum 2dum Anno 553. ad instantiam Justiniani Imperatoris, seducti à Theodoro Cæsarienſi Episcopo, authoritate Vigilii Romani Pontificis quantumvis inviti convocatum fuit, in eo tria capitula, ùt vocari solent, nimirùm Libri Theodori Mopsuestẽi Episcopi, Anathematismi Theodoreti adversùs Cyrillum, & Ibæ Epistola hæreseos sunt condemnata, cui condemnationi ad instantiam Imperatoris factæ, cùm sese Vigilius Papa unà cum pluribus ex Occidente Patribus opponeret, dicendo: non posse jam vitâ functos damnari, quos Concilium Chalcedonense absolvisset, Vigilius in tetrum carcerem detrusus est, inde tamen liberatus post medium annum Concilium approbavit, & condemnationi subscripsit. Ex hoc facto hodiè Fautores Jansenii inferunt, nec Pontificem, nec Concilium Generale infallibile esse in quæstione facti, cùm Synodus generalis 5ta condemnârit tria capitula Episcoporum tanquam hæresin Nestorii continentia, quos tamen Episcopos Synodus generalis 4ta Chalcedonensis absolverat. Ad quod Catholici respondent, quòd Concilium Chalcedonense Authores pœnitentes absolverit, non eorum doctrinam approbaverit. Vigilius Pontifex similiter dum in Synodo generali 5ta libellum, quem constitutum appellavit, in defensionem trium capitulorum obtulit, non doctrinam in illis contentam, sed Authores defendit, qui abjectâ hæresi in Concilio Chalcedonensi recepti & laudati fuerant; sed cùm postea adverteret, nisi tria capitula damnarentur, totum Orientem Schysmati involvendum, & Hæreticos Nestorio addictos in sua pertinacia confirmandos, eò quòd errores eorum à tam magni nominis Episcopis & à Concilio Chalcedonensi receptis traditi essent, tria capitula cum eorum Authoribus hæreseos condemnavit.

6tum Concilium Generale Constantinopolitanum III. An. 680. sub Agathone Papa & Imperatore Constantino Pagonato celebratum, in quo damnata hæresis Monothelitarum, qui duas quidem in Christo naturas admittebant, sed unam voluntatem unamque operationem tantùm asserebant. Hæc hæresis vel afficta fuit, vel privatim docta ab Honorio Pontifice. Hujus & præcedentis Concilii mentio fit *Can. prima. 10. dist. 16.*

7mum Nicænum 2dum Anno 781. sub Adriano I. Pontifice & Imperatore Constantino, in quo à 356. Patribus contra Hæreticos cultus Imaginum & veneratio Reliquiarum approbata fuit.

8vum Generale Concilium Constantinopolitanum 4tum Anno 869. sub Adriano II. Pontifice & Basilio Imperatore.

9num Generale Concilium in Occidente 1mum, Concilium Lateranense Anno 1123. sub Calixto II. & Henrico IV. Imperatore.

10mum Generale Concilium Lateranense 2dum Anno 1139. sub Joanne II. contra Anacletum & Victorem Antipapas.

11mum Lateranense 3tium sub Alexandro III. Anno 1179.

12mum Lateranense 4tum sub Innocentio III. Anno 1215.

13um Lugdunense 1mum in Gallia ub Innocent. IV. Anno 1245.

14um Lugdunense 2dum à Gregorio X. 1274.

15um Viennense in Gallia sub Clemente V. 1311.

16um Florentinum Anno 1438. sub Eugenio IV. in quo facta unio Græcorum cum Latinis.

17mum Lateranense 5tum à Julio II. inceptum, & à Leone X. confirmatum.

18vum demùm Concilium Tridentinum à Paulo III. Anno 1542. indictum, sub Julio III. continuatum, & à Pio IV terminatum ac confirmatum 1564

Præter hæc Concilia Generalia in toto Orbe approbata aliqua Concilia Generalia fuerunt partim recepta, partim rejecta, ùt Concilium Pisanum ad tollendum Schisma Anno 1049. celebratum, in quo utroque Pontifice Greg. XII. & Benedicto XIII. depositi Alexander V. electus est.

Constantiense, in quo exauthoratis tribus Pontificibus Joanne XXIII. Gregorio XII. & Benedicto XIII. in Pontificem Martinus V. electus est, qui non omnia, sed partem Actorum Concilii Constantiensis approbavit.

Basileense, quod Anno 1431. ab Eugenio IV. legitimè quidem indictum & inceptum, sed non obstante Pontificis dissolutione usque ad ipsam Eugenii depositionem schismaticè continuatum. Nicolaus V. Eugenii Successor concordiæ causâ Acta quædam Basileensia ad beneficia Ecclesiastica ac censuras pertinentia confirmavit, aliàs non tantùm Eugenius, sed etiam Leo X. in Concilio Lateranensi Decreta Concilii Basileensis condemnârunt.

Quæres nonò. Qualem vim Constitutiones summorum Pontificum obtinent? R. Constitutiones Apostolicæ vel sunt inserræ Corpori Juris à Pontificibus approbato, vel in eo non comprehenduntur, si insertæ, faciunt jus commune, si non insertæ, editæ tamen dignoscuntur à summo Pontifice, & in forma authentica exhibentur, jus commune quoad omnes faciunt, quod non solùm intelligendum de Decretis Apostolicis pro tota Ecclesia latis, sed etiam de Epistolis & Responsis summorum Pontificum particularibus, vel ad instantiam particularis personæ datis, dummodò in Corpore Juris inveniantur, aut in forma authentica proferantur, ùt probatur *ex Can. si Romanorum. 1. dist. 19. cap. ex multa. 9. de voto.*

Quæres decimò. Quam dicta S.S. Patrum authoritatem habent? R. Sententiæ S. S. Patrum legem non constituunt, illæ tamen, quæ in Corpus Juris, vel in constitutionem aliquam Pontificiam relata sunt, authoritate Papæ canonizantur, & vim legis obtinent.

Quæres undecimò. In quot partes Corpus Juris Canonici dividitur? R. In sex. *1ma* est Decretum Gratiani. *2da* Decretales Gregorii IX. *3tia* Liber sextus Decretalium Bonifacii VIII. *4ta* Decretales Clementis V. *5ta* Extravagantes Joannis XXII. *6ta* Extravagantes communes.

Quæres duodecimò. Quâ Decretum pollet authoritate? R. Decreti Author est Gratianus, patriâ Clusius, professione Monachus Benedictinus, in monaste-

rio

rio S. Felicis Bononiæ Professus, qui hoc opus circa Annum 1115. tempore Eugenii III. edidit. Nullam hic Liber à Gratiano authoritatem habet ; ipse enim utpote privatus leges condere non poterat, ideoque contenta in hac 1ma parte aliam non habent authoritatem, quàm fontes, unde loca desumpta sunt, nimirùm Canonicam, quæ ex Decretis Pontificum, vel Conciliorum œcumenicorum, vel etiam particularium à Pontifice approbatorum: civilem, quæ ex Constitutionibus Imperatorum in Decretum translata, & quæ ex Sententiis S.S. Patrum collecta, ex usu in foro externo ad causarum decisiones adminiculum præbent.

Quæres decimo tertiò. Qualiter dividitur & citatur Decretum? R. Decretum in tres partes, pro numero trium objectorum Juris, quæ sunt personæ, res & actiones, dividitur. 1ma pars constat centum & unâ distinctionibus. Viginti primæ distinctiones de elementis Juris Canonici agunt. Septuaginta tres sequentes de Cleri origine, forma, institutione, vita, moribus, officiis. Octo ultimæ de jurisdictione Pontificis. Quælibet distinctio in Canones dividitur, & sic allegatur: *Can. omnes leges. dist. 1.* hoc est, Canone, qui incipit: Omnes leges. Distinctione primâ.

Secunda pars Decreti habet triginta sex causas, quarum singulæ in quæstiones, & quælibet quæstio in Canones dividitur. Complectitur materiam rerum juridicarum & judiciorum Ecclesiasticorum. Citantur hoc modo: *Can. si quis suadente. caus. 17. q. 4.* hoc est, Canone, qui incipit: Si quis suadente., causâ 17. quæstione 4tâ. Quæstio 3tia causæ trigesimæ tertiæ, quæ est matrimonialis, continet septem distinctiones de pœnitentia, occasione dubii, an per confessionem soli DEO factam peccata deleri possint. Distinctiones pariter divisæ sunt, & allegantur hoc modo: *Can. cogitationis. dist. 1. de pœnitent.* hoc est: Canone, qui incipit: Cogitationis. in Tractatu de pœnitentia. Distinctione primâ.

Tertia pars Decreti quinque distinctiones de consecratione comprehendit, quarum singulæ in suos Canones dividuntur, & ita citantur: *Can. solemnitates. dist. 1. de consecrat.* hoc est: Canone, qui incipit: Solemnitates. in 3. parte de consecratione, Distinctione primâ. In his Jurisdictio & ministerium Ecclesiasticum explicatur. In fine Decreti Canones pœnitentiales ponuntur, quæ sunt regulæ quædam directivæ ad pœnitentias delinquentibus imponendas, quibus demùm Canones Apostolorum subjunguntur.

Quæres decimo quartò. Quid sunt Decretales Gregorii IX.? R. 2da pars Juris Canonici sunt Constitutiones, seu Epistolæ variorum Pontificum authoritate Gregorii IX. per *Fratrem Raymundum de Pennefort Barcinonensem Ordinis Prædicatorum, Capellanum & Pœnitentiarium summi Pontificis à Clement. VIII.* Anno 1601. in Sanctorum album relatum, in unum volumen collectæ. Decretales in quinque libros, hi in titulos, & tituli in capitula dividuntur. Liber primus potissimùm agit de personis Ecclesiasticis,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cleſiaſticis. *2dus* de judiciis. *3tius* de rebus Eccleſiaſticis. *4tus* de matrimonialibus. *5tus* de pœnis. In citatione vel numerus vel initium Capituli ponitur, hoc modo: *Cap. Oſius. de election.* A quibuſdam particula *extra* additur, ad ſignificandum, quòd citatio ſit extra Decretum Gratiani, V. G. hoc modo: Cap. nullus. extra. vel x. de election.

Quæres decimo quintò. Quid liber ſextus Decretalium? ℟. Tertia pars Juris Canonici ſextus Decretalium nuncupatur, eò quòd quinque libris Decretalium ſextus acceſſerit. Collectus eſt authoritate Bonifacii VIII. diſtinctus eſt in 5. Libros; de eadem materia, quâ præcedentes agunt, ſinguli Libri in titulos, & tituli in capitula dividuntur. In citatione ponitur initium vel numerus capituli, & titulus cum addito: in 6. hoc modo: *Cap. licet. de præbend. in 6.*

Quæres decimo ſextò. Quid Clementinæ? ℟. Quarta pars comprehendit conſtitutiones Clementinas ſic dictas, quòd eas Clemens V. colligendas mandaverit, Joannes autem XXII. promulgaverit. Clementinæ in quinque Libros, ſicuti Decretales, dividuntur, & iisdem titulis, ſed multò paucioribus in capitula diſtinguuntur. Citantur Clementinæ hoc modo: *Clement. multorum quærela. de Hæreticis.*

Quæres decimo ſeptimò. Quid Extravagantes? ℟. Quinta pars Juris Canonici continet duos Libros, quorum prior eſt Extravagantium Joannis XXII. & in 14. titulos dividitur, ſicque allegatur: *Extrav. Execrabilis. de præbendis.* Alter eſt Liber Extravagantium communium, hoc eſt variorum Pontificum, qui in quinque Libros, hi in titulos, & tituli in capitula diſtribuuntur. Citantur hoc modo: Extrav. deteſtabile. de ſimon. inter comm. Dicuntur Extravagantes, quia primitùs extra Corpus Juris Canonici quaſi incertâ ſede vagabantur.

Quæres decimo octavò. Quali authoritate pollet Liber ſeptimus Decretalium? ℟. Librum ſeptimum Decretalium compilavit Petrus Matthæi J.C. Lugdunenſis, & ad normam Decretalium in quinque Libros diviſit, hic Liber cùm authoritate privatâ collectus, nec ullam ſummi Pontificis habeat appellationem, Canonicus non cenſetur, & quamvis varias Pontificum Conſtitutiones contineat, illæ tamen, niſi in forma authentica producantur, vim obligandi non obtinent.

Quæres decimo nono. Quid de authoritate Bullarii dicendum? ℟. Bullarium Romanum Bullas & Conſtitutiones ſummorum Pontificum, ſecundùm ordinem, quo vixerunt, à pluribus Authoribus collectas complectitur. Verùm quia à nullo Pontifice expreſsè reperitur approbatum, nec ullum de illo recipiendo extat Decretum, neque omnes in Bullario contentas Conſtitutiones eſſe ritè promulgatas, vel cum ſuis Originalibus concordare conſtat, ideò, niſi in forma authentica producantur, legis carent authoritate.

Quæres vigeſimo. Quid de Regulis Cancellariæ ſentiendum? ℟. Regulæ Cancellariæ ſunt quædam particulares ordinationes, quas ſummus Pontifex die ejus electionem vel aſſumptionem im-

immediatè sequente facit, harum aliquæ Officialibus Cancellariæ modum literas expediendi præscribunt, & vocantur *Regulæ de dandis*. Nec alios quàm Curiæ Officiales obligant. Quædam sunt generales de reservationibus Apostolicis, dispensationibus, resignationibus, indulgentiis, &c. & istæ juxta plures Jus universale faciunt, etiam extra Curiam Romanam vim legis habentes. Morte Pontificis exspirant, & antequam ab electo rursùs summo Pontifice reassumptæ & renovatæ fuerint, non obligant.

Quæres vigesimo primò. Quid decisiones Rotæ? ℟. Rota Romana est summi Pontificis judicium, quod causas fori Ecclesiastici per totum Orbem Catholicum cognoscit. Sententiæ hujus judicii, quæ decisiones Rotæ appellantur, jus aut authoritatem tantummodò inter partes litigantes, & in eadem causa, in qua latæ sunt, faciunt, licèt aliàs majorem authoritatem, quàm plurium Doctorum doctrina, habeant, & si in eadem causa plures Rotæ decisiones factæ, eæque uniformes sint, consuetudinem subindè & stylum Curiæ Romanæ inducunt.

Quæres vigesimo secundo. Quæ declarationum S. Congregationis authoritas? ℟. Præter alias plures Congregationes Cardinalium una est instituta, quæ dubia circa Decreta Concilii Tridentini orta interpretandi & decidendi à summo Pontifice obtinet facultatem. Declarationes hujus Congregationis vel sunt extensivæ, quia Decreta Concilii ultra verborum proprietatem extendendo aliquid decernunt, prohibent vel permittunt, & tunc nisi authoritate Papæ factæ legitimè promulgentur, vim legis non habent: Vel sunt comprehensivæ, quia sensum à propria verborum significatione non recedentem reddunt, quo casu, si Cardinalis Præfecti & Secretarii subscriptione ac sacræ Congregationis sigillo consignatæ ac munitæ fuerint, eas legis authoritatem obtinere extra dubium esse dignoscitur.

LIBER PRIMUS
DE
PERSONIS ECCLESIASTICIS.

PErsona Ecclesiastica latiùs sumpta in Laicos & Clerum dividitur. *Can. duo sunt. 7. caus. 12. q. 1.* Laici sive populus sunt, quibus licet temporalia possidere, uxorem ducere, terram colere, inter virum & virum judicare, causas agere, cæterasque sæculares actiones exercere; hi sunt personæ Ecclesiasticæ; quia per Baptismum in Ecclesiam recepti, & in album Christianorum relati sunt. Clerici sive personæ Ecclesiasticæ strictiùs sumptæ sunt, qui mancipati divino Officio, & dediti contemplationi & orationi, ab omni strepitu sæcularium cessant, Clerici appellati, id est: sorte electi; omnes enim DEUS in suos elegit. *Cit. can. duo sunt.*

Clerici in tres classes dividuntur: *1mò.* Quidam sunt in Sacerdotio, ùt Episcopi & Presbyteri. *2dò.* Alii sunt in Sacris, ùt Diaconus & Subdiaconus. *3tiò.* Quidam nec in Sacerdotio, nec in Sacris; ùt in minoribus Ordinibus constituti, qui Ordines licèt sint sacri, & reverà Sacramenta, comparativè tamen ad majores Ordines sacri non appellantur. In Sacerdotio constituti alii sunt in digniori Hierarchiæ Ecclesiasticæ gradu, aut in altiori Ordine, ùt Canonistæ volunt, quales sunt Episcopi. Alii inferiorem gradum obtinent, ùt simplices Sacerdotes. De omnibus his Personis tractabunt Tituli sequentes.

TITULUS PRIMUS.
DE
EPISCOPIS.

EPiscopi Græcè, Latinè Speculatores interpretantur; nam Speculator est Præpositus in Ecclesia dictus, eò quòd speculetur & prospiciat populorum infra se positorum mores & vitam. *Can. Cleros. 1. dist. 21.* Quia autem in Episcopo & Ordinis dignitas, & muneris præeminet potestas, quæ ad ea pertinent, duobus §phis complectimur.

§.

§. Primus.

DE

Dignitate Ordinis Episcopalis.

QUæres *primo*. An Episcopatus à Sacerdotio sit Ordo distinctus ? R. Non esse distinctum Ordinem, nec imprimere distinctum characterem : Concordantur in hoc puncto Canonistæ cum Theologis, quòd opinio Canonistarum procedat, si Hierarchia Ecclesiastica inspiciatur, quia Episcopatus est altior gradus in Ecclesia, quàm simplex Sacerdotium; Theologorum verò opinio vera est inspecto ministerio Sacerdotum & Pontificum, qui idem Sacrificium incruentum Deo offerunt. Dum ergo Canonistæ primam Tonsuram & Episcopatum Ordines vocant, per Ordinem non Sacramentum, sed gradum & dignitatem intelligunt, & per characterem non effectum Sacramenti, sed formam signi alicujus exterri in Tonsurato, aut dispositionem gradûs in Episcopo, per quam Ordo sive character Sacerdotalis priùs in anima impressus extenditur, & analogicè ampliatur, unde Tonsura & Episcopatus sunt veluti extrema unius integri Ordinis, istud initiationis, hoc perfectionis cujusdam per accessionem Hierarchicæ potestatis.

Quæres *2do*. An Episcopi ab initio Ecclesiæ à Sacerdotibus fuerint distincti? R. Affirmativè ? Quia Episcopi tàm in jurisdictionis, quàm Ordinis potestate sunt Presbyteris superiores, & Episcopi in Apostolorum, Presbyteri autem in Discipulorum locum successerunt. *Can. in novo. 2. dist. 21. can. quorum vices. 6. dist. 68.* Idem contra Hæreticos definivit Trident. sess. 23. cap. 4. anathema dicens iis, qui dixerint Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel potestatem, quam habent, illis cum Presbyteris esse communem. *ibid. can. 7.* Et licèt in principio nascentis Ecclesiæ nomina inter Presbyteros & Episcopos videantur fuisse communia, reverà tamen Episcopi à Presbyteris utpote eorum Judices, Correctores & Rectores fuerunt distincti, ut patet ex illo S. Pauli *1. ad Tim. 5. Adversùs Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus.*

Quæres *tertio*. Qualiter Episcopi in Ecclesia sint Successores Apostolorum? R. Plures sunt status in Ecclesia, qui Apostolis succedunt; nam *1mo* Religiosi Apostolorum locum tenere dicuntur, quoad renuntiationem proprietatis. *Can. ex authoritate. 24. caus. 16. q. 1.*

2do. Sacerdotes succedunt Apostolis, in quantum Christo ante ejus mortem astiterunt, quia tunc erant Apostoli simplices Sacerdotes.

3tio. Apostoli post passionem Christi, antequam ab invicem separarentur, astiterunt Petro tanquam primo Pastori, & sic iis in Ecclesia succedunt Cardinales.

4to. Apostoli post separationem ab

invicem ad prædicandum in totum Orbem dispersi sunt, & in hoc statu Episcopi propriè vices Apostolorum gerere dicuntur. *Can. in novo. dist. 21. can. videntes. 16. caus. 12. q. 1. can. manus. 4. de consecrat. dist. 5. Trid. loc. cit.* Episcopi tamen Apostolis non successerunt in omnibus, ut in dono linguarum, gratiâ sanitatum, virtute miraculorum, authoritate scribendi Libros Canonicos, & aliis privilegiis personalibus Apostolorum, ùt concionandi per totum mundum, creandi ubique novos Episcopos, &c. quæ specialiter Apostolis concessa, & cum eorum personis extincta sunt.

Quæres *quartò*. Qualia nomina Episcopi ex jure habent? ℟. Vocantur *1mò Episcopi*. Episcopatûs vocabulum indè dictum, quòd ille, qui efficitur Episcopus, superintendat, scilicet curam gerens subditorum; Episcopi enim Græcè, Latinè Speculatores interpretantur. *Can. Cleros. 1. dist. 21.* quia Episcoporum proprium munus est gregis sibi crediti vitam moresque explorare, eorum saluti invigilare, &c.

2dò. Summi Sacerdotes. can. videntes. 16. caus. 12. q. 1. cap. unic. §. per frontis. de sacra Unctione. can. accusatio. 15. causâ 2. q. 7. quia Episcopatus est supremus Ordo inter omnes, & major omnium Ordinum in Ecclesiâ DEI. *Can. manus. 4. de consecrat. dist. 5. cap. 1. de privilegiis.*

3tio. Antistites, ex duplici congruentia, vel quia ante suos subditos stant loco, moribus, scientiâ, sanctitate præ reliquis ornati, vel quia stant contra alios pro subditis; Episcopus enim tanquam Pastor pro grege commisso contra hæreticos & Christiani nominis hostes, ac contra ipsum Diabolum stare debet. *Gloss. in Clement. 2. de sepultur. verb. Antistites.*

4tò. Præsules, ad præsidium, eò quòd in publicis actibus celsior illis debeatur locus, qui eorum dignitati & præeminentiæ correspondeat. *Trid. sess. 25. de reform. cap. 6.*

5tò. Pastores, ab officio pascendi oves, quas agnoscere tenentur, ac Verbi Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, pro eis Sacrificium offerre, pauperum aliarumque personarum indigentium curam gerere, & in cætera pastoralia munia vigilanter incumbere ex præcepto Divino obligantur, ùt colligitur *ex can. sciscitaris. 47. caus. 7. q. 1.* & exprimitur in *Trident. sess. 13. de reform. cap. 1.* In cujus officii pastoralis signum datur baculus vel pedum Episcopale.

6tò. Legati. can. in novo. 2. dist. 21. Clement. 1. de pœn. quia pro Christo legatione funguntur.

7timò. Diœcesani. *Clement. 1. de vita & honestate Clericor. Clem. 1. de jure patronat.* Diœcesis enim dicitur parochia Episcopi, & Diœcesis est propriæ baptismalis Ecclesiæ territorium sive gubernatio; sicut enim territorium à terendo dictum est districtus jurisdictionis vel potestatis laicalis, ita Diœcesis dicitur à distinguendo vel dividendo Ecclesias ab Ecclesiis alterius Episcopatûs. *Gloss. in cap. statutum. 11. §. eum vero. verb. de sua. de rescriptis. in 6.* Tam propriè autem competit Episcopo nomen

Diœ-

Diœcesani, ut non conveniat Prælatis inferioribus. *Gloss. in Clement. 1. de vita & honestate Clericor.*

8vò demùm *Ordinarii* appellantur. Patet *ex cap. Ordinarii. 3. de officio Judicis ordinar. in 6.* Sub quo tamen nomine Prælati quoque inferiores Episcopalem habentes jurisdictionem veniunt. *Gloss. ibid.* præsertim verò Episcopi Vicarius eodem nomine includitur.

Quæres *quintò*. Qualis inter Episcopos distinctio? R. In tres gradus vel secundùm aliquos in quatuor dividuntur. *1mò*. Sunt simpliciter Episcopi, qui singulis civitatibus cum Diœcesi præsident. *2dò*. Metropolitani sive Archiepiscopi, qui singulis præsident Provinciis. *3tiò*. Primates, qui pluribus provinciis præsunt, vel quibus subjiciuntur Archi-Episcopi. *4tò*. Patriarchæ, qui ferè solo nomine à Primatibus hodiè distinguntur.

Ordo Ecclesiasticus quadripartitus quoad Episcopatum est Juris Divini, quoad potestatem jurisdictionis seu regiminis Juris humani, quamvis distinctio illa hierarchica ab ipsis Apostolorum temporibus fuerit, ùt liquet *ex Can. in illis. 2. dist. 80. & can. Urbes. ibid.* Nam in illis civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos *primi Flamines* eorum atque primi Legis Doctores erant, Episcoporum Primates poni, vel Patriarchas B. Petrus voluit. Qui reliquorum Episcoporum causas, & majora, quoties necessè foret, negotia in fide agitarent; in illis autem civitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant *Archiflamines*, Archiepiscopos constitui præcepit, in singulis verò reliquis civitatibus singulos, & non binos vel ternos aut plures Episcopos constitui præcepit, qui Episcoporum tantùm vocabulo potirentur; quoniam nec inter ipsos Apostolos par institutio fuit, sed unus omnibus præfuit. Hæc Clemens Papa *in can. in illis cit.*

Quæres *sextò*. Qualis prærogativa Patriarcharum? R. Antiquitùs primum post Roman. Pontificem locum tenebant Patriarchæ, quales sunt Constantinopolitanus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, Antiochenus. *Can. renovantes. 6. dist. 22. cap. antiqua. 23. de privilegiis.* Verùm Cardinales hodiè non cedunt Patriarchis; nam Cardinalatus indies crescit, & Patriarchatus decrescit, postquam dictæ quatuor Sedes Patriarchales devenerunt ad manus Infidelium.

Quæres *septimò*. Qualis prærogativa Archiepiscoporum? R. Archiepiscopi, qui & Metropolitani dicuntur à Metropoli, id est: civitate matrice, seu civitatum matre, ubi Metropolitanus sedem habet, privilegiatam habet potestatem in suos subditos, in Episcopos suffraganeos, & in subditos suffraganeorum. Archiepiscopus cum consensu Primatis consecratur à tribus Suffraganeis, omnibus Comprovincialibus præsentibus, vel literis ad minus consentientibus. *Can. 1. can. quia. 6. dist. 64. cap. si Archiepiscopus. 6. de tempor. ordinat.* Deindè quoad executionem muneris Archiepiscopalis consecratus illud exercere non potest, antequam pallium Archiepiscopale acceperit, imò ante illius traditionem sede Archiepiscopum nominare nequit, eò quòd

in pallio pastoralis officii plenitudo cum Archi-Episcopalis nominis appellatione conferatur. *Cap. nisi specialis. 3. de author. & usu pallii.*

Quæres *octavo*. Quæ jura & præeminentiæ Archiepiscopi circa suos Episcopos suffraganeos? R. *1mo*. Electos confirmat. *Can. 1. dist. 64. cap. innotuit. 20. cap. cum dilectus. 32. de election. cap. inter 2. de translat. Episcopi. 2do*. Suffraganeos vel per se vel per alium consecrat. *Can. qui in aliquo. 5. dist. 51. & totâ dist. 64. & 65. cap. Suffraganeis. 9. de election. 3tio*. Cæteros Comprovinciales ad consecrationem Suffraganei convocat. *Can. non debet. 2. dist. 65. 4to*. Injungit, ut quæ observantur in Ecclesiâ Metropolitanâ, in Cathedralibus Suffraganeorum quoque observentur. *Cap. dilectus. 30. de simon. 5to*. Singulis trienniis provincialem Synodum, cui ipse præsidet, convocat. *Can. quoniam. 7. dist. 18. Trid. Sess. 24. de reform. cap. 2*. In Concilio Provinciali abusus & quæstiones circa Imagines, Miracula, Reliquias, &c. ortas unà cum Synodo dijudicat, de causa absentiæ suorum Suffraganeorum ab Ecclesiis Cathedralibus statuit. *Trid. sess. 23. de reform. cap. 1*. Aliaque quamplura ex dicto Concilii Decreto cum Suffraganeorum judicio ordinat ac statuit. *Trid. Sess. 24. cap. 3. & Sess. 23. cap. fin. 6to*. Curat, ut Suffraganei in suis Ecclesiis resideant. *Trident. Sess. 23. cap. 1. de reform. 7timo*. Compellit, ut Suffraganei suis subditis justitiam administrent. *Can. conquestus. 8. caus. 9. q. 3. can. in nona. 22, caus. 16. q. 7. Trident. Sess. 23. de reform. cap. 18. 8vo*. Suffraganeos suspendit, interdicit, excommunicat. *Cap. Venerabili. 52. de sentent. excommun. 9no*. Suffraganeorum defectus supplet. *Can. cùm simus. 3. caus. 9. q. 3. cap. 1. de censib. in 6. 10mo*. Eorum vel civiliter vel criminaliter conventorum causas cognoscit. *Can. quia cognovimus. 6. caus. 10. q. 3. cap. sollicitudinem. 54. de appellat. Trident. Sess. 24. de reform. cap. 5. 11mo*. Appellationes à sententiis Suffraganeorum suscipit. *Cap. ut litigantes. 5. de officio ordinar. in 6. cap. Romana. 3. de Appellationibus. in 6. 12mo*. Visitat Diœceses Suffraganeorum, causâ tamen priùs in Concilio provinciali cognitâ & probatâ. *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 3. 13tio*. Demùm Sede vacante ex morte Suffraganei vel aliàs, quamvis administratio ad Capitulum pertineat. *Can. non liceat. 48. caus. 12. q. 2. cap. si Episcopus. 3. & cap. fin. de supplend. negligent. Prælator. in 6*. In duobus tamen casibus viduæ Ecclesiæ Cathedralis Archiepiscopus curam habet: imprimis si Capitulum Cathedrale Viros idoneos non habeat. *cit. can. non liceat*. Deindè si idoneos habet, sed negligentes; hoc enim casu Archi-Episcopus ob negligentiam vel malitiam Capituli (eo vocato, causaque super hoc cognitione præmissâ) Visitatorem seu Administratorem eidem Ecclesiæ licitè poterit deputare. *cit. cap. fin. de supplenda negligentia Prælatorum. in 6*.

Quæres *nono*. Quæ jurisdictio Archi-Episcopi in subditos Suffraganeorum? R. Eam in quatuordecim habet casibus: *1mus*. In causa appellationis. *cap. duo simul. 9. de officio ordinar. cap. 1. eod. in 6. 2dus*. In causa totam provinciam concernente

cernente ad tollendam pravam consuetudinem. *cap. ad extirpandas. 11. cap. fin. de filiis Presbyter. 3tius.* In causa injuriarum à subditis Suffraganeorum Archiepiscopo vel familiæ ejus illatarum. *cap. 1. de pœnis. in 6. 4tus.* In causa excessuum Canonicorum injustè contra suum Episcopum à Divinis cessantium. *cap. irrefragabili. 13. §. cæterùm. de officio ordinar. 5tus.* In punitione criminum notoriorum, dum provinciam visitat, cùm super his meritò notari possit Ordinariorum negligentia. *cap. 1. de censibus. in 6. 6tus.* Corrigit subditos Suffraganeorum in divinis Officiis Ecclesiæ Metropolitanæ ritum non sequentes. *Can. de iis. 13. dist. 12. 7timus.* Mittit Collectores eleëmosynarum pro fabrica Metropolitanæ Ecclesiæ per Diœceses suffraganeas. *cap. 1. de pœnit. & remiss. in 6. 8vus.* Mittit per totam provinciam edicta in casibus suam jurisdictionem concernentibus. *9nus.* Concedit Indulgentias pro tota provincia. *cit. cap. 1. de pœnit. & remiss. in 6. 10mus.* Interdicit officio prædicationis. *cap. tuarum. 11. de privilegiis. 11mus.* Delinquentes extra totam provinciam in exilium ejicere potest. *12mus.* Punit subditum Suffraganei in sua Diœcesi delinquentem, eundemque judicat in sua Archi-Diœcesi contrahentem, aut bona possidentem. *can. 1. & sequent. caus. 3. q. 6. 13tius.* Injustè excommunicatum à Suffraganeo absolvit receptâ cautione juratoriâ. *cap. ad reprimendam. 8. de offic. ordinar. cap. quâ fronte. 25. de appellationib. 14tus.* Demùm visitans provinciam suam exigit procurationes. *cap. 1. de censib. in 6.* Tunc etiam audit confessiones, & absolvit etiam à casibus Episcopo Suffraganeo reservatis.

Quæres *decimo.* Quid annexum habet dignitas Episcopalis? R. Annexum dignitati Episcopali est gravissimum corporis ac animæ onus, quod tam sublime officium, ùt in sequenti §. videbimus, necessariò concomitatur. De hoc onere emphaticè loquitur S. Augustin. relatus *in can. ante omnia. 7. dist. 40.* Nihil est in hac vita, & maximè hoc tempore facilius, lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur; sed nihil apud DEUM miserius, & tristius, & damnabilius: Nihil quoque difficilius, laboriosius, periculosius; sed apud DEUM nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet. Unde quia Episcopatus principaliter datur propter onerosum ejusdem officium, Episcopatus est nomen oneris, non honoris, ut dicitur *in can. qui Episcopatum. 11. caus. 8. q. 1.* Ideoque qui vocantur ad Episcopatum, non ad Principatum, sed ad servitium Ecclesiæ vocantur. Unde *Trident. Sess. 25. de reform. cap 1.* Optandum est, ut, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partis agnoscant; ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores & sollicitudines pro DEI gloriâ vocatos esse intelligant.

Quæres *undecimo.* Annon ergo Episcopatum appetere licet? R. *cum S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 1.* In Episcopali dignitate, & in qualibet Ecclesiastica Prælatura tria considerari possunt: Officium, celsi-

celsitudo, & præeminentia officii ac bona temporalia eorumque sufficientia. Officium Episcopatûs propter DEI cultum & proximorum salutem est institutum, celsitudinem annexam habet, quia Episcopus super alios constituitur, bona temporalia ad officium tanquam præmium laboris, & ad celsitudinem tanquam instrumenta virtutis & dignitatis honestamenta consequuntur, quapropter ipsum quidem officium Episcopale per se laudabiliter appetitur, cùm opus Episcopale, aut functiones Episcopo dignæ sint actus charitatis, Religionis, justitiæ aliarumque heroicarum virtutum, absque dubio per se appetibiles; ideò dicit Apostolus: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Cùm nihilominùs Episcopalis officii exercitium eminentem requirat virtutem, hinc ipsum Episcopale officium absoluto & efficaci desiderio nunquam sine culpa appetitur, imò periculosum est in quocunque, quamvis ad hoc opus valdè aptus esse videatur, absolutum operis Episcopalis desiderium, cùm ad illud exequendum ea necessariò requiratur dispositio, quam vix ullus sibi inesse absque præsumptionis nota suspicari potest. Deindè celsitudinem dignitatis Episcopalis ex se appetere præsumptionis & elationis est; ideò *in can. sicut is. 3. cauſ. 1. q. 6.* dicitur: Sicut is, qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est Altaribus admovendus, sic qui ultrò ambit, vel importunè se ingerit, est procul dubio repellendus; nam qui sic nititur ad altaria conscendere, quid aliud agit, nisi ut crescendo decrescat, & ascendendo exteriùs, interiùs ad profunda descendat. Demùm gravissimè peccant, qui propter reditus temporales vel honores mundanos tanquam propter finem, Episcopatum appetunt, quia illo abutuntur, dum ad alios fines extraneos eum referunt, & institutam à Christo ad agendum & laborandum dignitatem proprio suo fine præposterè privant.

Quæres *duodecimò.* Quotuplex est potestas Episcopalis? ℟. 2plex: Ordinis & Jurisdictionis, inter quas sunt differentiæ sequentes: *1ma.* Potestatem Ordinis Episcopus per Consecrationem, potestatem Jurisdictionis per Confirmationem accipit.

2da. Jus dignitatis vel Ordinis cohæret personæ, Jus administrationis vel jurisdictionis loco, cui præsidet. *cap. transmissam. 15. de elect.*

3tia. Quæ sunt Ordinis Episcopalis, ex consuetudine non Episcopis competere nequeunt. *cap. quanto. 4. de consuetud.* Quæ sunt dignitatis & jurisdictionis Episcopalis, alteri Episcopo inferiori personæ præscriptione aut alio jure speciali acquiri possunt. *cap. cum olim. 18. de præscript. cap. accedentibus. 12 de excessib. Prælator.*

Quæres *decimo tertiò.* Quæ sunt Ordinis Episcopalis? ℟. Solus potest Chrysma conficere, & Sacramentum Confirmationis ministrare. *can. perlectis. 1. dist. 25. can. quamvis. 4. dist. 68.* Oleum infirmorum & Catechumenorum conficere, Ecclesias consecrare, in Ecclesia consecrata Altaria erigere & consecrare, violata vel polluta reconciliare. *cap. aqua. 9. de consecrat. Eccles.* Clericis majores Or-

Ordines conferre, Episcopos consecrare, consecratos Clericos & Episcopos degradare. *Trident. Sess. 13. de reform. cap. 4.* Præter dicta potest Episcopus ratione Ordinis aliqua ex constitutione Ecclesiæ, quæ consuetudine, aut delegatione, aut privilegio minoribus Episcopo Prælatis conceduntur, ut minores Ordines & primam Tonsuram conferre, Virgines sacras benedicere. *can. perlectis. cit.* Publicè pœnitentes in Missâ reconciliare. *cit. can. quamvis. can. 1. caus. 26. q. 6.* Publicas pœnitentias injungere. *cap. accedentibus. 12. de excessib. Prælat.* Calices, Patenas, Corporalia, Vestimenta Sacerdotalia, &c. benedicere.

§. Secundus.

DE

Munere & Potestate Episcopali.

QUæres *1mò.* Quodnam munus Episcopi? R. Munus Episcopi in duobus consistit: *1mò.* In promovendo cultu Divino, augendâ & conservandâ Religione. *2dò.* In ovibus pascendis, iisque in viam salutis æternæ deducendis.

Quæres *secundò.* Quale munus Episcopi circa cultum Divinum, fidem & reverentiam DEI? R. Curare debet *1mò.* Si sit in terris Infidelium, ut omnes oves sibi subjectæ fidem suscipiant. Si in terris Fidelium, ut fidei rudimenta addiscant. *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 4. 2dò.* Ut inanes & periculosæ Laicorum disputationes fidei tollantur. *Can. quoties. 12. caus. 24. q. 1. cap. quicunque. 2. de hæret. in 6. 3tiò.* Ut Verbum DEI populo prædicetur. *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 4. 4tò.* Ne Sacræ Scripturæ verba ad superstitiones & alia profana & scurrilia convertantur, & adhibeantur. *5tò.* Ne in Concionibus fabulæ & revelationes falsæ prædicentur. *6tò.* Ne Libri de rebus sacris sine Authoris nomine imprimantur, vendantur, retineantur, nisi prævio suo examine. *Concil. Lateran. cap. 10. de impressione libror. 7timò.* Ut omnes artem magicam vel superstitiones exercentes aut docentes ex Diœcesi eradicentur. *Can. contra. 10. can. Episcopi. 12. caus. 26. q. 5. 8vo.* Ne miracula nova tàm Sanctorum canonizatorum, quàm non canonizatorum non recognita & approbata publicentur. *Trident. in decreto de invocat. & venerat. Sanctor. Sess. 25. 9no.* Ne Sanctorum ab Ecclesiâ canonizatorum Reliquiæ in Diœcesi nonnisi approbatæ publico cultui exponantur. *10mo.* Ne in DEI vel Sanctorum venerationem statuta Festa contemnantur, aut Fideles iis diebus Divinis interesse negligant, atque operibus servilibus aliisque illicitis operam navent.

Quæres *tertio.* Quid circa Divinorum Officiorum celebrationem curandum Episcopo? R. *1mo.* Ut Sacerdotes celebrent horis debitis. *Trident. Sess. 22. in decreto de observ. in celeb. Miss. 2do.* Intra Ecclesiam in loco sacro ad id specialiter

cialiter deputato, *ibid. 3tio.* Ne Sacerdotes exteri, nisi visis literis commendatitiis celebrent, *ibid. 4to.* Ut Sacerdotes curam animarum habentes saltem diebus Dominicis & Festivis celebrent. *Trident. Sess. 23. de reform. cap. 14. 5to.* Ut populus in propria parochia Missam audiat, ad hoc est adhortandus, non tamen per mulctam compellendus. *6to.* Ne musica impura in Ecclesiis habeatur. *Trident. in decreto de observ. in celeb. Miss. 7mo.* Ut populis diversarum linguarum & rituum in eadem Diœcesi morantibus Officia & Sacramenta secundùm eorum linguas & approbatos ritus celebrentur & ministrentur.

Quæres *quarto.* Quid Episcopo in administratione Sacramentorum incumbit? R. *1mo.* Ut ipse Confirmationem administret. *Can. Presbyteris.* 119. *de consecrat. dist. 4. cap. quanto. 4. de consuetud.* idque faciat in sua non aliena Diœcesi. *2do.* Ut ipse Sacramentum Ordinis conferat. *cap. 1. de ordinat. ab Episcopo, qui renuntiav. Trident. Sess. 23. cap. 4. de Sacram. Ordin. 3tio.* Ut reliqua Sacramenta cum debita forma, ritu, materia, tempore legitimo, à personis dignis & habilibus, cum reverentia & honore debito ministrentur, Eucharistia honorificè & decenter asservetur. *cap. sanè. 10. de celeb. Miss. 4to.* Ut Sacramentorum administratio sit gratuita. *can. placuit. 105. caus. 1. q. 1. 5to.* Ut Concil. Trident. Decretum de matrimoniis celebrandis publicetur. *Trident. Sess. 24. de reform. matrim. cap. 1. 6to.* Ut Sacramentorum omnium vis & robur à Parochis exponatur. *Trid. sess. 24. de reform. cap. 7.*

Quæres *quinto.* Quod Episcopi in pascendis ovibus officium? R. *1mo.* Prædicare Verbum DEI, subditos docere, monita salutis eis tradere, delinquentes corrigere, &c. *Can. audire. 2. dist. 25. can. sicut vir. 11. caus. 7. q. 1. cap. inter cætera. 15. de officio ordinar. Trid. Sess. 24. de reform. cap. 4. 2do.* In cura animarum bonos & idoneos ministros & Rectores instituere. *Can. regenda. 4. caus. 10. q. 1. can. illud. 3. dist. 95. 3tio.* Inter subditos pacem componere. *can. studendum. 7. can. præcipimus. 11. dist. 90. 4to.* Pauperibus victum largiri, viduarum, orphanorum ac personarum miserabilium paternam curam gerere. *Trident. Sess. 23. de reform. cap. 1. 5to.* Subditos monere, ne vanis & superfluis sumptibus bona sua consumant. *Clement. 2. de Magistris. 6to.* Diœcesin suam sæpiùs visitare personaliter. *Can. relata. 9. can. decernimus. 10. can. Episcopum 11. caus. 10. q. 1. Trident. Sess. 24. de reform. cap. 3. 7timo.* Semel quotannis Synodum totius Cleri convocare. *Can. annis singulis. 16. & totâ fere dist. 19. 8vo.* Apud Ecclesias suas, quantùm possibile, residere. *Trident. Sess. 23. cap. 1.* easque sine legitimis causis non deserere. *cap. nisi cùm pridem. 10. de renuntiat.*

Quæres *sexto.* Quotuplex potestas jurisdictionis Episcopalis? R. Jurisdictio Episcopi in lege Diœcesana & lege jurisdictionis consistit. *cap. conquerente. 16. cap. dilectus. 18. de offic. ordinar.* Ad legem Diœcesanam pertinet vocatio ad Synodum, ad sepulturas mortuorum, Cathedraticum, quarta pars decimationum & mortuariorum, Hospitalium pro-

procuratio, subsidium charitativum & similia, quæ consistunt in recipiendo. *Gloss. in cit. cap. dilectus. & in can. 1. caus.* 10. *q.* 1. Ad legem jurisdictionis pertinent commissio curæ animarum, delictorum punitio, ordinatio Ecclesiarum, Altarium consecratio, quæ consistunt in dando.

Quæres *septimo.* In quas personas Episcopus habet jurisdictionem? R. Habet in omnes & singulas suæ Diœcesis, cujuscunque gradûs sint & qualitatis, tàm in foro in - quàm externo quoad causas & delicta Ecclesiastica, eorumque pœnas & censuras Ecclesiasticas, etiam quoad causas civiles, crimina & omnia genera peccatorum.

Quæres *octavo.* Quotuplex Jurisdictio in personas? R. 2plex: Voluntaria & involuntaria, inter has jurisdictionis species duæ præcipuæ sunt differentiæ: 1*ma.* Quòd voluntaria nonnisi in volentem exerceatur, sed necessaria, sive contentiosa, ùt alii volunt, potest etiam in invitos exerceri. 2*da.* Quòd voluntaria etiam extra territorium exerceri queat, non tamen contentiosa, nisi Judicis territorialis, & verè etiam partium litigantium consensus accedat. *cap. fin. de constitutionib. in* 6.

Quæres *9no.* Quæ pertinent ad jurisdictionem necessariam & contentiosam? R. 1*mo.* Facere & promulgare constitutiones, sacris tamen Canonibus non obviantes. *Can. Catholica. 8. dist.* 11. *cap. si quis. 2. de major. & obedient.* 2*do.* Subditos coërcere, corrigere, suspendere, degradare, beneficiis privare, pœnas & censuras imponere, & si sint tam gravia delicta, ut per pœnas spirituales sufficienter puniri non possint, cum Ecclesia gladio non utatur, brachium invocare sæculare. *cap.* 1. *de officio ordinar.* 3*tio.* Exercere Pontificalia.

Quæres *decimo.* In quo Jurisdictio voluntaria consistit? R. In dispensatione & absolutione. Dispensatio versatur circa quatuor: 1*mo.* Episcopus dispensat Sacramenta, in quorum administratione non est usus Pontificalium. 2*do.* Dispensat in irregularitate tàm pro Ordinibus suscipiendis, quàm pro ministrando in susceptis. 3*tio.* Dispensat circa habilitatem ad beneficia, dignitates & officia Ecclesiastica suscipienda. 4*to.* Dispensat circa facultatem ad contrahendum matrimonium contra impedimenta Canonica dirimentia & impedientia. Absolvit Episcopus 1*mo* à votis Pontifici non reservatis. 2*do* à juramentis. 3*tio* à censuris Pontifici vel alteri non reservatis. 4*to* à peccatis Pontifici non reservatis.

Quæres *undecimo.* In quas res & loca Episcopus habet jurisdictionem? R. 1*mo.* Omnes Ecclesiæ, Parochiæ, Monasteria, Hospitalia & quælibet pia & religiosa loca in sua Diœcesi sub regimine sunt Episcopi. *Can. regenda 4. caus.* 10. *q.* 1. exceptis exemptis.

2*do.* Omnes res & bona Ecclesiastica, beneficia, Ecclesiarum jura in Diœcesi ad regimen pertinent Episcopi. *Can. nullus.* 11. *caus.* 16. *q* 7.

3*tio.* Causas ad forum Ecclesiasticum spectantes, etiamsi beneficiales sint, Episcopus cognoscit in prima instantia ad minus, & in Diœcesi sua terminat, ac executioni demandat. *Trident. Sess.* 24. *de reform. cap.* 20.

4to. Ecclesias omnes, loca Ecclesiastica omnia, res omnes visitat Episcopus, & in visitando necessaria & opportuna ordinat & disponit jure exemptorum salvo. *Trident. Sess. 21. de reform. cap. 8. Sess. 24. de reform. cap. 3.*

5to. Omnia legata pia & ad pias causas, ut præstentur, curat. *cap. nos quidem. 3. cap. si hæredes. 6. cap. Joannes. 19. de testameni. Trid. sess. 22. de reform. cap. 8.*

6to. Criminales pœnas ad suum arbitrium locis piis aut pauperibus distribuit.

Quæres *duodecimo.* Quænam est delegata Episcopi potestas ? R. In casibus pluribus, ad quos jurisdictio ordinaria se non extendit, ùt in exemptos, vel aliter hæc jurisdictio est limitata, Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus agit. Sunt autem sequentes : *1mo.* Supplet in multis Abbatum exemptorum negligentiam. *Clement. unic. de supplend. negligent. Prælator.*

2do. Procedit contra exemptum hæresin docentem. *Trident. Sess. 5. de reform. cap. 2.*

3tio. In Ecclesiis personalem residendentiam exigentibus, si beneficiati, quò minùs resideant, dispensati, Vicariis de congrua fructuum portione providet. *Trident. Sess. 6. de reform. cap. 2.*

4to. Exemptarum Ecclesiarum Capitula & Canonicos, cùm necessè fuerit, visitat & corrigit. *Trident. Sess. cit. cap. 4.*

5to. Cognoscit, utrùm ob- vel subreptitiæ sint à sacra Sede obtenta publici criminis absolutio vel pœnæ remissio. *cap. si quando. 5. de rescriptis. cap. ex parte. 5. de officio ordinar.* Dispensationes obtentæ. *Trident. Sess. 22. de reform. cap. 5. & 6.* Constitutio vel consuetudo à Sede Apostolica approbata de conferendis Canonicatibus. *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 14.*

6to. Corrigit etiam extra visitationem Clericos à sua jurisdictione exemptos *Trident. Sess. 14. de reform. cap. 4.*

7timo. In Ecclesiis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, separat tertiam partem fructuum quorumcunque beneficiorum, & in distributiones quotidianas convertit. *Trident. Sess. 21. de reform. cap. 3.*

8vo. Imperitis & illiteratis, honestæ tamen vitæ, Parochis Coadjutores & Vicarios assignatâ eis congruâ parte fructuum deputat. *Trident. Sess. 21. cap. 6.*

9no. Monasteria & beneficia commendata, in quibus non viget regularis observantia, singulis annis visitat. *Trident. Sess. 21. de reform. cap. 8.*

10mo. Episcopos vicinos visitat, emendat & corrigit Sæculares in Ecclesiis, quæ nullius Diœcesis esse dicuntur. *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 9.*

11mo. Ordinat & prohibet, quæ in celebratione observanda & vitanda. *Trident. Sess. 22. in Decreto de observ. in celebrat. Miss.*

12mo. Ecclesiasticorum Judicum Notarios examinat, & inidoneis repertis vel ad tempus vel in perpetuum exercitium sui officii interdicit. *Trident. sess. 22. de reform. cap. 10.*

13tio. Contra Protonotarios, Comites Palatinos aliosque Privilegiatos procedit. *Trident. Sess. 24. de reformat. cap. 11.*

14to. Clausuram monasteriorum monialium exemptarum visitat, violatam restituit, inobedientes per censuras Ecclesiasticas aliasque pœnas compescit, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. *Trident. Sess. 25. de regular. cap. 5.*

15to. Monasteria Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, si se in congregationes non redigant, & juxta formam *cap. in singulis de Statu Monachor.* Certos visitatores deputent, Episcopo sunt subjecta. *Trid. ibid. cap. 8.*

16to. De Jure patronatûs quorumcunque beneficiorum & dignitatum minùs legitimè constituto vel acquisito cognoscit.

17mo. Curat, ut omnes dispositiones piæ sortiantur effectum. *Trid. Sess. 22. de reform. cap 8.*

18vo. Quòd si Delegatus summi Pontificis negligens sit, negligentiam ejus non authoritate delegatâ, sed ordinariâ supplet Episcopus. *cap. significavit. 6. de officio ordinar.*

TITULUS SECUNDUS.

DE

SUMMO PONTIFICE.

DE summo Pontifice sic loquitur *can. Cleros. 1. dist. 21.* "Pontifex "Princeps Sacerdotum est, quia "via sequentium, ipse & summus Sacer- "dos, ipse & Pontifex maximus nuncu- "patur; ipse enim efficit Sacerdotes atque "Levitas, ipse omnes Ecclesiasticos Ordi- "nes disponit, ipse, quid unusquisque "facere debeat, ostendit. Anteà autem "qui Reges erant, & Pontifices erant; "nam Majorum erat hæc constitutio, ut "Rex esset etiam Sacerdos & Pontifex." Quapropter licèt quivis Episcopus dicatur Pontifex, hodie tamen Romanum Antistitem S. Petri in Cathedra Successorem, & supremum Christi in terris Vicarium quasi per excellentiam vocamus Pontificem, qui & communi vocabulo Papa appellatur. De quo

Quæres *primo.* Unde nomen Papa? R. A Græca voce πατηρ, qui patrem, vel potiùs avum & patrum patrem significat. *Gloss. in proœm. Clementinarum. verb. Papa.* Hoc nomine aliquando Patriarchæ & Archiepiscopi sunt nominati, propriè tamen & antonomasticè solus Romanus Pontifex ita solet appellari, quia universalis Ecclesiæ Antistes omnium Fidelium communis Pater, Episcopus Episcoporum, & Ordinarius est Ordinariorum.

Quæres 2do. Quot sunt summi Pontificis potestates. R. Tres. Habet enim

potestatem Pontificis sive Episcopi universalis Ecclesiæ, *2do.* Potestatem Episcopi Romani. *3tio.* Potestatem Principis sæcularis.

Quæres *tertio.* Qualis prima summi Pontificis potestas? R. Est omnium maxima à DEO immediatè accepta, Christi in terris Vicaria, ordinaria & perpetua, ad omnes baptizatos se extendens. *Can. cuncta per mundum. 17 seqq. & cauſ. 9. q. 3.* Hanc Papa vel per se immediatè, vel mediatè per alios inferiores Prælatos, in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis vocatos, exercet. *Can. quis nesciat. 11. can. 1. & seqq. dist. 22. can. qui se scit. 12. cauſ. 2. q. 6. cap. ad honorem. 4. de authorit. & usu pallii.*

Quæres *quarto.* Qualis secunda potestas? R. Est jurisdictio ordinaria, quam Papa in Urbe Romana ejúsque districtu per Cardinalem Vicarium exercet.

Quæres *quinto.* Qualis tertia potestas? R. Est potestas politica, quam Papa in patrimonio sancti Petri sive in Provinciis, Civitatibus & Terris ad Ecclesiam Romanam pertinentibus, & Status Ecclesiasticus dicuntur, tanquam supremus Princeps politicus in temporalibus nullum Superiorem agnoscens exercet. Territorium illud summis Pontificibus obvenit vel ex famosa Constantini Magni donatione. *Can. Constantinus. 14. dist. 96. cap. Fundamenta. 17. de elect. in 6.* Vel ex aliorum Imperatorum & Principum liberalitate, aut etiam Jure belli acquisitum est.

Quæres *sexto.* Habétne summus Pontifex aliquam potestatem in temporalia Regum & Principum bona? R. Non directam sed indirectam tantùm habet in temporalia totius mundi bona potestatem, quando videlicet urget necessitas tuendæ religionis, peccati avertendi, &c. *cap. novit. 13. de Judiciis.*

Ubi Innocent. III. fatetur quidem non esse Pontificis directè & immediatè se causis feudalibus & negotiis Regum immiscere, posse tamen & debere id fieri à Pontifice, dum Ecclesiæ interest, cùm de peccato ac fœdere violato agitur, quia tunc partes Pontificis sunt, Regibus pacem imperare, eorum causas cognoscere, appellationes factas ad ipsos in causis temporalibus recipere, adfert inter cætera exemplum Imperatoris Valentiniani, qui, ût refertur in *can. Valentinianus. 3. dist. 63.* electuros Episcopum ad Ecclesiam Mediolanensem sequentibus adhortatur: *Talem in Pontificali constituite Sede, cui & Nos, qui gubernamur Imperium, sincerè nostra capita submittamus, & ejus monita, dum tanquam homines deliquerimus, necessariò velut medicamenta curantis suscipiamus.*

Idem Innoc. III. *in cap. licet. 6. de voto &c.* Filium Regis Hungariæ stringit ad persolvendum votum paternum, quod Pater fecerat ad recuperandam Terram sanctam, & Filius in se susceperat, non tantùm comminando pœnas spirituales, quas plerumque non magni faciunt Principes, sed adjungendo etiam temporales, regni videlicet & juris ad regnum privationem.

Circa Annum 800. cùm Imperatores Orientis sæpiùs interpellati, ut Ecclesiam à persecutionibus Lombardiæ Regum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gum defenderent, Leo III. Imperium Occidentis in Carolum Magnum transtulit, ac illum in Imperatorem Romanorum coronavit. *Gloss. in cap. Venerabilem. 34. de elect.* Carolo autem Magno non ùt Gallo, sed ùt Germano Germanorumque Regi Romanum Imperium collatum fuit, quia Francorum regnum in Germaniæ parte, videlicet illa, quæ Franconia dicitur, natum est, & hæc causa est, quare Innocent. III. *in cap. Venerabilem. 34. de elect.* dicat Imperium à Græcis in personam magnifici Caroli ad Germanos translatum fuisse, quem tamen Regem Francorum fuisse constat.

Quæres *septimo.* Quænam summi Pontificis prærogativæ? R. Sequentes: *Primo.* Est supremus controversiarum fidei Judex, & in his definiendis publico judicio errare non potest, quamvis enim ùt privatus errare, imò & in hæresin labi possit, toti tamen Ecclesiæ hæresin credendam proponere nequit. Probatur ex illis verbis *Luc. 22. Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua.* Quæ non de solo Petro, sed etiam ejus Successoribus intelligenda sunt. *cap. majores. 3. de Baptismo.* & Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quâ promissione B. Petro factâ, omnes ejus Successores tanquam visibilia Ecclesiæ capita in fidei soliditate roborantur. *Can. ita Dominus. 7. dist. 19.*

2do. Est infallibilis morum regula, ut ejus decreta, quibus aliquid Fidelibus totius Ecclesiæ publicè vel præcipiendo vel prohibendo proponit, vera, & nulli errori obnoxia sint; supremus enim Pastor in pascendis ovibus infallibilis sit necesse est, nam aliàs Christus Ecclesiæ suæ minùs providisset, hæc autem non solius fidei, sed etiam morum doctrinâ pascenda est, & morum decreta ab omnibus servanda sunt. *Can. 1. dist. 12. cap. 1. de constitut.*

3tio. In canonizatione Sanctorum infallibilis est, quia cùm Sanctos invocari posse, eorumque Reliquias venerandas esse sana fides doceat, ad Ecclesiam declarare pertinet, quibus talis invocatio & veneratio competat. *cap. 1. de reliq. & vener. Sanctor. cap. unico. eodem. in 6. Trident. Sess. 25. in decreto de invocat. & venerat. Sanct.*

4to. Est infallibilis in approbatione Ordinum vel Religionum, error siquidem circa hujusmodi approbationem errorem circa doctrinam fidei & morum secum trahit. Nec obstat, quod in *Extrav. unic. de religios. domib. Joannis XXII.* Religio Fratricellorum à Cœlestino V. instituta reprobetur; quia Religio illa propter impia dogmata primæ institutioni postmodum accedentia reprobata & extirpata fuit.

5to. Habet potestatem leges totam Ecclesiam obligantes condendi, leges Ecclesiasticas quascunque relaxandi, in omnibus Ordinum & matrimonii impedimentis aliisque nullitatibus & inhabilitatibus jure Ecclesiastico introductis dispensandi, &c.

6to. Habet supremam potestatem tàm in foro in - quàm externo ab omnibus peccatis & censuris absolvendi, omnia vota & juramenta relaxandi.

7timo. Est supremus Judex omnium Christi Fidelium, ita, ut in spiritualibus cæ-

cæterisque causis ad externum Ecclesiæ forum spectantibus ejus sententiæ & definitioni omnes absque appellationis remedio stare & acquiescere debeant: quia Pontificis & Christi in terris unum tribunal est. *Arg. cap. inter. 2. cap. quanto, 3. de translat. Episcop.*

8vo. Habet potestatem supremam in omnem Patriarchatum, Archiepiscopatum, Episcopatum, Parochias, eas dividendi, uniendi, earum limites constituendi, vel mutandi. *Can. Urbes, 1. dist. 80. cap. pastoralis. 9. de his quæ fiunt à Prælato. cap. sicut. 8. de excess. Prælat. Extrav. unic. inter com. de officio Delegati.* De iisdem Prælaturis cæterisque dignitatibus, beneficiis, officiis & ministeriis Ecclesiasticis liberè disponendi. *cap. licet. 2. de prebend. & dignitat. in 6. Clement. 1. ut lite pendente.* Omnium inferiorum Prælatorum & Rectorum jurisdictionem tàm in foro poli, quàm in foro fori extendendi vel restringendi, tollendi vel suspendendi, Ecclesiæ Prælatorum Concilia congregandi, congregata dissolvendi. *Can. regula. 2. dist. 17. can. dudum. 9. caus. 3. q. 6.*

9no demùm habet supremam potestatem disponendi de Ecclesiis, monasteriis aliisque sacris & religiosis locis, de rebus seu juribus & bonis ad ea pertinentibus, prout vel ad ipsorum privatas vel publicas universalis Ecclesiæ necessitates sublevandas & utilitates promovendas expedire judicaverit.

Quæres *8vo.* Quomodo probatur, quòd summus Pontifex extra Concilium generale infallibilis fidei morúmque sit regula? R. *1mo.* Ex Scriptura. *Luc. 22.* dicit Christus Petro, & sub ejus persona Successoribus, de quibus ex communi Catholicorum sensu omnes aliæ promissiones Petro factæ intelliguntur: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quibus Petro promittitur speciale privilegium à fide non deficiendi, idque independenter à Concilio, aliàs non tàm Petrus confirmaret fratres, quàm fratres confirmarent Petrum. *Matth. 16.* Petro dicitur: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & pasce oves meas. Joan. ultimo.* Si autem Petrus ejusque Successores, dum Ecclesiam publicè docent, errare possent, non tàm petra, quàm arena esset, nec majorem infallibilitatem summus Pontifex haberet, quàm quilibet Episcopus, qui extra Concilium publicè docendo errare potest, cum Concilio & tota Ecclesia docens est infallibilis.

2do. Ex sacris Canonibus. *Can. non decet. 1. can. præceptis. 2. dist. 12. can. si Romanorum. 1. can. sic omnes. 2. can. ita Dominus. 7. dist. 19. can. si decreta. 2. dist. 20. can. à recta. 9. can. memor. 10. can. quoties. 12. can. hæc est fides. 14. can. quoniam. 25. can. quicunque. 27. can. schisma. 34. caus. 24. q. 1. cap. significasti. 4. de election. cap. ad abolendam. 9. de hæreticis.* In quibus apertè innuitur concessa summo Pontifici potestas definiendi extra Concilium, cujus definitioni omnes acquiescere tenentur.

3tio. Ex Conciliis, quæ Romanum Pontificem Pastorem, Doctorem & Magistrum universalis Ecclesiæ agnoscunt. Concil. Lateran. sub Innoc. III. *in cap. dam-*

damnamus. 2. de Sum. Trinit. Concil. Lugdunense *in cap unico. eod. in 6*

4to. Ex praxi Ecclesiæ, plurimæ enim hæreses à summo Pontifice extra Concilium sunt condemnatæ, sic Innoc. I. hæresin Pelagianam damnavit, teste *S. Augustino lib. 2. contra duas Epistolas Pelag. cap. 3.* Leo X. errores Lutheri Anno 1579. Innocent. X. errores Jansenii, Innocentius XI. errores Michaëlis Molinos.

Quæres *nono.* Quibus argumentis Pontifices aliquando in materia fidei errâsse probatur? R. Sequentibus. *1mo.* Zephyrinus Papa communicavit cum Montanis Hæreticis, teste *Tertulliano. lib. adversùs Priscian.*

2do. Liberius Papa subscripsit formulæ fidei, quam Ariani Syrmii ediderant, & in damnationem S. Athanasii consensit.

3tio. Felix II. per Arianos expulso Liberio ad Cathedram Pontificatûs evectus cum Arianis communicavit.

4to. Vigilius Papa per potentiam Theodoræ Imperatricis hæreticæ hæresis Eutychianæ author fuit.

5to. Honorius I. Monothelitarum hæresin docuit in duabus Epistolis ad Sergium, ob quod tanquam hæreticus damnatus est in 6ta Synodo generali sub Agathone Papa.

Quæres *decimo.* Qualiter ad hæc fundamenta respondendum?

R. ad *1mum.* Zephyrinus Papa à Montanistis Hæreticis deceptus & circumventus, nihil quod fidei adversum docuit, sed hæreticos se fingentes Catholicos suscepit.

Ad *2dum.* Liberius formæ subscripsit, quæ nihil continebat hæreticum, quamvis particula: *Consubstantialis*, quâ Catholici ab Arianis distinguebantur, fraudulenter esset omissa.

Ad *3tium.* Felix Papa, postquam ab Ecclesia pro Capite & Papa agnitus, nihil contrarium fidei docuit, sed pro fide ùt Martyr occubuit.

Ad *4tum.* Vigilius mortuo Liberio pro Papa ab Ecclesia receptus fidem Catholicam defendit, & ex hoc ab Hæreticis in exilium actus in confessione fidei constans perstitit.

Ad *5tum.* Literæ Honorii ad Sergium privatæ fuerunt, ideò etiam concesso, quòd hæresin continuerint, non probatur, quòd Pontifex ex Cathedra hæresin docuerit.

Quæres *undecimo.* Quibus argumentis Pontifices in doctrina morum quandoque errâsse probatur? R. Sequentibus: *1mo.* Gregorius III. maritum uxore infirmâ, si se continere non possit, aliam ducere permisit. *Can. quod proposuisti. 18. caus. 32. q. 7.*

2do. Gelasius Papa docuit communionem sub utraque specie necessariò esse sumendam. *Can. comperimus. 12. de consecrat. dist. 2.*

3tio. Nicolaus Papa pro valido agnovit Baptismum in Christi tantùm nomine, aut sine trium personarum explicatione collatum. *Can. à quodam. 24. de consecrat. dist. 4.*

4to. Alexander III. docet leges civiles ad valorem testamenti plures quàm tres testes requirentes esse injustas. *Cap. cum esses. 10. de testamentis.*

5to. Idem Alexander docuit à Romanis Pontificibus judicatum esse, quòd matrimonium cum una initum dissolvatur per matrimonium cum altera contractum & consummatum. *Cap. licet. 3. de sponsa duor.*

6to. Quidam Cœlestinus Papa docuit matrimonium fidelium uno conjugum in hæresin lapso dissolvi, ùt refert Innoc. III. *in cap. quanto. 6. de divortiis, junctâ glossâ verb. prædecessor.*

7mo. Nicolaus Tertius docuit perfectam paupertatem consistere in abdicatione omnis dominii tàm in communi, quàm in particulari, ùt videre est *in cap. exiit. 3. de verb. signif. in 6.* quod Joannes XXII. *in Extrav. ad conditorem. de verb. signif.* damnavit.

Quæres *duodecimo.* Quomodo ad hæc respondendum? R. ad *1mum. Cap. quod proposuisti.* Intelligendum est de matrimonio cum muliere infirma per dispensationem dissoluto, vel ob impotentiam perpetuam invalido. Videatur *Gloss. in cit. cap. verbo mulier.*

Ad *2dum. Canon. comperimus.* Vel loquitur de communione Sacerdotum, vel de Hæreticis, qui tempore, quo ab Ecclesia Laicis calix dabatur, ex superstitione Manichæorum calicem sumere non volebant.

Ad *3tium. In Can. à quodam.* Papa rescribit, quòd Baptismus debitâ materiâ & formâ adhibitâ à Judæo collatus non sit repetendus, quia ejus minister non fuit Christianus. De omissa expressione Ssmæ Trinitatis, ùt Doctor privatus respondet.

Ad *4tum. In cap. cum esses.* deciditur, quòd leges requirentes plures testes, quàm tres, sint præter legem Divinam, juxta quam sufficiunt duo vel tres testes.

Ad *5tum. Cap. licet.* intelligi potest, interveniente dispensatione in matrimonio rato.

Ad *6tum.* Cœlestinus dicitur ita censuisse, non definivisse.

Ad *7timum.* Nicolaus III. & Joannes XXII. sibi contrarii non sunt, si dicatur duos esse paupertatis gradus, quos Christus verbo & exemplo docuit; aliquando enim rigidam illam paupertatem, quæ omne dominium tàm in particulari, quàm in communi excludit, docuit. Ut *Matth. 10. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Luc. 9. Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* Aliquando paupertatem minùs rigidam, dominium in communi non excludentem est professus, ut *Joannis 13.* ubi permisit loculos sive pecuniam in communi. Jungatur *can. exemplum. 12. can. habebat. 17. caus. 12. q. 1.* Generaliter etiam responderi potest tunc Pontificem ex Cathedra docere, quando doctrinam fidei & morum ad totam Ecclesiam dirigit, omnesque fideles obligat, non quando particularibus respondet, uti factum in testibus allegatis.

TI-

TITULUS TERTIUS.

DE

CARDINALIBUS.

QUæres *primo*. Unde nomen Cardinalis? ℟. A cardine, quia Cardinales sunt quasi Ecclesiæ cardines, aut quia Apostolicæ Sedi, quæ est aliarum Ecclesiarum axis, deserviunt. *Gloss. in Extrav. execrabilis. de præbend. verb. Cardinalibus.* Sicut mundus regitur â cardine, ita Ecclesia Cardinalium roboratur consilio. *Arg. can. pastoralis. 42. caus. 7. q. 1.* Nomen hoc primus dedit S. Sylvester in Synodo Romæ celebrata Anno 324. relata *in can. à Subdiacono. 5. dist. 93.* Dein à Gelasio, Gregorio aliisque Pontificibus in usum est deductum. *Cit. can. pastoralis. can. relatio 5. caus. 21. q. 1.*

Quæres *2do*. Quanta dignitas Cardinalium? ℟. Sunt Senatores Pontificis seu Senatus Ecclesiæ. *Can. Ecclesia. 7. caus. 16. q. 1.* ac gremium constituunt, quod vocatur Ecclesiæ Romanæ gremium. *Can. in nomine Domini. 1. dist. 23.* Summo Pontifici in executione officii Sacerdotis Coadjutores assistunt. *Cap. fundamenta. 17. de election. in 6. junctâ Glossâ verb. decet.* Consiliis & consistorio Pontificis intersunt Senatores & pars corporis Papæ. *Can. si quis, 22. caus 6. q. 1.* Unde tanquam membra cum capite suo, scilicet summo Pontifice, unum corpus & consistorium facere dicuntur, & cùm legationis munere funguntur, Legati de Latere appellantur. *Can. si quis Episcopus. 36. caus. 2. q. 6.*

Quæres *tertio*. Unde origo officii? ℟. Ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio. Apostoli post Ascensionem Christi S. Petro assistebant, eumq; consilio & auxilio adjuvabant, iis verò per universum Orbem dispersis à B. Petro ex Clero electi sunt 24. Coadjutores, quos inter præcipui Linus, Cletus, Clemens. *Can. si Petrus, 1. caus. 8. q. 1.* Posteà sub Annum 304. à S. Marcello instituti sunt in Urbe quindecim tituli pro Presbyteris & Diaconis, quibus baptizandorum & pœnitentium cura, & Martyrum sepultura fuit demandata.

Quæres *quarto*. Unde origo præeminentiæ? ℟. Tempore Alexand. III. Cardinales gradu minores erant Episcopis, ut colligitur *ex cap. cum Apostolus. 6. de censib.* Ubi post Episcopos referuntur, & minor quàm his comitatus in visitatione conceditur. Sed à temporibus Clement. V. supra gradum Episcoporum sunt elevati, & titulum Eminentiæ vel Eminentissimi obtinuerunt, qui à nemine alio, quàm Cardinalibus S. R. I. Ecclesiasticis Electoribus, & à supre-

mo Magistro Equitum Melitensium usurpatur.

Quæres *quinto.* Quot Ordines Cardinalium? R. Tres. *1mus* Episcoporum. Hodie *sex* sunt tituli Episcopales Cardinalium. *2dus* Presbyterorum, quorum tituli 51. *3tius* Diaconorum, quorum tituli 15. In potestate tamen Pontificis est etiam Laicos non conjugatos in Cardinales assumere, qui posteà Clerici ordinentur, ac juxta constitutionem Sixti V. quatuor minoribus sunt initiati.

Quæres *sexto.* A quo Cardinales creandi? R. A solo summo Pontifice, ita ut eos nec Cardinale Collegium, nec, ùt veriùs apparet, Generale Concilium, creare possit. Creandi autem sunt idonei ex omnibus Orbis nationibus, quantum fieri potest, & omnia, quæ de Episcoporum præficiendorum vitâ, ætate, doctrinâ & reliquis qualitatibus constituta sunt, in Cardinalium creatione sunt observanda, ùt monet *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 1.* Ac ita concludit: Postremò eadem sancta Synodus tot gravissimis Ecclesiæ incommodis commota non potest non commemorare, nil magis Ecclesiæ DEI esse necessarium, quàm ut Beatissimus Romanus Pontifex, quam sollicitudinem universæ Ecclesiæ & muneris sui officio debet, eam potissimùm hìc impendat, ut lectissimos sibi tantùm Cardinales asciscat, & bonos maximè atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat, idque eò magis, quòd ovium Christi sanguinem, quæ ex malo negligentium, & sui officii immemorum Pastorum regimine peribunt, D. N. J. C. de manibus ejus sit requisiturus.

Quæres *septimo.* Quotuplex Cardinalium potestas? R. Duplex. *1ma* potestas particularis in Ecclesiam titularem, cuilibet à summo Pontifice designatam. *2da* potestas universalis in totam Ecclesiam.

Quæres *octavo.* Qualis potestas in titulos? R. Omnes Cardinales sive Presbyteri, sive Diaconi in suos titulos jurisdictionem habent quasi Episcopalem. *Cap. his quæ. de majorit. & obedient.* Ideóque omnia jura, quæ respectu suarum Ecclesiarum, Clericorum & aliorum subditorum Episcopi, etiam ipsi in Ecclesia sui tituli & in istius Clericos & fideles Laicos exercere valent, etiam ante coeptam possessionem, & literarum exhibitionem, non obstante *Extrav. injunctæ. de election. 2do.* Cardinales Presbyteri in propriis titulorum suorum Ecclesiis subditis & familiaribus suis 1mam Tonsuram & minores Ordines conferre possunt.

Quæres *nono.* Quam potestatem habent in totam Ecclesiam? R. Habent iterùm duplicem: *1mam* Sede vacante. *2dam* Sede plenâ seu non vacante. Sede vacante vel Pontifice mortuo Collegium *1mo* regit Ecclesiam, nihil tamen potestatis & jurisdictionis ad Romanum Pontificem pertinentis, nisi urgente necessitate, aut imminente gravi periculo exercere potest. *Clem. ne Romani. 2. de election.* Ideò constitutiones Pontificias corrigere, mutare, creare Cardinales, Episcopos transferre, Legatos mittere, & à Papa missos revocare nequit. *2do.* Jus eligendi summum Pontificem est penes Collegium Cardinalium. *Cap. licet. 6. de election. cap. ubi peri-*

periculum. 3. eod. in 6. Clement. ne Romani. cit. Duobus in discordia electis & de Pontificatu contendentibus Cardinales Concilium cogere possunt, cujus authoritate de certo capite Ecclesiæ provideatur.

Plenâ Sede *1mo* Cardinales in arduis negotiis expediendis, legibus Ecclesiasticis promulgandis, authenticè interpretandis, Apostolicis rescriptis expediendis, in morum reformatione &c. Papæ consilio & auxilio assistunt. *2do.* Necessitatis & magnæ utilitatis causâ, ut ad dirigenda Concilia Generalia, pacem inter Principes Christianos stabiliendam, susceptas contra Infideles expeditiones promovendas, Civitates & Provincias gubernandas à Pontifice extra Curiam & Civitatem emittuntur. *3tio.* In Conciliis authoritate Papæ congregatis Cardinales, etiam non Episcopi, vocem sive suffragium non consultivum duntaxat, sed & decisivum, ut alii Episcopi, habent.

Quæres *decimo.* Quænam Cardinalium privilegia? R. *1mo.* Cardinalis à solo summo Pontifice condemnari potest. *Gloss. in cap. 2. de Clericis non residen.* Cardinalis Episcopus non condemnabitur, nisi cum 72. testibus, Presbyter Cardinalis nonnisi cum 44. testibus, Diaconus verò Cardinalis nonnisi cum 27. testibus. *Can. Præsul. 2. caus. 2. q. 5.* *2do.* A sententia ex Cardinalium voto seu consensu lata non datur appellatio. *3tio.* Regulariter Cancellariæ regulis ac aliis constitutionibus generalibus odiosis & pœnalibus non tenentur. *Juxta Regulam Cancellariæ 67mam.* *4to.* Si reo ad ultimum supplicium ducto occurrant, eumque veste aut pileo tegant, immunis dimittitur, nisi reus sit læsæ Majestatis. *5to.* Cardinali asserenti se esse Legatum creditur, etiamsi suæ legationis literas non exhibeat. *Can. nobilissimus. fin. dist. 97.* *6to.* Habent partem redituum Cameræ Apostolicæ, ideoque inopes à Pontifice aluntur. *7mo.* Sententiâ suspensionis vel interdicti non afficiuntur, nisi specialis fiat illorum mentio. *Cap. quia periculosum. 4. de sentent. excommunicat. in 6.* *8vo.* Electus in Cardinalem eo ipso à patriâ potestate liber est. *9no.* In testamentis condendis gaudent militum privilegio. *10mo.* Cardinali aliquid factum esse asserenti in præsentia Papæ creditur. *11mo.* Lites & causæ inter Cardinales à Pontifice decidiuntur. *12mo.* Qui in Curia Roman. Pontifici assistunt, in beneficiis suis, nisi illis adjuncta animarum cura, residere non tenentur. *13tio.* Omnia privilegia Episcopis ob statûs dignitatem concessa ad Cardinales extenduntur.

Quæres *undecimo.* Quænam Familiæ Cardinalitiæ privilegia? R. *1mo.* Familiares Cardinalium possunt sibi eligere Confessarium de licentia sui Cardinalis, quia ubicunque reperiuntur, suo Cardinali tanquam Ordinario familiæ suæ curam habenti subditi sunt. *2do.* Beneficium illius, qui Cardinalis familiaris est, per Papam sine consensu Cardinalis patroni conferri nequit. *3tio.* Sunt idonei testes in causis suorum Dominorum. *4to.* In absentia gaudent suorum beneficiorum fructibus, sicut ipsi Cardi-

nales absentes suorum beneficiorum fructus percipiunt.

5to. Offendentes Cardinalium familiares excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrunt.

Quæres *duodecimo*. Quænam Cardinalem hostiliter insequentium, percutientium, capientium, aut in hoc crimine participantium pœnæ? &c. Eas enumerat *cap. felicis. 5. de pœnis.* his formalibus: "Sit reus criminis læsæ Majestatis, "perpetuò infamis, diffidatus, nihilominus & bannitus, sit intestabilis, ut "nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad alicujus bona ex testamento vel ab intestato vocetur: Fiant "habitationes ejus desertæ, & ut non "sit, qui eas inhabitet, dentur cuncta "ejus ædificia in ruinam, & ut perpetuæ "notam infamiæ perpetua ruina testetur, "nullo tempore reparentur, nullus ei "debita reddere, nullus respondere in "judicio teneatur: quidquid etiam in "bonis invenitur ipsius, Fisci vel Reipublicæ dominio applicetur, ut ex illis "nil transmittat ad posteros, sed potius "cum ipso damnentur & sua. Si quæ verò feuda, locationes, officium vel "beneficium spirituale vel temporale ab "aliquibus Ecclesiis obtinet, sit eis ipso "jure privatus, quæ sic liberè ad Ecclesias revertantur. Quòd si quis prædictorum filium vel filios habeat, nepotem vel nepotes per lineam rectam "descendentes, Beneficiatum vel Beneficiatos quovis beneficio, etiamsi Pontificalem adeptus vel adepti fuerint "dignitatem, sint eis ipso jure privati, "spe promotionis omninò sublatâ, nulli "præterea talium filiorum atque nepotum ex virili sexu descendentium ab "eisdem alicujus aperiatur janua dignitatis aut honoris Ecclesiastici vel mundani, vel ad alicujus loci regimen sit "ascensus: sit eis postulandi negata facultas, sit notoriè judicatus, & quodlibet aliud officium seu ministerium "publicum interdictum: in judiciis eorum assertio contra quenquam nihil "fidei, nihil credulitatis inveniat, & ut "magis famosa sit eorum infamia, ad "actus legitimos nullus eis pateat aditus, "Denique ipso facto excommunicationis sententiam incurrant, &c. "

TITULUS QUARTUS.

DE

ELECTIONE.

MAteriam præsentem copiosam simul ac difficilem, ut eam Juris Candidati, quorum instructioni, sicut scribimus, sic quoque eorum captui,

captui, quantum possibile, nos accommodamus, faciliùs assequantur, in septem paragraphos dividendam duximus. §. 1. agitur de Electionis Essentia. 2do. De Forma Electionis. 3tio. Qui eligere possint. 4to. Qui eligere & eligi prohibentur. 5to. De Actu Electionis. 6to. De Electione per scrutinium. 7timo. De iis, quæ fiunt post Electionem.

§. Primus.

DE

Electionis Essentia & Divisione.

QUæres *primo*. Quotupliciter sumitur electio? R. Quandoque sumitur latissimè pro quacunque vocatione ad beneficium, sic collatio Canonicatûs, vel creatio Canonici dicitur electio. *Cap. cum Ecclesia. 31. de election.* Item præsentatio populi ad beneficium vocatur electio. *Cap. querelam. 24. ibid.* Quandoque sumitur latè pro vocatione alicujus personæ ad beneficium Ecclesiasticum canonicè facta per suffragia & alterius confirmationem. *Cap. dudum. 22. ibid.* Sic in quibusdam Ecclesiis Collegiatis fit electio Capituli ad inferiores dignitates, ut Decanatûs, Scholasteriæ, Choriepiscopatûs, &c. In quibusdam monasteriis fit electio Prioris, &c. Denique sumitur electio strictè ac propriè.

Quæres *secundo*. Quid est electio propriè dicta? R. Est personæ idoneæ ad Ecclesiæ vacantis pastoralem dignitatem per eos, quibus competit, canonica vocatio. Sumitur *ex cap. cum in cunctis. 7. cap. quia propter. 42. de election.* Dicitur *1mo*: Ad Ecclesiæ vacantis dignitatem pastoralem; quia electio propriè dicta solùm fit ad Ecclesias sive regulares sive sæculares Pastore suo viduatas. *Dicitur secundo*: Per eos, quibus jure competit; ut electionis causa efficiens significetur. *Dicitur 3tio*: *Canonica*, id est, solemnis & servatâ formâ à Canonibus præscriptâ facta vocatio. *Dicitur 4to*: *Vocatio*: ut distinguatur ab institutione & collatione, per quæ acquiritur jus in beneficio, per electionem verò acceptatam jus tantùm ad beneficium. Quare electo ante confirmationem mortuo, beneficium non per mortem novi electi, sed per Prælati prioris obitum vacat, beneficia electi ante ejus confirmationem non vacant, electus ante confirmationem sine consensu superioris juri suo cedere potest.

Quæres *tertio*. Quot modis Prælati ad dignitates & beneficia assumuntur? R. Tribus modis: *1mo*. Per Superioris institutionem, præcedente præsentatione vel nominatione. *2do*. Per Superioris confirmationem præcedente canonicâ electione. *3tio*. Per liberam collationem, & simplicem provisionem. Unde tria beneficiorum genera, patronata, electiva, & libera seu collativa, oriuntur.

Quæres *quarto*. Quomodo electio propriè dicta distinguitur à præsentatione?

ne? ℟. Modis sequentibus : *1mo.* Jus præsentandi, quantumvis spirituale sit, ex gratuita tamen Ecclesiæ concessione datur etiam Laicis, si sint patroni, hoc est: Fundatores, Constructores aut Dotatores alicujus Ecclesiæ. *Gloss. in can. piæ mentis. 26. caus. 16. q. 7. Trident. Sess. 14. de reform. cap. 12.* Jus autem eligendi solis personis Ecclesiasticis & non Laicis competit. *2do.* Factâ præsentatione ad aliquod beneficium, præsentato nondum jus acquisitum est, si enim patronus sit Laicus, qui superiori Ecclesiastico aliquod subjectum etiam idoneum ad beneficium præsentavit, variare & alterum addere potest, ita ut in optione collatoris sit, quem illorum malit instituere. *Cap. cum autem. 24. de jure patronatus.* Si sit patronus Ecclesiasticus, quamvis factâ semel præsentatione variare non possit, sed ille institui debeat, qui prior est præsentatus, dummodò sit idoneus, attamen si Capitulum v. g. habens jus præsentandi capitulariter consentiat in præsentationem tertii re integrâ, & præsentatione nondum Superiori oblatâ, resilire potest, & alium præsentandi habet facultatem, ast postquam electionis scrutinium est publicatum, variare non licet. *Cap. publicato. 58. de election.* Sed per publicatam electionem Electus saltem remotè jus acquisivit, ut Electi consensus necessariò sit requirendus. *3tio.* Electio facta antequam Superiori confirmanda præsentetur, Electo intimanda est, ut con- vel dissentiat. *Cap. quam sit. 6. de election. in 6.* At præsentatio, quæ directè ad Superiorem dirigitur, præsentato, ut consentiat, non necessariò intimatur, cùm per talem consensum præsentatus nullum jus acquirat.

Quæres *quinto.* Quomodo electio à collatione vel simplici provisione differt? ℟. Per collationem seu provisionem de Prælatura quasi dominium & jus reale in beneficio acquiritur, ut si alicui à Pontifice de Episcopatu propter reservationem in *Extrav. ad regimen. de præbend. inter com.* aut propter devolutionem. *cap. quanquam. 18. de election. in 6.* provideatur, habet jus in re, per electionem verò solùm jus ad rem acquiritur. Unde *1mo.* Si electus ante confirmationem moriatur, prælatura vacat, non per mortem electi, sed per mortem antecessoris. *2do.* Electus ante obtentam confirmationem liberè renuntiare potest; cui autem per collationem vel quamcunque institutionem provisum, validè renuntiare non potest, nisi in manus superioris aut ordinarii Collatoris. *Cap. admonet. 4. de renuntiat. can. non oportet. 19. caus. 7. q. 1. 3tio.* Electus ante confirmationem beneficium administrare nequit, benè tamen provisus.

Quæres *sexto.* Quomodo electio à nominatione differt? ℟. Per nominationem nominato nullum jus acquiritur, per electionem, maximè acceptatam, acquiritur jus electo. 2plex est autem nominatio : *1ma.* Si ante electionis scrutinium unus vel plures capitulo tanquam viri boni & ad prælaturam idonei proponantur, quâ tamen nominatione non obstante, Electores alium eligere possunt. *Cap. quod sicut. 28. de election. 2da* nominatio similis est præsentationi, si duo vel tres alicui Superiori proponantur:

tur, ex quibus unum eligere debeat. Consuetudo taliter nominandi in Laicis reprobatur *per cit. cap. quod sicut.* Ex specialibus tamen privilegiis Reges & Principes jus nominandi ad Prælaturas suarum ditionum habere noscuntur, sic in Hispania, Gallia, Belgio Episcopatus & Abbatiæ ad Regis pertinent nominationem.

Quæres *septimo.* Ubi hodiedum jus eligendi viget? ℟. In plerisq? Regnis & Provinciis exiguus est eligendi usus; in Italia enim Episcopatus aliáque beneficia tam regularia quàm sæcularia electiva, utpote excedentia communiter 200. per regulas Cancellariæ sunt Papæ reservata, extra Italiam in Hispania, Gallia, Belgio Episcopatus & Abbatiæ ex specialibus privilegiis ad Regum & Principum spectant nominationem, in Germania tamen ob concordata inter inclytam Germanorum nationem & Sedem Apostolicam tempore Nicolai V. inita, in Ecclesiis tam Regularibus quàm sæcularibus jus & consuetudo viget electionis, tanquam perpetuum libertatis Ecclesiasticæ insigne & monimentum.

Quæres *octavo.* Quo tempore de electione tractandum? ℟. Quamdiu vivit Ecclesiæ Prælatus, licèt ejus vita sit desperata, tractatus de electione non tantùm illicitus, sed & invalidus est, sed Ecclesia, de cujus eligendo Pastore agitur, vel per mortem naturalem vel civilem, ùt depositionem, vel renuntiationem acceptatam. *cap. fin. de election.* vel per translationem ad aliam Ecclesiam vacare debet. *Can. Episcopus. 37. caus. 7. q. 1.* Ratio, quare electio Sede non-dum vacante fieri prohibeatur, est: "Ne desiderare quis mortem proximi "videatur: in cujus locum seu benefi-"cium se crediderit successurum. Cùm "enim in ipsis etiam Gentilium legibus "inveniatur inhibitum, turpe est & Di-"vini plenum animadversione judicii, si "locum in Ecclesia DEI futuræ succes-sio-"nis exspectatio habeat, quam ipsi etiam "Gentiles condemnare curârunt." *Cap. nulla. 2. de concess. præbend. Trident. Sess. 24. de reform. cap. 19. Arg. l. fin. C. de pactis. L. pactum dotale. 3. C. de collation.*

Quæres *nono.* An ante sepulturam defuncti Prælati electio fieri possit? ℟. Decens est, ut corpus Prælati defuncti priùs sepulturæ tradatur, quàm de successoris electione agatur. *Cap. bonæ. 36. de election.* Electio tamen ante tumulatum funus facta de jure valet, quia mortuo viro soluta est uxor à lege matrimonii, *ut inquit Gloss. in cit. cap. bonæ. verb. tractatum.*

Quæres *decimo.* Intra quod tempus Ecclesiâ vacante facienda electio? ℟. In Ecclesiis Cathedralibus & Regularibus, electio intra tres menses, nisi justum obstet impedimentum, celebranda est. *Cap. ne pro defectu. 41. de electione.* In minoribus dignitatibus & beneficiis dantur sex menses. *Cap. nulla. 2. de concess. præbend.* Quo tempore elapso jus eligendi amittitur, & eâ vice ad Superiorem devolvitur. *cit. cap. ne pro defectu.* "Is verò, ad quem "devoluta fuerit potestas, DEUM præ "oculis habens, non differat ultra tres "menses viduatam Ecclesiam de persona "idonea ipsius quidem Ecclesiæ, vel "alterius, si digna non reperiatur in illa,

"canonicè ordinate." *Cit. cap. pro defectu.* Eo autem negligente jus eligendi ad alium Superiorem, & sic gradatim usque ad ipsum summum Pontificem devolvitur.

Quæres *undecimo.* A quo termino tempus trimestris currere incipit? R. Menses faciendæ electioni concessi currunt à die mortis Pastoris. *Gloss. in can. postquam. 11. dist. 50.* Vel potiùs ab horâ mortis, & vacationis scientia; tempus enim electioni definitum non continuum, sed utile esse debet, unde dies, in quibus fuit impedimentum, numerandi non sunt. *Cap. quia diversitatem. 5. de conces. prabend.*

Quæres *12mo.* An prævie ad electionem capitulationes, ùt vocant, fieri possint, hoc est, an electores, antequam eligant, de certis articulis, quos omnes promittunt sub juramento se servaturos, si in Prælatum eligantur, convenire valeant? R. *1mo.* Si in articulis illis eligendo Prælato solummodò injungatur observantia illorum, ad quæ ex pastorali suo officio aliàs tenetur, similes capitulationes illicitæ non sunt, sed juramentum adjectum validum est & servandum. *Arg. cap. 1. de jurejur. in 6.*

2do. Si illi articuli sint in præjudicium liberæ administrationis, dignitatis, bonorum ad mensam Prælati spectantium, omnes tales capitulationes sunt invalidæ, & juramenta iisdem adjecta neque in foro externo neque in foro conscientiæ obligantia. *Cit. cap. 1. de jurejurand. in 6. cap. sicut nostris. 27. de jurejurand. junct. gloss. verb. reducas.* Et constitutiones speciales S. Pii V. & Gregor. XIII. similes capitulationes sub gravissimis pœnis prohibuerunt & irritârunt. At nostris temporibus Innoc. XII. in constitutione, quæ incipit: *Ecclesia.* 1695. 22. 7bris promulgata præcedentium Pontificum constitutiones innovando ejusmodi capitulationes, pactiones, concordata, sub gravissimis pœnis, earum reservatione & actorum irritatione prohibuit. Post electionem factam similes capitulationes cum electo inire non prohibuit, illas tamen post electionem initas Pontifex judicio Sedis Apostolicæ submitti, eorumq; executionem ante Pontificis confirmationem suspensam esse præcepit.

§. Secundus.

DE

Forma Electionis.

QUæres *primo.* A quibus instituenda dies electionis? R. Mortuo Prælato Capitulares, qui præsentes, in Capitulo convenire, diem electionis capitulariter constituere, eumque Electoribus absentibus per literas vel nuntium specialiter intimare debent. *Cap. cum inter. 18. de election.* Quòd si non sciatur, ubi Capitulares absentes morentur, citatio per edictum generale ad valvas Ecclesiæ facienda est. Etsi autem Capitulares præsentes absentibus etiam coar-

ctando

ctando tempus à jure concessum terminum præfigere possint, ad hoc tamen duo requiruntur, imprimis ut duæ partes Capituli conveniant; tota enim vis Capituli vel Collegii penes duas partes consistit, quamvis, postquam Capitulum congregatum, sufficiat, quòd major pars congregatorum consentiat. Deinde ut justa adsit causa, quare terminus à jure concessus restringatur; sicut autem ob utilitatem Ecclesiæ tempus, intra quod electio celebranda, restringi, ita & prorogari potest, si aliquis ex Electoribus ob justum impedimentum tam citò ad electionem accedere non possit. *Arg. cit. cap. ne pro defectu. 41. de election.*

Quæres *secundo*. Quinam absentes citandi? R. Omnes Capitulares, qui debent, volunt, & interesse possunt. *cap. quia propter. 42. de election.* Si modò absque Ecclesiæ periculo vocari & exspectari possint. *Cap. quod sicut. 28. de election.* Longa enim mora est in electionibus valdè suspecta, imò sæpè damnosa. *Cap. cum inter. cit.*

Quæres *tertio*. Quòd si aliqui contempti, hoc est, ad electionem non vocati? R. Si unus vel plures contempti, cùm potuerint & debuerint vocari, vel non ita vocati, ut commodè accedere possent, facultatem habent contemptum prosequendi, sive apud Superiorem agendi, ut electio rescindatur. *Cap. quod sicut. cit.* Licèt contemptus unus solus extiterit, cùm plus in talibus consuevit contemptus unius obesse, quàm multorum contradictio in præsenti. *Cap. bonæ. de election.* Electio tamen non est ipso jure irrita, si duæ partes Capitularium non abfuerint. *Cap. Ecclesia. 57. de election.* Quare contemptus vel non vocatus ob bonum pacis electionem ratam habere potest. *Cit. cap. quod sicut, & cap. Ecclesia.*

Quæres *quarto*. An evoluto termino electioni præfixo præsentes non exspectatis ulteriùs absentibus ad electionem procedere possint? R. Affirm. Quamvis sint numero pauciores; ii enim, qui jus eligendi habent, sed electioni interesse vel possunt & nolunt, vel volunt & non possunt, non censentur de numero Electorum, sed tota potestas Capituli in aliis præsentibus residet. *cit. cap. quod sicut.* Licèt unus solùm esset præsens, qui quidem ob notam ambitionis seipsum eligere non posset, alium tamen habilem nominare vel in alium compromittere valeret, à quo compromissario in Prælatum validè nominaretur.

Quæres *quinto*. An si exortâ dissensione aliqui ex Capitulo egrediantur, alii pergere, & electionem perficere possint? R. *1mo*. Si duæ partes Capitularium maneant, isti sine aliis exeuntibus electionem perficere possunt. *2do*. Si major pars Capituli maneat, aliis absque necessitate recedentibus, probabiliter ulteriùs procedere potest. *Gloss. in cit. cap. cum inter. de electione. Verbo. Capituli.* Cujus ratio est, quia ibi Capitulum est, ubi est major ejus pars, & major pars potest constituere procuratorem, qui dicitur Capituli Procurator. Deinde postquam Capitulum legitimè congregatum, majoris partis judicium prævalet. *Cap. 1. de his quæ fiunt à major. part. Capituli.* Si major pars exeat, reli-

qui pergere non possunt, quia si inter Capitulares dissensio, ibi est Capitulum, ubi major pars juxta *Gloss. cit.* nisi terminus à jure præfixus instaret, aut speciale in mora periculum esset; in his enim casibus pars minor in Capitulo manens eligere potest.

Quæres *sexto.* An infirmus, qui ad locum electionis venire nequit, suum votum dare possit? R. Si aliquis in civitate vel monasterio, ubi electio peragitur, infirmitate detentus sit, ut ipsemet accedere nequeat, & interim in propria persona suffragium dare velit, scrutatores, si fieri potest, ad illum accedere debent.

Quæres *septimo.* An absens vel infirmus suffragium ad Capitulum mittere possit? R. Negat. quia non ante electionem, sed in electione singulorum vota sunt inquirenda. *Cap. si quis justo. 46. de elect. in 6.* Cæterùm in electione v. g. Regularium, in quibus forma scrutinii exactè non servatur, sed schedæ subsignatæ in urnam vel calicem mittuntur, non obstat suffragium scriptum ab absente vel infirmitate detento mitti ad Capitulum.

Quæres *octavo.* An absens vel infirmus Procuratorem constituere valeat? R. Capitularis absens vel infirmus vices suas uni de ipso Collegio committere potest. *Cap. quia propter. 42. de election.* Debet autem Procurator, si opus fuerit, & impedimentum absentis incognitum, jurare in animam committentis. *Cit. cap. quia propter.* Adeoque ad taliter jurandum speciale mandatum habere debet. *Gloss. in cap. penult. de election. in 6. verb. detentus.* Capitulum tamen etiam Procuratorem extraneum admittere potest, quia quòd unus de Collegio constitui debeat in Procuratorem, favor est Capituli, cui renuntiari potest.

Quæres *nono.* An plures Procuratores constitui possint? R. Affirm. Dummodò constituatur quilibet in solidum, qui si simul ad votum præstandum concurrunt, melior est conditio præoccupantis, "si "ambo concurrant, & postulent se admitti, audire eos non expedit, quia "possent vota sua dirigere in diversos, "& quod ab eis hoc in casu fieret, non "valeret, sed is admittendus duntaxat, "quem Capitulum vel pars major elegerit, vel si concordare nequeant, "is qui primò in instrumento vel literis "procurationis extiterit nominatus" *Cit. cap. si quis justo. de election. in 6.*

Quæres *decimo.* Quæ Procuratoris potestas? R. *1mo.* Cùm unus est Procurator simpliciter constitutus, si is unum suo, & alium domini sui nomine in scrutinio nominandum duxerit, nihil agit: nisi de certa eligenda persona sibi dominus dederit speciale mandatum, tunc enim in illam ejus, & in aliam suo nomine licitè poterit consentire. *Cit. cap. si quis justo. §. porro.*

2do. Si mandatario sit nominata certa persona, quam eligere debeat, potest alium substituere, si autem certa persona non sit nominata, subdelegare nequit, quia industria personæ electa censetur.

Quæres *undecimo.* Quo loco & tempore Capitulum electionis servandum? R. *1mo.* Intra ambitum Ecclesiæ viduatæ, vel in Choro, vel in loco capitulari, vel in

in alio conclavi honesto. *Cap. cum nobis. 19. cap. quod sicut 28. cap. in causis. 30. de elect.* At si Capitulares in loco Ecclesiæ convenire nequeant, in alio loco conventualiter convenire non prohibentur.

2do. Extra casum necessitatis tempore diurno facienda est electio. Colligitur *ex cap. quia propter. 42. de elect.* Ubi electiones clandestinæ reprobantur. *Argum. cap. consuluit. 24. de officio deleg.* Ubi judicia in tenebris exerceri prohibentur; quia juxta testimonium Veritatis: Qui malè agit, odit lucem.

Quæres *duodecimo.* Quænam immediatè præcedunt electionem? R. *1mo.* Vacante maximè Ecclesiâ Cathedrali ante electionem à Clero & populo supplicationes precesque fiunt, quibus bonum à DEO Pastorem valeant impetrare. Juxta præscriptum *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 1. 2do.* Die electionis legitur Missa de Spiritu Sancto, sub qua juxta aliquarum Ecclesiarum consuetudinem omnes Electores, etiam Clerici, communicant. *3tio.* Datur signum campanæ ad congregationem Capitularem. *4to.* In Capitulo recitatur Hymnus: Veni Creator. *Cap. cum terra. 14. de election. 5to.* Demùm à Præside de non admittenda persona inhabili, & de non excludenda persona habili publica fit protestatio.

§. Tertius.

Qui eligere possint?

QUæres *primo.* Ad quem pertinet jus eligendi? R. Ad congregationem sive Collegium Ecclesiasticum, cui Pastor quæritur. *Can. Congregatio. fin. caus. 16. q. 7. can. Abbatem. 3. & 4. caus. 18. q. 2. cap. cum terra. 14. de election.*

Quæres *secundo.* Quid est Collegium? R. Interdum in una Ecclesia plures sunt Clerici, ut personæ singulares, diversis officiis & ministeriis destinati, quamvis uni Rectori subjecti, sic in Ecclesia aliqua parochiali Sacellani & Chori-Socii sub uno parocho sunt, & hi corpus unum seu Collegium non faciunt, ideoque nec commune sigillum habere possunt. *Cap. dilecta. 14. de excess. Prælator. junct. gloss.* Nec sunt unum corpus, nec communem Procuratorem constituere valent. Interdum sunt plures ut fratres, facientes unam congregationem seu Collegium, quæ dicitur Ecclesia collegiata, cujus caput Prælatus est, qui à congregatione seu Collegio eligi debet.

Quæres *tertio.* Quot personæ ad Collegii constitutionem requiruntur? R. *1mo.* Ut Collegium vel congregatio constituatur, ad minus tres personæ requiruntur. *L. Neratius. 85. ff. de verb. signif. 2do.* Si Collegium ex personis minimùm tribus constitutum sit, & unus moriatur, vel de societate abeat, manet Collegium, sed quodammodò imperfectum, & potest tunc unus alterum in Prælatum eligere, si is consentiat, si autem unus solus maneat, non erit Collegium actu, jus tamen Collegii in ipso persistet, do-

nec alii accesserint. *Gloss. in cit. L. Neratius. 3tio.* Si omnes ex Collegio vel universitate mortui sunt, jus eligendi ac jura similia pereunt, si per se sunt certæ congregationi concessa, v. g. cohorti militum, non autem si concessa sint in ordine ad locum, talia sunt privilegia civitati, monasterio, Academiæ concessa, & tunc omnibus mortuis aut fugâ dilapsis jura in solo & fundo conservantur.

Quæres *quarto.* Si duo sint Collegia vel monasteria subordinata, ad quos pertinet electio? R. *1mo.* Si Abbas superior vel Principalis pro arbitratu suo Monachum ex monasterio seu Prioratu sibi subjecto revocet, tunc signum est, quòd Prioratus ille inferior proprium & stabilem conventum non habeat, idem est, si inferior Prioratus cum dependentia à monasterio majore administrationem bonorum exercet, in his circumstantiis tam Monachi, quàm Prior conventualis vocem in capitulo monasterii principalis habent, & ad electionem Abbatis vocari debent. *2do.* Si autem inferius monasterium bona discreta, conventúmque proprium habeat, à quo Prælatus eligatur, licèt fortè à Prælato superiore confirmandus esset, tunc Monachi inferioris monasterii ad actus capitulares superioris monasterii non concurrunt. *3tio.* Ex consuetudine, institutione vel fundatione fieri potest, ut superius monasterium Prælatum in inferiori monasterio constituat, & tamen Monachi ejus ad electionem Abbatis non pertineant.

Quæres *quinto.* Ex quo capite extraneo jus suffragii in electione Prælati competere potest? R. Ex tribus capitibus: *1mo.* Ex consuetudine legitimè præscripta obtineri potest, ut jus eligendi ad alios, qui de Capitulo aut corpore Ecclesiæ non sunt, pertineat. *Arg. cap. cum dilectus. 8. de consuetud. cap. cum Ecclesia. 3. de caus. possess. & propriet.* Requiritur autem præscriptio 40. annorum. *Cap. de quarta. 4. cap. ad aures. 6. de præscript.* Intra quod tempus aliqua saltem electio vel postulatio facta, vel saltem nulla propter defectum potestatis in eligentibus rejecta *Cap. cum venissent. 2. de in integr. restitut.* Et quidem si extranei privativè ad Capitulares præscripserint, ipsos Capitulares excludendo, requiritur præterea titulus coloratus, aut immemorialis præscriptio propter juris resistentiam. *cap. 1. de præscript. in 6.* Si cumulativè, loco tituli scientia & patientia Capitularium, contra quos præscribitur, habetur. *Arg. L. si aquam. 2. C. de servitut. Gloss. in cap. cum Ecclesia. 3. de caus. possess. & propriet. Verbo: Brevitatem.*

2do. Ex voluntate sive unanimi consensu Capitularium jus suum in extraneum derivantium. *cap. causam. 8. de election.*

3tio. Ex fundatione Ecclesiæ Collegiatæ, etiam Regularis, electio vel nominatio Prælati ad Ecclesiæ alterius Prælatum, aut Capitulum, aut Patronum Ecclesiasticum pertinere potest. *cap. præterea. 23. de jure patronat.*

Quæres *sexto.* Quot modis Capitulares unanimi consensu votum in electione Prælati extraneis concedere possunt? R. Tribus modis: *1mo.* Pro una vice in ali-

aliquem extraneum compromittere, & in eum jus totum eligendi pro illa vice transferre possunt. *cit. cap. causam. 8. de election.*

2do. Pro una vice Clericum extraneum ad electionem unanimiter admittere possunt, ut tenet communis contra Passerinum. *Can. obeuntibus. 35. dist. 63. cap. bona. 4. de postulat. Prælat. arg. cit. cap. causam.*

3tio. Ex justa causa accedente Superioris consensu Capitulares jus suffragii in electione Prælati in perpetuum concedere possunt; quia cùm hujusmodi concessio Ecclesiæ statum mutet, & jus Capituli in extraneum conferat, species alienationis est, quæ sine justa causa & solemnitatibus permissa non est. *Can. hoc jus. 2. caus. 10. q. 2. can. Abbatibus. 41. can. sine exceptione. 52. caus. 12. q. 2. cap. tua nuper. 8. de his, quæ fiunt à Prælat.*

Quæres *septimo.* An Titius professus monasterii A electus in Coadjutorem vel Abbatem monasterii B acceptando electionem jus filiationis & consequenter suffragii in monasterio A sibi reservare possit? R. Negat. *ex cap. constitutis. 47. de election.* Monachus enim in duobus monasteriis locum tenere nequit, ut dissolutionis, evagationis ac ambitionis materia, quæ ex tali pluralitate officiorum sequeretur, præcipuè in religiosis amputetur. *cap. fin. de religios. domib.* Cùm autem ista prohibitio propter favorem Ecclesiarum sit, jus publicum introductum pacto privatorum tolli non potest. *cap. si diligenti. 12. de foro competent.*

Quæres *octavo.* Qualiter Laici in electione Prælati intervenire possunt? R. *1mo.* Laici nec ex concessione Capituli, nec ex consuetudine ulla votum in electione Prælati habere possunt. *cap. Sacrosancta. 51. cap. Massana. 56. de election.* Quia jus eligendi est aliquid spirituale, ad quod nullus Prælatus citra Papam habilitare potest. *can. benè. 1. dist. 96. cap. decernimus. 2. de judiciis.* Cui non obstat, quòd Laicus jus patronatûs habere possit, quia jus patronatûs non est spirituale, sed annexum spirituali, cùm per præsentationem patroni ad institutionem, quæ quid spirituale est, perveniatur: econtrà electio est spirituale, cùm per illam matrimonium spirituale contrahatur. *cap. cum inter. 21. de election. cap. fin. de translat. Episcopor.* Et per electionem electo jus spirituale acquiratur. Laicus autem juris spiritualis capax non est. *cap. causam. 7. de præscript.* Ideoque per electionem jus spirituale in alium transferre nequit, quod ipse possidere non potest, quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare. *cap. quod autem. 5. de jure patronat. 2do.* Non permittitur, ut Laici cum Clericis tractatui electionis sese immisceant. *cap. quod sicut. 28. de election. 3tio.* Valet consuetudo, ut Princeps vel Patronus laicus ad electionem vocetur eo fine, ut suâ authoritate & præsentiâ ab omni tumultu & impressione Laicorum Electores defendat. *4to.* Consuetudo etiam est honesta, ex qua electio à Clericis peracta Patroni vel Principis auribus intimatur, ut suum, si voluerit, honestum impertiatur assensum, quem tamen negare non potest, nisi

nisi canonicum ostendat subesse impedimentum, *cap. Sacrosancta. 51. de election. 5to.* Probabiliter consuetudine vel fundatione introduci potest, quòd mors Prælati Patrono laico nuntiari debeat, ut consensus, vel potiùs patrocinium ejus ac defensio ad novam electionem celebrandam petatur. Colligitur *ex cap. quod sicut. 28. de elect.*

Quæres *nono.* Quæ pœnæ electionis factæ per abusum sæcularis potestatis, hoc est: si Laici cum potestate electioni sese immisceant, ita ut libertatem Clericorum, ad quos electio pertinet, quomodocunque impediant? R. *1mo.* Si eligentes Laicum vel Laicos ad electionem admittant, electio ipso jure irrita est. *cap. quisquis. 43. cap. Massana. 56. de election.* Cùm enim electio unus actus inseparabilis sit, pro parte non valere nequit, sed contra communem regulam: inutile vitiat utile, & quod eligentes per se potuerunt, noluerunt, & quod voluerunt, adimplere nequiverunt. Si tamen Laici per vim sese ingerant, ita ut Clerici eos prohibere nequeant, electio ex votis Laicorum subsistit, quia utile per inutile non vitiatur. *Regul. 37. de reg. juris in 6.* Clerici tamen non valitura Laicorum suffragia protestari debent, ne si postea violentiam gravem non fuisse probetur, voluntariè cessisse censeantur.

2do. Electio per vim & abusum sæcularis potestatis, quamvis non consentientibus Clericis Electoribus celebrata in odium præsumptionis Laicorum cassari potest.

3tio. Electio per abusum potestatis sæcularis celebrata ex alio capite irrita est, si videlicet electus consensum dederit, vel electionem, quatenùs à Laicis factam, acceptare præsumpserit. *cit. cap. quisquis. 43. de election.*

4to. Electus consentiens tali electioni ineligibilis ad quamcunque dignitatem redditur, nisi cum illo dispensetur. *cit. cap. quisquis.* Puta, nisi dispensetur ab Episcopo, quia regula generalis est, quandocunque in Canone dispensatio permittitur, hæc ad Episcopum refertur, alioquin talis facultas frustrà concederetur, cùm summum Pontificem in quocunque defectu dispensare posse satis constet.

5to. Electores consentientes seu admittentes abusum potestatis sæcularis per triennium ab officiis & beneficiis penitùs sunt suspendendi, eligendi tunc potestate privati. *cit. cap. quisquis. junct. Gloss. verb. suspendantur.*

Quæres *decimo.* An Prælatus vivus sibi Successorem eligere possit? R. Negat. *Can. Episcopo non licere. 3. can. Episcopo non liceat. 4. can. plerique. 5. caus. 8. q. 1.* quia Ecclesiastica beneficia hæreditario jure concedi non debent. Non tamen prohibetur tractare de Successore cum Collegio, eique aliquem ad Prælaturam commendare, Papa quoque cum Successore nominato dispensare, & sibi viventi Coadjutorem eligendi, aut dignitatem Episcopalem deponendi licentiam indulgere potest. *cap. nisi cum pridem. 10. cap. fin. de renuntiat.*

Quæres *undecimo.* An quis se ipsum eligere valeat? R. Negat. Quia nec se ipsum instituere, aut sibi suffragium dare potest,

potest, cùm inter dantem & acceptantem differentia intercedere debeat personalis. *cap. fin. de institut.* Ex eadem ratione se ipsum ad beneficium sui patronatûs præsentare nequit.

Quæres *duodecimo.* Quænam potissima Electorum obligatio? R. Quia Electorum est bono viduatæ Ecclesiæ omni meliori modo providere, allaborare debent, ut non tantùm dignum, hoc est: cui ætatis maturitas, morum gravitas, & literarum scientia suffragantur. *cap. cum in cunctis. 7. de election.* Et qui nullâ canonicâ constitutione reprobatus. *can. obitum. 16. dist. 61.* Sed præterea inter dignos meliorem & optimum ad Prælaturæ culmen promoveant. *cap. constitutis. 46. de appellation.* Ubi electionis Præses per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum in virtute obedientiæ ac sub animæ periculo Canonicos adjuravit, ut secundùm DEUM & juxta conscientiam eligerent Præpositum, quem Ecclesiæ magis utilem & idoneum reputarent. *Can. vilissimus. 45. caus. 1. q. 1.* Ubi vilissimus computandus, nisi præcellat scientiâ & sanctitate, qui est honore præstantior. *Can. Metropolitano. 19. dist. 63.* Ubi Electores convenire jubentur, ut optimus eligatur. *Can. licet ergo. 15. caus. 8. q. 1.* Ibi: " Qui præstantior est ex " omni populo, qui doctior, qui sanctior, " qui in omni virtute eminentior, ille eligitur. " *Can. unum. 3. §. nunc autem. dist. 25. Talis eligatur, cujus comparatione cæteri grex dicantur.* Interim toleratur, modò sufficiens eligatur. *Gloss. in cap. cum inter. 21. de election. verb. alia.* In Prælato enim toleratur scientia sufficiens. *Cap. cum nobis. 19. de election.* Neque enim ideò est removendus, quòd non sit ita doctus, ut Salomon, sed primâ facie idoneus præsumitur, nisi aliud in contrarium ostendatur. *Cap. dudum. fin. de præsumpt.* Rationem dat *S. Thom. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3.* " Quantum ad " hoc, quòd electio impugnari non " possit in foro judiciali, sufficit eligere " bonum, nec oportet eligere meliorem; " quia sic omnis electio posset habere " calumniam. "

§. Quartus.

Qui eligere, & eligi prohibeantur.

QUæres *primo.* Ex quibus Capitibus ii, qui sunt de gremio, à dando voto in electione excluduntur? R. Ex tribus: Lege, natura & moribus. *Leg. cum Prætor. 12. §. non autem. ff. de judiciis.*

Quæres *secundo.* Quinam lege prohibentur? R. *1mo.* Qui sacris Ordinibus non sunt initiati, votum in electione non habent, etiamsi hoc eis ab aliis liberè concedatur. *Clement. ut ii. de ætat. & qualit. præficiend. Trident. Sess. 22. de reform. cap. 4.* Si quis vacationis tempore Subdiaconatum non habeat, sit tamen Subdiaconus tempore electionis, votum habet; sufficit enim, quòd sit habilis tempore electionis. *Gloss. in*

cit. Clement. Ut ii. Verb. constitutus.

2do. Regularis non professus, vel Laicus conversus in electione Prælatorum regularium voto carent. *Cap. ex eo. 32. §. in Ecclesiis. de election. in 6.* Nisi ex privilegio, statuto, aut consuetudine conversos votum habere contingat. *Gloss. in cit. cap. ex eo. verb. electionibus.*

3tio. Qui ex Ordine Mendicantium ad alium Ordinem non mendicantem etiam authoritate Apostolicâ transiêrunt, quamvis beneficium & administrationem habeant, sint v. g. Priores, Cellarii in Ordine, ad quem transiêrunt, in eo tamen votum in electionibus non habent, etiamsi hoc eis ab aliis liberè concedatur. *Clement. 1. de Regular.*

4to. Suspensi suspensione Ecclesiasticâ. *cap. cum inter. 16. in fine de election. cap. cum dilectus. 8. de consuetud. junct. gloss.* Sive suspensio sit ab homine, hoc est, per sententiam Judicis. *Arg. cap. cum bonæ. 8. de ætat. & qualit. præficiend. cap. quia diversitatem. 5. de conces. prabend.* sive sit à jure lata. *Cap. 1. de sentent. & re judicat. in 6. cap. 1. de sentent. excomm. in 6.* Sive suspensio sit ab officio tantùm, sive ab officio & beneficio simul, sive simpliciter lata. *Fit exceptio.* Si suspensus non est denuntiatus, eligere potest, nisi per exceptionem repellatur, juxta constitutionem Martini V. *Ad evitanda.* Probabile tamen est, quòd suspensus à beneficio tantùm eligere possit, quia licèt electio competat ratione beneficii, non est tamen fructus beneficii, sed actus officii spiritualis. Quæ ratio etiam in interdicto tenet. Demùm Regularis suspensus à Divinis eligere potest; electio enim non ab Ordine, sed à Regularitate dependet.

5to. Excommunicati excommunicatione majori, utpote quibus cum aliis communicare non licet, non tamen excommunicationi minori innodati. *cap. illa. 39. de elect. cap. si celebrat. 10. de Cleric. excommunicat.*

6to. Hæretici; Ecclesia enim in hominem, qui non à Catholicis eligitur, nullum præbet consensum. *Can. fin. caus. 9. q 1.*

7timo. Qui scienter elegerunt vel postulârunt indignum, illâ vice jure eligendi privantur, & eorum electio ipso jure cassatur. *Cap. cum in cunctis. 7. cap. cum Wintonensis. 25. de election.* Non tamen scienter indignum in scrutinio nominantes, si electio non sequatur, eligendi potestate sunt privati, quia per consensum præstitum non dicitur facta electio, si illa non sequatur. *cit. cap. perpetuo. de elect. in 6.*

8vo. Recipientes ad Ecclesiam Postulatum tanquam Institutum & Administratorem, antequam postulatio sit acceptata. *cap. bonæ. 23. de elect.*

9no. Qui propter delictum voce activâ privati sunt, nam quoad eam pro mortuis habentur, eáque ad non delinquentes est devoluta. *cit. cap. bonæ.* Nisi & illi deliquissent, tunc enim electio ad Superiorem devolvitur.

10mo. Voto suo renuntiantes, postquam renuntiatio à Superiore acceptata; interim pœnitere & eligere possunt.

11mo. Eligendi potestate privantur, qui intra tempus ad eligendum statutum non

non eligunt. *cap. pro defectu. 41. de elect. cap. quanquam. 18. eod. in 6.* Idem est de Compromissariis. *cap. Compromissarius. 37. eod. in 6.*

12mo. Simoniacè eligentes potestate eligendi & omnibus beneficiis privantur. *cap. per inquisitionem. 26. de elect.*

13tio. Canonici supernumerarii non eligunt, nisi fortè ex consuetudine vel ab aliis spontè admittantur. *Gloss. in cap. cum Martinus. 9. de constitut. verb. ultra numerum.*

Quæres *tertio.* Qui à natura à dando voto in electione impediuntur? R. Impuberes, cùm discretione careant, ad præstandum in electione suffragium nullatenùs admittendi sunt. *cap. ex eo. 22. de elect. in 6. 2do.* Mente capti & furiosi. *Gloss. in cit. cap. ex eo. verb. discretione.*

Quæres *quarto.* Quinam moribus excluduntur? R. Qui per præscriptionem sunt excluſi, vel de facto in eligendi possessione non sunt; potestas enim eligendi possessionem bonæ fidei, & non proprietatem juris requirit. Unde electio, præsentatio, collatio facta ab eo, qui bonâ fide in possessione juris eligendi est, valida habetur, tametsi postea jus eligendi & præsentandi ad alium pertinere dignoscatur. *cap. consultationibus. 19. de jure patronatûs. Gloss. in cap. ex literis. 7. eod. tit. Verbo: Antequam.* Ratio est: quia præsentare est quasi fructus juris patronatûs, & eligere juris eligendi, possessor autem bonæ fidei fructus ex re possessa percipere non prohibetur, donec illi lis contestata. *L. bonæ fidei. 48. ff. de acquirend. domin.* Porrò ex admissione ad stallum in Choro, per lectionem & cantum cum aliis Canoniæ probatur possessio. *cap. in Genesi. 55. de election.* Et ex admissione ad actus Capitulares juris Capitularis probatur possessio. *ibid.*

Quæres *quinto.* An electio nulla sit, si cum cæteris habilibus unus vel plures non habiles v. g. excommunicati in electione concurrant? R. *1mo.* Si ab habilibus inhabiles ignoranter admittantur, electio valida est, dummodò ab una parte sufficiens sit eligentium numerus, ita ut demptis inhabilibus v. g. excommunicatis major Capituli pars in unam partem consenserit. *Ex regul. Juris. Utile per inutile non vitiatur.*

2do. Quamvis excluſis excommunicatis pro una parte non sit sufficiens eligentium numerus, si tamen excommunicati illi tolerati, nec per exceptionem repulsi, sed scienter admissi sint, electio valida est. Ratio est: quia post constitutionem Martini V. licet communicare cum excommunicatis specialiter non denuntiatis, nec publicis Clericorum percussoribus: frustrà autem Fidelibus talis communicatio permissa foret, si actus cum illis celebrati ob excommunicationem nulli essent, ideoque quamvis excommunicati sese ingerendo & suffragium dando peccent, cùm permissio illa in favorem excommunicatorum facta non sit, nihil tamen hoc electioni nocet, quamdiu excommunicatus non rejicitur, sed toleratur; licèt enim jurisdictione privatus sit, Ecclesia tamen supplet, & ad talem actum jurisdictionem confert, & quòd hic actus electionis sustineatur, non tam est in favorem

excommunicati, quàm Fidelium communicantium.

3tio. Si non computato excommunicati denuntiati vel notorii Clerici percussoris voto sufficiens eligentium & consentientium numerus pro una parte deficiat, & talis excommunicatus denuntiatus occultus sit, nihilominùs electio valida est. Ratio est: quia quando aliquis munus publicum exercet, ad cujus exercitium ob defectum occultum inhabilis est, Respublica ob communem utilitatem defectum supplet, actusque valorem habet. *Arg. L. Barbarius. 3. ff. de offic. Prætor.* Ubi acta servi gerentis officium Proconsulis ratificantur. Hæc lex in foro quoque Canonico recepta est, ideoque quamvis in præsenti casu excommunicatus denuntiatus vel publicus Clerici percussor ad ferendum votum, adeoque ad constituendam majorem pro electo partem de se habilis non sit, cùm tamen in loco exercitii pro excommunicato non habeatur, necessitate & utilitate publicâ illud exigente, ejus acta sunt sustinenda.

4to. Si sufficientia vota sint pro una parte, etiam excommunicati scienter admissi voto non numerato, gravis est quæstio, an habiles admittendo inhabilem electionem faciant nullam, sicut ex hoc, quòd Clerici in electione scienter Laicum admittant, quamvis major pars Clericorum in electum consenserit, nullam faciunt electionem? ℟. Layman cum pluribus aliis electionem validam & à Superiore tantùm irritabilem esse sustinet: verùm validam negat communior, quæ probatur *ex cap. fin. de Procurator.* Ubi ex eo, quòd communitas cum majoribus ac juratis, quos sciebat excommunicatos, Procuratorem constituisset, irrita dicitur constitutio: ergo à pari irrita etiam erit electio, cùm sit omnimoda paritas. Ratio est; quia habiles inhabiles & prohibitos favore juris publici ad actum individuum, utì est electio, admittendo, quod volunt, non possunt, & quod possunt, nolunt. Dixi: *Prohibitos favore juris publici:* quia validus est actus, si prohibitus vel inhabilis favore ipsorum habilium admittatur; tunc enim proprio favori renuntiare, eosque habilitare possunt.

Quæres *sexto.* Ex quibus Capitibus quis est indignus, ut eligatur? ℟. Ex tribus: Ex lege, natura, moribus sive delicto.

Quæres *septimo.* Qui ex lege indigni? ℟. *1mo.* Bigami, qui duxerunt viduam, vel corruptam, vel secundam uxorem, eligi non possunt. *Can. si quis viduam. 8. dist. 50. cap. de bigamis. 3. de bigam. non ordinand.*

2do. Uni alligatus Ecclesiæ ad alteram eligi non potest; quia qui plura beneficia curata habet, bigamo comparatur. *Can. sicut vir. 10. caus. 7. q. 1. cap. bona. 4. de postulat. Prælat. Extrav. execrabilis. de præbend.* Ideoque uni Episcopo, nisi ex justa necessitatis causa, plures Ecclesiæ committi non possunt. *Can. 15. & 16. caus. 21. q. 1.* Dispensatio quoque intervenire debet.

3tio. Laici. *Cap. in Ecclesia. 2. de institut. cap. ex literis. 4. de transact. cap. 2. de judiciis.*

4to. Qui publicam fecerunt pœnitentiam.

tiam. *Can. ex pœnitentialibus. 55. can. quicunque. 56. can. si ille. 58. can. non confidat. 59. can. Canones. 60. dist. 50.* Quia hi nonnisi cum dispensatione Pontificia ad majores Ordines, cum dispensatione Episcopi ad minores promoveri possunt.

5to. Novitius, qui Regulam monasterii, cui Abbas vel Prior quæritur, nondum est professus, nullâ obstante consuetudine contrariâ, eligi nequit. *cap. cum causam. 27. cap. officii tui. 38. cap. cum in Magistrum. 49. de election. cap. nullus Religiosus. 28. eod. in 6.* Ratio est: quia miserum est eum fieri Magistrum, qui nondum fuit discipulus. *Can. miserum. 4. dist. 61.*

6to. Alterius Religionis, quam cui Abbas vel Prior quæritur. Cùm rationi non congruat, ut homines disparis Professionis vel habitûs simul in iisdem monasteriis socientur. *Clement. 1. de electione.*

7timo. Qui non scientiâ commendabilis. *cap. cum in cunctis. 7. cap. qualiter. 17. cap. nihil. 44. de election. cap. si fortè. 11. eod. in 6.* Exigitur autem in Prælato scientia eminens, toleratur conveniens, censetur melior mediocris cum probitate, quàm sine probitate eminens. *cap. cum nobis. 19. de election.* Præter literaturam requiritur in Prælato sæcularium negotiorum discretio, & cum prudentia cognitio, ut commissa indemnis servetur Ecclesia. *can. unic. dist. 39.*

Quæres *octavo.* Qui naturâ sunt indigni? R. *1mo.* Ex illegitimo thoro nati. *can. Presbyterorum. 1. dist. 56. cap. cum in cunctis. 7. cap. innotuit. 20. de elect. cap. ut filii. 1. cap. nimis, fin. de Filiis Presbyt. 2do.* Servi. *can. 1. & totâ dist. 54. cap. consuluit. 5. de servis non ordinand. 3tio.* Qui non sunt ætatis legitimæ. *cit. cap. cum in cunctis.* Ubi in Episcopum eligi prohibetur, nisi qui jam tricesimum annum ætatis exegerit. Ad Dignitates Episcopatu inferiores & beneficia curam animarum habentia requiritur annus vigesimus quintus inchoatus. *cit. cap. cum in cunctis. §. inferiora. cap. licet. 14. de election. in 6. Trid. Sess. 24. de reform. cap. 12.* In quibus Textibus requiritur, ut provisus de beneficio curato annum ætatis 25tum attigerit, attigisse autem incepisse est. *4to.* Affecti defectibus corporalibus, ob quos sunt inhabiles, ut vel absolutè, vel decenter officium, ad quod eligendi, exercere possint. Ut constat ex titulis: *De corpore vitiatis. De Clerico ægrotante*, & *ex cap. nisi cum pridem. 10. de renuntiat. Trid. Sess. 22. de reformat. cap. 4.* In specie cæcitas, surditas, privatio loquelæ. *can. hinc etenim. 1. dist. 49. cap. constitutionem. 2. de verbor. significat.* Paralysis continua vel quasi continua. *cap. fin. de Cleric. ægrotant.* Quò podagra continua vel quasi continua reducitur.

Quæres *nono.* Qui ob mores & delicta sunt indigni? R. "Quia oportet electum "in Prælatum, juxta Apostolum, sine cri- "mine esse & irreprehensibilem, nullâ "peccati conscientia remorderi debet; "Quomodo enim potest Præses Ecclesiæ "malum aufferre de medio ejus, qui in "delicto simili corruerit, aut quâ liber- "tate corripere peccantem potest, cùm "tacitus sibi ipsi respondeat, eadem ad- "misisse, quæ corripit?" *can. fin. dist. 25.*

Ideo Canones crimina quædam ſpecialiter definiverunt, quibus obnoxii indigni ſunt, ut eligantur. Sunt autem ſequentia:

1mum. Ambitio, hoc eſt: "Inordinata Honorum & Dignitatum Eccleſiaſticarum cupiditas, quia ſicut locus "regiminis deſiderantibus eſt negandus, "ita fugientibus eſt offerendus." *can. in ſcripturis. 9. cauſ. 8. q. 1.* "Et, ſicut is, "qui invitatus renuit, quæſitus refugit, "ſacris eſt Altaribus admovendus, ſic "qui ultrò ambit, vel importunè ſe ingerit, eſt procul dubio repellendus." *can. ſicut. 3. cauſ. 1. q. 6.* "Tantùm ab "ambitu ſepoſitus debet eſſe Prælatus, "aut in Prælatum eligendus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi; profectò enim indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus." *L. ſi quenquam. 31. C. de Epiſcop. & Cleric.* Imò Canones etiam umbram & ſuſpicionem ambitionis damnant; ideò enim in *cap. cum poſt petitam. 46. de elect.* caſſatur electio illius, qui ante electionem factam modò conſenſerat, ſi eligeretur. *Gloſſ. ibid. verb. requiſitum. In cap. per inquiſitionem. 26. eod. tit.* Caſſatur electio ex hoc, quòd electus & amici ipſius ante electionem cum quibuſdam Canonicis ſive Electoribus colloquium habuerint, eosque, ut ipſum in Epiſcopum eligerent, ſollicitaverint. *In cap. officii tui. 38. de elect.* Reprobatur electio illius in Abbatem, qui Monachus factus fuerat cum promiſſione, quòd Abbas futurus eſſet. *In Clement. fin. de election.* Invalida declaratur licentia, & nullius dicitur eſſe roboris, quod Religioſo generaliter à Prælato ſuo conceſſa fuiſſet, ut electioni vel proviſioni, ſi quam de ipſo fieri contigerit, ſuum dare poſſit aſſenſum. Ratio additur: quia ambitionis vitio viam parat. Hoc ambitionis ſcelus maximè in Regularibus deteſtatur *cap. quorundam. 24. de election. in 6.* "Conquerendo, quòd quorundam oculos ſic vitium ambitionis excæcet, ut "quaſi ſuæ Profeſſionis immemores, "quâ contemptis honoribus, abjectis "divitiis, ſpretisque deliciis arbitrium "proprium ſubjugârunt alterius ditioni, "retroſpiciant ad aratrum manu miſsâ, "dum præcipitanter ruunt in litigiorum "anfractus, & cauſarum ſtrepitibus ſe "involvunt, & extra adminiſtrationes "proprii Ordinis ſolium Prælaturæ conſcendere moliuntur, electionibus, "poſtulationibus, ſeu proviſionibus de "ſe in diſcordiâ celebratis improvidè "præſtando conſenſum, præbendi aſſenſum à ſuo Superiore nonnunquam "extortâ licentiâ potiùs quàm obtentâ: "ex quo animarum & Eccleſiarum diſpendia noſcimus proveniſſe, & proventura majora quàm antea veriſimiliter formidamus" Ita Bonif. VIII. *in cit. cap. quorundam.*

2dum eſt *Simonia*, ſive datio rei ſpiritualis pro temporali, vel econtrà. "Nemo per ſimoniacam hæreſin regiminis "locum obtineat, quâcunque factione, "calliditate, promiſſione, ſeu commoditate aut datione per ſe aut per ſubmiſſam perſonam." *can. cavendum. 3. cauſ. 1. q. 7.* Audiatur Imperator ita loquens *cit. L. ſi quenquam. C. de Epiſcopis &c.*

pis &c. "Nemo gradum Sacerdotii pre-"tii venalitate mercetur, quantum quis-"que meretur, non quantum dare suf-"ficiat, æstimetur. Profectò quis locus "tutus, & quæ causa poterit esse excu-"sata, si veneranda DEI templa pecu-"niis expugnentur? Quem murum inte-"gritatis, aut vallum fidei providebi-"mus, si auri sacra fames in penetralia "veneranda proserpat? Quid denique "cautum poterit esse aut securum, si "sanctitas incorrupta corrumpatur? Ces-"set Altaribus imminere profanus ardor "avaritiæ, & à sacris Aris repellatur "piaculare flagitium. Nec pretio sed "precibus ordinetur Antistes. Cum sanè "si quis hanc sanctam & venerandam "Antistitis Sedem pecuniæ interventu "subiisse, aut si quis ut alterum ordi-"naret, aut eligeret, aliquid accepisse "detegitur, adinstar publici criminis "& læsæ Majestatis, accusatione propo-"sitâ, à gradu Sacerdotii retrahatur, nec "hoc solum deinceps honore privari, "sed perpetuæ quoque infamiæ damnari "decernimus." Circa simoniacè electum notanda sunt sequentia:

1mo. Ut electio ipso facto irrita sit, simoniam opere, hoc est: datione & receptione completam esse requiritur, alioquin non ab ipso jure irrita, sed à superiore tantùm irritanda est.

2do. Irrita est electio, confirmatio, institutio, si simonia etiam ignorante electo, confirmato, instituto intercesserit. *cap. si alicujus. 59. de election. cap. nobis. 27. de simonia.* Præterquam si is expresè contradixerit, vel nisi aliquis per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, ut eum ita ad electionem inhabilem redderet, id malitiosè fecisset. *cit. cap. nobis. cap. sicut tuis. 33. de simon.*

3tio. Simoniacè electus vel provisus inhabilis redditur, quò minùs idem beneficium etiam novâ electione aut provisione obtinere possit. Si tamen ignorante, nec postmodum ratificante electo simonia commissâ, & beneficium simplex est, Episcopus dispensare potest, ut post liberam resignationem idem beneficium obtineat; si verò beneficium curatum, idem beneficium obtinere non potest, nisi vitium per interpositam personam sit purgatum, hoc est: si cassatâ electione simoniacâ alius eligatur vel promoveatur, isque resignet vel moriatur, nihil obstat, quò minùs is, qui propter simoniam absque sua culpa repulsus fuit, denuò eligatur, quamvis si ipse electus vel provisus simoniam commiserit, ad aliud etiam beneficium promoveri nequeat. *Extrav. 2. de simon. inter com.*

3tium. Sacrilegium. can. miror. 8. caus. 17. q. 4. cap. Venerabilem. 34. de election.

4tum. Avaritia. Exemplum est in *can. Archidiaconum. dist. 85.* Ubi cùm contra electum obmotum fuisset, illum ita tenacem existere, ut in domo ejus amicus ad charitatem nunquam introeat, Pontifex inquiri jubet, si ita veritas se habeat, ut nunquam ejus amicus domum ingressus sit, & utrùm ex necessitate, an ex tenacitate talis sit.

5tum. Quodlibet crimen, ob quod quis infamis redditur. *can. infames. 17. caus. 6.*

cauſ. 6. q. 1. cap. inter dilectos. 11. de exceſſibus Prælatorum. L. neque famoſis. 2. C. de Dignitat. L. unic. C. de infamib. Eſt autem 2plex infamia, juris videlicet & facti, infamia juris eſt, quæ per legem aut Judicis ſententiam inflicta; & ad hanc tollendam Superioris diſpenſatione & reſtitutione opus eſt. Infamia facti eſt: quæ oritur ex publica notitia alicujus criminis; hæc per factum contrarium, id eſt: per publicam & conſtantem emendationem, aboletur.

6tum. Quodlibet crimen, ob quod irregularitatis incurritur impedimentum; beneficium enim datur propter officium, per irregularitatem autem ad officia Eccleſiaſtica quis incapax redditur, ergo etiam ad Eccleſiaſtica beneficia. *cap. fin. de Cleric. excommunicat.*

7timum. Quodlibet crimen, ob quod cenſura incurritur. Nam imprimis electio excommunicati ipſo jure irrita eſt. *cap. poſtulaſtis. 7. de Cleric. excom.* Sive excommunicatus vitandus, ſive non vitandus ſit; quia per conſtitutionem Martini V. *Ad evitanda.* Nullus excommunicato, ſed potiùs Fidelibus cum excommunicato communicantibus favor factus eſt: imò excommunicatus excommunicatione minori indignus eſt, qui eligatur. *cap. ſi celebrat. 10. de Cleric. excommunicat.* Ideoque qui excommunicatum excommunicatione minori ſcienter eligunt, mortaliter peccant, ac pœnas Juris incurrunt; ipſe verò electus ſi inhabilitatis ſuæ habuerit ſcientiam, electio eſt irritanda; ſi eam ignoraverit, abſolvendus eſt, ac ita titulus electionis vel collationis revalidabitur. Deinde ſuſpenſus à beneficio vel officio eligi non poteſt. *cap. cum dilectus. 8. de conſuetud. junctâ gloſſ. verb. ſuſpenſis.* Demùm perſonali affectus interdicto ineligibilis exiſtit.

8vum. Quodlibet vitium, propter quod electio alicujus perſonæ aliquando caſſata fuit, impedit, ne eadem perſona eligi poſſit. *cap. ſuper eo. 12. de elect.* cum hac tamen diſtinctione: Aliquando caſſatur electio vitio perſonæ, ſeu propter crimen electi verè probatum, & tunc repulſus propter idem, erit quoque ab alia electione repellendus; nam vitium concernens perſonam ſigillat & notat ubique perſonam, illámque ſequitur ſicut lepra leproſum. *can. citò. 16. cauſ. 1. q. 1.* Quandoque caſſatur propter crimen præſumptum, & tunc ſecunda promotio non impeditur, ſi de crimine præſumpto ſe purgare valet. Quandoque propter infirmitatem electi caſſatur, ut eſt exemplum *in cap. cum inter. 21. de elect.* Et tunc ſi probare poteſt, quòd ab illa infirmitate convaluerit, non impeditur nova promotio. Demùm caſſatur quoque electio vitio electionis, quo caſu promotionem electi etiam in eadem Eccleſia, ſi nihil aliud obſtet, impedire non debet caſſatio. *cit cap. ſuper eo. 12. de election.*

Quæres *decimo.* Si electio ob aliquem defectum electi ſit irrita, an electus Prælaturam dimittere, etiam ante ſententiam Judicis in conſcientia obligatus exiſtat? R. Diſtinguendo: Aliquando Jura electionem vel proviſionem ita infirmant, ut electus vel proviſus nullum omninò jus in beneficium acquirat, &

& tunc illud retinere non potest, sed etiam in foro conscientiæ dimittere obligatur, nisi dispensationem & tituli revalidationem impetraverit. Exempla sunt *1mo.* Si quis in excommunicatione majore electus. *Cit. cap. postulastis. 7. de Cleric. excomm. 2do.* Si Electores fuerint excommunicati non tolerati. *3tio.* Si intervenerit simonia. Ita *in cap. Matthæus. 23. de simonia.* Pontifex electo Episcopo, cujus amici de conscientia electi pecuniam sese electioni opponentibus dederant, ut ab oppositione desisterent, consulit, ut administrationem celeriter ac spontè dimittat, illius verbi memor: *Nihil prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur. 4to.* Si facta electio infamis infamiâ juris, aliquando jura electionem quidem irritant, eam tamen in foro conscientiæ irritam esse non exprimunt, & tunc electus, si nemo se opponat, & is defectum brevi tempore tollere posse existimet, v. g. ætatem requisitam, scientiam competentem brevi assequetur, improbos mores emendabit, dispensationem super irregularitate, absolutionem à suspensione, interdicto, minori excommunicatione impetrabit, tutus esse potest, nec aliâ tituli revalidatione indiget, quamvis electio aut provisio in foro externo irrita sit, ita ut Judex officio vel ad petitionem opponentis electionem irritam declarare obligetur.

Quæres *undecimo.* Quænam pœnæ indignum scienter eligentium? R. *1mo.* Eligentes vel postulantes in Episcopum scienter indignum pro ea vice privati sunt jure eligendi, & à beneficiis, quæ in eadem Ecclesia obtinent, per triennium suspensi. *Cap. cum in cunctis. 7. §. Clerici. de electione. cap. si compromissarius. 37. eod. in 6. 2do.* Eligentes indignum ad aliam Prælaturam Episcopatu inferiorem, eâ vice jure eligendi privati sunt. *Cap. quanquam. 18. de election. in 6.*

Quæres *duodecimo.* Quomodo intelligendum, quòd scienter eligentes indignum illâ vice potestate eligendi privati sint? R. Formetur casus: sint 20. eligentes, quorum 15. votum dant indigno, quem v. g. illegitimo thoro natum esse sciunt, 5. dant votum digno, tunc *1mo* illi 15. pœnam privationis non incurrunt, nisi electionis decretum publicè fuerit formatum; pœna enim intelligenda est cum effectu. *Cap. relatum. 4. de Cleric. non residentib.* Electio autem facta non censetur, nisi post scrutinii publicationem, & capitulare Decretum formatum; ideoque si publicato scrutinio illi quinque advertant, quòd alii indignum elegerint, ut illi ad publicam electionem procedant, permittere debent. *2do.* Post factam indigni electionem illi quinque vel eodem contextu electionem suam promulgare, aut si malint, exclusis illis 15. ad novum scrutinium procedere possunt. *3tio.* Postquam illi 5. electionem suam promulgârunt, illorum 15. cessat privatio; ideoque si electio horum 5. effectum non habeat: ut quia electus electionem acceptare noluit, vel statim mortuus est, vel occulto laborat defectu, illi 15. à nova electione excludi nequeunt. *4to.* Si illi 5. etiam in nova electione scienter indignum eligant,

gant, totum Capitulum jure eligendi privatum est, & electio ad Superiorem devolvitur. *5to.* Quamvis illi quinque excludere velint, possunt tamen vel omnes vel aliquos ad electionem admittere, dummodò omnes 5. consentiant, quia unus solus Capitularium se opponere potest, ne privatus admittatur; licèt enim, si de necessitate vel utilitate Ecclesiæ agatur, sufficiat, si major pars Capituli consentiat, dum autem de jure singulorum agitur, omnes consentire debent. *Juxta Regul. Juris. 29. Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. Et Regul. 56. In re communi melior est conditio prohibentis. De Reg. Juris. in 6.*

§. Quintus.

DE

Actu Electionis.

QUæres *primo.* Quot modis electio fieri potest? ℟. Post Concilium Lateranense sub Innocentio III. relato in famoso illo *Capitulo, quia propter 42. de elect.* tres electionis formæ sunt: *1ma* per inspirationem. *2da* per compromissum. *3tia* per scrutinium. Sed si Electores alio novo modo eligant, electio nulla est, & Electores formas præscriptas non servantes per sententiam Judicis pro illa vice potestate eligendi privantur, quæ est differentia inter eligentes indignum, & in forma electionis errantes, quòd errantes per sententiam Judicis sint privandi, eligentes verò scienter indignum ipso facto sint privati, ùt antè dictum.

Quæres *secundo.* Quid est electio per inspirationem? ℟. Illa fit, cùm simul omnes Electores, quasi Divino commoti impulsu, nullo præcedente Tractatu in unius electionem consentiunt. *cit. cap. quia propter.*

Quæres *tertio.* Quotuplex electio per inspirationem? ℟. 2plex: alia est verè per inspirationem, quando quis à DEO per signum aliquod designatus communi consensu ad Prælaturam potiùs rapitur, quàm eligitur. Taliter electus est S. Nicolaus ex Laico in Episcopum, taliter S. Severus ex Lanifice factus Archi-Episcopus, S. Ambrosius ex Catechumeno nondum baptizatus proclamatus est Episcopus. Ut refertur in *can. statuimus. 8. dist. 61. §. econtra.* Hæc electio cùm sit immediatè à DEO, nullis humanis subjacet legibus, vix tamen hodie reperitur, postquam, ùt jocantur Interpretes, columbam, quæ Episcopos demonstrare solebat, corvus devoravit. Electio per quasi inspirationem est; quando nullo præcedente Tractatu omnes Electores communiter quasi uno ore in eundem consentiunt, hæc ut valeat, absque vitio simoniæ, conspirationis, requisitionis vel consensûs extra Capitulum habiti debet processisse.

Quæres *quarto.* Quæ forma eligendi per compromissum? ℟. Electio per compromissum fit, quando potestas eligendi uni, *cap. causam. 8. de elect.* vel duobus aut

aut pluribus Clericis & viris idoneis. *cap. in cauſis. 30. cap. cum in jure. 33. cap. cum in veteri. 52. de elect.* ſive de Collegio. *cit. cap. in cauſis.* ſive extra Collegium. *cit. cap. cauſam.* ab omnibus, qui jus eligendi habent, committitur, ut vice omnium vel loco vacanti proſpiciant, vel alios, qui hoc faciant, eligant. *cit. cap. in cauſis.* Ne compromiſſum fiat, unus ſolus Capitularium ſe opponens impedire poteſt; nam cùm compromiſſum ſit voluntarium, & juri præjudicet ſingulorum, ab omnibus recipi neceſſe eſt. *juxta cit. reg. Juris. Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.*

Quæres *quinto.* Quot modis compromiſſum fieri poteſt? ℟. Duobus: Vel abſolutè vel limitatè: ſi abſolutè data eligendi poteſtas: quemcunque idoneum, etiamſi de gremio non ſit, poſtulare poſſunt, juxta Regulam communiter receptam: Qui poteſt eligere, poteſt & poſtulare. *Gloſſ. in cap. cum dilectus. 32. de election. Verb. de gremio.*

Quæres *ſexto.* Quando compromiſſum ſit limitatè? ℟. Quando compromiſſariorum poteſtas reſtringitur, ut ex Capitularibus unum eligant. *Cap. in cauſis. 30. cit. cap. cum dilectus. 32. de elect.* Vel aliquem requiſito certarum perſonarum conſilio. *cap. cum in veteri. 52. de election.* Vel ut eligant eum, quem requiſitis ſecretò ſingulorum Capitularium votis à majore parte Capituli invenerint nominatum. *cit. cap. cum dilectus.* Quo modo poſteriori factum compromiſſum non purum, ſed ex ſcrutinio mixtum eſt, adeoque ex 2plici electionis forma aliquid participat. Hic modus eligendi optimus eſt. *Gloſſ. in cap. cum expediat. 29. de elect. in 6. Verb. inquiſitis.* quia & evitantur difficultates & ſubtilitates. *cap. quia propter.* Et quilibet eligentium votum retinet, dum Compromiſſarii illum, quem major pars reſpectu totius Capituli, non reſpectu aliorum nominatorum deſignaverit, eligere obligantur. *cap. ſi cui. 23. & cit. cap. cum expediat. 29. de election. in 6.*

Quæres *ſeptimo.* Quam formam in eligendo Compromiſſarii ſervare tenentur? ℟. Non tenentur in facienda electione ullam ſcrutinii formam obſervare, niſi plures fuerint Compromiſſarii; tunc enim illum, in quem major Compromiſſariorum pars conſenſerit, eligere debent. Nec compromiſſum valeret hâc formâ datum: ut is eligeretur, in quem plures ex Compromiſſariis conſenſerint, ut ſi ſeptem Compromiſſarii, & duo in Petrum, duo in Paulum, & tres in Joannem conſentirent, electio Joannis invalida foret, quia major pars Compromiſſariorum in illum non conſenſit. Deinde concordante majore Compromiſſariorum parte, ab uno nomine omnium electio promulgari debet: Ego nomine meo & aliorum conſentientium eligo &c. *cap. ſicut. 21. de election. in 6.*

Quæres *octavo.* An Compromiſſarii ſe ipſos eligere poſſint? ℟. *1mo.* Compromiſſarii unum ex ipſis eligere poſſunt, non ſolùm quando id ab eligentibus eſt conceſſum. *cap. cum in jure. 33. de election.* Sed etiam quando abſoluta eligendi poteſtas data eſt; quia nemini officium ſuum damnoſum eſſe debet. Compromiſſariis autem damnoſum foret, ſi

jure electionis passivo privarentur. *2do.* Nullus sibi ipsi ex Compromissariis primò votum dare, & ita electionem inchoare potest, quia qui se ipsum eligit, ambitiosus judicatur. *Can. in scripturis. 9. caus. 8. q. 1. 3tio.* Compromissarius aliorum suffragiis in se directis consentiendo accedere potest: ut si ex septem Compromissariis tres Titium Compromissarium, & tres Cajum ex Capitulo eligerent, Titius priorum votis accedendo numerum augere & suî electionem ita perficere valet. Ut decisum est in *cit. cap. cum in jure.* Ubi tria notanda: *1mum.* Si Compromissarius unum nominârit, & ipse ab uno vel duobus sequentibus nominatur, potest revocato, quod priùs dederat, suffragio se eligentibus accedere, & numerum eligentium supplere. *Gloss. in cit. cap. cum in jure. Verb. consentiat. 2dum.* Idem in aliis electionibus aut nominationibus, in quibus unus à pluribus non secretò, sed per vota manifesta eligitur, fieri potest. *3tium.* Quando in Ecclesia consuetudo, ut dum publicato scrutinio in neminem majora vota respectu totius Capituli consentire apparet, minora vota ad majora vota accedere possint, Elector se eligentibus accedere non prohibetur.

Quæres *nono.* An eligentes compromissum revocare possint? R. *1mo.* Si potestas eligendi ad certum tempus, intra quod eligere debeat, Compromissario restricta fuerit, eo evoluto, si electio nondum peracta, de se cessat compromissum. *Cap. cum in veteri. 52. de election. 2do.* Re non ampliùs integrâ, hoc est: si in negotio compromissi ad substantialia est processum, compromissum revocari nequit. *3tio.* Si Capitulum in gratiam Compromissariorum in compromissum consensit, etiam re integrâ compromissum revocari non potest, cùm sit quædam donatio. *L. sive emancipatis. 17. C. de donation.* Aliàs compromissum re integrâ revocari potest, si factum in favorem Ecclesiæ, ut eidem provideretur; tunc enim compromissum rationem mandati aut commissionis habere censetur. In dubio non in favorem Compromissariorum, sed in favorem Ecclesiæ factum præsumitur compromissum.

Quæres *decimo.* Ad quem electio devolvitur, si à Compromissariis eligatur indignus? R. Si Compromissarii scienter vel ignoranter indignum elegerunt, potestas eligendi ad Compromittentes revertitur, etiamsi plures sint Compromissarii, & major pars indignum elegerit. Ratio est: quia postquam Compromissarii officio suo functi sunt, sive benè sive malè, ùt loquitur *Gloss. in cap. causam, 8. de election. Verb. recipi.* Eorum potestas & officium expirat, ut sine nova commissione eligere ampliùs non valeant, neque minori parti fit injuria, quæ indignum ignoranter, vel dignum nominavit: quia eligendi potestas, quam habent, ultra Compromittentium intentionem non extenditur. Idem est, quando Electus à Compromissariis dignus electioni consentire recusat.

Quæres *undecimo.* Si Compromissarii intra terminum Juris non eligant, an electio ad Capitulum devolvitur? R. Neg. Sed providendi potestas ad Superiorem de-

devolvitur, & Compromittentes sibi imputare debent, quòd in Compromissarios tam negligentes potestatem eligendi transtulerint, & ita valet Regula, quòd Procurator Domino noceat negligendo, non tamen in committendo. *Cap. si Compromissarius. 37. de election. in 6.*

Quæres *duodecimo.* Quid est electio per scrutinium? ℟. Forma scrutinii in his formalibus. *cap. quia propter. 42. de election.* consistit, "ut præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt "commodè interesse, assumantur tres "de Collegio fide digni, qui secretè & "sigillatim vota cunctorum diligenter "exquirant, & in scriptis redacta mox "in communi publicent, nullo prorsùs "appellationis obstaculo interjecto, ut "is collatione votorum inter se habitâ "eligatur, in quem omnes, vel major "& sanior pars Capituli consentit." In hac forma, cùm omnia ferè sint substantialia, plurimæ sunt difficultates, pro quibus expediendis specialem §. duximus exponendum.

§. Sextus.

DE

Electione per Scrutinium.

QUæres *primo.* Quot sunt partes scrutinii? ℟. Quinque. *1mo.* Electio scrutatorum. *2do.* Ipsum scrutinium, seu secreta suffragiorum collectio per scrutatores facta. *3tio.* Scrutinii publicatio. *4to.* Suffragiorum collatio. *5to.* Decretum capitularis & communis electionis.

Quæres *secundo.* Quæ ad electionem scrutatorum requiruntur substantialia? ℟. Sequentia: *Primum substantiale.* Scrutatores, uti vocantur *in cap. Cumana. 50. de election.* ab Electoribus capitulariter congregatis vel per publicum scrutinium, vel per compromissum assumi, nequaquam autem sese ingerere debent. Attamen Abbas Panormitan. quem sequitur Laym. electionem valere putat, si tres de Capitulo, aliis videntibus & tacentibus, aliorum vota scrutari incipiant: quia cùm agatur de re meritoria & concupiscibili, tacentes habentur pro consentientibus. *2dum substantiale.* Numero tres, nec plures, nec pauciores esse debent, quamvis *Gloss. in cit. cap. quia propter. Verb. sanior.* velit ternarium numerum non esse de substantia, dummodò tot sint Inquisitores, ut fraus fieri non possit. *3tium.* De Collegio, non præcisè viduatæ Ecclesiæ, sed de Collegio eligentium esse debent. Quamvis Canonistæ Germani sustineant, quòd in Germania per consuetudinem extranei in scrutatores assumi valeant.

Quæres *tertio.* Quæ essentialiter requiruntur ad scrutinium? ℟. Sequentia: Substantiale primum est, ut à scrutatoribus cunctorum votum exquiratur, uno igitur eligentium præterito non valet electio. *2dum.* Ut exquirantur *secretè*, hoc est, seorsim ab aliis de Collegio, ut

quisque liberiùs votum suum dicere possit. *3tium*, ut exquirantur *sigillatim*: non enim bini vel terni, sed seorsim & separatim audiendi sunt singuli. *4tum.* Ut vota cunctorum secretè & sigillatim à tribus scrutatoribus exquisita rediganter in scriptis sive per scrutatores singulos, sive ex aliorum consensu, per unum ex ipsis, sive per tabellionem cum ipsis adhibitum, qui extraneus, etiam Laicus esse potest. In praxi scrutatores vota daturos adjurant, ut secundùm DEUM & conscientiam suam in eum vota dirigant, quem Ecclesiæ utilem & magis idoneum existimant. Postquam singulorum vota exceperunt, interrogant, quare consentiant in eum, quem nominant, quo zelo, ob quæ merita & qualitates denominati. Ad evitandas fraudes scrutatores à propriis personis incipiunt, & ex tribus duo scrutantur votum tertii, dein is, à quo votum datum, cum alio inquirit in votum secundi, postea duo inquisiti votum tertii exquirunt. Post exquisita vota scrutatorum, ab eo, qui Capitulo præsidet, votum exigitur. Deinde ab aliis secundùm dignitatis vel antiquitatis prærogativam.

Quæres *quarto*. In quo consistit scrutinii publicatio? R. Postquam vota in scriptum sunt redacta, mox, hoc est: in continenti, nullo actu extraneo interposito, vota in communi publicari debent. Hæc publicatio in communi juxta aliquos in hoc consistit, quòd integer eorum numerus publicè quoad congregationem totam Capituli proferatur, non exprimendo, in quorum favorem vota data fuerint, vel quot ex Electoribus ad hanc vel illam personam descenderint, sed tantùm numerum personarum, quæ suffragium tulerunt, explicando, v. g. dicendo: Vota, quæ à Dominis exquisitis exquisivimus, sunt universatim v. g. 20. Ita *Tambur. de jure Abbat. tom. 1. disput. 5. q. 6. n. 15. Barbos. lib. 1. jur. Eccles. cap. 19. n. 216.* Alii publicationem scrutinii in hoc consistere volunt, quòd Scrutatores palàm coram Capitulo Electum, vel si plures sint, Electos nominent, & quot vota quilibet habuerit, enuntient. Ita *Passerin. de election. cap. 19. n. 1. & 4. Lud. Engel. h. t. n. 36.*

Quæres *quinto*. Quis publicati scrutinii effectus? R. Publicato ita scrutinio Electores variare nequeunt; quia officio suo functi sunt. *cap. publicato. 58. de election. junct. Glossa. verb. variare.* Et res desiit esse integra. *cap. in causis 30. cap. Ecclesia vestra. 48. de election.*

Quæres *sexto*. In quo consistit collatio? R. Post publicationem scrutinii à Scrutatoribus statim votorum collatio fieri debet, utrumque de substantia est, ut videlicet fiat, & statim fiat. *cap. Cumana. 50. cap. publicato. 58. de election.* Collatio autem numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum facienda est, ut si voces Electorum in diversos esse dispersas contingat, quis à majori & saniori eligentium parte electus fuerit, appareat. *cap. in Genesi. 55. de election.*

Quæres *septimo*. In quo consistit electionis decretum? R. Si factâ collatione pro uno majorem & saniorem Capituli partem esse inveniatur, decretum formari debet, hoc est: ab uno ex Scrutatoribus,

toribus, vel Electoribus, vel electionis Præside clarâ & distinctâ voce dici debet: Ego nomine meo & mihi consentientium in Prælatum hujus Ecclesiæ eligo, & electum promulgo N. N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Hoc decretum de substantia electionis est, nec ante promulgatum hoc decretum electio perfecta est. Cujus ratio: quia in forma scrutinii sunt quasi duæ electiones, una singulorum optio & suffragatio est, quæ fit in Scrutinio, altera communis, capitularis, & solemnis electio est, & hæc per præfatum decretum fit, quod in continenti formandum est, juxta *cap. cum post petitam. 46. de election.*

Quæres *octavo*. Quid requiritur, ut pro uno major sit & sanior pars eligentium? ℟. Imprimis non sufficit unum habere plura vota respectu aliorum, qui pauciora habuerunt. *Cap. Ecclesia vestra. 48. de elect.* Sed debet habere plura vota respectu totius Capituli præsentis, ita ut si sint 12. vocales, saltem septem habeat vota. *Cap. Cumana. 5. de election. cap. si cui. 23. eod. in 6.* Quicunque autem excessus ultra medietatem sufficit, etsi foret unius medii voti, v. g. si essent 13. vocales, sufficeret, quòd haberet septem vota; de illo enim verificaretur, quòd in illum major pars Capituli consensisset. *Passerin. cap. 19. de election. n. 18.* Præterea pro uno major & sanior pars Capituli stare debet, ideoque si altera pars eligentium numero, altera authoritate & Electi meritis excellat, neutra valet electio; conjunctim enim & à majori & saniori parte esse debet. *cit. cap. Ecclesia vestra.* Si tamen alterius partis numerus sit duplò major, electio indistinctè valet. *cap si quando. de elect. in 6.* Excipiuntur electiones Regularium, in quibus, ùt loquuntur Interpretes, non attenditur, quænam pars sit sanior, cùm omnes bono zelo, & ex consideratione meritorum ad electionem processisse præsumantur. *Arg. Clement. Exivi. de verbor. signif. §. demum.*

Quæres *nono*. Quibus electionibus forma scrutinii præscripta? ℟. Illis electionibus forma scrutinii præscripta est, in quibus Prælatus generalem & ordinariam jurisdictionem, & Ecclesiam in perpetuum titulum obtinens eligitur; Consilium enim Lateranense in *capit. quia propter.* electioni Prælatorum in Ecclesiis viduatis formam præscribit, Ecclesiæ autem viduatæ sunt, quæ Pastorem veluti sponsum suum amiserunt. Quamvis igitur soli Episcopi proprio vinculo spiritualis matrimonii suis Ecclesiis sint conjuncti, *can. sicut. 39. caus. 7. q. 1.* Attamen vinculum spiritualis matrimonii latiùs accipiendo, alii Ecclesiarum Collegiatarum Prælati & Sponsi suarum Ecclesiarum & Pastores, ac per obitum eorum Ecclesiæ viduatæ appellantur. *cap. ne pro defectu. 41. de election.* Ac proinde in eorum Electionibus forma *cap. quia propter.* servanda est, nisi fortè tempore immemoriali alia eligendi consuetudo alicubi fuerit observata, vel Privilegium Apostolicum habeatur. Sic in plerisque Abbatiis Abbates perpetui per vota secreta in scripturam redacta & in calicem missa eliguntur, ita ut eligens nec ipsis Scrutatoribus innotescat, quod à rigore *cap. quia propter.* deviare dignoscitur.

Quæ-

Quæres *decimo.* An in electione Prælatorum Regularium non perpetuorum forma ſcrutinii ſervari poſſit? R. Affirm. contra Fagnan. & alios; quamvis enim *Trid. Seſſ. 25. de Regular. cap. 6.* ita diſponat: "In electione Superiorum (intellige Regularium) quorumcúnque, "Abbatum temporalium, & aliorum Of- "ficialium, ac Generalium, & Abbatiſſa- "rum, atque aliarum Præpoſitarum, quo "omnia rectè & ſine ullâ fraude fiant, "imprimis ſancta Synodus diſtrictè præ- "cipit, omnes ſupradictos eligi debere "per vota ſecreta, ita ut ſingulorum eli- "gentium nomina nunquam publicen- "tur; ſi verò contra hujus Decreti con- "ſtitutionem aliquis electus fuerit, ele- "ctio irrita ſit." Non obſtante hoc Decreto, ſive Electores ſua vota dent in ſcriptis, ſive ea coram Scrutatoribus vivâ voce proferant, vota adhuc ſecreta dari cenſentur, eò quòd in ſecreto & ſeorſim ab aliis, qui ſunt de Collegio, dentur, quod per declarationem S. Congregationis confirmatur. Si electi fuerint à Superioribus aliqui, qui vota omnium recipiant, electio ſecreta & canonica reputabitur. Ita *Tamburin. tom. 1. diſp. 5. q. 6. n. 10. Garzias. p. 5. de benef. c. 4. n. 187. Paſſerin. & alii.*

Quæres *undecimo.* An quando ex ſcrutinio peracto communis & canonica electio ſequi non poteſt, eò quòd vota in duos ſint æqualia, vel inter plures nominatos nullus majora reſpectu totius Capituli habeat, neceſſariò ad novum ſcrutinium procedi debeat, vel locus detur acceſſui minoris partis ad majorem? Caſus obvius eſſe ſcitur. R. *1mo.* Quando electio juxta rigorem *cap. quia propter.* celebranda eſt, acceſſus minoris partis ad majorem locum non habet. Ratio eſt: quia de ſubſtantialibus hujus formæ eſt: quòd vota in ipſo ſcrutinio ſecretè dentur ac ſigillatim, ideoque conſenſus poſtmodum ſuperveniens nihil operatur, juxta *cap. auditis. 29. de election.* Quando autem majori vel æquali parti accedit minor, illa conſenſum ſuum palàm extra ſcrutinium, imò ſcrutinio jam perfecto declarat, ac ita publicato ſcrutinio variat, contra *cap. publicato.*

2do. Quando rigor *cap. quia propter.* non ſervatur, quamvis tunc Electores variare non poſſint, ſi quis in ſcrutinio majora vota reportavit, cùm talis variatio in nominati, qui per ſufficientia vota jus acquirere cœpit, præjudicium cederet; ſi tamen nullus nominatus vota ſufficientia habeat, publicato ſcrutinio ante factum commune Decretum electionis minoris partis ad majorem valet acceſſus. Cui non obſtat *cap. publicato.* Illud enim de publicato loquitur ſcrutinio, ex quo ſolennis electio ſequi poteſt. Nec *cit. cap. auditis.* quia ibidem votorum poſt promulgatum commune electionis Decretum factus fuerat acceſſus. Nec *cap. in electionibus. 2. de election. in 6.* Ubi vota conditionata, alternativa & incerta reprobantur; nam accedentes ſeu eligentes illum, quem jam plures nominârunt, nec dant votum conditionatum, nec incertum, cùm abſolutè illam eligant perſonam, quæ in ſcrutinio plura vota reportavit, & quam utpote à pluribus nominatam dignam & habilem rationabiliter præſumunt.

3tio.

3tio. Specialiter in electione summi Pontificis valet accessus; si enim nullus Cardinalium duas tertias in scrutinio habuerit, per accessum alium in Pontificem nominare possunt, quem priùs in scrutinio non nominârunt, dummodò hic unum saltem votum in prævio scrutinio habuerit; in electionibus quoque Abbatissarum, quando aliqua à majori parte Capituli, sed non à duabus partibus electa est, aliæ Moniales ad eam accedere, & sic post publicatum etiam scrutinium variare possunt. *cap. indemnitatibus. 43. §. sanè. de elect. in 6.*

Quæres *duodecimo.* Si in aliqua electione forma scrutinii, ùt facilè fieri potest, exactè non fuerit observata, an electio ipso jure irrita? R. Electionem ipso jure irritam esse, ita ut à Superiore per sententiam rescindi valeat, ac si ab initio irrita fuisset; si tamen non rescindatur, eò quòd nemo se opponat, electio firma manet, & electus in conscientia tutus est, cùm naturalis obligatio ex eligentium consensu orta subsistat, & postquam per triennium electus & confirmatus non impugnatus, seu in quieta possessione fuit, etiam in foro externo ampliùs molestari nequit, per Regulam *Cancellariæ 33. de triennali possessione.*

§. Septimus.

De iis, quæ fiunt post Electionem.

QUæres *primo.* Quid peractâ electione faciendum? R. *1mo.* Formandum est electionis decretum in scripto continens eligentium nomina, assensum & subscriptiones singulorum, Electi nomen & dignitatis titulum, cum scrutinio, votorum publicatione, collatione, electione, & Capituli sigillo. *2do.* Electio Electo, ut consensum det, præsentanda. *3tio.* Habito consensu Electi sequitur confirmatio. *4to.* Habitâ confirmatione sumenda consecratio.

Quæres *secundo.* Qualiter consensus in electionem ab Electo præstandus? R. Post canonicè factam & publicatam electionem electio Electo quamprimùm intimari debet, *cap. quam sit. 6. de election. in 6.* & quidem intra octo dies ab eo tempore, quo commodè potuerunt, computandos. *cap. cupientes. 16. §. eaterùm. de election. in 6.* quod si non fiat, non electus, sed Electores triennali suspensione ab omnibus beneficiis suis, quæ in ipsa Ecclesia, de cujus electione agitur, obtinent, puniuntur. *ibid.*

Quæres *tertio.* Qualiter Religiosus electus electioni consentire potest? R. Si Electus sit persona non sui juris, utì Religiosus, qui velle & nolle non habet, absque licentia Superioris sui electioni extra suam Ecclesiam vel Ordinem de se factæ consentire non potest, & si consentiat, consensus præstitus non tenet, & in pœnam præsumptionis electio eadem ipso facto viribus evacuatur omninò, quamvis posteà Superioris accedat consensus. *Cap. si Religiosus. 27. de election. in 6.* Ideo Electus, vel potiùs Elec-

ctores ad vitandam ambitionis notam à Superiore quantociùs licentiam petere debent, quòd si Electus nec per se nec per alium faciat, jus per electionem quæsitum perdit, ita ut Electores ad aliam electionem procedendi liberam habeant facultatem. *Cit. cap. quam sit. 6. de election. in 6.* Et si ad aliam electionem non procedant, eâ vice jure eligendi sunt privati. *Cap. ne pro defectu. 41. de election.*

Quæres *quarto.* Intra quod tempus præstandus ab Electo consensus? R. Post licentiam à Superiore obtentam, vel si persona libera, post intimatam electionem consensum præstare intra mensem à tempore præsentationis hujusmodi tenetur. *Cit. cap. quam sit.* Electus, qui sui juris est, consentire non obligatur, quin etiam post consensum datum electioni acceptatæ liberè renuntiare potest, quo casu Electores, quia jam fecerant, quod spectabat ad ipsos, intra juris terminum eligendo, habent tempus integrum, ac si vacatio nova esset, ad electionem aliam celebrandam, dummodò nil fraudulenter egerint in præmissis. *Cap. si electio. 26. de election. in 6.*

Quæres *quinto.* Quid operatur acceptatio electionis? R. Electo per acceptationem jus ad rem perfectè acquiritur. Quia ante acceptationem jus Electo ad Prælaturam competens perfectum non est, sed per acceptationem, quâ spirituale conjugium inter Electum & Ecclesiam initiatur, perficitur & completur, ad imitationem matrimonii carnalis, quod per sponsalia de futuro mutuo consensu inita est initiatum & inchoatum, per mutuum consensum de præsenti in facie Ecclesiæ præstitum est ratum, & per copulam carnalem est consummatum: ita spirituale conjugium Prælati cum Ecclesia per acceptationem electionis est initiatum, per confirmationem fit ratum, & per consecrationem consummatum. *cap. fin. de translat. Episc.*

Quæres *sexto.* Quando Electus confirmandus? R. "Electus quivis intra tres "menses post consensum electioni de se "celebratæ præstitum confirmationem "electionis ipsius petere non omittat. "Quod si, justo impedimento cessante, "intra hujusmodi trimestre tempus omi-"serit, electio eadem eo ipso viribus va-"cuetur." *Cit. cap. quam sit. 6. de elect. in 6.*

Quæres *septimo.* An Electus non confirmatus Prælaturam administrare possit? R. Ante confirmationem administratio tam in spiritualibus quàm temporalibus sub pœna perdendi jus acquisitum est interdicta. *Cap. nosti. 9. cap. qualiter. 17. de election. cap. avaritiæ. 5. eod. in 6. Extrav. injunctæ. 1. de election. inter com.* *Fit exceptio.* Electus in concordia extra Alpes, si ad summum Pontificem spectet confirmatio, ante eam obtentam, sed sine alienatione, administrare potest. *Cap. nihil est. 44. §. Episcopi. de elect.* Dicitur autem in concordia Electus, cujus electioni à majori & saniori Capituli parte factæ nemo se opponit.

Quæres *octavo.* Quis Electum confirmare debet? R. Confirmatio ab immediato Superiore petenda est. Hodie potestas confirmandi Episcopos summo Pontifici per Regulas Cancellariæ & Concordata Germaniæ reservata est: ideoque in petitione confirmationis forma

Cap.

possessionem, vel steterit per eum, quò minùs possessionem habere valeat. Ex hoc Capite non vacant titularium beneficia Episcoporum.

TITULUS QUINTUS.

DE

POSTULATIONE PRÆLATORUM.

POstulatio jure civili idem est, quod advocatio, per quam desiderium suum unusquisque apud eum, qui juri præest, exponit, vel alterius desiderio contradicit. Jure Canonico postulatio est modus providendi Ecclesiæ in subsidium electionis introductus, quo is, qui per Canones eligi prohibetur, postulationis subsidio & mediante dispensatione ad Prælaturam admittitur, de postulatione hoc modo sumpta præsens Titulus procedit.

Quæres *primo*. Quid & quotuplex postulatio? ℟. *1mo*. Postulatio est concors Capituli petitio Superiori facta, ut persona canonicè impedita aut Superiori subjecta vel dispensativè vel permissivè ad vacantem Ecclesiæ dignitatem admittatur. *2do*. Dividitur in *Solemnem*, quâ pro Prælato petitur persona canonicè ineligibilis, & *non Solemnem*, quâ pro Prælato petitur persona non potens præstare consensum in promotionem absque prævia Superioris licentia. *Causa efficiens* est Capitulum postulans, & Superior postulationem admittens. *Objectum* est persona impedita, ut promoveatur, vel in promotionem consentiat. *Causa formalis*, Canonica scrutinii vel compromissi forma. *Causa finalis* promotio impediti. *Effectus*. Ante admissionem nullum jus tribuit, post admissionem æquivalet juri per electionem firmatam acquisito.

Quæres *secundo*. Quomodo postulatio differt ab electione? ℟. *1mo*. Postulatio simplex sive non solemnis in hoc solùm ab electione differt, quòd per illam eligentes ante & post electionem canonicam de persona, quæ consensum in electionem præstare nequit, à Superiore petant, ut subdito electioni jam de se factæ assentiendi det licentiam, vel ante electionem eligi permittat. Exempla sunt in *cap. si religiosus. 27. & cap. nullus. 28. de election. in 6. 2do*. Postulatio solemnis ab electione differt in sequentibus. *1mo*. Electio est de persona capaci, postulatio de incapaci, quæ ob impedimentum Canonicum, v. g. ob defectum ætatis, Ordinis, natalium, irregularitatis &c. sine dispensatione eligi non potest. *cap. innotuit. 20. de election. 2do*. Postulatio gratiæ innititur, electio juri. *3tio*. Postulatio à Superiore gratiosè admittitur, cùm absque injuria postulati rejici potuisset. *cap. postulationem. 5. de postulat. cap. bona. 23. de election*. Electio

non

Cap. cupientes. 16. de elect. in 6. exactè est obsevanda.

Quæres *nono.* Quænam obligatio confirmantis? R. *1mo.* Antequam Superior confirmet, debet imprimis vocare volentes contradicere, aut nominatim, si aliquis coelectus, aut contradicens, vel generaliter per edictum ad valvas Ecclesiæ affigendum, in quo omnes peremptoriè citantur, qui electioni contradicere nituntur. Hoc omisso nulla est confirmatio. *Cap. fin. de elect. in 6.* Deinde in Electi qualitates, morum honestatem, ætatem, scientiam &c. inquirere debet. *Trid. Sess. 22. de reformat. cap. 2. & Sess. 24. de reform. cap. 1.* Demùm formam & processum electionis per Decretum authenticè ab Electo vel Electoribus exhibitum examinare tenetur. *2do.* Confirmans indignum v. g. insufficientis scientiæ, vel inhonestæ vitæ, vel ætatis illegitimæ non solùm confirmandi primum Successorem caret potestate, verùm etiam à perceptione proprii beneficii suspenditur. *cap. nihil est. 44. de elect.* Porrò confirmatio plenam administrationem tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, & omnium illorum, quæ ad jurisdictionem pertinent, tribuit executionem. *cap. transmissam. 15. de elect.* Nec post confirmationem renuntiatio Prælaturæ fieri potest, quàm cum consensu, & in manus confirmantis.

Quæres *decimo.* Quænam obligatio suscipiendi consecrationem? R. Adeptâ confirmatione consecratio petenda est, quæ ultra tres menses à die confirmationis, cessante legitimo impedimento, differri non debet, & jure novo *Trid. Sess. 23. cap. 2.* "Si Episcopus munus "consecrationis intra tres menses non "susceperit, ad fructuum perceptorum "restitutionem tenetur: si intra totidem "menses posteà id facere neglexerit, Ec-"clesiâ ipso jure est privatus."

Quæres *undecimo.* Ad quem spectat consecratio? R. Ad illum consecrare vel consecrationem demandare pertinet, ad quem confirmare spectat. Episcopus autem à tribus Episcopis consecrari debet. *Can. Comprovinciales. 4. dist. 64. can. porro. 2. dist. 66. cap. si Archiepiscopus. 6. de tempor. ordinat.* Tùm propter rationem, tùm propter exemplum: Ex ratione, ne tantum beneficium videatur furtivè præstitum, & pro eo pariter preces ad Deum effundant: Ab exemplo, quia etiam Jacobus Frater Domini à tribus Apostolis, S. Petro, S. Jacobo & S. Joanne est ordinatus, ùt refertur *in cit. can. porro.* Ex dispensatione tamen Ecclesiæ Episcopus ab uno Episcopo consecrari potest: ita ex indulto S. Pii V. pro duobus Episcopis duo Abbates vel alii in dignitate constituti Presbyteri sufficiunt, quod hodie passim in usu esse videtur.

Quæres *duodecimo.* Quis effectus consecrationis? R. Per consecrationem Episcopus plenitudinem officii pastoralis consequitur, ut omnia, quæ sunt Jurisdictionis & Ordinis, exercere valeat. *cit. cap. transmissum. 15. de election.* Post consecrationem Episcopi aut termino consecrationis elapso, omnia beneficia Ecclesiastica, si quæ habet, ipso jure vacant, ita ut liberè ab eo, ad quem collatio spectat, conferri possint. *cap. cum in cunctis. 7. de elect.* Si modò non habuerit

non admittitur, sed ex obligatione justitiæ confirmatur. *4to.* Electus in electionem de sua persona factam absolutè consentire potest, cùm per illam jus sit acquisitum, non tamen postulatus, ne videatur ambitiosus. *5to.* Demùm Eligentes publicato scrutinio variare, aut ab Electo suis votis recedere nequeunt. *cap. publicato. 58. de election.* At postulantes publicatâ & Superiori nondum præsentatâ postulatione ab eadem recedere possunt; secùs si postulatio Superiori præsentata; ne Superiori illudatur, & ejus judicium ex postulantium arbitrio pendere videatur. *cap. bonæ. 4. de postulat.*

Quæres *tertio.* Quinam postulare possunt? ℟. Omnes qui eligere possunt. *Cap. 1. cit. cap. bonæ. 4. de postulat. cap. innotuit. 20. de election.* Ratio est: quia postulatio in electionis subsidium, & jus postulandi juri eligendi accessorium est. Ex quo sequitnr *1mo.* Extraneus, qui à Capitulo admittitur ad eligendum, etiam admittitur ad postulandum; Procurator datus ad eligendum, etiam datur ad postulandum. *2do.* In quem compromittitur ad eligendum, in eum etiam compromittitur ad postulandum, nisi aliud exprimatur. *Cap. in causis. 30. de election. junct. gloss. verb. postulatio.* Demùm qui præscripsit jus eligendi, etiam acquisivit jus postulandi.

Quæres *quarto.* Quinam postulari possunt? ℟. Ut quis postulabilis sit, requiruntur duo: *1mo*, ut Canonicum, propter quod eligi nequit, habeat impedimentum, ùt si eligibilis postuletur, vel postulatus, etsi postulabilis, eligatur, postulatio & electio sunt nulla. *Juxta cap. unic. de postulat. in 6.* Tunc enim valet illud vulgatum: Quod potuit, noluit, & quod voluit, non potuit. *2do.* Tale debet esse impedimentum, in quo Superior dispensare valet & solet, ut defectus ætatis, Ordinis, natalium. Impedimentum, in quo dispensare non solet, habent criminosus, excommunicatus, non servans interdictum. *Cap. 1. de postulat.* illiteratus, bigamus, ad Episcopatum qui minor est 27. annis, ad Ecclesiam inferiorem Cathedrali Religiosus ex Ordine Mendicantium, item ad monasteria extra suos Ordines. *Extrav. unic. de postulat. inter com.* In supplicatione autem postulantium omnes defectus postulati sunt exprimendi.

Quæres *quinto.* An Episcopus ad alium Episcopatum eligi vel postulari possit? ℟. *1mo.* Nullus Episcopus confirmatus, sive sit consecratus, sive non, ad alium Episcopatum eligi potest, benè tamen postulari. *Cap. fin. de postulat.* Ratio est: quia Episcopus velut sponsus sponsæ suæ Ecclesiæ alligatus est. *Cap. inter corporalia. 2. cap. fin. de translat. Episcopi.* quod spiritualis matrimonii vinculum solus Papa dissolvere potest. *2do.* Episcopus electus ante confirmationem sicut electioni renuntiare, ita etiam ad aliam Ecclesiam eligi potest. *Arg. cap. si electio. de elect. in 6.* utì etiam Episcopus, qui Episcopatui renuntiavit, si renuntiatio à summo Pontifice acceptata: quod ad Episcopos titulares minimè extendendum, qui & ipsi verè matrimonium spirituale cum Ecclesia, ad quam ordinati, habent; hæc enim licèt in manibus sit Infidelium, est tamen vera Ecclesia

Cathedralis. *Clement. in plerisque. 5. de election.* ideoque & tales Episcopi veri & Ordine & dignitate sunt Episcopi, quod agnovit *Trid. Sess. 14. de reform. cap. 2. 3tio.* Cardinales non Episcopi: quamvis hodie Episcopis dignitate sint majores. *Arg. Extrav. si fratrum. ne Sede vacante.* tamen eligi possunt; nulli enim Ecclesiæ matrimonialiter sunt copulati, quamvis minùs solemniter postulari debeant, hoc est: à summo Pontifice licentia petenda, ut ex Curia Romana ad Ecclesiam transeant Cathedralem. *Cap. bonæ. 3. de postulat.*

Quæres *sexto.* Quæ indignos postulantium pœnæ? R. Qui laborantem vitio indispensabili, v. g. illum, cujus postulatio jam semel rejecta, postulaverint, pro illa vice potestate eligendi vel postulandi ipso facto sunt privati. *Cap. 1. & 2. de postulat. cap. scriptum. 40. §. si verò. de elect. Extrav. unic. eod. inter com.* Insuper qui minorem 27. annis ad Cathedralem, aut Religiosum Mendicantem ad Ecclesiam inferiorem Cathedrali postulaverint, à beneficiis, quæ in Ecclesia illa obtinent, per triennium sunt suspensi. *Cit. Extrav. unic.*

Quæres *septimo.* Quæ forma in postulatione observanda? R. Quamvis tutius sit, ut in postulatione à forma *in cap. quia propter. de election.* præscripta non recedatur, cùm electio & postulatio tanquam duo ad eundem finem tendentia in jure æquiparentur, nec ullam specialem pro postulatione formam habeamus: attamen haud dubium est, quin Papa postulationem non servatâ formâ *Capituli. quia propter.* celebratam ex potestatis plenitudine admittere valeat, quantumvis sic factam non admittendi habeat consuetudinem.

Quæres *octavo.* Quæ formæ postulationis in jure specialiter prohibentur? R. Sequentes: Eligo postulando, & postulo eligendo. Eligo postulandum, & postulo eligendum. Eligo & postulo, prout potest melius de jure valere. *Cap. un. de postulat. in 6.* Ratio est: quia tales formulæ continent incertitudinem, vel contrarietatem, & rem imperfectam significant. Quòd si probabiliter dubitetur, an persona eligenda vel postulanda sit, similibus formis eligentes uti possunt, dummodò taliter electus vel postulatus, quando consentit, unam viam vel electionis vel postulationis necessariò eligere teneatur, redeundi ad aliam viam, postquam unam elegerit, sibi licentiâ penitùs interdictâ. *cap. unic. cit.*

Quæres *nono.* Quo tempore à postulantibus præsentanda est postulato postulatio? R. Postulantes quamprimùm postulato postulationem præsentare tenentur, & intra tempus debitum non præsentantes puniuntur, sicut eligentes. *cap. quam sit Ecclesiis. 6. cap. cupientes. 16. de elect. in 6.*

Quæres *decimo.* Intra quod tempus à postulato præstandus consensus postulationi? R. Postulatus post factam postulationis præsentationem intra mensem mentem suam explicare, & consentire, vel saltem exprimere tenetur, quòd non consentiat, sed sese dispositioni Superioris vel ad - vel non admittentis submittat. *cit. cap. quam sit. de elect. in 6.*

Quæres *undecimo.* Quando Superior postulationem admittere tenetur? R. Si

postu-

postulatio concorditer celebrata, ejúsque admissionem necessitas, vel magna Ecclesiæ exigat utilitas, Superior postulationem absque injuria postulantium, vel Ecclesiæ, pro qua postulatio facta, rejicere nequit: & si Prælatus Papâ inferior habens postulandi & postulationem admittendi potestatem talem postulationem rejecerit, officium Judicis superioris, ut inferiorem ad postulationem admittendam compellat, potest implorari.

Quæres *duodecimo*. Si postulatio cum electione concurrat, quænam præferenda? R. *1mo*. Ut electioni tunc præferatur postulatio, numerus postulantium numero eligentium duplò major esse debet: ideoque duæ tertiæ, aut duæ Capituli partes in postulationem consensisse debent, eò quòd electio ordinaria, & postulatio via sit extraordinaria in subsidium electionis à jure introducta. *cap. scriptum. 40. de elect. 2do*. Si major Capituli pars in postulationem, & minor in electionem consenserit, & utraque pars Superiori electionem taliter factam præsentârit, vel postulationem, vel electionem, dummodò à 3tia parte Capituli facta sit, confirmare in Superioris est arbitrio. Ratio est: in tali enim casu nec postulantes jus habent, ut postulatio à duabus partibus facta admittatur, nec eligentes, nec electo jus competit ad confirmationem, cùm electio à majori parte Capituli facta non sit. Et hic. *cap. scriptum*. verior est intellectus.

TITULUS SEXTUS.

DE

TRANSLATIONE EPISCOPI.

TRanslatio definitur: Personæ Ecclesiasticæ de una Ecclesia ad aliam authoritate Superioris ex legitima causa facta transpositio. *Causa efficiens remota* est jus translationem permittens vel approbans. *Proxima* Superior Ecclesiasticus, per quem fit translatio. *Objectum* persona, quæ transfertur. *Forma* in tribus consistit: consensu Superioris vel licentiâ, causâ legitimâ, & ut de minore ad majorem Ecclesiam fiat. *Effectus* est, quòd per translationem matrimonium spirituale cum priore Ecclesia dissolvatur, & novum cum posteriore contrahatur, priorque vacare incipiat.

Quæres *1mo*. Cujus authoritate fit translatio? R. "Dubitari non debet, "quin Omnipotens DEUS spirituale "conjugium, quod est inter Episcopum "& Ecclesiam, suo tantùm judicio re- "servaverit dissolvendum, qui dissolu- "tionem etiam carnalis conjugii, quod "est inter virum & fœminam, suo tan- "tùm judicio reservavit: præcipiens, ut "quod

"quod DEUS conjunxit, homo non "separet. Non enim humanâ, sed potiùs "Divinâ potestate conjugium spirituale "dissolvitur, cùm per translationem, "depositionem, aut cessionem authori- "tate Rom. Pontificis, quem constat "esse Vicarium JESU Christi, Episcopus "ab Ecclesia removetur: & ideo tria "hæc non tàm constitutione Canonicâ, "quàm institutione Divinâ soli sunt "Rom. Pontifici reservata. Sicut autem "Episcopus consecratus sine licentia "Rom. Pontificis suam non debet Eccle- "siam relinquere, sic & electus & con- "firmatus: cùm non debeat in dubium "revocari, quin post electionem & con- "firmationem Canonicam inter perso- "nas eligentium & electi conjugium sit "spirituale contractum, cui profectò "Episcopalis dignitas nihil addit, cùm "quis Episcopali præditus dignitate, "nullius tamen Ecclesiæ possit esse Epi- "scopus. Unde, cùm non sit majus vin- "culum Episcopi ad Ecclesiam, quàm "electi, maximè cùm fuerit confirma- "tus, imò idem penitùs & non aliud, "idem juris obtinet in utroque." *Cap. inter corporalia. 2. de translat. Episcopi.*

Quæres *secundo.* Quæ similitudo matrimonii spiritualis inter Episcopum & Ecclesiam cum matrimonio carnali? R. Sicut matrimonium carnale aliud inchoatum, ùt sponsalia de futuro, aliud ratum, ùt sponsalia de præsenti, aliud consummatum per copulam, ita quoque spirituale fœdus conjugii, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, in electione inchoatum, ratum in confirmatione, & in consecratione intelligitur consummatum. *Cap. licet. fin. de translat. Episc.*

Quæres *tertio.* Cur magis matrimonium spirituale ab Ecclesia solvi potest, quàm carnale, cùm tamen spirituale sit magis eo indissolubile: ùt enim dicitur *in cit. cap. inter corporalia* & spiritualia eam novimus esse differentiam, quòd corporalia faciliùs destruantur, quàm construantur, spiritualia verò faciliùs construantur, quàm destruantur: Est ergo fortius spirituale vinculum, quàm carnale? R. Matrimonium spirituale non est in omnibus fortius, quàm carnale, sed respectu plurium: ùt *1mo* matrimonium carnale ratum per spirituale professionis religiosæ dissolvitur. *cap. ex publico. 7. de conversion. conjug.* non tamen matrimonium spirituale inter Episcopum & Ecclesiam, quod per confirmationem est ratum. *cit. cap. fin. de translat. Episcopi. 2do.* Post matrimonium carnale consummatum conjuges de mutuo consensu ingredi & Religionem profiteri possunt. *cap. cum sis. 4. cap. dudum. 20. de convers. conjug.* non tamen professus Religionem matrimonium inire potest. *Clement. unic. de consanguinit. & affinit. 3tio.* Dum alter Infidelium ad fidem convertitur, conversus matrimonium cum alia inire potest, si Infidelis manens absque periculo perversionis eidem cohabitare nolit. *cap. gaudemus. 8. de divortiis.* non tamen ita spirituale dissolvitur matrimonium.

Quæres *quarto.* Cujus authoritate Prælati inferiores transferri possunt? R. Authoritate sui immediati Superioris vel proprii Episcopi. *Can. si quis. 3. & sequentibus.*

tibus. dist. 71. can. Abbas. 8. caus. 18. q. 2. nisi immediatè subjecti sint summo Pontifici. Si Ecclesia à qua non sit subjecta Superioris illius Ecclesiæ, ad quam fit translatio, utriusque Superioris consensus requiritur. *cap. fin. de Clericis peregrin.*

Quæres *quinto.* Quæ pœnæ Episcopi se ipsum transferentis? ℟. Episcopus propriâ authoritate transiens de uno Episcopatu ad alium, non tantùm posteriorem obtinere non potest, sed etiam priori per sententiam Judicis est privandus, cùm secundùm Traditiones Canonicas, qui ad majorem se plebem transtulerit, à Cathedra depelli debeat aliena, & carere propriâ: ut nec illis præsideat, quos per superbiam sprevit, nec illis, quos per avaritiam concupivit. *cap. quanto. 3. de translat. Episcop.*

Quæres *sexto.* Quæ pœnæ Beneficiatorum inferiorum ab una Ecclesia ad aliam absque authoritate Superioris transeuntium? ℟. Communione privantur, donec ad priorem redeant, & si interim in eorum locum alii substituti sunt, tamdiu ab officio vel beneficio in prima Ecclesia vacare debent, quamdiu substituti vivent. *Can. si quis Presbyter. 24. can. eos Sacerdotes. 43. caus. 7. q. 1.*

Quæres *septimo.* An summus Pontifex Episcopum invitum à vinculo Ecclesiæ suæ absolvere, & ad aliam Ecclesiam transferre possit? ℟. *1mo.* Episcopus confirmatus necdum consecratus invitus trasnferri nequit, quia nemo invitus in Episcopum consecrari potest: sed Episcopus confirmatus non consecratus dignitati, allegando se nunquam velle consecrari, cedere valet. Ita *Trid. Sess. 23. cap. 2. de reform.* declarat Episcopos confirmatos suis Ecclesiis ipso jure privatos esse, si intra sex menses munus consecrationis non susceperint.

2do. Pontifex Episcopum consecratum per substractionem prioris Ecclesiæ ob utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ ad consentiendum translationi compellere potest. *Can. placuit. 4. dist. 74. can. displicet. 38. caus. 23. q. 4. Gloss. in can. omnis. 36. caus. 7. q. 1. Verbo: coactè.*

3tio. Si adhibitis mediis compellentibus adhuc consentire nolit, non consentiens transferri non potest; Episcopus enim translatus cum Ecclesia, ad quam transfertur, novum conjugium spirituale contrahit: ad validitatem autem conjugii spiritualis sicut & carnalis contrahentium necessarius est consensus, ùt probatur *ex cap. cum inter. 21. de election.* ibi: *Ut per mutuum consensum eligentium & electi quasi conjugale vinculum spiritualiter sit contractum.*

Quæres *octavo.* Ad quam Ecclesiam fieri possit translatio? ℟. Regulariter à minori ad majorem dignitatem translatio fieri debet; qui enim promovetur, gradatim de minori ad majus est promovendus, & si quis à majori Ecclesia ad minorem transire appeteret, id utique majoris commoditatis vel interesse gratiâ faceret, cùm tamen hujusmodi translationis unica causa major Ecclesiæ utilitas, major, qui ex translatione speratur, fructus esse debeat. *Cap. 1. de translat. Episcop.*

Quæres *nono.* Qui effectus translationis Episcopi? ℟. Sequentes: *1mo.* Trans-

latio Episcopi canonicè facta conjugii spiritualis fœdus, quod est inter Episcopum translatum & Ecclesiam, à qua transfertur, dissolvit. *Cap. bonæ. de postulat. 2do.* Factâ translatione translatus in priore Ecclesia nihil juris sibi retinet. *Can. si quis jam translatus. 3. caus. 21. q. 2.* & prioris Ecclesiæ Episcopus esse desinit. *Can. in apibus. 41. caus. 7. q. 1. Limitatur:* nisi ob hostilitatem vel captivitatis periculum facta translatio, tunc enim cessante hostilitate Episcopus translatus ad priorem redit Ecclesiam. *Can. pastoralis. 42. caus. 7. q. 1. 3tio.* Translatione factâ prior vacat Ecclesia, & quando translatio fit ad instantiam translati, vel de ejusdem præscitu, statim à die, quâ à Papa à vinculo Ecclesiæ, à qua absolvitur, hæc vacat Ecclesia, ùt declaravit S. Congregatio: si autem translato ignorante fiat translatio, Ecclesia primùm post scientiam & consensum à translato præstitum vacat, nisi aliter exprimatur; quia Papa Episcopum absentem & ignorantem non aliter quàm sub conditione: si consentiat, transferre solet; per consensum enim mutuum spirituale initiatur matrimonium.

Quæres *decimo.* Quæ causæ translationis? R. "Mutationes Episcoporum "scitote communi utilitate atque necessitate fieri licere, sed non propriâ cujusquam voluntate aut dominatione. Petrus sanctus Magister noster & Princeps "Apostolorum de Antiochia utilitatis "causâ translatus est Romam, ut ibidem potiùs proficere posset. Alia etenim est causa utilitatis & necessitatis, "alia avaritiæ ac præsumptionis aut propriæ voluntatis." *Can. mutationes. 34 caus. 7 q. 1.* "Non ergo mutat sedem, "qui non mutat mentem, id est, qui "non causâ avaritiæ, aut dominationis, "aut propriæ voluntatis vel suæ delectationis migrat de civitate ad civitatem, "sed causâ utilitatis vel necessitatis mutatur; nam plurimorum utilitas unius "utilitati aut voluntati præferenda est." *Can. scias frater. 35. ibid.*

Quæres *undecimo.* An cui data facultas transeundi ad Ecclesiam majorem, eâdem facultate ad minorem vel parem transire valeat? R. Quòd ad dignitatem possit transire majorem, ad parem tamen, multò minùs minorem transire non licet: cùm in majori dignitate propter majorem utilitatem faciliùs soleat dispensari. *Cap. fin. de translat. Episcop.*

Quæres *duodecimo.* Quos fructus Episcopus translatus secum transferre potest? R. *1mo.* Fructus jam perceptos secum deferre potest; quia reditus vel fructus beneficiorum ob ministerium, quod in Ecclesiarum exhibetur regimine, dantur beneficiatis. *Cap. cum secundùm. 16. de præbend.* Ideoque translatus Episcopus bona mobilia in priori Ecclesia acquisita vel fructibus comparata licitè sibi retinet, dummodò hæc priori Ecclesiæ nondum donâsset: quia si talia bona semel Ecclesiæ donâsset, in Ecclesiæ dominio remanebunt, nec ab Episcopo translato ampliùs aufferri poterunt. *Can. indignè. 21. caus. 12. q. 2.*

2do. Fructus pendentes & nondum exactos Episcopus translatus tempore translationis pro rata temporis petere non potest, quia usufructuarius solùm fru-

fructus ante mortem collectos non verò pendentes accipit. *L. si fructuarius. ff. quibus modis ususfruct. amitt. §. Is verò. 36. instit. de rerum division.* Beneficiatus autem est usufructuarius, & Episcopus translatus per translationem priori civiliter moritur Ecclesiæ: ergo fructus pendentes & nondum percepti ad Ecclesiam vel Successorem in Episcopatu pertinent, ùt etiam in particulari Bulla Julius III. ordinavit, quam Urbanus VIII. innovavit.

TITULUS SEPTIMUS.

DE

AUTHORITATE ET USU PALLII.

IN Superioribus dictum est, quòd Episcopi per consecrationem tam quoad ea, quæ jurisdictionis, quàm quæ sunt Ordinis, accipiant plenitudinem potestatis, attamen Patriarchæ, Archiepiscopi, & quidam Episcopi non habent plenissimam, nisi pallium receperint, officii & dignitatis administrationem. De quo

Quæres *primo.* Quid est pallium? R. Est ornamentum quoddam de Corpore S. Petri sumptum, Pontificalis Officii conferens aut designans plenitudinem. *Cap. nisi specialis. 3. de authoritate & usu pallii. Dicitur 1mo. Ornamentum*, quod Romæ conficitur à Monialibus turris speculi ex lana de agnis albis ab istis Monialibus enutritis, & ante Dominicam in Albis ad circumeundum Altare Divi Petri missis. Figura est Stola alba, circularis & rotunda, in pectore dependens, habens quatuor nigras cruces: unam in pectore, alteram in tergo, 3tiam in dextro, 4tam in sinistro humero. Dicitur *pallium*: quia aliis ornamentis & paramentis superimponitur. *Dicitur 2do: De Corpore Sancti Petri sumptum.* Vel quia super Altare sancti Petri est benedictum, vel quia à Sede Romana mediatè vel immediatè obtinetur. Dicitur *3tio: Pontificalis Officii conferens aut designans plenitudinem, juxta cap. 3. & 4. de authorit. & usu pallii*: quia ante obtentum pallium Patriarchæ & Archiepiscopi ea, quæ sunt muneris Archiepiscopalis, exercere nequeunt. Mystica hujus ornamenti significatio est: *1mo.* Est de vellere ovium, ut Pontifices se Pastores ovium esse intelligant. *2do.* Eo circa humeros circumcinguntur, ut circumspiciant, ne quæ erret ovis, errantémque in humeris ad caulam Domini reportent. *3tio.* Est insignitum quatuor crucibus nigris, ut Pontifices habeant præ oculis illud Apostoli: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Cruces enim vitiorum indicant mortificationem, quæ in Prælato esse debet: & quia quatuor sunt ani-

mi passiones, quatuor cruces intexuntur.

Quæres *secundo*. Quis confert pallium? R. Solus summus Pontifex, *juxta cap. significâsti. 4. de elect.* vel mediatè vel immediatè pallium concedit, quod additur: quia antiquitùs quatuor Patriarchæ principales, Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Hierosolymitanus, postquam à summo Pontifice præstito fidelitatis & obedientiæ juramento pallium recepissent, subjectis Archiepiscopis, recipiendo ab eis nomine Romanæ Ecclesiæ obedientiæ juramentum, illud conferre poterant. Cujus ratio est: quia omnis potestas Pontificalis juxta hierarchicum à Christo institutum ordinem à supremo Capite in alios Prælatos derivatur.

Quæres *tertio*. Quâ formâ petitur & confertur pallium? R. *1mo*. Petitur hoc modo: Ego N. electus Ecclesiæ N. instanter, instantiùs, instantissimè peto mihi tradi & assignari pallium de corpore sancti Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii. *2do*. Post consecrationem hâc formâ traditur: Ad honorem DEI Omnipotentis, & B.M.V. & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & Domini Papæ & Ecclesiæ Romanæ, & Ecclesiæ talis tibi commissæ tradimus tibi pallium de corpore B. Petri desumptum, in plenitudinem Pontificalis dignitatis, ut utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis Ecclesiæ tuæ concessis à Romana Ecclesia.

Quæres *quarto*. Intra quod tempus pallium petendum? R. Intra tres menses à die consecrationis, aut si jam consecratus à die confirmationis per se vel per alium ad hoc speciale mandatum habentem peti debet: "Quisquis autem Metropolitanus ultra tres menses consecrationis suæ ad fidem suam exponendam "palliúmque suscipiendum ad Apostolicam Sedem non miserit, commissâ "sibi careat dignitate, sitque Metropolitanis aliis licentia post 2dam & 3tiam "commonitionem viduatis Ecclesiis "cum consilio Rom. Pontificis, ordinando Episcopos subvenire." *Can. quoniam. 1. dist. 100*. Nullo quoque objecto crimine vel defectu retardatur pallii traditio, nisi objiciens corporali juramento contestetur, se id malitiosè non agere, sed objecta vera esse se credere, ac promptam de objectis offerat facere fidem, & nihilominùs ad pœnam talionis, si in probatione deficiat, sese obliget. *Extrav. unic. de authorit. & usu pallii. inter com.*

Quæres *quinto*. Quam potestatem Archiepiscopus per pallium accipit? R. *1mo*. Post impetratum pallium vocatur Archiepiscopus, cùm anteà solùm nuncupetur Metropolitanus. *Cap. quod sicut. 28. de election. cap. nisi specialis. 3. de authorit. & usu pallii. 2do*. Post collatum pallium potest Concilium convocare, conficere Chrysma, dedicare Basilicas, ordinare Clericos, & Episcopos consecrare, *cit. cap. quod sicut.* & cætera exercere, quæ sine Missæ Sacrificio non fiunt. Potest tamen antè Episcopis concedere facultatem, ut Suffraganeum suum consecrent, Ecclesias dedicent &c. & ipsemet alia facere, quæ Stolâ indutus Pontifex

tifex exercet. *Cap. Suffraganeis. 11. de elect.*

Quæres *sexto.* An Archiepiscopus ante impetratum pallium in aliena Diœcesi requisitus ordinare possit? R. Affirm. Quamvis in propriâ Provinciâ ordinare nequeat, requisitus tamen ab alio Episcopo in ejus Diœcesi omnia Pontificalia exercere potest: tunc enim actus illos non ùt Archiepiscopus, sed ùt simplex Episcopus ab alio Ordinario invitatus exercet.

Quæres *septimo.* Quando & ubi pallio utendum? R. *1mo.* Summus Pontifex in omnibus Missarum Solemniis semper & ubique locorum pallio utitur, quia assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, & totius Ecclesiæ curam gerit. *Can. per principalem. 21. caus. 9. q. 3. cap. ad honorem. 4. de author. & usu pallii.*

2do. Archiepiscopus pallio utitur non tantùm in Ecclesiis Cathedralibus, sed etiam in omnibus aliis suæ Provinciæ intra Missarum Solemnia, non extra, certis & determinatis diebus solemnibus. *Cit. cap. ad honorem. cap. cum sis. 6. & cap. fin. de authorit. & usu pallii. 3tio.* In aliena Diœcesi, & in sua Diœcesi in Missa Defunctorum Archiepiscopo non licet uti pallio. *Arg. cap. ex tuarum. 5. & cap. fin. de authorit. & usu pallii.*

Quæres *octavo.* An consuetudine introduci possit, ut Archiepiscopus extra Provinciam suam pallium portet? R. Neg. Quia talis consuetudo foret contra substantiam, quâ pallium datur, ideoque *in cit. cap. ex tuarum.* talis consuetudo corruptela appellatur, per privilegium tamen concedi potest, ut quando Archiepiscopus extra suam Provinciam Suffraganeos consecrare, & Clericos ordinare obligatur, de consensu Metropolitani, in cujus Provincia, & Diœcesani, in cujus Diœcesi fit ordinatio, pallio utatur. Est casus expressus *in cit. cap. ex tuarum.*

Quæres *nono.* Qui sunt isti certi dies, quibus Archiepiscopo uti licet pallio? R. Eos enumerat *Glossa in cap. ad honorem. de authorit. & usu pallii. verb. ad honorem.* Nativitas Domini, Festivitates S. Joannis & S. Stephani, in Circumcisione, in Epiphania, in Ramis Palmarum, in Cœna Domini, in Sabbatho sancto, tribus diebus Resurrectionis & Pentecostes, in Festivitate S. Joannis Baptistæ, & omnium Apostolorum, in tribus Festivitatibus B. M. in Commemoratione omnium Sanctorum, in Dedicatione Ecclesiarum, in principalibus Festivitatibus Ecclesiæ Metropolitanæ, in Ordinationibus Clericorum, in Consecrationibus Episcoporum, in die anniversaria suæ consecrationis.

Quæres *decimo.* An Archiepiscopus pallio extra Ecclesiam uti possit? R. Neg. Sed in Ecclesia tantùm, nec si exeat processionaliter extra eam. *Juxta cap. 1. de authorit. & usu pallii.* Sic miles post finitam militiam cum cingulo non ibit, & Proconsul non utitur insigniis suis, priusquam intret Provinciam. *Gloss. in cit. cap. ad honorem. verb. Ecclesiam.*

Quæres *undecimo.* An pallium ad alium transferri possit? R. Neg. Quia pallium est personale privilegium, quod personam inseparabiliter sequitur, cum

illa extinguitur, & sepelitur cum eadem. *Cap. ad hæc. 2. de authorit. & usu pallii.*

Quæres *duodecimo.* An Archiepiscopus translatus ad aliam Ecclesiam Metropolitanam novum pallium petere debeat? R. Affirmat. *Cap. bonæ. 4. de postulat. Prælatorum.* Ratio est: quia priùs pallium datum personæ cum restrictione ad certum locum, ideo si loco renuntiet, etiam usum pallii perdit. *Cap. ad supplicat. 9. de renuntiat.* Ideoque translatus pallium intuitu prioris Ecclesiæ datum secum ferre debet, quamvis eo in secunda Ecclesia uti nequeat, sed novum petere, & mortuus cum utroque pallio debet sepeliri.

TITULUS OCTAVUS.

DE

VITA ET HONESTATE PRÆLATORUM.

VIta triplex est: Naturæ, gratiæ & disciplinæ. In præsenti agitur de vita disciplinæ, sive de modo & ordine, secundùm quem vivere debent Prælati. Nomen autem Prælati largiùs sumptum etiam simplicem curatum comprehendit. *Cap. tua nos. 4. de Cleric. ægrotant.* Strictè sumptum solùm eum, qui contentiosam habet jurisdictionem: in utroque autem magna requiritur vitæ disciplina, quam ad omnium instructionem Discipulos suos Timotheum & Titum erudiendo his complectitur Apostolus. *1. Tim. 3. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, pudicum, hospitalem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, sed domui suæ benè præpositum. Ad Titum. 1. Oportet Episcopum sine crimine esse, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, sanctum, &c.* Hæ qualitates cur, qualiter in Prælatis & animarum Curatoribus requirantur, juxta institutum nostrum in præsenti Titulo paucis perstringemus.

Quæres *primo.* Qualiter Prælatus sine crimine & irreprehensibilis esse debet? R. *1mo.* Sine crimine esse debet, id est, sine notabili defectu & integræ famæ. Non ait Apostolus: "Si quis sine peccato; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur, sed ait: Si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, & cætera hujusmodi. Crimen autem est peccatum grave accusatione & damnatione dignissimum." *Cap. Apostolus. 1. dist. 81.*

2do. Sit irreprehensibilis, ut in omnibus præbeat se ipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate; verbum sanum & irreprehensibile; ut qui ex adverso est, vereatur, nihil

nihil habens dicere de nobis. Tit. 2. "Quia "nihil est, quod alios magis ad pietatem "& Dei cultum assiduè instruat, quàm eo- "rum vita & exemplum, qui se divino mi- "nisterio dedicârunt. Cùm enim à rebus "sæculi in altiorem sublati locum con- "spiciantur, in eos tanquam speculum "reliqui oculos conjiciunt, ex iisque su- "munt, quòd imitentur." *Trid. Sess. 22. de reform. cap. 1.* "Quomodo enim "potest Præses Ecclesiæ aufferre malum "de medio ejus, qui in delicto simili "corruerit? Aut quâ libertate corripere "peccantem potest, cùm tacitus sibi ipse "respondeat, eadem admisisse, quæ "corripit." *Can. fin. dist. 25.* "Unde "nemo rectè monitoris personam susci- "pit, nisi qui actibus suis errata con- "demnat, & amorem innocentiæ con- "versatione demonstrat." *can. 2. dist. 81.*

Quæres *secundo*, Quare non superbus? R. "Quia boni Rectores ex sua infirmi- "tate aliorum infirmitates pensantes, "magis per lenitatis & mansuetudinis "levamentum studeant peccantes ab er- "roris laqueo eruere, quàm per auste- "ritatem in foveam perditionis nutantes "propellere. Unde Doctor Gentium: "factus sum, inquit, infirmus infirmis." *Can. recedite. 16. dist. 45.* "Sed hi, qui, "quæ sua sunt, quærunt, non quæ JEsu "Christi, facilè ab hac lege discernuntur, "& dum dominari magis, quàm consu- "lere subditis quærunt, placet honor, "inflat superbia, & quod provisum est "ad concordiam, tendit ad noxam." *Can. licet. 6. dist. 45.* "Et hoc habet pro- "prium doctrina arrogantium, ut hu- "militer nesciant inferre, quod docent, "& recta, quæ sapiunt, rectè ministrare "non possint." *Can. 1. dist. 46.*

Quæres *tertio*, Quare non vinolentus? R. Vinolentus dicitur, qui non semel, sed frequenter vino repletur: Et talis non debet esse Prælatus, quia vinolen- tum Sacerdotem & Apostolus damnat, & vetus Lex prohibet. "Sacerdotes, qui "ministrant in templo Dei, prohibentur "vinum & siceram bibere, ne in crapula "& ebrietate aggraventur corda eo- "rum." *Can. Vinolentum. 5. dist. 35. Luxuriosa enim res vinum, & tumultuosa ebrietas, quicunque his delectatur, non erit sapiens. Prov. 20. v. 1.* Nolite ine- briari vino, in quo est luxuria, quoniam ex frequenti & immoderata vini potione luxuria generatur. *Cap. etsi Christus. 26. de jureiurand.* Ante omnia Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes & nutrix est, *can. fin. dist. 35.* "A crapula & "ebrietate omnes Clerici diligenter ab- "stineant, unde vinum sibi temperent, & "se vino: nec ad bibendum quispiam in- "citetur, cùm ebrietas & mentis inducat "exilium, & libidinis provocet incentivũ. "Unde illum abusum (præcipuè Germa- "norum) decernimus abolendum, quo "in quibusdam partibus ad potus æqua- "les suo modo se obligant potatores, & "ille judicio talium plùs laudatur, qui "plures inebriat, & calices fœcundio- "res exhaurit. Si quis autem super his se "culpabilem exhibuerit, nisi à Superiore "commonitus satisfecerit, ab officio vel "beneficio suspendatur." *Cap. à crapula. 14. de vita & honest. Clericor.* "Gravior "est pœna in *cit. can. fin. dist. 35.* eum, "quem ebrium fuisse constiterit, ut Or-

"do

"do patitur, aut triginta dierum ſpatio "à Communione ſtatuimus ſubmoven- "dum, aut corporali ſubdendum ſup- "plicio."

Quæres *quarto*. Quare Prælatus debet eſſe ſobrius? R. Quia Eccleſiæ Principes, qui deliciis affluunt, & inter epulas atque delicias pudicitiam ſervare ſe credunt, Propheticus Sermo deſcribit, quòd ejiciendi ſint de ſpatioſis domibus, lautisque conviviis, & multo labore epulis conquiſitis, & ejiciendi propter malas cogitationes & opera ſua, & ſi vis ſcire, quo ejiciendi ſunt, Evangelium lege: *In tenebras ſcilicet exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium.* Annon confuſio & ignominia eſt JEſum Crucifixum, Magiſtrum pauperum & eſurientem fartis prædicare corporibus? *Can. Eccleſiæ. 4. diſt. 35. Concil. Trid. Seſſ. 25. de reform. cap. 1.* monet Epiſcopos, ut modeſto ſuppellectili & mensâ, ac frugali victu contenti ſint; at in reliquo vitæ genere ac tota domo caveant, ne quid appareat, quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ ſe ferat. *In can. pro reverentia. 11. diſt. 44.* ſine ulla exceptione dicitur: "In omni Sa- "cerdotali convivio lectio Divinarum "Scripturarum miſceatur; per hoc enim "& animæ ædificantur ad bonum, & "fabulæ non neceſſariæ prohibentur." S. Pater Auguſtinus converſus eſt ex lectione Apoſtoli *ad Rom. 13. Non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, ſed induimini Dominum noſtrum JESUM Chriſtum.* Concludimus hanc quæſtionem verbis *Concilii Trident. Seſſ. 2. cap. unico.* "Quo- "niam oportet Epiſcopos eſſe irrepre- "hentibiles, ſobrios, caſtos, domui "ſuæ benè præpoſitos, debet quilibet "ante omnia in menſa ſervare ſobrieta- "tem moderationemque ciborum, dein- "de cùm in eo loco ſæpè otioſi ſermones "oriri ſoleant, in ipſorum Epiſcoporum "menſis Divinarum Scripturarum lectio "admiſceatur.

Quæres *quinto*. Quare Prælatus non debet eſſe iracundus? R. Ira eſt perturbatio concitati animi. *Can. productior. 7. de pœnit. diſt. 3.* Iracundia eſt habitus vel inclinatio ad iram. "Prohibetur in Præ- "latis iracundia, quia dum juſtò am- "pliùs iraſcimur, & volumus alienum "coercere peccatum, graviora peccata "committimus: ideo Apoſtolus ait: non "vos ipſos vindicantes Chariſſimi, ſed "date locum iræ, hoc eſt, declinemus "eam, ne nos illa corripiat." *Can. ira. 68. cauſ. 11. q. 3.* "Ideo illa Præpoſito- "rum ſollicitudo utilis, illa eſt cautela "laudabilis, in qua totum ratio agit, & "furor nihil ſibi vindicat. Reſtringenda "ſub ratione poteſtas eſt, nec quidquam "agendum priùs, quàm concitata ad "tranquillitatem mens redeat; nam com- "motionis tempore juſtum omne putat, "quod fecerit." *Can. illa. 67. cauſ. 11. q. 3.*

Quæres *ſexto*. Quare non percuſſor? R. Quia Paſtores facti ſunt Epiſcopi, non percuſſores, & egregius Prædicator ait: *Argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina:* "Nova verò & inau- "dita eſt iſta prædicatio, quæ verberi- "bus exigit fidem." *Can. quid autem: 1. diſt. 45.*

dist. 45. "Et quamvis accidant, quæ sunt "reprehendenda, plus tamen erga cor- "rigendos agat benevolentia, quàm "severitas, plus cohortatio, quàm com- "minatio, plus charitas, quàm potestas, "cùm nemo nostrûm sine reprehensione "aut sine peccato vivat." *Can. licet. 4. dist. 45.*

Quæres *septimo.* Quare non litigiosus? R. "Quia litigiosi vel adulationibus ani- "mos Principum sibi conciliant, vel fra- "tribus suis detrahendo infamiæ notam "ingerunt, vel inter fratres discordiam "seminando seditionem nunquam facere "cessant, quæ omnia in Prælatis dam- "nabilia esse probantur." *Gratian. post Can. 1 mam. dist. 46.*

Quæres *octavo.* Quare non cupidus? R. "Quia Virum Catholicum & præci- "puè Domini Sacerdotem, sicut nullo "errore implicari, ita nullâ oportet cu- "piditate violari, dicente S. Scripturâ: *Post "concupiscentias tuas non eas.* Mens enim "potentiæ avida nec abstinere novit à ve- "titis, nec gaudere concessis, nec pie- "tati adhibere consensum." *Can. Virum. 6. dist. 47.* "Præterea bonorum Autho- "ri inhærere aliter non valemus, nisi "cupiditatem à nobis, quæ omnium "malorum radix est, abscindamus." *Can. bonorum. 7. ibid.*

Quæres *nono.* Quare hospitalis & be- nignus? R. *1mo.* Hospitalem Sacerdo- tem esse oportet, ne sit in numero eorum, quibus in judicio dicetur: *Hospes eram, & non suscepistis me.* Qui enim Apostolum secutus, alios ad hospitalitatem debet invitare: quomodo hospitalitatis exhor- tator poterit esse, qui domum propriam hospitibus claudit? Si enim Sacerdos primùm à se ipso, & à domestica Eccle- sia sua debet exigere, quæ postea popu- lis imperet, si primò imitando Christum ipse debet facere, quæ postea populum doceat, necesse est, ut pauperes hospi- tio recipiat, quod ad hospitalitatem faci- liùs suo exemplo subditos attrahat. *Gra- tian. in summ. dist. 42.*

2do. "Sunt nonnulli ita districti, ut "omnem etiam mansuetudinem beni- "gnitatis amittant: & sunt nonnulli "ita mansueti, ut perdant districti jura "regiminis; unde cunctis Rectoribus "utraque summoperè sunt tenenda, ut "nec in disciplinæ vigore benignitatem "mansuetudinis, nec rursùm mansue- "tudine districtionem deserant discipli- "næ: quatenùs nec à compassione pie- "tatis obdurescant, cùm contumaces "corrigunt, nec disciplinæ vigorem mol- "liant, cùm infirmiorum animos con- "solantur. Regat ergo disciplinæ vigor "mansuetudinem, & mansuetudo ornet "vigorem, & sic alterum commendetur "ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec "mansuetudo dissoluta." *Can. sunt nam- que. 14. dist. 45.* "Sit itaque amor, sed "non emolliens, sit rigor, sed non exaspe- "rans, sit zelus, sed non immoderatè "sæviens, sit pietas, sed non plùs, quàm "expediat, parcens." *Can. disciplina. 9. dist. 45.*

Quæres *decimo.* Quare prudens? R. Quia talis hoc tempore in regiminis de- bet arce constitui, qui non solùm de sa- lute animarum, verùm etiam de extrin- seca utilitate ex cautela sciat esse sollicitus. *Can. Petrus. unic. dist. 39.* Doctrina sine

vita Clericum arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit. *Concil. Aquisgran. de Anno 816. can. 2.*

Quæres *undecimo.* Quare pudicus? ℟. *Trid. Sess. 25. de reform. cap. 14.* obtestatur: "Quàm turpe, & Clericorum no-"mine, qui se Divino cultui addixe-"runt, sit indignum, in impudicitiæ "sordibus immundoque concubinatu "versari, satis res ipsa communi omnium "Fidelium offensione, summoque Cle-"ricalis militiæ dedecore testatur. Ut "igitur ad eam, quam decet, continen-"tiam ac vitæ integritatem Ministri Ec-"clesiæ revocentur, populusque hinc "eos magis discat revereri, quò illos vi-"tâ honestiores cognoverit, prohibet "sancta Synodus quibuscunque Clericis, "ne concubinas aut alias mulieres, de "quibus possit haberi suspicio, in domo, "vel extra detinere, aut cum iis ullam "consuetudinem habere audeant. *Sess.* "*24. de reform. cap. 12.* monet, ut ab "illicitis venationibus, aucupiis, choreis, "tabernis, lusibusque abstineant, atque "eâ morum integritate polleant, ut me-"ritò Ecclesiæ Senatus dici possit. Quan-"tò magis hæc observanda Prælatis, qui "mores suos omnes ita componere de-"bent, ut reliqui ab eis frugalitatis, mo-"destiæ, continentiæ, ac, quæ nos "tantoperè commendat Deo, sanctæ "humilitatis exempla petere possint. "*Trid. Sess. 25. de reform. cap. 1.* Hospi-"tiolum tuum, inquit S. Hieron. rela-"tus in *can. Hospitiolum. 17. dist. 32.* aut "rarò aut nunquam mulierum pedes te-"rant; quia non potest toto corde cum "Deo habitare, qui fœminarum acces-"sibus copulatur, fœmina conscientiam "secum pariter habitantis exurit. Nun-"quam de formis mulierum dispu-"tes, &c."

Quæres *duodecimo.* Qualiter Prælatus suæ domui debet esse benè præpositus? ℟. Familiares suos quisque Prælatus instruat & erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemi & voluptatum amatores, vitia demùm fugiant, & virtutes amplectantur, & in vestitu & cultu & omnibus actibus honestatem præ se ferant, sicut decet ministros ministrorum DEI. *Trid. Sess. 2. cap. unico.*

Quæres *ultimo.* Quare Prælatus omnibus debet ornatus esse virtutibus? ℟. Quia Prælati, cùm pro ovibus suis sint Suffragatores ad DEUM, necessarium est, ut omni virtutum genere ejus gratiam habere nitantur, quia cùm is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. *Gratian. in summ. dist. 49. can. in gravibus. 5. caus. 3. q. 7.* Coronidis loco observa verba S. Chrysostomi relata in *can. multi Sacerdotes. 12. dist. 40.* "Multi Sacerdotes & "pauci Sacerdotes, multi nomine, & "pauci opere. Videte ergo, quomodo "sedetis super Cathedram, quia non Ca-"thedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos "Cathedram, non locus sanctificat ho-"minem, sed homo locum, non omnis "Sacerdos Sanctus, sed omnis Sanctus "Sacerdos. Qui benè sederit super Ca-"thedram, honorem accipit ab illa, qui "malè sederit, injuriam facit Cathedræ, "ideoque malus Sacerdos de Sacerdotio "suo crimen acquirit, non dignitatem. "In judicio enim sedens, siquidem benè

"vixe

"vixeris, & benè docueris, omnium "Judex es: si autem benè docueris, & "malè vixeris, tui solius condemnator "eris. Nam benè vivendo & benè docendo populum instruis, quomodo "debeat vivere: benè autem docendo "& malè vivendo DEUM instruis, quomodo te debeat condemnare."

TITULUS NONUS.

DE *RENUNTIATIONE.*

QUia ea, ut ad hunc Titulum in rubri: ait Abbas, quæ per postulationem, electionem, & translationem acquiruntur, sæpè per renuntiationem perduntur, ideo ponitur hæc materia, quam in duos Paragraphos divisam more Institutionum paucis attingemus. §. 1mo de Renuntiatione in communi. §. 2. de Renuntiatione in specie tractaturi.

§. Primus.

DE *Renuntiatione in communi.*

QUæres *primo.* Quid est renuntiatio? R. Renuntiatio genericè sumpta est juris proprii abdicatio vel spontanea cessio. Specificè sumpta est: Dignitatis, beneficii vel officii obtenti vel juris, quod in eo quis habet, spontanea, libera & legitima à Superiore admissa dimissio.

Dicitur *1mo. Dignitatis, beneficii, vel officii obtenti, vel juris, quod quis in eo habet:* quia ad propriam renuntiationem requiritur, ut renuntians jus in re habeat, jus enim ad rem cedi potest, non propriè renuntiari, ideo cessio Literarum Apostolicarum vel precum Imperialium ad beneficium, item cessio juris ad rem competentis per electionem, præsentationem, nominationem, &c. vel cessio beneficii litigiosi impropria renuntiatio est, nec actionem requirit Superioris.

2do. Spontanea, libera. Quia vi, metu vel dolo injustè extorta, si non ipso facto irrita, ùt aliqui volunt, saltem ad instantiam injuriam passi est irritanda. *cap. super hoc, 5. de renuntiat.*

3tio. Legitima, ut excludatur renuntiatio à jure reprobata, ùt beneficii alieni, quod renuntians nunquam habuit, vel jam non habet, *cap. dilecto. 25. de præbend.* Vel facta sine legitima causa. *cit. cap. super hoc.* Vel cui pactio aut labes simoniæ intervenit. *cap. fin. de pactis.*

4to. A Superiore admissa. Quia de substantia renuntiationis est, ut à Superiore admittatur. *cap. admonet, 4. de renuntiat.*

5to. Dimissio. Quo nomine quicunque actus, per quem quis proprium jus à se abdicat, intelligitur.

Quæres *secundo.* Quotuplex renuntiatio ? R. *1mo.* Renuntiatio dividitur *1mo* in expressam, & tacitam ipso jure, & tacitam ex præsumptione. *Expressa* est, quæ verbo vel scripto exprimitur. *Tacita ipso jure* est exercitium actûs, qui ex lege privationem beneficii inducit. Exempla sunt: *1mo.* Qui æceptat secundum beneficium incompatibile cum priori, secuetâ secundi possessione, censetur primò renuntiare. *cap. de multa. 28. de prabend.*

2do. Beneficiatus in minoribus constitutus contrahens matrimonium eo ipso beneficio renuntiat. *cap. si qui. 1. cap. quod ad te. 3. de Cleric. conjug.*

3tio. Beneficiatus faciens professionem in religione beneficiorum incapace cedit beneficio. *Cap. beneficium. 4. de Regul. in 6.*

4to. Si Beneficiatus fit miles sæcularis. *Gloss. in cap. fin. de Cleric. non resident. verb. redierit.* Potiùs tamen dicendum est, quòd tales Beneficiati non priventur beneficio vi alicujus renuntiationis, sed vi legis ac juris dispositione.

Renuntiatio tacita ex præsumptione juris est, quæ non verbis, sed actu ad renuntiandum apto à jure inducitur. Exempla sunt: *1mo.* Clericus, qui bona, quæ Ecclesiæ suæ donavit, repetit, eam propterea dimittere velle præsumitur. *cap. ex transmissa. 3. de renuntiat.*

2do. Litigans super quadam Præpositura collitiganti reverentiam, quæ Præposito exhiberi debet, exhibendo juri suo renuntiâsse videtur. *cap. ex ore. 3. de his, quæ fiunt à major. part. Capituli.*

3tio. Tradens literas exspectativas Apostolicas suo Ordinario, beneficio renuntiâsse censetur. *cap. sanè. 7. de renunt. junct. gloss. verb. reddens.* Hæc tamen præsumptio per contrariam protestationem elidi potest, ut si beneficiatus dicat: se non intendere per talem actum beneficium dimittere.

2do. Renuntiatio expressa dividitur in puram sive simplicem, & in conditionatam. Pura & simplex est, quæ fit in manibus Superioris nullâ adjectâ pactione, vel conditione, vel modo. *cap. fin. de pactis. cap. tua nos. 34. de simonia.*

Renuntiatio conditionata est: quæ sub conditione, pacto vel modo celebratur. *can. ordinationes. 113. cauf. 1. q. 1. junct. gloss. in cap. cum pridem. 4. de pactis.*

3tio. Conditionata dividitur in eam, quæ fit causâ permutationis inter resignantes in favorem tertii, & quæ fit cum reservatione fructuum, pensionis, regressûs, &c.

Quæres *tertio.* Quæ beneficia renuntiari possunt ? R. Renuntiari omnia beneficia possunt. *cap. admonet. 4. cap. in præsentia. 6. cap. nisi cum pridem. 10. de renuntiat.* Imò summus Pontifex summum Pontificatum dimittere, eique renuntiare potest, ut Cœlestinus V. & decreto sancivit, & exemplo demonstravit, ut refert ejusdem Successor Bonifacius VIII. *in cap. 1. de renuntiat. in 6.* ubi Glossa plures Pontifices, qui Pontificatui resignârunt, enumerat. A regula hac generali unica fit *exceptio.* Renuntiari non potest beneficium, ad cujus titulum quis ad sacros Ordines promotus est, & talis renuntiatio nulla est, nisi in illa exprimatur imprimis, quòd ad tale benecium resignans sit ordinatus, deinde

quòd

quòd eidem de congrua sustentatione aliunde provisum sit, ut decrevit *Trident. Sess. 21. de reform. cap. 2.* De beneficiis, quæ in favorem alterius renuntiari non possunt, §. sequenti dicetur.

Quæres *quarto*. Quis resignare potest? R. Quivis Beneficiatus rationis compos. Excipe sequentes: *1mo*. Clericus in Ordine sacro constitutus, si non habeat, unde sustentetur, beneficium renuntiare non potest, etsi ad illud ordinatus non sit, ex Constitutione S. Pii V. quæ incipit: *Quanta Ecclesiæ.*

2do. Beneficiatus minor 14. annis, si ex dispensatione beneficium obtineat, illud sine authoritate Tutoris renuntiare non potest, cùm pupillus sine authoritate Tutoris nihil agere vel alienare possit. *cap. fin. de judiciis, in 6.* Major 14. annis licet minor 25. renuntiare potest. *Gloss. in cap. ex parte, 14. de restitut. spoliator. Verb. Quamvis.*

3tio. Beneficiatus in aliqua Religione Novitius rempore Novitiatûs renuntiare non potest, & renuntiatio facta ante duos ultimos menses anni probationis vel intra hos facta, si non sequatur professio, est nulla ex dispositione *Trident. Sess. 25. de regular. cap. 16.*

4to. Beneficiatus, qui ultra 20. dies post renuntiationem non vivit, renuntiare non potuit, sed si resignans intra 20. dies post factam beneficii sui resignationem moriatur, renuntiatio hujusmodi ac collatio beneficii postmodum in vim renuntiationis facta nulla est, ipsumque beneficium per obitum vacare censetur, ex Regula Cancellariæ, quæ solet vocari *Regula de 20.* Vel *Regula de infirmis resignantibus.* Causæ hujus Regulæ sunt: *1mo*. Ne vel Ordinarii suâ collatione, vel exspectantes gratiâ sibi factâ fraudentur. *2do*. Ne beneficia fiant hæreditaria, vel de illis, quasi per viam ultimæ voluntatis, disponatur. *3tio*. Ne ab homine ob instantem mortem turbato quævis personæ obtrudantur. *4to*. Ne detur occasio captandi mortem resignantis; & ideo multi Regulam hanc, cùm secundùm jus commune ad communem utilitatem pro servandis Ordinariorum juribus instituta sit, favorabilem esse volunt, cùm econtrà alii esse odiosam contendant, eò quòd in odium resignantium & resignatariorum sit introducta. Porrò Regula hæc quæcunque beneficia afficit, sive in Curia coram summo Pontifice, sive extra Curiam coram Ordinariis resignentur, & numerandi sunt dies à momento, quo præstitus à Superiore consensus, usque ad momentum, quo resignans exspiravit; quamvis enim in annis legalibus computandis, si materia favorabilis, annus inceptus habeatur pro completo, attamen si à lege fiat computatio, dies sumitur de momento in momentum. Qui resignationem infirmare vult, resignantem intra 20. dies obiisse probare debet, quod si probatum, beneficium per obitum vacat, quasi nunquam fuisset resignatum, & consequenter non est Papæ reservatum, ut tenet probabilior Canonistarum sententia.

Quæres *quinto*. Quibus beneficia renuntiari possunt? R. Non possunt renuntiari nisi dignis. *cap. cum in cunctis. 7. de election.* & iis, qui qualitates à jure, sta-

tuto vel consuetudine requisitas habent, nec juvat, si postmodum superveniat idoneitas, tunc enim novus consensus resignantis, & nova Superioris provisio requiritur. Difficultas est, an in resignatione vel permutatione beneficii curam animarum habentis resignans in favorem digniori resignare teneatur? plures obligationem gravem præferendi digniorem sustinent, dicentes: peccatum esse mortale, si beneficium curatum minùs digno notabiliter resignetur, dum adest vel haberi potest dignior notabiliter. Barbos. tamen *de offic. Paroch. cap. 2. n. 101.* dicit satis esse, si resignans in dignum transferat beneficium; hanc dat rationem: quia dimittit, quod suum est: quod si retineret, non obligaretur plus facere, quàm mediocriter idoneus, ergo substituendo talem satisfacit. Aliud est in Superiore, qui ex officio est beneficiorum distributor, ideoque ex justitia tam distributiva quàm commutativa est obligatus præferre digniorem.

Quæres *sexto*, Quæ forma resignationis? ℟. *1mo.* Facienda est resignatio sive ab ipso Clerico beneficiato, vel in scriptis ab ejus procuratore. *2do.* Coram legitimo Superiore. *3tio.* Ex causa legitima. *4to.* Superior juxta Constitutionem Greg. XIII. quæ incipit: *Humano vix judicio.* Intra mensem resignationem vel admittere vel rejicere debet, alioquin beneficii provisio ad Sedem Apostolicam spectat. *5to.* Ex eadem Constitutione renuntiationes factæ in Ecclesiis, in quibus beneficium resignatum, & in Ecclesiâ Cathedrali intra certum tempus sunt publicandæ.

Quæres *septimo*, Coram quo Superiore facienda resignatio? ℟. *1mo.* Necessariò in manibus Superioris fieri debet. *cap. admonet. 4. de renuntiat.* Beneficiatus enim sese Ecclesiæ obligavit, à qua obligatione non nisi à Superiore absolvi potest, & quamvis Episcopus criminosus vel simoniacus sit, absque licentia tamen Superioris Episcopatum dimittere nequit. *cap. nisi cum pridem. 10. de renuntiat.* Multò minùs si Beneficiatus ob crimen solùm beneficio privandus sit, vel si ipso jure privatus, exspectanda sententia criminis declaratoria, per quam titulus coloratus tollitur ac possessio. Si quis aliud beneficium incompatibile obtinuit, nihilominùs prius cum authoritate Superioris dimittere debet, alioquin ad primum revocari potest. *Extrav. execrabilis. de præbend.* Et si transeat ad aliam Diœcesin, expressus requiritur consensus; si maneat in eadem, tacitus sufficit; si in Religione professurus sit, satis est, quòd professio Superiori insinuetur; nam illi jus dimittendi beneficium facit potestatem. *cap. licet. 18. de regular.* Dummodò non sit Episcopus, potest quis inire matrimonium, vel suscipere militiam, & sic non petitâ Superioris licentiâ tacitè beneficio renuntiare. Generaliter quodlibet beneficium simplex personalem residentiam non requirens requisito, licèt invito Superiore dimitti potest; principaliter enim est ob beneficiati utilitatem.

2do. Per Superiorem intelligitur ille, qui Ordinariam beneficiatum à beneficio removendi habet potestatem; ideo cùm ad eundem jure communi in- & desti-

destitutio pertineat, instituens jure ordinario resignationem acceptare potest; secùs est, si ad aliquem ex solo privilegio vel consuetudine pertineat institutio.

3tio. Renuntiatio coram Laico quantumvis beneficii Patrono fieri nequit. *Cap. quod in dubiis. 8. de renuntiat.*

4to. Solus Papa resignationes Episcopatuum & his majorum dignitatum recipit. Item Abbatiarum exemptarum, & primæ post Episcopatum dignitatis per regulam 3tiam Cancellariæ est Pontifici reservata resignatio.

5to. Episcopus resignationes puras omnium beneficiorum in sua Diœcesi etiam Papæ reservatorum, patronatorum, vel electivorum admittit. Sic Episcopus in omni mense renuntiationes admittere, & non obstantibus concordatis beneficia resignata, quæ aliàs suæ collationis sunt, conferre potest.

6to. Vicarius Generalis Episcopi sine speciali mandato hanc potestatem exprimente resignationes recipere nequit.

7mo. Capitulum sede vacante resignationes puras beneficiorum, sive ad collationem Episcopi, sive alterius Patroni spectantium recipiendi habet facultatem; Capitulum enim Episcopo in omnibus, quæ jurisdictionis ordinariæ saltem necessariæ sunt, nisi expressè excipiantur, succedere noscitur, in jure autem renuntiationis receptio ordinariæ ac necessariæ jurisdictionis est, eò quòd ex causa recipi debeat renuntiatio.

Quæres *octavo*, Quæ legitima renuntiationis causa? R. *1mo.* Generaliter censentur duæ justæ causæ, nempe utilitas Ecclesiæ, & salus propria Beneficiati. *Cap. quidam. 12. de renuntiat.*

2do. Causæ, ob quas Episcopatus renuntiari possit, sunt sex expressæ *in cap. nisi cum pridem. 10. de renuntiat.* quæ his versibus comprehenduntur:

Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

3tio. Resignationes coram summo Pontifice fiunt sine causa in favorem resignantium vel resignatariorum; coram Ordinario sub pœna nullitatis in Constitutione S. Pii V. quæ incipit: *Quanta Ecclesiæ.* Requiruntur certæ causæ præter suprà *in cap. nisi cum pridem expressas.* Si Beneficiatus plura beneficia habeat, quorum unum ad sustentationem sufficiat, si Religionem ingrediatur, matrimonium contrahat, militiam sequatur, &c. Ubi Bulla S. Pii V. recepta, ad valorem renuntiationis requiritur, ut una ex his causis subsistat.

Quæres *nono.* Quomodo potest fieri resignatio per Procuratorem? R. *1mo.* Procurator ad resignandum vel Clericus vel Laicus esse potest. *Clement. unic. de renunt. junctâ Gloss. verb. Procuratorem.* Quin & Religiosus de licentia sui Superioris, quam nonnisi ad utilitatem monasterii dare debet, *can. Monachi. 35. caus. 16. q. 1. cap. ex parte. 2. de postuland.* Plures etiam Procuratores vel in solidum, vel ut simul renuntient, constitui possunt, imò idem & resignantis & resignatarii potest esse Procurator.

2do. Ad legitimam Procuratoris constitutionem hæc requiruntur: *1mo.* Liberè & spontaneè constitutus esse debet,

cit.

cit. Clement. unic. 2*do.* Speciale in eo exigitur mandatum cum nomine & cognomine tam Procuratoris, quàm resignantis, & specificatione beneficii resignandi. 3*tio.* Mandatum in scriptis habere, & quidem si in Curia Romana renuntiatio est facienda, instrumentum publicum esse debet. 4*to.* Productio instrumenti procuratorii ultra quadriennium haud differenda est. 5*to.* Procurator formam mandati servare tenetur, & si fines illius excedat, ut si mandatum sub pensione resignare, & ille resignet purè, renuntiatio est nulla. *cap. cum dilecta. 22. de rescript.*

4*to.* Mortuo mandante, quamvis Procurator hoc ignoret, mandatum cessat, si res adhuc integra, quia cùm beneficium jam per mortem vacet, per resignationem vacare nequit. *Clement. fin. de Procurator.* Res autem non ampliùs integra est, si supplica præsentata, signata, & dotata, quia regulariter Procurator negotia ante mortem Principalis inchoata post mortem Domini perficere potest.

5*to.* Procurator vel expressè vel tacitè per alterius Procuratoris constitutionem revocari potest. *cap. non injustè. 14. de Procurator.* Valétque revocatio etiam post supplicam signatam facta, revocatio tamen vel Procuratori vel Superiori resignationem admittenti intimata esse debet, nisi hoc malitiosè sit impeditum. *Clem. unic. de renuntiat.*

Quæres *decimo.* Quis effectus renuntiationis? R. 1*mo.* Si absque Superioris legitimi authoritate facta resignatio, Superior resignantem cogere potest, ut in beneficio permaneat, vel legitimè dimittat, aut etiam desertionem ratam habere, sicque beneficium vacans alteri conferre valet, quod si resciat, & intra sex menses in beneficio permanere non jubeat, consentire censetur, & effectum sortitur resignatio.

2*do.* Antequam Superior consentiat, resignans titulum retinet, sed possessionem amittit, & ad hanc sine Superioris authoritate regredi nequit.

3*tio.* Qui renuntiandi licentiam petiit, & obtinuit, ad renuntiandum compelli potest, ne Superiori illusisse videatur. *cap. quidam. 12. de renuntiat.*

4*to.* Resignatione simplici à Superiore admissâ vacat beneficium renuntiatum, ita, ut renuntians jus omne ad illud amittat, nec ad illud regredi valeat. *cap. ex transmissa. 3. cap. in præsentia. 6. de renuntiat.* Episcopus ob crimen renuntians Episcopatui, nec ad renuntiatum nec ad alium Episcopatum etiam per novam electionem vel provisionem resurgere vel promoveri potest; secùs est, si ob aliam causam renuntiaverit. *cap. post translationem. 11. de renuntiat.*

Quæres *undecimo.* An renuntiatio conditionalis sit valida? R. 1*mo.* Renuntiatio sub pacto, modo, vel conditione, quæ de jure non inest, facta, nisi clausula: *Authoritate Apostolicâ, vel sub beneplacito summi Pontificis*, addita fuerit, simoniaca est, & nulla. *cap. cum pridem. 4. cap. fin. de pactis.*

2*do.* Si resignationi conditionali inseratur clausula: *Sub beneplacito summi Pontificis*, simoniaca non est, cùm jus solum velut simoniacam prohibeat pactio-

pactionem firmam in beneficiis. *cap. cum universorum. 8. de rerum permutat.* Ideoque resignans ante consensum summi Pontificis de conditione, vel conditionibus resignationi inserendis tractare non veratur, modò ante obtentum hunc consensum non procedatur ad conditionum executionem.

3tio. Resignatio coram Ordinario facta sub conditione, quæ de jure, vel statuto, vel fundatione ineſt beneficio, ut sub conditione residendi, ad quod vi beneficii beneficiatus obligatur, sub onere solvendi pensionem, si beneficium hoc onere legaliter gravatum vel gravandum sit, nec illicita nec simoniaca est. *cap. significâsti. 4. de election.* Si tamen conditio non ineſt beneficio, quamvis aliundè debita sit, pactio simoniaca est, ùt si resignes tuo debitori beneficium, ut liquidum solvat debitum.

4to. Simoniaca est renuntiatio facta sub conditione, ut renuntianti solvantur expensæ pro beneficio obtinendo in lite, solvendis statutis, expediendis Bullis factæ, quamvis illæ expensæ pro indemnitate resignantis, vel pro commodo, quod ex expensis renuntiantis habet resignatarius, exigi dicantur, quia has expensas resignans à resignatario exigere nequit, cùm resignans expensas propter se fecerit, ut beneficium utile obtineret, & commodum, quod resignatarius consequitur, in renuntiato fundatur beneficio. Aliud esset, si resignans ex bonis patrimonialibus in meliorando beneficio, vel vindicando ex manibus Hæreticorum expensas fecerit; illas enim, cùm ex reditibus beneficii exigere possit, resignatarius ex beneficii reditibus resignanti solvere est obligatus.

5to. Resignatio sub conditione, ut resignatarius expensas pro Bullis solvat, est simoniaca; singuli enim suas solvere debent, & quamvis in resignatione pura sine pensione expensas Bullarum resignatarius solvere consueverit, id tamen in pactum minimè est deducendum.

Quæres *duodecimo.* Quæ conditiones hodie renuntiationibus apponi solitæ? R. Sequentes. *1mo.* Ut beneficium conferatur alicui designato, & dicitur resignatio in favorem. *2do.* Ut resignatarius viciſſim ipsi suum promittat beneficium, & vocatur permutatio. *3tio.* Ut resignanti reserventur omnes, vel aliqui fructus beneficii, & appellatur renuntiatio sub pensione. *4to.* Ut ad beneficium regredi, hoc est: si resignatarius præmoriatur, beneficium resignatum recuperare possit, vel ingredi, hoc est: ut absolutis v. g. studiis propriâ authoritate illud recipere possit, & dicitur

resignatio cum regressu
& accessu.

§. Secundus.

DE

Renuntiatione in ſpecie.

QUæres *primo*. Coram quo fieri poteſt renuntiatio in favorem? R. Coram ſolo ſummo Pontifice, & renuntiatio taliter coram alio inferiore facta illicita eſt & invalida. Imò ſi pactum de non conferendo alteri, quàm deſignato, intervenerit, ſimoniaca eſt; omnis enim pactio in beneficialibus ad ſimoniam vitandam prohibita eſt. Non tamen illicitum de ſe foret reſignanti, ante vel poſt renuntiationem præviam apud ordinarium collatorem interponere petitionem, ut beneficium reſignatum huic vel illi conferat, quamvis ex ſpe hujus reſignet, aliàs non reſignaturus, dummodò omne etiam tacitum pactum excludatur.

Dicitur: De ſe. Quia S. Pius V. in Conſtitutione: *Quanta Eccleſiæ*, ad obviandum omnibus fraudibus prohibuit, ne ullo modo fiat deſignatio Succeſſoris in beneficio reſignato, & ne illud conſanguineis, affinibus vel familiaribus conferatur, quia tamen reſignatio in favorem eſt tantùm ſimoniaca de jure Eccleſiaſtico, hinc ſummus Pontifex in hac diſpenſandi plenam habet poteſtatem.

Quæres *ſecundo*. Quæ beneficia in favorem renuntiari poſſunt? R. Omnia exceptis ſpecialiter prohibitis, ùt ſunt *1mo*. Beneficium, quod eſt juris patronatûs, renuntiari non poteſt in favorem, abſque Patroni conſenſu, ſi tamen Patronus Eccleſiaſticus, ſummus Pontifex in admiſſione renuntiationis juri patronatûs Eccleſiaſtico derogare ſolet, non tamen ſi patronus Laicus, ne Laici à piis fundationibus deterreantur. Addunt Canoniſtæ ſatis eſſe, ut reſignatio effectum obtineat, ſi poſtmodum Patroni accedat conſenſus.

2do. Beneficia electiva abſque conſenſu eligentium in favorem renuntiari non poſſunt, & quidem ſi in Eccleſiæ fiat utilitatem, ſufficit majoris partis conſenſus, ſi in utilitatem reſignatarii, ab omnibus conſenſum præſtari oportet.

3tio. Beneficium alicui dignitati, Collegio vel Eccleſiæ unitum, quia per unionem Eccleſiæ vel Collegio in beneficio unito jus eſt acquiſitum, cui per reſignationem non debet præjudicari.

4to. Beneficium, ſuper quo alteri gratia exſpectativa conceſſa eſt, vel regreſſus reſervatus, niſi illius, cui regreſſus reſervatus, vel exſpectativa indulta accedat conſenſus.

5to. Beneficium litigioſum lite pendente nonniſi in favorem collitigantis reſignari poteſt, aliàs enim in fraudem litigantis fieret reſignatio. *Arg. cap. fin. ut lite pendente.*

6to. Beneficium, quo quis ipſo jure vel per ſententiam Judicis privatus eſt, in favorem renuntiari non poteſt; quamvis

vis enim sententia Judicis declaratoria criminis adhuc requiratur, vel sententia privans beneficio, quæ in rem judicatam transiit, executioni nondum mandata sit, ipse tamen criminosus à commissi criminis momento, & ab instanti, quo sententia in rem judicatam transiit, omne jus amisit, ideoque illud in favorem alterius resignare nequit. Aliud est de eo, qui beneficio per sententiam est privandus, quantumvis crimen notorium, & de facto de crimine accusatus ante sententiam condemnatoriam etiam in favorem renuntiare potest. Ita etiam habens parochiam, quâ privandus esset, eò quòd intra annum ad S. Ordines non sit promotus, eam ultimo anni die in favorem renuntiare potest, quia donec annus finitus, jus in re retinet, quod ipsi invito ante finem anni aufferri nequit. *Cap. commissa. 35. de election. in 6.* Ideoque illud per viam resignationis in alium transferre valet.

7timo. Beneficium in commendam ad tempus datum renuntiari nequit in favorem, quia commendatarius temporalis jus & titulum in beneficio commendato non obtinet, sed sola ei, donec de Rectore provideatur, ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ datur administratio. *cap. nemo. 15. de elect. in 6.*

8vo. Beneficii parochialis renuntiatio de stylo Curiæ Romanæ non admittitur, nisi resignans parochiam, saltem per tres vel quatuor annos eam possederit, ideoque in supplica, qnot annis eam possederit, est exprimendum.

9no. Beneficium manuale in favorem renuntiari potest, modò manualitas in supplica exprimatur, quo casu resignatarius ad nutum inferioris amoveri non potest; inferior enim provisiones à Papa factas infirmare nequit, maximè si Papa ex certa scientia manualitatis contulerit beneficium manuale resignatum.

10mo. Renuntiari in favorem possunt beneficia, quæ in casu vacaturæ ex statuto vel consuetudine ab aliis beneficiatis optari non poterant, & admissâ tali resignatione jus optandi quoad tale cessat beneficium. Ratio est; quia in reservatis Papæ statutum & consuetudo optandi locum non habet, beneficia autem vacantia per resignationem à Papa admissam sunt reservata, quia per resignationis acceptationem Pontifex applicuit manus, & vacant in Curia, ubi resignantur.

Quæres *tertio.* Quos resignatio in favorem habet effectus? R. *1mo.* Beneficium in favorem resignatum non vacat, usque dum resignatio plenum habeat effectum, & resignatarius titulum, & possessionem tituli resignati adeptus sit. Ratio est: quia mens resignantis fuit, jus non abdicare, nisi illud resignatarius obtineret, cui resignantis menti Papa annuit benignè, ergo beneficium non vacat, nisi resignatio & qnoad translationem tituli & quoad translationem possessionis sortiatur effectum. Ex quo practici docent resignantem posse possessionem continuare, & omnia peragere, quasi beneficium resignatum non fuisset, usque dnm resignatarius literas expeditas præsentet, & admitti petat ad possessionem.

2do. Fructus beneficii resignati par-

tim ad resignantem, partim ad resignatarium spectant, secundùm ratam temporis, quo beneficium habuerunt; æquum enim est, ut, qui habet titulum, ac præstat officium, fructibus gaudeat beneficii, quod tamen intellige de fructibus tempore resignationis à solo separatis, licèt nondum exactis vel invectis.

3tio. Resignans in favorem ad onera beneficii tenetur, quamdiu fructus percipit: A capta possessione statim obligatur resignatarius.

Quæres *quarto.* Qualiter resignatio cum reservatione regressûs fieri potest? ℟. *Trident. Sess. 25. de reform. cap. 7* severè regressûs prohibet his formalibus: "Cùm in beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ "hæreditariæ successionis imaginem re-"ferunt, sacris Constitutionibus sint "odiosa, & Patrum decretis contraria, "nemini imposterùm accessus aut re-"gressus, etiam de consensu, ad bene-"ficium Ecclesiasticum cujuscunque "qualitatis concedatur, nec hactenùs "concessi suspendantur, extendantur, "aut transferantur. Hoc decretum in "quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis "ac in quibuscunque personis etiam "Cardinalatûs honore fulgentibus lo-"cum habeat." His conformiter S. Pius V. in Constitutione, quæ incipit: *Romanus Pontifex*, omnes & singulos regressus sub quibuscunque tenoribus & formis à Prædecessoribus concessos revocavit. Attamen quia summus Pontifex Successoribus suis manus ligare non potest, resignationes cum reservatione regressûs adhuc hodie in Curia Romana admittuntur.

Quæres *quinto.* An resignatio cum reservatione pensionis annuæ valida? ℟. Resignatio sub conditione pensionis vel alterius rei temporalis retinendæ est simoniaca. *Gloss. in cap. ex parte. 12. de offic. delegati,* cùm non sit gratuita, sed aliquid contineat, quod rationem pretii habere videtur. *cap. una nos. 34. de simon.* Quia tamen summus Pontifex reditus beneficii dismembrare potest, resignatio coram summo Pontifice cum reservatione pensionis valet, & tunc Pontifex resignatario beneficium resignatum, & resignanti partem fructuum beneficii resignati pro alimentatione assignat. Excipitur unicus casus *in cap. nisi essent. 21. de prabend.* ubi duo Clerici electi coram Judicibus compromissariis litigabant, quis ex illis esset confirmandus, & arbitri unum ex litigantibus confirmârunt, & alteri pro bono pacis de parte proventuum provisionem fecerunt. Tria autem ad hunc casum requiruntur. *1mo.* Ut nulla sit partium conventio. *2do.* Ut arbitri sint bonæ opinionis, viri providi & honesti. *3tio.* Ut beneficium titulum Canonicum habenti, vel ex actis habere app renti adjudicetur. Si hæ conditiones non adsint, non valet uni conferens, vel beneficium adjudicans, & alteri partem proventuum assignans arbitrium. *cap. non sine. 2. de arbitris. cap. fin. de rer. permutat.*

Quæres *sexto.* An resignatio permutationis licita sit? ℟. *1mo.* Reciproca beneficiorum resignatio absque authoritate Superioris illicita est & invalida, ita ut uterque contrahens permutatione rescissâ beneficio sit privandus. *cap. majoribus. 8. de prabend. cap. quæsitum. 5.*

cap.

cap. cum olim. 7. cap. cum universorum. 8. de rerum permutat.

2do. Est tamen permissa, si authoritate Superioris servatâ formâ à jure præscriptâ fiat. *cap. ad quæstiones. 6. de rerum permutat. cap. unic. eod. in 6.*

3tio. Superior ille, qui permutationi authoritatem dare potest, est Papa, vel loci, in quo beneficium situm, proprius Episcopus. *cap. quæsitum. 5. §. si autem. de rer. permutat.* Quòd si beneficia permutanda in diversis sint Diœcesibus, resignatio in utriusque Ordinarii manibus facienda est, vel quilibet permutans in manibus sui Ordinarii resignare, vel unus Episcopus alteri resignationis sui Diœcesani acceptationem committere debet. *Gloss. in cap. unic. de rer. permutat. in 6. verb. collationem.*

4to. Nomine proprii Episcopi intelliguntur omnes, qui Episcopalem vel quasi habent jurisdictionem, quamvis Episcopali non ornentur dignitate, cùm hæc facultas Superiori non ratione Ordinis & dignitatis, sed tantùm competat ratione jurisdictionis: & ideo Capitulum sede vacante, si beneficia permutanda ad ejusdem Capituli collationem vel ad tertium pertineant, authorizare potest permutationem. Vicarius Generalis speciale non habens mandatum permutationes nequit expedire.

5to. Si ad inferiores Episcopo Prælatos beneficiorum permutandorum pertineat collatio, eorum quoque consensus ad permutationem est necessarius. Et generaliter omnium, ad quos jus eligendi vel præsentandi spectat, consensus vel permutationem præcedere vel subsequi debet. *Gloss. in Clement. unic. de rerum permutat.* Quamvis enim sine eorum consensu facta, non sit ipso jure nulla, attamen si agant de contemptu, est annullanda permutatio.

Quæres *7timo.* Quam causam exigit permutatio? R. Volunt aliqui ad permutationem requiri causam necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ, & non sufficere solam personarum permutantium utilitatem, ut probatur ex *cap. quæsitum. 5. de rer. permutat.* ibi: "Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre "personas, ut qui uni loco minùs sunt "utiles, alibi se valeant utiliùs exercere." Hinc Doctor Angelic. *in 4. sentent. dist. 25. q. 3. a. 3. ad 8.* severior ait: Si pro aliquo terreno commodo utriusque vel alterius fiat permutatio, est simonia, si autem pro aliquo spirituali, utpote, quia hic in illo loco meliùs possit DEO servire, non est simonia, unde tunc potest fieri permutatio authoritate Episcopi Diœcesani. Attamen Canonistæ communiter docent, sufficere utilitatem personarum permutantium. *Juxta Gloss. in cap. cum universorum. 8. de rerum permut. verb. utriusque.*

Quæres *octavo.* Quæ beneficia permutari possunt? R. Omnia beneficia possunt permutari, quæ possunt resignari, cum hac explicatione: *1mo.* Permutari nequit jus in re & beneficio cum jure ad beneficium, cùm illud non sit beneficium. *2do.* Nec possunt permutari beneficia acquirenda, seu nondum acquisita, ut gratiæ exspectativæ, jura ex nominatione, præsentatione vel electione acqui-

sita , quamvis enim jus sint ad beneficium , non sunt tamen beneficia , sed jura personalia , personam , cui concessa, non excedentia. *Arg. cap. cui de non Sacerdotali. 27. de præbend. in 6. 3tio.* Nec pensio , nisi in titulum erecta esset , cum beneficio permutari potest. *4to.* Neque beneficium cum aliquo jure speciali , ut patronatûs , decimarum , &c. permutari potest. Licèt enim hæc specialia sint jura , diversi tamen Ordinis à beneficio esse dignoscuntur.

Quæres *nono.* An beneficia inæqualia permutari possint ? R. Permutationem non impedit , sive in numero , sive in qualitate beneficiorum inæqualitas , sic plura , modò compatibilia , cum uno, simplex cum curato, & è converso, quod plures habet proventus , cum tenui permutari potest , cùm non fiat fructuum, sed juris specialis commutatio , dummodò fraus vel dolus absint, qualis intervenire præsumitur , si morti vicinus vel senex beneficium pingue cum tenui permutet. *cap. fin. de renuntiat. in 6.*

Quæres *decimo.* An in permutatione beneficii excessus , quo unum alteri prævalet , ut in dignitate vel reditibus, compensari valeat ? R. *1mo.* Si excessus ille sit in aliquo spirituali , ut jurisdictione , majori dignitate , &c. nequidem authoritate summi Pontificis aliquo temporali compensari potest , cùm juris Divini & naturalis foret simonia.

2do. Si excessus ille sit in aliquo temporali, aliqui authoritate Superioris compensationem fieri posse docent. *Arg. cap. ad quæstiones. 6. de rerum permutat.* Veruntamen compensationem fore simoniacam verior tenet sententia. *cap. quæsitum. 5. de rer. permutat. cap. fin. de pactis.* Quia talis compensatio fieri non potest , quin vendatur in beneficio id, quod est spirituale ; excessus enim fructuum beneficio vel titulo spirituali est annexus , qui autem connexorum emit alterum , sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. *can. si quis objecerit. 7. caus. 1. q. 3.*

Nec obstat *cit. cap. ad quæstiones ;* illud enim de commutandis quoad proprietatem Ecclesiis loquitur , in qua commutatione defectus tenuiorum alterius Ecclesiæ redituum absque simoniæ vitio suppletur , eò quòd tantum temporale cum temporali commutetur.

Quæres *undecimo.* An valeat plurium beneficiorum reciproca , quam vocant triangularem , permutatio. V. g. Ego resigno Cajo , ut is suum resignet Titio, & Titius suum mihi ? R. Coram Ordinario facta cum pacto tacito vel expresso simoniaca est. Excusant aliqui hanc simoniam hoc modo : De licentia Ordinarii ego permuto meum beneficium cum Cajo , & ego habens beneficium Caji permuto illud cum Titio.

Quæres *duodecimo.* Qualiter publicanda permutatio? R. *1mo.* Permutatio eo modo , quo renuntiatio , publicanda est , & quidem ab utroque permutante publicatio fieri debet , cùm permutatio nihil aliud sit , quàm mutua resignatio.

2do. Permutatio vel renuntiatio in Curia Rom. facta , si beneficia permutata intra Montes vel in Italia sint , intra sex menses , si ultra Montes , ùt in Germania , intra novem menses à die extensi con-

consensûs computandos fieri debet. Si quis autem post resignationem vel permutationem possessionem beneficii per aliquod tempus adhuc retinere optet, hanc tradunt Curialistæ praxin: Admissâ resignatione non curentur expediri Bullæ ad sex menses, tunc petatur prorogatio vel nova data. Evoluto termino prorogationis expediantur literæ, quæ ultra Alpes ad novem menses retineri possunt, antequam publicentur, & sumatur possessio beneficii resignati, tunc iterùm petitur prorogatio ad alios novem menses, & postmodum ad alios duos, ac demùm ad septem menses, nec ultra duos annos datur prorogatio. An autem omnes illæ praxes licitæ sint in conscientia, dubitatur, verior apparet negativa.

3tio. Permutationes & resignationes extra Curiam Romanam in manibus Ordinarii factæ intra tres menses à die factæ collationis publicari, ac possessio capi debet. Juxta Constitutionem Gregorianam, quæ incipit: *Humano.* Ubi illa recepta.

Quæres *ultimo.* Quis permutationis effectus? R. *1mo.* Permutatio plenum habet effectum, si beneficia resignata reciprocè per Ordinarium sint collata permutantibus.

2do. Si permutatio hunc effectum non habeat, sed renuntiatione ab uno factâ alter resignare nolit, est locus pœnitentiæ, & ad suum sine nova collatione redire potest, quia resignavit sub conditione, si non suspensiva, saltem resolutoria, & conditione non impletâ suum beneficium abdicandi voluntas non fuit, adeóque non vacabit beneficium.

3tio. Si beneficium permutatum, vel alterum ex duobus beneficiis permutatis evincatur, vel aliâ ratione appareat beneficium ab una parte fuisse invalidè permutatum, permutans propriâ authoritate ad beneficium suum redire nequit, quia cùm beneficium suum verè vacaverit, sine nova collatione rehaberi non potest, nisi in Bulla permutationis hæc addita clausula: Ut alteri ex permutantibus, si compermutans faciat, ut commutatio effectum non habeat, liceat etiam propriâ ad beneficium redire authoritate.

4to. Si unus permutantium beneficium suum dimisit, & illi beneficium compermutantis est collatum, ipse autem compermutans, antequam alterius beneficium ipsi sit collatum, diem claudit extremum, beneficium dimissum vacat per resignationem, si verò nondum dimiserit, illud retinere potest, si compatibile est.

5to. Si permutans coram Papa intra 20. menses à præstito consensu moriatur, vacat per mortem, & alteri conferri potest beneficium.

6to. Si permutatio jam facta sit, quamvis conditiones appositæ non serventur, ut v.g. non solvitur pensio, à Pontifice legitimè imposita, beneficium repeti nequit, quia perfectis omnibus intrinsecis locum non habet pœnitentia.

7timo. Si unus ex permutantibus sit dolo circumventus, per Superiorem permutatio rescindi potest, ùt est textus *in cap. cum universorum. 8. de rerum permutat.*

T I-

TITULUS DECIMUS.

DE

DEGRADATIONE ET DEPOSITIONE.

QUæres *primo*, Quid est degradatio ? ℟. Est Episcopi alteriusve Clerici exauthorizatio ad similitudinem exauthorizationis militaris, quâ miliți ob delictum Ordo militaris & militiæ insignia detrahuntur, sicque à militia remotus castris ejicitur privatus consortio & privilegio militari. *cap. degradatio. 2. de pœnis. in 6.* Agimus de hoc, in quantum modus est, per quem matrimonium spirituale Episcopum inter & Ecclesiam dissolvitur.

Quæres *secundo*. Quotuplex est degradatio ? ℟. 2plex : Verbalis & realis seu actualis. Verbalis est : quando ab eo, qui authoritatem habet, fertur depositionis sententia. Actualis est : quando post latam sententiam ei, qui degradandus est, vestes & sui Ordinis insignia gradatim aufferuntur.

Quæres *tertio*. Quæ inter verbalem & realem degradationem differentiæ? ℟, Sequentes : *1mo*. Degradatio verbalis per simplicem fit sententiam, quâ Clericus criminosus ab Ordinibus Clericalibus, vel potiùs ab Ordinum ministerio & executione declaratur depositus: ideoque magis propriè depositio appellatur. Degradatio realis fit per actum solemnem, in quo vestibus & insigniis Clericalibus solenni verborum formâ criminosus privatur, & Curiæ sæculari extraditur.

2do. Per degradationem verbalem degradatus non amittit privilegium fori & Canonis, sicut per degradationem solemnem, quamvis nec per hanc character Ordinum aufferatur.

3tio. Si in jure reperiatur expressa pœna degradationis, id de jure verbali intelligendum ; realis enim pœna est gravissima, quæ nonnisi in casibus à jure expressis est infligenda.

Quæres *quarto*. Quis verbaliter degradandi habet potestatem ? ℟. Verbalis degradatio seu depositio ab Ordinibus seu gradibus Ecclesiasticis est à proprio Episcopo sibi assistente, in degradatione Clericorum in sacris constitutorum Ordinibus, certo Episcoporum numero definito Canonibus facienda : quanquam proprii Episcopi sententia sine aliorum Episcoporum præsentia sufficiat in degradatione eorum, qui minores duntaxat Ordines receperunt. *cit. cap. degradatio.*

Quæres *quinto*. Qualis ad degradationem requiritur potestas ? ℟. Ad degradationem verbalem sufficit sola potestas jurisdictionis, unde per Episcopum confirmatum nondum consecratum, vel de ejusdem commissione per Vicarium Gene-

Generalem fieri potest. Degradatio realis est simul actus Ordinis, qui à solo Episcopo consecrato exercendus est.

Quæres *sexto*. Quis realiter degradare potest? ℟. Episcopus consecratus, & quidem *juxta cit. cap. Degradatio*, assistente sibi certo Episcoporum numero si degradandus in sacris constitutus. At modò per decretum *Trident. Sess. 13. cap. 4.* "Episcopo per se vel per Vicarium in spi-"ritualibus Generalem contra Cleri-"cum, in sacris etiam Presbyteratûs "Ordinibus constitutum, etiam ad il-"lius condemnationem, nec non ver-"balem depositionem, & per se ipsum "etiam ad actualem atque solemnem de-"gradationem ab ipsis Ordinibus & gra-"dibus Ecclesiasticis, in casibus, in qui-"bus aliorum Episcoporum præsentia, "in numero à Canonibus definito, re-"quiritur, etiam absque iis procedere "licet, adhibitis tamen, & in hoc sibi "assistentibus totidem Abbatibus usum "mitræ & baculi habentibus, si in civi-"tate aut Diœcesi reperiri & commodè "interesse possint, alioquin aliis perso-"nis in Ecclesiastica dignitate constitutis, "quæ ætate graves, ac juris scientiâ "commendabiles existunt."

Quæres *septimo*. Quæ degradationis realis solemnitas? ℟. Ea *in cit. cap. degradatio*. exprimitur hoc modo: "Cle-"ricus degradandus vestibus sacris indu-"tus, in manibus habens librum, vas, "vel aliud instrumentum seu ornamen-"tum, ad Ordinem suum spectans, ac "si deberet in officio suo solemniter mi-"nistrare, ad præsentiam Episcopi ad-"ducitur, cui Episcopus singula, sive sint "vestes, calix, liber, sive quævis alia, "quæ illi juxta morem ordinandorum "Clericorum in ordinatione ab Episco-"po fuerunt tradita, seu collata, singula-"riter auffert, ab illo vestimento seu or-"namento, quod ei ultimò datum fue-"rat, inchoando, & descendendo gra-"datim degradationem continuat usque "ad primam vestem, quæ datur in col-"latione tonsuræ, tuncque raditur ca-"put illius, seu tondetur, ne tonsuræ "seu Clericatûs vestigium in eo rema-"neat. Utitur autem Episcopus in de-"gradatione hujusmodi verbis certis ad "terrorem, illis oppositis, quæ in col-"latione Ordinum sunt prolata, dicen-"do v. g. Presbytero in remotione Pla-"netæ: Aufferimus tibi vestem Sacerdo-"talem, & te honore Sacerdotali priva-"mus, & in remotione reliquorum in-"signium similibus verbis utens, in abla-"tione ultimi, quod in collatione Or-"dinum fuit primum, hoc aliove mo-"do pronuntiat: Authoritate DEI Om-"nipotentis Patris, & Filii, & Spiritûs "Sancti, ac nostrâ tibi aufferimus habi-"tum Clericalem, & deponimus, de-"gradamus, spoliamus, & exuimus te "omni Ordine, beneficio & privilegio "Clericali."

Quæres *octavo*. Ob quæ crimina verbalis fit degradatio? ℟. Degradatio verbalis infligitur ob adulterium, concubinatum post monitionem perseverantem, simoniam notoriam, stuprum, incestum, furtum, perjurium, homicidium, & alia crimina gravia, quæ irregularitatem inducunt.

Quæres *nono*. Ob quæ crimina ad so-

lemnem sive realem proceditur degradationem ? R. Ad degradationem realem in Clerico criminoso extra casus exceptos non proceditur , nisi criminosus incorrigibilis existat , ùt colligitur *ex cap. cum non ab homine. de iudiciis.* Ubi Cœlestinus III de Clerico criminoso ait: "Qui si depositus incorri-"gibilis fuerit , excommunicari debet; "deinde contumaciâ crescente anathe-"matis mucrone feriri : postmodum "verò si in profundum malorum veniens "contempserit, cùm Ecclesia non habeat "ultra quid faciat,ne possit esse ultrà per-"ditio plurimorum, per sæcularem com-"primendus est potestatem , ita ut ei de-"putetur exilium , vel alia legitima pœna "inferatur."

Quæres *decimo.* Quæ sunt illa crimina excepta , propter quæ non exspectatâ Clerici incorrigibilitate ad degradationem realem procedi possit ? R. Sunt sequentia : *1mum.* Hæresis multò magis apostasia à fide , saltem cùm quis in illam relapsus & contumax fuerit. *cap. ad abolendam. 9. de hæreticis. cap. super eo. 4. eod. in 6.*

2dum. Falsificatio literarum Apostolicarum. *cap. ad falsariorum. 7. de crimine falsi. cap. novimus. 27. de verb. signif.*

3tium. Conspiratio in proprium Episcopum , & eidem instructæ insidiæ. *can. si quis Sacerdotum. 18. caus. 11. q. 1.*

4tum. Assasinium. *cap. 1. de homicidio. in 6.*

5tum. Sodomia frequentata. Ex constitutione S. Pii V. quæ incipit: *Horrendum.*

6tum. Celebratio Missarum & auditio confessionum attentata ab eo , qui non est Sacerdos. Ex constitutione Clem. VIII. quæ incipit: *Etsi alias.*

7timum. Adulteratio monetæ in terris Ecclesiæ. Ex constitut. Urbani VIII. quæ incipit: *In suprema.* Extra hos casus criminosum Clericum non probatum incorrigibilem degradari actualiter non posse, etiam ob crimina atrocia , ob quæ Laico pœna mortis infligeretur , fusè probat Fagnan. *in cap. cum non ab homine. 10. de judiciis.* Ubi adducit exemplum Religiosi Sacerdotis à Religione Apostatæ , qui plurima furta in- & extra Religionem cum effractione commiserat , & ex Decreto sacræ Congregationis approbante summo Pontifice non solemniter degradatus , & Curiæ sæculari traditus, sed ad triremes perpetuò fuerat condemnatus.

Quæres *undecimo.* Qualiter degradatus Curiæ sæculari tradendus ? R. "Cùm "Clericus criminosus ab Ecclesiastico "foro fuerit projectus , ejus degradatio "est celebranda sæculari potestate præ-"sente, ac pronuntiandum eidem , cùm "fuerit celebrata , ut in suum forum re-"cipiat degradatum , & sic intelligitur "tradi Curiæ sæculari ; pro quo tamen "debet Ecclesia efficaciter intercedere, "ut citra mortis periculum circa eum "sententia moderetur." *cap. novimus. 2. de verbor. signif.* Si tamen Judex Ecclesiasticus hanc intercessionem omitteret , irregularitatem incurrere non videtur ; Ecclesia enim ad pœnam sanguinis non tradit Curiæ sæculari degradatum, sed eum tantùm privilegio Clericali exutum , & post hoc sæculari Judici subjectum

jectum fore declarat. Si igitur Prælatus causam particularem sanguinis Laico committens cum mandato, ut justitiæ debitum exequatur, non incurrit irregularitatem, *juxta cap. fin. ne Clerici, vel Monachi. in 6.* Multò minùs Episcopus degradatum Curiæ sæculari absque intercessione tradens irregularitatis incurret impedimentum.

Quæres *duodecimo.* Quis degradatum restituere potest? ℟. Degradatum justè solus summus Pontifex restituere potest; degradatio enim ex sua institutione & quasi natura perpetua est, ac jure ordinario irremissibilis. *can. qui semel. 2. dist. 50.* Degradatus injustè iisdem ferè cæremoniis, quibus degradatus fuit, ab Episcopo restitui potest. *Can. Episcopus. 65. caus. 11. q. 3.*

TITULUS UNDECIMUS.

DE

OFFICIO ARCHIDIACONI.

QUæres *primo.* Unde nomen Archidiaconus? ℟. Ex Græco derivatum idem significat, quod Princeps Diaconorum; Græcè Diaconi, Latinè Ministri dicuntur; "quia sicut in "Sacerdote consecratio, ita in Diacono "ministerii dispensatio habetur." *Can. Cleros. 1. dist. 21.* Archidiaconi ergo Ministrorum Principes vocantur.

Quæres *secundo.* Quæ præeminentiæ Archidiaconi? ℟. Est primus post Episcopum, cujus præceptis Archi-Presbyter sicut Episcopi sui obedire tenetur. *Can. perlectis. 1. dist. 25.* Major post Episcopum, & ipsius Episcopi Vicarius. Item oculus Episcopi, ut loco ejus per Episcopatum prospiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat, & emendet. *cap. ad hæc. 7. de officio Archidiac.*

Quæres *tertio.* Quod officium Archi-Diaconi? ℟. Generaliter Archidiacono incumbit unà cum Episcopo onus Episcopale ferre, eumque sollicitudine sublevare. *cit. can. perlectis.* Particulariter *1mo.* Vice Episcopi, quæ muneris Episcopalis sunt, exercere debet. *2do.* Ad eum pertinet Diœcesis visitatio. *cap. mandamus. 6. de offic. Archidiacon. 3tio.* Conservatio & restauratio Ecclesiarum ac singularis sacrorum vasorum & thesauri Ecclesiastici custodia. *cap. ea quæ. 3. de offic. Archidiac. 4to.* Examen & præsentatio ordinandorum. *cap. ut nostrum. 9. de offic. Archidiac. 5to.* Authoritate Episcopali Abbates & Abbatissas, ac alios Beneficiatos in possessionem mittere. *cit. cap. ut nostrum. 6to.* Ex commissione Episcopi Clericos instituere & destituere, *cit. cap. ad hæc. 7. de offic. Archid. 7timo.* Demùm Episcopo solemniter ministranti assistere, & altaris ministros assignare. *cit. can. perlectis. cap. officium. 2. de offic.*

Archid. Quod etiam S. Rituum Congregatio declaravit.

Quæres *quarto.* Qualem Archidiaconus habet jurisdictionem ? R. De jure communi habet jurisdictionem ordinariam per totam Diœcesin in omnes Clericos, vi cujus eos visitare, corrigere, & in rebus ac causis levioribus judicare potest. Graviora sunt reservata Episcopo, quæ sine speciali commissione Episcopi de jure communi exercere non potest Archidiaconus.

Quæres *quinto.* Quænam in specie reservata Episcopo ? R. Sequentia : *1mo.* Archidiaconus Clericos vel Beneficiatos deponere nequit. *Arg. cap. cum satis. 4. de offic. Archid. 2do.* Nec perpetuò, nec ad longum tempus suspendere. *cap. 1. de excessib. Prælat.* Nec Ecclesias unire. *cap. sicut unire. 8. ibid. 3tio.* Nec alicui curam animarum committere, vel dare institutionem authorizabilem vel collativam tituli. *cap. cum satis. 4. de offic. Archid. 4to.* Nec dare potest litteras dimissoriales vel ad sacros Ordines commendatitias. *cap. significasti. 8. de offic. Archid. 5to.* Neque ullam in monasteria & Regulares etiam non exemptos intra fines sui Archidiaconatûs constitutos jurisdictionem exercere potest. *cap. fin. de offic. Archid. 7timo.* Nequit excommunicare. *cap. Archidiacono. 5. de offic. Archid. 8vo* demùm non potest causas matrimoniales cognoscere. *can. multorum, 10. caus. 25. q. 6. cap. accedentibus. 12. de excessib. Prælat.*

Quæres *sexto.* An reservata Episcopo per præscriptionem vel consuetudinem Archidiacono competere possint ? R. Affirm. *cap. 1. de eo, qui furtivè. cap. Romana. 5. cap. venerabilibus. 7. de sentent. excomm. in 6.* Et generale est, quòd omnia, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis, Prælatus inferior, ùt est Archidiaconus, in Ecclesiis, quæ Episcopo subsunt, præscribere valeat, licèt ipse Prælatus sub Episcopi maneat obedientia. *cap. auditis. 15. de præscript.*

Quæres *septimo.* Quæ differentia inter Archidiaconum & Vicarium Generalem? R. *1mo.* Officium Archidiaconi alicui dignitati, v. g. Præposituræ annexum est & perpetuum : ideoque Vicarius Episcopi natus, aut Vicarius à jure datus appellatur : Officium verò Vicarii Generalis datum, & ad nutum Episcopi revocabile est : Unde & Vicarius ab homine institutus vocatur.

2do Archidiaconus propriam jurisdictionem ac distinctum ab Episcopo tribunal habet : ideoque ab Archidiacono ad Episcopum datur appellatio. *cap. referente. 7. de præbend. cap. Romana. 3. de appellat. in 6.* Jurisdictio autem Vicarii Generalis à jurisdictione Episcopi indistincta est, nec diversum habet tribunal. *cit. cap. Romana.* nec à Vicario ad Episcopum datur appellatio. *cap. non putamus. 2. de consuetud. in 6.*

3tio. Mortuo Episcopo jurisdictio Vicarii Generalis exspirat, non tamen Archidiaconi, qui nihilominùs Vicariam habet jurisdictionem, ut vivo Episcopo, ita & Sede vacante, & in utroque casu fungitur officio suo, quod nec est delegatum, nec morte exspirat, sed ordinarium est jure Magistratûs vel dignitatis suæ. *Gloss. in cap. 1. de offic. Archid. verb. Vicarium.*

Quæ-

Quæres *octavo.* ℟. Quæ hodierna Archidiaconi potestas? ℟. Cum Zipæo *lib. 1. consult. de offic. Archidiaconi.* Ubi sunt Episcopi residentes, & angusti districtus, authoritas Archidiaconi parva est, ubi autem Episcopi plerumque absentes, vel temporales Principes, vel latiores Diœceses, Archidiaconi potestas magna est, ùt in Diœcesi Leodiensi & nostra Colonienſi, ubi præter quatuor majores Archidiaconos, ùt Præpositos Metropolitanum, Bonnensem, Zantensem plures minores numerantur Archidiaconi, quorum tamen potestas & jurisdictio indies magis & magis per Vicarios Generales exactiorem Tridentini observantiam urgentes restringitur.

Quæres *nono.* Quas qualitates hodie Archidiaconus habere debet? ℟. Eas *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 12.* exprimit his verbis: "Archidiaconi, qui "oculi dicuntur Episcopi, sint in omni- "bus Ecclesiis, ubi fieri poterit, Ma- "gistri in Theologia seu Doctores, aut "Licentiati in Jure Canonico."

Quæres *decimo.* Qualiter ampla Archidiaconorum potestas per Trident. est restricta quoad causas beneficiales? ℟. *1mo.* "Præsentati, seu electi vel nomi- "nati à quibusvis personis Ecclesiasticis, "etiam Sedis Apostolicæ Nuntiis, ad "quævis beneficia Ecclesiastica non insti- "tuantur, nec confirmentur, neque "admittantur, etiam prætextu cujusvis "privilegii, seu consuetudinis, etiam "ab immemoriali tempore præscriptæ, "nisi priùs fuerint à locorum Ordinariis "examinati & idonei reperti." *Trid. Sess. 7. de reform. cap. 13.*

2do. "Non liceat Patrono cujusvis "privilegii prætextu aliquem ad benefi- "cia sui juris patronatûs, nisi Episcopo "loci ordinario, ad quem provisio seu "institutio ipsius beneficii, cessante pri- "vilegio, jure pertineret, quoquo mo- "do præsentare." *Trid. Sess. 14. de reform. cap. 13.* Ad quod decretum respondit S. Congregatio: Ubi ex consuetudine institutio beneficiorum ad Archidiaconum spectat, veluti in inferiori Germania, nihil iis per hoc decretum derogatum.

3tio. Si vacet beneficium parochiale juris patronatûs Ecclesiastici, & institutio ab alio (ùt Archidiacono) quàm Episcopo facienda, Episcopus solus ex dignis inventis in concursu eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem spectat institutio. *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 18.*

Quæres *undecimo.* Qualiter est restricta in causis matrimonialibus & criminalibus? ℟. *1mo.* "Causæ matrimoniales "& criminales non Decani, Archidia- "coni, aut aliorum inferiorum judicio "etiam visitando, sed Episcopi tantùm "examini & jurisdictioni relinquuntur." *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 20.*

Ubi contra Clericos concubinarios agitur, cognitio delictorum non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertinet. *Trident. Sess. 25. de reform. cap. 14.*

Quæres *duodecimo.* An his non obstantibus Archidiaconus visitare possit? ℟. "Archidiaconi, Decani, & alii in- "feriores in iis Ecclesiis, ubi hactenùs "visitationem exercere consueverunt,

"debent assumpto Notario de consensu "Episcopi per semetipsos visitare, eique "visitationis factæ infra mensem ratio- "nem reddere, & depositiones testium "ac integra acta exhibere, non obstan- "tibus quâcunque consuetudine etiam "immemoriali, atque exemptionibus "& privilegiis quibuscunque." *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 3.*

TITULUS DUODECIMUS.

DE

ARCHIPRESBYTERIS.

QUæres *primo.* Quid est Archi-Presbyter? ℟. Est Princeps Presbyterorum, sive Præpositus cæteris Presbyteris ac illorum Dux, qui etiam Decanus appellatur. *cap. ad hæc. 7. de offic. Archid.*

Quæres *secundo.* Quod Archipresbyteri officium? ℟. Specialiter ad ejus ministerium pertinet super omnes Presbyteros in Ordine Presbyterali positos curam agere animarum, assiduè in Ecclesia stare, & in Episcopi sui absentia ad vicem ejus Missarum Solemnia celebrare, fontes benedicere, infirmos oleo inungere, pœnitentes infirmos reconciliare, pœnitentiam cunctis aliis Presbyteris injungere. *cap. 1. & 2. de offic. Archipresb.*

Quæres *tertio.* In quo differunt Archidiaconus & Archipresbyter? ℟. Ambo sunt à jure dati Episcopo Vicarii, Archidiaconus & Archipresbyter, ille ut jurisdictionem contentiosam & in foro externo exerceat, assistatque Episcopo in officio Judicis: hic ut jurisdictionem exerceat fori interni, sive pœnitentialis, & Episcopo in officio Sacerdotis assistat, & ita se habent ut excedens & excessum; nam Archidiaconus dignitate & administratione major est Archipresbytero, *cap. 1. de offic. Archipresbyt.* Archipresbyter autem ordine præcellit Archidiaconum.

Quæres *quarto.* Quotuplex est Archipresbyter? ℟. Duplex: Urbanus & ruralis. Urbanus est Decanus Ecclesiæ Cathedralis seu Collegiatæ. Ruralis est, qui extra civitatem curam gerit tam plebis quàm Parochorum aliorumque Clericorum per titulos seu Ecclesias minores habitantium, circa quos ea, quæ minora sunt, sine figura judicii disponere potest, & majora ad Episcopum vel ejus Vicarium Generalem referre debet. *cap. fin. de offic. Archipresbyt.*

Quæres *quinto.* Quodnam est Archipresbyteri urbani officium? ℟. Illud describitur *in cap. officium. 3. de offic. Archipresb.* Debet enim, quando Episcopus

pus abeſt, vice ejus officium inchoare, benedictiones Presbyterales in Eccleſia dare, Miſſam, quando voluerit, cantare, vel cui de Sacerdotibus juſſerit, dum Epiſcopus Miſſam canit, ordinem, quo ad eam procedendum dirigere, infirmis de Confeſſariis & viatico providere, confeſſiones eorum, qui à foris veniunt, cum omnibus Sacerdotibus recipere, Baptiſmum infantium & Catechumenorum procurare, demùm omnia à Sacerdotibus per juſſionem illius fiant.

Quæres *ſexto.* An, & qualem jurisdictionem Eccleſiæ Collegiatæ Decanus obtinet? R. De jure antiquo ſolam habebat jurisdictionem ordinariam fori interni vel curam animarum tum in reliquos Sacerdotes, tum in alios Diœceſanos, ſi erat Decanus Eccleſiæ Cathedralis, ùt colligitur *ex cap. 1. & 2. de officio Archipresbyt.* Quare etiam hodie Decani Eccleſiarum Collegiatarum, vel per ſe vel per Vicarios, quos Familiæ vocant Paſtores intra fines, vel ùt dicunt, intra Collegiatæ ſuæ immunitatem Sacramenta adminiſtrant. Præter ea Decanus, Caput Eccleſiæ Collegiatæ, hodiè jurisdictionem habet ordinariam etiam in foro externo in Clericos ſui Collegii, quamvis Epiſcopo ſubordinatam. *Gloſſ. in cap. cum ab Eccleſiarum. 3. de offic. Judicis ordin. verb. Eccleſiaſticâ ſententiâ.* ut etiam excommunicare aliasque cenſuras ferre poſſit. Cauſæ tamen criminales, & eæ, quæ privationem & depoſitionem merentur, Epiſcopo ſunt reſervatæ.

Quæres *ſeptimo.* An Decanatus Eccleſiæ Collegiatæ ſit dignitas? R. Affirm. ita, ut eidem à Sede Apoſtolica, aut ejus Legatis cauſæ delegari poſſint. *cap. ſtatutum. 11. de reſcriptis. in 6.* Ubi ſancitur, ut nullis, niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicis cauſæ authoritate Literarum Apoſtolicæ Sedis, vel legatorum ejuſdem committantur.

Quæres *octavo.* An Decanatus major ſit dignitas Præpoſiturâ? R. An major ſit dignitas Præpoſitura, quàm Decanatus, de jure determinatum non eſt. Aliquando Decanus præponitur Præpoſito, ùt *in cap. 1. de ætat. & qualit. &c. Gloſſ. in cap. cum inter. 18. de elect. verb. ad Decanum.* Aliquando Præpoſitus antefertur, ùt *in cap. quamvis. de verb. ſignif.* ubi vocantur Præpoſiti, *qui quandam Prioratûs curam ſuper alios gerunt.* In Germania noſtra Præpoſitura eſt prima & major poſt Epiſcopalem in Collegiatis dignitas, quamvis nullam jurisdictionem annexam habeat, eſtque collationi vel proviſioni ſummi Pontificis per concordata Germaniæ §. de cæteris, reſervata.

Quæres *nono.* An Epiſcopus Archipresbyterum ruralem ponere debeat? R. "Non contendat Epiſcopus non egere "plebem Archipresbytero, quaſi ipſe "eam gubernare valeat, quia etſi valdè "idoneus ſit, decet tamen, ut ſua one- "ra partiatur, & ſicut ipſe Matrici Ec- "cleſiæ præeſt, ita Archipresbyteri præ- "ſint plebibus, ut in nullo titubet Eccle- "ſiaſtica ſollicitudo; cuncta tamen re- "ferant ad Epiſcopum, nec aliquid con- "tra ejus decretum ordinare præſu- "mant." *cap. fin. de offic. Archipresb.*

Quæ-

Quæres *decimo*. Qualem jurisdictionem habet Decanus ruralis? ℟. Decanus ruralis non habet dignitatem vel personatum, vi cujus Delegatus Sedis Apostolicæ esse possit, ùt omnes fatentur; nulli enim Collegio Clericorum præest, nec aliquam in Ecclesia quadam principali habet præeminentiam, nec communiter habet jurisdictionem propriè dictam fori externi, sed solùm ex commissione & delegatione Episcopi Clericos sui Decanatûs visitare & corrigere potest.

Quæres *undecimo*. Quæ Decanorum ruralium in nostris partibus potestas? ℟. In patriis Juliacensi & Montensi propter specialia concordata inter Electorem Colonien sem & Principem Juliacensem Decani rurales habent jurisdictionem fori externi, & in negotiis Ecclesiasticis jus primæ instantiæ.

Quæres *duodecimo*. Quæ ætas & ordo in Archidiacono & Decano requiruntur? ℟. "Decanatum, Archidiaconatum nul-"lus omninò suscipiat, nisi qui jam vi-"gesimum quintum annum ætatis atti-"gerit, & scientiâ & moribus commen-"dandus existat. Cùm autem assumptus "fuerit, si Archidiaconus in Diaconum, "& Decanus non fuerit præfixo à Cano-"nibus tempore in Presbyterum ordina-"tus, & ab isto removeantur officio, "& aliis conferatur, qui & velint & "possint illud convenienter implere." *cap. cum in cunctis. 7. §. inferiora. de elect.*

TITULUS DECIMUS-TERTIUS.

DE

OFFICIO VICARII.

VIcarius est, qui gerit vices alterius, mortui, absentis, vel impediti, de quo in Decretalibus *lib. 1. tit. 26. & in eod. lib. 1. tit. 38.* Est autem Vicarius in 2plici differentia; alius enim est Vicarius natus seu legitimus, cui Vicariatus à lege vel canone ita competit, ut administrationem vel jurisdictionem ordinariam, propriam, & à principali divisam, quamvis eidem subordinatam exerceat. Exempla sunt *in cap. 1. de officio Archid. & in cap. 1. de officio Archipresb.* Alius est Vicarius datus, qui Vicariatum ab homine, sive eum sibi, sive alteri legitimè substituente habet. Cujus quatuor sunt species: *1mo* nempè Vicarius Episcopi. *2do.* Vicarius Capituli Sede vacante. *3tio.* Vicarius in Divinis sive in beneficio. *4to.* Vicarius in Religiosorum conventibus. De quibus §. sequentes procedunt.

§. Primus.

DE

Vicario Episcopi dato.

QUæres *primo*. Quis est Vicarius datus Episcopi? R. Est persona, quæ vice Episcopi commissam sibi potestatem vel jurisdictionem sive voluntariam sive contentiosam exercet.

Quæres *secundo*. Quotuplex Episcopi Vicarius? R. 2plex: Generalis & foraneus. *Generalis* dicitur, qui per totam Diœcesin loco Episcopi, cum quo unum tribunal habet, exercet jurisdictionem. *Foraneus* appellatur, qui in aliqua solùm Diœcesis parte loco Episcopi jurisdictionem, sed à tribunali Episcopi diversam & delegatam exercet.

Quæres *tertio*. Quotuplex generalis Episcopi Vicarius? R. 3plex: Suffraganeus, Officialis, & Vicarius Generalis in Spiritualibus. *Suffraganeus* est, qui vice Episcopi per totam Diœcesin Pontificalia exercet. *Officialis*, qui per totam Diœcesin vice Episcopi jurisdictionem contentiosam exercet. Vicarius Generalis in Spiritualibus est, qui per eandem voluntariam habet jurisdictionem.

Quæres *quarto*. Quæ causa efficiens Vicarii, vel quis Vicarium constituit? R. Episcopus, qui etiam sine consensu Capituli potest, & debet, si Diœcesis ampla sit, unum vel plures Vicarios instituere. *Arg. cap. ut singulæ. 4. de offic. Archipresb.*

Quæres *quinto*. Quæ causa materialis, vel quod subjectum Vicarius Episcopi esse potest? R. Debet habere sequentia: *1mo.* Debet esse Clericus non conjugatus, nec bigamus. *Arg. cap. sanè. 2. cap. cum decorem. 8. de Cleric. conjug.* Vicarius in temporalibus, sive œconomus, qui curam temporalium vice Episcopi habet, potest esse Laicus, uti etiam Assessor vel Consiliarius circa negotia Vicario Generali commissa. *2do.* Minor 25. annis esse non debet. *cap. cum in cunctis. 7. de election. 3tio.* Debet esse Clericus sæcularis, vel ad minus non Religiosus ex ordine mendicantium. *Clem. 1. §. ad prioratus. de Regular. 4to.* Debet esse tali scientiâ instructus, ut merito doctrinæ vel Doctor vel Licentiatus in Theologia aut Jure Canonico renuntiatus sit. *Arg. Trid. Sess. 24. de reform. cap. 18.* Non requiritur, ut sit de gremio Capituli Cathedralis.

Quæres *sexto*. Quis effectus, sive in quibus jurisdictionem habet? R. Potest vi generalis mandati expedire omnia negotia, & cognoscere omnes causas, quæ ad jurisdictionem ordinariam Episcopi pertinent, iis exceptis, quæ speciale mandatum requirunt. *Arg. cap. qui generaliter. 5. de procurat. in 6. Gloss. in cap. licet. 2. de offic. Vicarii. in 6.*

Quæres *septimo*. Quæ causæ sunt exceptæ, & sine speciali mandato à Vicario

Generali expediri nequeunt ? ℟. Sequentes : *1mo.* Potestas cognoscendi causas criminales. *2do.* Conferendi beneficia, vel iisdem privandi. *3tio.* Visitandi Diœcesin. *4to.* Ecclesias uniendi, dividendi, supprimendi, transferendi. *5to.* Dandi dimissorias. *6to.* Dispensandi in interstitiis temporum. *7timo.* Absolvendi à casibus Episcopo reservatis. *8vo.* In irregularitate ex delicto occulto proveniente dispensandi.

Quæres *octavo.* An Vicarius Generalis sine speciali mandato causas matrimoniales cognoscere possit, cùm Trid. easdem Episcopo reservet ? ℟. Juxta probabiliorem potest ; quia quando *Trident.* causas matrimoniales ab inferiori Episcopo cognosci prohibet, Vicarium Generalem, utpote cujus tribunal cum tribunali Episcopi idem est, non comprehendit.

Quæres *nono.* Quam jurisdictionem, an ordinariam, vel delegatam obtinet Vicarius Generalis ? ℟. Juxta probabiliorem habet ordinariam ; nam jurisdictio Vicarii Generalis est eadem cum jurisdictione Episcopi, ita ut utriusque idem tribunal sit, nec ab uno ad alterum detur appellatio. *cap. non putamus. 2. de consuetud. in 6.* Ergo sicut Episcopi jurisdictio ordinaria est, ita quoque Vicarii, ita, ut penes duos eadem sit jurisdictio, sed modo diverso, penes Episcopum principaliter & per se, penes Vicarium secundariò & nomine alterius : ideoque non stabilis & perpetua, sed à nutu Episcopi dependens, & revocabilis esse dignoscitur.

Quæres *decimo.* An Vicarius Generalis sit in dignitate constitutus ? ℟. *Affirm.* Ita, ut Literas Apostolicas exequi possit, *cap. statutum. 11. de rescriptis. in 6. Clement. 2. ibid.* Non tamen Vicarius foraneus, ùt expresè statuitur *in Clement. cit.*

Quæres *undecimo.* Quomodo finitur officium Vicarii ? ℟. Propriâ renuntiatione vel morte, item morte Episcopi, ejusdem depositione, translatione, resignatione, item revocatione, imò si Episcopus in censuras excommunicationis, suspensionis &c. incidat, potestas Vicarii Generalis suspenditur, eò quòd idem cum Episcopo habeat tribunal.

Quæres *duodecimo.* Qualem Vicarius Papæ Romæ habet jurisdictionem ? ℟. Habet jurisdictionem in ipsa Urbe tantùm ; sic enim de illo loquitur Innocent. III. in *cap. sua nobis. 5. de officio Vicar.*

" Jurisdictio Vicarii, quem Romanus
" Pontifex in Urbe reliquit, non
" extenditur extra illam, nisi
" ei specialiter sit con-
" cessum. "

§. Secundus.

DE

Vicario Capituli Sede vacante.

QUæres *primo.* Ad quem Sede vacante pertinet jurisdictio ? R. Sede vacante per mortem naturalem , vel civilem, per depositionem, resignationem, vel translationem Episcopi in spirituali & temporali jurisdictione succedit Capitulum. *cap. his quæ. 11. de majorit. & obedient. cap. ad abolendam. 9. de hæretic. cap. licet. 3. cap. literas. 4. de supplend. neglig. Prælat. cap. si Episcopus. 3. cap. fin. eod. in 6. cap. cum nullus. de temp. ordinat. in 6.*

Quæres *secundo.* Qualiter Capitulum jurisdictionem exercet ? R. Etsi jure communi vacante Episcopatu , Capitulum non arctetur ad constituendum Vicarium, sed jurisdictionem ad se devolutam per se ipsum exercere possit , modò tamen servari debet jus novissimum. *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 16.* quo statutum , ut Capitulum infra octo dies à die scientiæ vacationis numerandos Officialem seu Vicarium constituere, vel aliàs ab Episcopo constitutum confirmare teneatur, aliàs deputatio talis Vicarii ad Metropolitanum , & si Metropolitana Ecclesia vacet , ad seniorem Suffraganeum , vel si Ecclesia vacans sit exempta, ad viciniorem Episcopum devolvitur.

Quæres *tertio.* An Capitulum duos Vicarios constituere possit , ut alternis mensibus Vicariatûs munere fungantur? R. Apud Fagnanum *in cap. his quæ. de majorit. & obedient. n. 68.* sacra Congregatio censuit , quòd si Capitulum sit in immemoriali consuetudine duos Vicarios constituendi , si immemorialis consuetudo legitimè probetur , posse Capitulum in ea perseverare , dum tamen præditi sint illis qualitatibus , quas *Concilium Trident.* requirit.

Quæres *quarto.* An Capitulum Collegiatum defuncto ejus Prælato similiter Vicarium constituere debeat ? R. *Apud Fagn. loc. cit. n. 77.* S. Congregatio censuit non debere; nam dispositio *Trident.* solùm procedit in Capitulo Cathedralis & Metropolitanæ Ecclesiæ , ùt patet ex illius contextu.

Quæres *quinto.* Quomodo hic Vicarius constituendus ? R. Constituendus est per viam & formam electionis , veruntamen forma *cap. quia propter.* in eo actu non requiritur , sed sufficit , si major Capituli pars qualitercunque consentiat.

Quæres *sexto.* An post octiduum habitæ notitiæ , quòd Ecclesia vacet , Capitulum nihilominùs Vicarium constituere possit? R. Affirm. Dummodo Metropolitanus Capituli negligentiam supplendo manum non apposuerit ; Capitulo enim re adhuc integrâ moram purgandi competit facultas.

Quæres *septimo.* Quæ in Vicario qualitates requisitæ ? R. Saltem in jure Ca-

nonico Doctor vel Licentiatus esse debet, ex quo aliqui inferunt Doctorem vel Licentiatum Theologiæ Vicarium esse non posse, ùt à S. Congregatione dicunt esse declaratum. Ut Vicarius sit de gremio, non requiritur, quamvis, si in Capitulo idoneus sit, ille aliis videatur præferendus.

Quæres *octavo*. An Vicarius ad certum tempus constitui valeat? R. Capitulum quidem in prima commissione Vicariatûs certum præfigere tempus, vel modum præscribere potest, attamen semel datâ commissione Vicarium revocare nequit. Ut declarat S. Congregatio *apud Fagn. loc. cit. n. 71*. Quia etsi electio à Capitulo fiat, & jurisdictio, quæ exercetur à Vicario, sit jurisdictio Capituli, illa tamen à Vicario exercetur in vim *Trident.* quod obviare voluit inconvenientiis, quæ orirentur, si jurisdictio per plura capita sæpè discordia exerceretur. Nihilominùs tamen Vicarius in defectu Capituli à Metropolitano positus ad nutum potest revocari.

Quæres *nono*. Quam Vicarius Capituli habet potestatem? R. Cùm Vicarius jurisdictionem, quam habet Capitulum, exerceat, omnia facere potest, quæ jurisdictionis sunt ordinariæ, nisi expressè reperiantur prohibita, & ita Vicarius Capituli majorem, quàm Vicarius Episcopi, obtinet facultatem, eò quòd hic absque speciali mandato plura exercere nequeat.

Quæres *decimo*. Quænam Vicario Capituli specialiter sunt prohibita? R. Non potest Capitulum Sede vacante, vel ejus Vicarius intra annum literas dare dimissorias Clericis suis, ut ab alio Episcopo ordinentur. *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 10*. nisi beneficiis habitis vel habendis fuerint arctati; dicuntur autem arctati, qui habent vel habituri sunt jus ad aliquod beneficium vacans, quod certum, quo carent, ordinem requirit.

Quæres *undecimo*. Quamdiu durat Vicarii Capitularis potestas? R. Potestas & jurisdictio Capituli, & consequenter etiam Vicarii cessat, dum novus Episcopus possessionem adeptus est Episcopatûs, quâ adeptâ Vicarius novo Episcopo rationem administrationis suæ reddere obligatur. *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 16.*

Quæres *duodecimo*. An Capitulum teneatur quoque constituere Vicarium seu Oeconomum temporalem? R. De hoc ita *Trid. l. c.* Capitulum Sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum unum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant, quorum rationes ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Hos quoque in defectu Capituli, juxta ordinationem Tridentini, illi, ad quos devoluta potestas, constituunt, & ab ipsis à novo Episcopo rationes administrationis ac muneris gesti exiguntur.

§.

§. Tertius.

DE

Vicario in Divinis.

Quæres *primo*. Quis in Divinis dicitur Vicarius? ℟. Qui in Divinis ministeriis vel curis animarum, sive iis, quæ ad forum internum conscientiæ pertinent, alterius vices gerit. *Clem. unic. de offic. Vicar.*

Quæres *secundo*. Quotuplex Vicarius in Divinis? ℟. Duplex: Temporalis & perpetuus. Hic est, qui authoritate Episcopi in Ecclesia, assignatâ ei ex reditibus ipsius Ecclesiæ portione congruâ canonicè constituitur, ut stabiliter & absque irrevocabilitate nomine principalis Rectoris peragat Divina. De quo *cap. ad hæc. 3. de offic. Vicar. & cap extirpandæ. 30. §. qui verò. de præbend.* Temporalis est, qui legitimâ authoritate in locum alterius sine institutione canonica ad tempus constituitur. De quo *in cap. pervenit. 28. de appellat.*

Quæres *tertio*. In quibus Ecclesiis perpetuus constituitur Vicarius? ℟. Imprimis in Ecclesiis parochialibus, quæ alicui alteri Collegio, Monasterio, Seminario vel Ecclesiasticæ dignitati in perpetuum sunt annexæ. *cit. cap. extirpandæ. Trid. Sess. 7. cap. 7. de reform. Gloss. in Clement. unic. de officio Vicar. in 6. verb. Parochialium.* Deinde quando ob populi multitudinem præter Ecclesiam parochialem Capella vel Ecclesia filialis Ecclesiæ principali subjecta erigitur, in qua Vicarius perpetuus constituitur. *Cap. ad audientiam. 3. de Eccles. ædificand.*

Quæres *quarto*. Quis constituit Vicarium perpetuum? ℟. Nominatio seu præsentatio Vicarii perpetui ad Rectorem principalem in Ecclesia vel Prælatura, cui parochia est unita, regulariter pertinet. *cit. cap. ad audientiam. cap. ad hæc. 3.. de offic. Vicar.* Et colligitur *ex cit. cap. extirpandæ.* Ipsa tamen institutio, utì & portionis congruæ assignatio pertinet ad Episcopum. *cit. cap. ad hæc. Trid. Sess. 7. de reform. cap. 7.*

Quæres *5to*. Quis potest esse Vicarius perpetuus? ℟. In Vicario perpetuo eædem qualitates, quæ in Parocho requiruntur. Vicarii enim perpetui, in quos tota animarum cura translata est, titulum Ecclesiæ parochialis habere dicuntur, & quamvis propriè non appellentur Ecclesiarum Rectores, sunt tamen propriè Rectores animarum, eisque gregem sibi creditum pascere ex officio incumbit; cùm enim titulo Canonico in animarum cura sint subrogati, ad omnia illa, ad quæ tenentur Rectores, ipsi quoque sunt obligati.

Quæres *sexto*. Ad quæ in specie obligantur Vicarii perpetui? ℟. *1mo*. Eandem debent habere ætatem, quam ipse Parochus, dum beneficium curatum suscipit. *2do*. Infra annum Sacerdotium suscipere tenentur. *3tio*. Ad residen-

tiam ſicut ipſi Parochi intitulati obligantur. *4to.* Reſidere debent in ædibus Parochialis unitæ præbendis Capitularibus, quòd ſi Parochialis ædibus careat, in alia domo propinquiore infra Parochiæ limites à ſe conducta reſidere tenentur. *5to.* Unam tantùm Vicariam habere poſſunt. *cap. provideas. 2. de offic. Vicarii. 6to.* Si Vicarius perpetuus curam principalem alicujus Parochiæ ſit adeptus, vacat, & ceſſat Vicaria. *cap. 1. de offic. Vicar. 7timo* demùm. Diſpoſitio loquens de Parochiali etiam locum habet in Vicaria perpetua, eò quòd veniat appellatione beneficii curati; nam quæ de Eccleſiis curam animarum habentibus per receptionem aliarum ſimilium amittendis, ac de ipſarum Rectoribus promovendis ad Sacerdotium, ac de eorum ætate à jure ſtatuta noſcuntur, in perpetuis Eccleſiarum Parochialium Vicariis & aſſumptis ad ea debent obſervari. *cit. Clement. unic. de offic. Vicar.*

Quæres *ſeptimo.* Quæ Vicarii perpetui poteſtas? ℟. Vicarius perpetuus in Eccleſia Parochiali canonicè inſtitutus eandem, quam verus Parochus, habet poteſtatem, ita ut tota cura actualis ſive quoad exercitium Vicario ſit commiſſa, Rector autem principalis ſolam curam habitualem retineat. *Gloſſ. in cap. ſuper eo. 6 verb. annexæ. de præbend. in 6.*

Quæres *octavo.* Quæ poteſtas Vicarii perpetui in Parochia Collegio vel dignitati annexa? ℟. Quando Parochia eſt unita Collegio vel dignitati independenter ab onere vel cura animarum, vel ſolùm quoad temporalia, & tunc exercitium juris Parochialis in pertinentibus ad curam animarum penes ſolum Vicarium exiſtit, in iis verò, quæ ad externam defenſionem, adeoq; ad forum contentioſum, ad fabricæ reparationem &c. pertinent, penes principalem Rectorem, quòd ſi verò Eccleſia Parochialis eſt unita alteri Eccleſiæ vel Prælaturæ dependenter & pleno jure, ſive quoad temporalia & ſpiritualia, tum tota cura animarum tam actualis quàm habitualis penes Rectorem principalem reſidet, quamvis eam actu quandoque exerceat per Vicarios temporales & ad nutum amovibiles.

Quæres *nono.* An in Parochiis pleno jure unitis Capitula aut Monaſteria neceſſariò conſtituere debeant Vicarium perpetuum? ℟. Neg. cum Fagn. *in cap. ex parte. de offic. Vicar. n. 9.* Cùm enim in hoc caſu cura animarum plenè apud Capitulum aut Monaſteria reſideat, Vicarios temporales conſtituere poſſunt. Quod confirmatur ex eo, quod tunc jura Parochialia non ad Epiſcopum, ſed ad Capitulum pertineant.

Quæres *decimo.* Ex quibus cauſis ponitur Vicarius temporalis? ℟. Ex pluribus, & *1mo* quidem, quia Parochus pluribus Eccleſiis, quas legitimè obtinet, ſimul deſervire nequit. *can. & temporis. 48. cauſ. 16. q. 1. 2do.* Quia Eccleſia vacat, antequam de novo Rectore provideatur, Vicarius ad interim conſtituitur. *cap. cum vos. 4. de offic. Jud. ordin. 3tio.* Quia Parochus vel legitimè abſens, vel præſens infirmitate aliâve cauſâ impeditus curam ad tempus exercere non poteſt.

Quæres *undecimo.* Quis Vicarium temporalem

poralem constituere potest ? R. *1mo.* Parochus ob necessarium impedimentum temporalem Vicarium, dummodò is aliàs ab Episcopo approbatus sit, ad breve tempus suo loco constituere potest. *2do.* Parochus sine consensu Episcopi ad longum aliquot mensium tempus Vicarium sibi substituere non potest, ùt colligitur ex *Trid. Sess. 27. de reform. cap. 1.* ubi decernitur Parochos à suis Ecclesiis abesse non posse, nisi per duos vel tres menses de licentia Episcopi, & relicto Vicario ab Episcopo deputando. *3tio.* Ad Ordinarium quoque pertinet, parocho defuncto, curam animarum idoneo committere Vicario, donec de proprio Rectore provideatur. *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 18. 4to.* Defuncto Vicario perpetuo Vicarium temporalem substituere pertinet ad Prælatum Ecclesiæ vel Monasterii, cui Parochiale est unitum beneficium. *Barbosa cum aliis.*

Quæres *duodecimo.* An Vicarius Vicarium sibi constituere possit? R. Vicarius perpetuus, si à Parochia sua ad breve tempus absit, Vicarium sibi substituere non prohibetur, eò quòd Parocho æquiparetur. Vicarius temporalis, etsi tanquam delegatus ad universitatem causarum, quando functionibus suis peragendis non sufficit, cooperatorem assumere, eique partem jurisdictionis subdelegare valeat, de jure tamen Vicarium etiam ad breve tempus substituendi non habet potestatem.

§. Quartus.

DE

Vicariis Religionum.

QUæres *primo.* Qui dicuntur Vicarii Religionum ? R. In Religionibus illi dicuntur Vicarii, qui alicujus Prælati Regularis vices agunt ; cùm enim ipsi Prælati per se nec ubique esse, nec disciplinæ actionibusque Regularibus intendere valeant, licitè Vicarios constituunt, in quibus & per quos velut oculus speculantur, & velut manus subditorum salutem & Ecclesiæ commissæ bonum ac incrementum sedulò operantur.

Quæres *2do.* Quotuplex Vicarius Religionum ? R. Juxta differentiam Prælatorum Regularium alius est Vicarius Generalis, alius Provincialis, alius Vicarius Prælati localis.

Quæres *tertio.* Quotuplex est Vicarius Generalis? R. 2plex: Alius enim est Vicarius Generalis per constitutiones Ordinis sui positus, vel ad hoc electus & confirmatus, vel à summo Pontifice constitutus, ut v. g. Sede Generalis vacante, vel illo suspenso aut impedito vices agat Generalis, deinde alius est Vicarius Generalis, qui non jure vel statuto Ordinis, nec per electionem, sed solùm per nominationem Generalis fiunt, quod à Generalibus fieri posse probatur *arg. cap. quoniam, 14. cap. inter cætera. 15. de offic. Jud. ordin. Arg. cap. cum Episcopus. 7. eod. in 6.*

Quæ-

Quæres *quarto*. Quam habet potestatem Vicarius Generalis à jure constitutus, aut electus? R. Vicarius Generalis per statuta Ordinis datus, aut electus & confirmatus, vel à summo Pontifice constitutus jurisdictionem habet ordinariam delegabilem, quæ nec morte Generalis exspirat, nec eo suspenso aut impedito exercitium amittit. Ratio ex generali sumitur regula: Jurisdictio ordinaria est, quæ vel ex lege vel Canone, aut officio legibus erecto, vel ex supremi competit Principis commissione.

Quæres *quinto*. Quam potestatem habet Vicarius Generalis à solo Generali nominatus? R. Hic Vicarius Generalis, sive pro toto Ordine, sive pro aliqua tantùm Provincia sit institutus, solùm delegatam habet jurisdictionem à Generalibus amovibilem, nec eam subdelegare possunt, nisi pro casu quodam particulari, si ad universitatem causarum sint delegati. Illorum potestas morte Generalis exspirat. Si tamen statuta Ordinis, vel decreta Capitulorum Generalium statuerent, ut tales Vicarii à Generali constituti, in casu quo Generalis mortuus, officium suum exercere, & vices Generalis, usque dum novus confirmaretur, supplere pergerent, tunc defuncto Generali jurisdictionem habent ordinariâ, scil. ex jure Ordinis per decreta Capitulorum generalium constituto.

Quæres *sexto*. Qualem potestatem habet Vicarius Provincialis? R. De illo eodem modo loquendum, si jure Religionis per constitutiones Ordinis, vel per electionem est Vicarius Provincialis positus, ordinariam habet jurisdictionem, ille autem, qui à Generali vel Provinciali impedito, ut ejusdem vices gerat, constitutus est, delegatam solùm exercet jurisdictionem.

Quæres *septimo*. Quæ potestas Vicarii Prælati localis eo præsente? R. Vicarius Prælati localis, ut Prior claustralis subjectus Abbati, Supprior subditus Priori Conventuali, Vicarius in Ordine S. Francisci Guardiano, Minister in Collegio Societatis, dum Prælatus in Monasterio adest, nihil possunt quoad ea, quæ ad jurisdictionis pertinent potestatem, nisi quantum illis ab eodem Prælato committitur; proprium enim eorum munus est curare, ut Regularis observantia in domo & Conventu exactè observetur.

Quæres *octavo*. Quid possunt Prælato absente? R. Abbate vel Superiore locali absente, nisi ille alium pro Vicario substituerit, Vicarii temporales tempore absentiæ possunt ea ex delegatione in casibus occurrentibus, quæ Prælatus posset præsens jure ordinario.

Quæres *nono*. Quid possunt Prælatus vacante? R. Quando Monasterium Prælatum Conventualem non habet, vel quia vitâ functus est, vel suum munus absolvit, vel ab eo amotus fuit, tunc penes claustralem Priorem totam jurisdictionis potestatem esse, sustinet *Tamburr. de jure Abbatum. tom. 2. disp. 1. q. 4. n. 4.* Quod aliter verificari non potest, quàm per consuetudinem aut particulare jus Religionis, quod Vicario Prælati in tali casu, quamdiu Sedes vacat, jurisdictionem defert, & ita ex lege ordinariam obtinet jurisdictionem. Ita in Ordinibus Mendicantium absoluto triennio Superiorum localium, antequam novi instituantur,

tuantur, jurisdictio Prælati localis est penes Vicarium, qui tunc Vicarius in capite vocatur, & ordinariam Prælati localis habet jurisdictionem.

Quæres *decimo*. An Priores possint esse perpetui? R. Priores, qui instituuntur perpetuò per Canonicam electionem Capituli & confirmationem Superioris, perpetui sunt. Et de his procedit *cap. Monachi. 2. de statu Monach. junctâ gloss. verb. non mutentur.* ibi: "Priores, cùm "in Ecclesiis Conventualibus per ele- "ctionem Capitulorum suorum Cano- "nicè fuerint instituti, nisi pro manifesta "& rationabili causa, non mutentur: "ut videlicet si fuerint dilapidatores, si "incontinenter vixerint, aut tale aliquid "egerint, pro quo amovendi meritò "videantur; aut si etiam pro necessitate "majoris officii de consilio fratrum fue- "rint transferendi." Hi ergo Priores populum habere dicuntur, unde authoritate perpetua gaudent prælationis; sunt enim Ecclesiarum suarum Sponsi, quæ eorum morte viduantur. Alii autem Priores obedientiarii seu claustrales, habentes quidem Religiosos, sed non subditum populum, ad nutum Superioris, à quo constituuntur, amoveri possunt ac debent, juxta *cap. cum ad monasterium. 6. de statu Monach.* ibi: Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur, sed cùm oportuerit amoveri, sine contradictione qualibet revocetur.

Quæres *undecimo*. Quas qualitates Priores claustrales habere debent? R. "Prior præ cæteris post Abbatem potens "sit opere & sermone, ut exemplo vitæ "verboque doctrinæ fratres suos & in- "struere possit in bono, & à malo etiam "revocare, zelum Religionis habens "secundùm conscientiam, & delinquen- "tes corripiat & castiget, obedientes "foveat & confortet." *Ita cit. cap. cùm ad monasterium.*

Quæres *duodecimo*. An & qualiter Priori claustrali obediendum? R. Licèt Caramuel *in Regul. S. Benedicti. n. 739.* velit Conventualem non teneri obedire Priori claustrali, nisi in foro externo, quia in omnibus, inquit, quæ Prior injungit, nonnisi Patremfamilias imitatur. Unde Priores possunt præcipere sub præcepto ad 4tum Decalogi pertinente omnia illa, quæ ordinantur ad utilitatem, bonum, & pacem communitatis, ita, ut qui talia præcepta violaverit in materia gravi, non peccet mortaliter contra votum, sed tantùm contra quartum Decalogi. Hæc ille. Probabilius tamen est, quòd Priori claustrali vi voti obedientia sit præstanda; potestas enim ejus est dominativa, utpote participata à potestate, quæ est in Principali officium Priori committente, qui sicut per semetipsum eam præcipiendi habet potestatem, quâ subditi vi voti obedire tenentur, ita eandem per delegationem in Priorem derivare potest, quod ex eo facere censendus est; quia Abbas cum Priore in rebus Regularibus quasi unam gerit personam.

TITULUS DECIMUS-QUARTUS.

DE

OFFICIO COADJUTORIS.

QUæres *primo*, Quid est Coadjutor? R. Coadjutor est, qui datur ex causa Juris vel Judicis authoritate ad officium Ministri Ecclesiæ coadjuvandum. Unde coadjutoria est facultas ex causa juris vel Judicis authoritate alicui concessa Prælatum vel alium Beneficiatum in regimine beneficii adjuvandi.

Quæres *secundo*. Quotuplex Coadjutoria? R. 2plex: Perpetua cum spe futuræ successionis, & temporalis. Perpetua est, per quam Coadjutori jus tribuitur mortuo Coadjuto in ejus officium vel beneficium succedendi. Temporalis est, per quam Rectori Ecclesiæ ob infirmitatem vel aliam causam impedito à muneris sui exercitio, quamdiu is vivit, datur Coadjutor.

Quæres *tertio*. Quæ inter Coadjutorem perpetuum & temporalem differentia? R. *1mo*. Coadjutor temporalis nec jus nec titulum habet in beneficio, sed tantùm exercitium vel administratio illius juris vel beneficii, quod in Coadjuto remanet, est penes Coadjutorem. In Coadjutoria autem perpetua Coadjutori in beneficio acquiritur jus ad rem, quod eveniente vacatione per obitum Coadjuti jus plenum efficitur, ita, ut pro ejusmodi Coadjutore nova collatio non requiratur, sed absque alio ministro gratia Coadjutoriæ ex primo jure sibi concesso sortiatur effectum. *2do*. Coadjutoria temporalis solum respicit favorem Coadjuti & Ecclesiæ Coadjuto concreditæ, utpote cujus vices & curam Coadjutor supplere tenetur, absque eo, quòd inde præter congruam sustentationem aliquid commodi reportet. Coadjutoria perpetua respicit non solùm favorem Coadjuti & Ecclesiæ, sed etiam Coadjutoris, cui in beneficio post obitum Coadjuti jus confertur succedendi.

Quæres *quarto*. Qualis debet esse Coadjutor? R. Omnes qualitates de jure ad illud officium, pro quo datur, requisitas habere debet Coadjutor, ùt decrevit *Trid. Sess. 25. de reform. cap. 7.* Debet esse Vir providus & honestus, per quem tàm Coadjuto, quàm populo utiliter consulatur. *cap. ex parte. 5. de Cleric. ægrotant. cap. venerabili. 37. de offic. delegat. can. quamvis triste. 14. cauf. 7. q. 1.*

Quæres *quinto*. Ob quam causam datur Coadjutor? R. Ob sequentes: *1mo*. Ob infirmitatem perpetuam & tantam, ut ob eam Beneficiatus munera beneficii obire nequeat. *cit. cap. ex parte. 5. de Cleric. ægrot. cap. unic. eod. in 6. 2do*. Ob le-

lepram, propter quam sinè horrore populi Rector beneficium administrare nequit. *cap. 3. & 4. de Cleric. ægrot. 3tio.* Ob amissum linguæ usum. *cap. fin. eod. tit. 4to.* Ob amentiam. *Arg. cap. unic. eod. in 6. 5to.* Ob senium. *can. petiisti. 17. caus. 7. q. 1. 6to.* Ob imperitiam. *Trid. Sess. 21. de reform. cap. 6. cap. quoniam. 14. de offic. ordin.* Ratio generalis est Ecclesiæ benignitas, quæ non volens afflictionem addere afflicto, Beneficiato ex accidente impedito beneficium relinquit, & ne Ecclesia detrimentum patiatur, addit Coadjutorem, qui vices suppleat Beneficiati.

Quæres *sexto.* A quo datur Coadjutor? R. *1mo.* Coadjutor perpetuus nonnisi à summo Pontifice dari potest, nec est concedendus nisi Ecclesiis Cathedralibus vel Monasteriis ob urgentem necessitatem, vel evidentem utilitatem, & causâ diligenter priùs cognitâ, ùt salubriter statuit *Trident. Sess. 25. de reform. cap. 7.*

2do. Episcopo dare Coadjutorem etiam temporalem est Papæ reservatum, *per cap. unic. de Cleric. ægrot. in 6.* nisi in locis à Curia Romana dissitis, ùt extra Italiam, in quibus Episcopus senio vel adversâ valetudine gravatus de consilio & assensu sui Capituli, vel majoris partis ejusdem, unum vel duos authoritate Apostolicâ Coadjutores idoneos assumere potest. Si Episcopus amens, tunc ejus Capitulum, vel duæ ipsius partes eâdem authoritate unum vel duos Coadjutores ad officium Episcopale exequendum assumere possunt. Episcopus tamen compos rationis à Capitulo, ut sibi Coadjutorem assumat, nunquam cogi valet, sed in casu, quo Episcopus valetudine aut alio incurabili impedimento ad sui officii executionem inutilis factus fuerit, & Coadjutorem assumere noluerit, licèt à proprio Capitulo requisitus, tunc nihil per Capitulum innovetur, sed Episcopi & Ecclesiæ suæ conditionem ac facti circumstantias universas, quàm citò poterit, fideliter & explicitè ipsum Capitulum referat ad notitiam Sedis Apostolicæ, cujus ordinationi se in omnibus humiliter subjicere debet. *cit. cap. unic.*

3tio. Parochis aliisque Episcopo inferioribus, si ad officium suum exequendum incapaces sint, potest Ordinarius temporalem dare Coadjutorem.

Quæres *septimo.* An Coadjutoriæ perpetuæ sint licitæ? R. Coadjutoriæ perpetuæ maximè in beneficiis simplicibus & Canonicatibus, quia hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sunt odiosæ, & Patrum Decretis contrariæ, nemini ex statuto *Trid. Sess. 25. de reform. cap. 7.* in quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis permittendæ, cùm omnis collatio ac promissio beneficii primùm vacaturi penitùs à jure reprobetur. *cap. 1. & 2. de concess. præbend.* "Quia per promissiones hujusmodi, quæ "per importunitatem nimiam, per quam "non concedenda multoties concedun-"tur, & per ambitionem improbatam "ùt plurimùm extorquentur, aperitur "via, sub tali palliatione verborum, ad "promittenda damnabiliter contra La-"teranense Concilium beneficia vaca-"tura, mortis alienæ votum ingeritur, "&

"& Ecclesiis, ac Prælatis & personis "Ecclesiasticis gravamina plurima infe- "runtur, &c. " *Cap. detestanda. 2. de concess. præbend. in 6.*

Quæres *octavo.* An ob deputationem Coadjutoris ab onere residendi liber sit Coadjutus? R. Neg. Nam Coadjutum per deputationem Coadjutoris non absolvi ab onere residendi declaravit S. Congregatio: Parochus, cui datus est Coadjutor, non poterit abesse à residentia, multò minùs ipse Coadjutor.

Quæres *nono.* Quæ potestas Coadjutoris? R. Coadjutor absolutè & simpliciter datus potest omnia, quæ posset ipse Rector principalis. Ratio est; quia aliàs non benè per deputationem Coadjutoris Rectori principali, Ecclesiæ & populo commisso provisum esset.

Quæres *decimo.* In quibus Coadjutoris potestas est limitata? R. *1mo.* Potestas Coadjutoris limitatur, si in constitutione Coadjutoriæ certum genus negotiorum expressum, in quo sit Coadjutor, ùt in temporalibus vel spiritualibus.

2do. Si quid speciale in jure invenitur exceptum. Sic *cap. unic. de Cler. ægrot. in 6.* facere alienationes, donationes, conferre beneficia Coadjutori specialiter prohibitum est, ideo si Coadjutus sibi præsens beneficia conferre possit, illa non confert Coadjutor, secùs si Coadjutus incapax conferendi.

3tio. Si Coadjutus invitus quoad aliquid eorum, quæ ipsemet per se ipsum adhuc facere vellet & posset, ne per necessitatis occasionem præsumptiònis pullulet ambitio, ùt dicitur *in can. Pontifices. 4. caus. 7. q. 1.*

Quæres *undecimo.* Quibus expensis Coadjutor alimentandus? R. Coadjutor de facultatibus Ecclesiæ, vel beneficii, cui deservit, ad sustentationem suam congruam debet recipere portionem. *Cap. de Rectoribus. 3. de Cleric. ægrot. cap. unic. eod. in 6. Trid. Sess. 21. de reform. cap. 6.* Si autem facultates Ecclesiæ pro utroque, Coadjuto & Coadjutore non sufficiant sustentando, priùs Coadjuto, deinde Coadjutori providendum est, ulteriùs providebit Episcopus, etiam cogendo populum, ut Coadjutori necessaria præstet. *Arg. can. omnis Christianus. 69. de consecrat. dist. 1. & cap. de his. 4. de Ecclesiis ædificand.*

Quæres *duodecimo.* Quando Coadjutoris cessat officium? R. Officium Coadjutoris temporalis cessat per mortem sive naturalem, sive civilem Coadjuti. Item quando impedimentum Coadjuti, quod perpetuum esse putabatur, cessare contingit.

TITULUS DECIMUS-QUINTUS.

DE

SACERDOTIBUS ET PRESBYTERIS IN INFERIORI GRADU CONSTITUTIS.

PResbyter propriè & strictè dicitur, qui post Episcopum curam animarum vel saltem Sacerdotalem habet. De hoc agemus §phis sequentibus. Et quidem §. *1.* De simplici Presbytero. §. *2.* De Presbytero Parochiali. *3tio.* De functionibus Parochialibus.

§. Primus.

DE

Simplici Presbytero.

QUæres *primo.* Quid est Sacerdos? ℟. Est Vir authoritate Divinâ, sive ex Christi institutione ad conficiendum Christi Corpus & Sanguinem & absolvendos à peccatis pœnitentes consecratus. Dicitur *1mo: Vir;* quia fœmina sacrorum Ordinum incapax est. De quo infrà. *2do. Ex institutione Christi*, juxta *Can. 2. Trid. Sess. 22. de Sacrificio Missæ. Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinâsse, ut ipsi & alii Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum, anathema sit. 3tio. Ad conficiendum corpus &c.* juxta *Can. 1. Trid. Sess. 23. de Sacram. ordin.* "Si quis dixerit non esse in Novo "Testamento Sacerdotium visibile & "externum, vel non esse potestatem "aliquam consecrandi, & offerendi ve-"rum Corpus & Sanguinem Domini, & "peccata remittendi & retinendi, ana-"thema sit."

Quæres *secundo.* Quæ nomina in jure habet Sacerdos? ℟. Dicitur *1mo: Sacerdos*, "quod nomen compositum ex "Græco & Latino, quasi Sacrum dans; "sicut enim Rex à regendo, ita Sacerdos "à sacrificando dictus est; consecrat "enim & sacrificat." *Can. Cleros. 1. §. Sacerdos. dist. 21. 2do* vocatur *Presbyter*, "quod nomen Græcum Latinè se-"nior interpretatur: non modò pro ætate "vel decrepita senectute, sed etiam "propter honorem & dignitatem, quam "acceperunt, Presbyteri nominantur."

cit. can. Cleros. "quorum probata vita "senectus est." *Trid. Sess. 25. de reform. cap. 12.*

Quæres *tertio.* An Sacerdotes distinguantur ab Episcopis? ℟. Quamvis nomina Sacerdotibus propria sæpiùs in jure etiam Episcopis attribuantur, ùt *can. legimus. 24. dist. 93. can. olim. 5. dist. 95.* & pluribus aliis, quin & quandoque in materia favorabili & non odiosa Presbyteri & Sacerdotis nomine veniant Diaconus & Subdiaconus. *Cap. si quispiam. 2. de cohabit. Cleric. & mulier. junct. gloss. verb. Sacerdotum:* Attamen Sacerdotes simplices ex Jure Divino ab Episcopis sunt distinguendi; quia majorum & minorum Sacerdotum discretio in Novo Testamento ab ipso sumpsit exordium, qui duodecim Apostolos tanquam majores Sacerdotes, & septuaginta duos Discipulos tanquam minores Sacerdotes instituit. *Gratian. dist. 21. in principio.* Ideoque *à Trid. Sess. 23. can. 7. de Sacrament. Ordinis.* damnantur, qui docent Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, vel ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communé. Omnes igitur Presbyteri non sunt Episcopi, licèt omnes Episcopi sint Presbyteri, cùm Pontificale Officium absque Altaris ministerio non valeat adimpleri. *Cap. ex literis, 10. de excessib. Prælat.* Ad *can. legimus, & can. olim.* suprà citat. in quibus à S. Hieronymo dici videtur, quòd post mortem Christi idem fuerit Presbyter & Episcopus, sed postmodum ad tollenda schismata introducta fuerit discretio, respondet *S. Thom. 2. 2. q. 184. a. 6. ad 1.* Ab initio Ecclesiæ non fuisse distinctionem nominum, semper tamen distinctionem rerum, cui ad tollenda schismata etiam nominum accessit distinctio.

Quæres *quarto.* Quanta dignitas Sacerdotum? ℟. Magna est Sacerdotum dignitas, quæ facilè ex sequentibus colligitur encomiis: *1mo.* "Sacerdotes in "Divinis eloquiis aliquando Dii, aliquando Angeli appellantur, nam per Moysen de eo, qui ad juramentum adducendus, dicitur: *Applica eum ad Deos,* "hoc est, Sacerdotes. Item: *Diis non detrahes,* hoc est, Sacerdotibus. *Exod. 22. Malach. 2.* dicitur: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini excituum est.*" *Can Sacerdotibus. 41. caus. 11. q. 1.*

2do. Sacerdotes præeminent Regibus. Aurum non tam est pretiosius plumbo, quàm Regiâ potestate est altior dignitas Sacerdotalis. *Can. duo sunt. 10. dist. 96.* Quis dubitet Sacerdotes Christi Regum & Principum omniumque Fidelium Patres & Magistros censeri. *can. quis dubitet. 9. dist. ead.*

3tio. Sacerdotes B. Petrus sal terræ & lumen mundi esse docet. *Can. Sacerdotes. 7. dist. 93.*

Quæres *quinto.* Quæ reverentia exhibenda Sacerdoti? ℟. "Sacerdotes, qui "proprio ore Corpus Domini conficiunt, ab omnibus sunt audiendi atque "timendi, non dilacerandi aut detrahendi; quia à quibus se Domini populus benedici, salvari, & instrui cupit, "nullatenùs eos debet arguere." *Can. Sa-*

Sacerdotes. 7. cauſ. 6. q. 1. "Abſit, ut "quidquam ſiniſtrum de his arbitremur, "qui Apoſtolico gradui ſuccedentes "Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt, "per quos nos etiam Chriſtiani ſumus, "qui claves Regni cœlorum habentes "ante judicii diem judicant." *Can. abſit. 14. cauſ. 11. q. 3.* "Dominum crucifigunt, qui eum in Sacerdotibus ſuis "perſequuntur." *Can. nulli. 5. cauſ. 3. q. 1.* "Ipſi quoque Epiſcopi Presbyteros honorare præcipiuntur. Epiſcopus "in quolibet loco ſedens ſtare Presbyterum non patiatur." *Concil. Carthaginenſe IV. relatum in can. Epiſcopus. 9. diſt. 96.* "Epiſcopus in Eccleſia & in conſeſſu Presbyterorum ſublimior ſedeat, "intra domum verò Collegam ſe Presbyterorum eſſe cognoſcat." *Can. Epiſcopus. 10. ibid.* "Miſerabilis ergo inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, "diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubjugare, & iniquis obligationibus illum "ſuæ poteſtati ſubjicere, à quo credit "non ſolùm in terra, ſed etiam in cælis "ſe poſſe ligari & ſolvi" *Cit. can. quis dubitet. 9. diſt. 96.*

His demùm ſubjicere placuit *l. 10. eod. de Epiſcop. & Cleric.* de vendicanda & conſervanda Presbyterorum veneratione ſic ſtatuentem: "Si quis in hoc genus "ſacrilegii proruperit, ut in Eccleſias "Catholicas irruens Sacerdotibus & Miniſtris vel ipſi cultui locoque aliquid "importet injuriæ, quod geritur, à Provinciæ Rectoribus animadvertatur, "atque ita Provinciæ Moderator Sacerdotum & Catholicæ Eccleſiæ Miniſtrorum, loci quoque ipſius & Divini cultûs injuriam capitali in convictos ſeu "confeſſos reos ſententiâ noverit vindicandum, nec exſpectet, ut Epiſcopus "injuriæ propriæ ultionem depoſcat, cui "ſanctitas ignoſcendi gloriam dereliquit. "Sitque cunctis laudabile factas atroces "Sacerdotibus aut Miniſtris injurias, ve"luti crimen publicum, perſequi, ac "de talibus reis ultionem mereri."

Quæres *ſexto.* Quodnam officium Sacerdotum? R. *1mo.* Sacerdotis principale officium eſt Corpus & Sanguinem Chriſti conficere, & hoc Sacrificium DEO pro vivis & defunctis offerre, ipſumque Corpus Chriſti confectum, nempe ſacroſanctam Euchariſtiam, decenter adminiſtrare. Ut hoc miniſterium ſæpiùs exequantur, *Trid. Seſſ. 23. de reform. cap. 14.* monet Epiſcopos, quatenùs curam gerant, ut Sacerdotes ſimplices ſaltem diebus Dominicis & Feſtis ſolemnibus, ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent.

2do. Officium Sacerdotis eſt Sacramentum pœnitentiæ pœnitentibus adminiſtrare, ac peccata dimittere; "Dominus enim noſter JESUS Chriſtus è "terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes "ſui ipſius Vicarios reliquit tanquam "Præſides & Judices, ad quos om"nia mortalia crimina deferantur, in "quæ Chriſti Fideles ceciderint: quo "pro poteſtate clavium remiſſionis "aut retentionis peccatorum ſententiam "pronuntient." *Trid. Seſſ. 14. cap. 5. de pœnit.* Ubi *can. 10.* anathematizantur, qui dicunt Sacerdotes etiam, qui in mortali ſunt, non habere poteſtatem li-

ligandi & solvendi, vel non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis.

3tio. Sacerdotis munus est Sacramentum Baptismi solemniter administrare. *Can. Diaconos. 13. dist. 93. can. constat. de consecrat. dist. 4.*

4to. Sacerdotis est Sacramentum Extremæ Unctionis conficere. *Trid. Sess. 14. cap. 3. de Extrem. Unct. & can. 4.*

Quæres *septimo.* An ad Sacerdotem pertineat plebis instructio? ℟. Non tantùm instructio Fidelium in necessariis ad salutem, sed etiam Verbi DEI prædicatio ad Sacerdotem pertinere noscitur; "Præconis quippe officium suscipit, quis-"quis ad Sacerdotium accedit, ut ante "adventum Judicis, qui terribiliter se-"quitur, ipse scilicet clamando gradia-"tur," *Can. si Rector. 1. dist. 43.* Ideo *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 14.* "exigit, "ut, antequam quispiam ad Ordinem "Presbyterii assumatur, priùs ad popu-"lum docendum ea, quæ scire omnibus "est necessarium ad salutem, ac admi-"nistranda Sacramenta, diligenti exa-"mine præcedente, idoneus compro-"betur." Ut enim advertit *Gratian. ad Can. si qui Episcopi. 43. caus. 1. q. 1.* "Cæ-"tera Sacramenta unicuique propter se "dantur, & unicuique talia fiunt, quali "corde vel conscientiâ accipiuntur, Sa-"cramentum verò Sacerdotalis promo-"tionis non propter se solum, sed pro-"pter alios datur, & ideò necesse est, "ut vero corde mundâque conscientiâ, "quantùm ad se sumatur, quantùm ad "alios verò non solùm sine omni culpa, "sed etiam sine omni infamia, propter "scandalum fratrum, ad quorum utili-"tatem non solùm, ut præsint, sed etiam, "ut prosint, Sacerdotium datur."

Quæres *octavo.* An Sacerdotium sit ante manûs impositionem? ℟. Affirm. Quia quamvis Presbyteri in manuum impositione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, postquam tamen Episcopus porrexit calicem cum vino, & patenam cum hostia, & dixit: *Accipe potestatem Sacrificium offerendi*, juxta Divinam institutionem est verus Sacerdos, & characterem recepit; Apostoli namque in Cœna fuerunt ordinati Sacerdotes, & acceperunt potestatem consecrandi Corpus & Sanguinem Christi, & tamen tunc à peccatis absolvendi non acceperunt potestatẽ. Deinde sic ordinatus consecrat unà cum Episcopo consecrante, & propterea in rubrica Pontificalis disponitur, ut Pontifex celebrans morosè dicat, & aliquantulùm altè, ita ut ordinati Sacerdotes possint secum omnia dicere, & præsertim verba consecrationis, quæ dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem.

Quæres *nono.* Qualis ætas & tempus requiritur in ordinando Sacerdote? ℟. Quoad ætatem nullus ad Presbyteratûs Ordinem ante 25. ætatis suæ annum est promovendus. *Trid Sess. 23. cap. 12.* "Deinde qui piè & fideliter in "ministeriis antè actis se gesserint, & ad "Presbyteratûs Ordinem assumuntur, "bonum habeant testimonium, & hi sint, "qui ad minus annum integrum, nisi "ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem "aliud Episcopo videretur, in Diaco-"natu ministraverint." *Trid. loc. cit. cap. 14.*

Quæ-

Quæres *decimo*. An in Sacerdote requiratur scientia? R. "Ignorantia mater cunctorum errorum maximè in Sacerdotibus DEI vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt, quibus incumbit ædificare cunctos tam fidei scientiâ, quàm operum disciplinâ." *Can. 1. dist. 38.* "Si in Laicis vix tolerabilis videtur insciti a, quantò magis in iis, qui præsunt, nec excusatione digna est nec veniâ." *Can. 3. ibid.* "Substantia Sacerdotii nostri sunt eloquia divinitùs tradita, hoc est, vera Divinarum Scripturarum disciplina." *Can. omnes. 6. ibid.* "Si juxta Apostolum Paulum Christus DEI virtus est, DEIque sapientia, & qui nescit Scripturas, nescit DEI virtutem, ejusque sapientiam, ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est." *Can. si juxta. 9. ibid.*

Quæres *undecimo*. Quæ morum honestas in Sacerdote requiritur? R. Sacerdotes ita pietate ac castis moribus conspicui esse debent, ut præclarum bonorum operum exemplum & vitæ monita ab eis possint exspectari. *Trid. sess. 23. de reform. cap. 14.* Nos enim qui præsumus, non ex locorum vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus, nec urbium claritate, sed sed fidei puritate. *Can. 3. dist. 40.* Multimodis ergo virtutibus debet splendere vita Sacerdotis, ut gradui conferat decorem, quem ab eo non accepit, non enim loca, sed vita & mores sanctum faciunt Sacerdotem. Unde ex susceptο officio non licentiam peccandi, sed necessitatem benè vivendi se noverint assecutos. *Gratian. in dist. 40. princip.*

Quæres *duodecimo*. Quid de malis Sacerdotibus dicendum? R. Horrenda sunt, quæ de malis dicuntur Presbyteris. *Can. multi. 12. dist. 40. can. nemo. 2. dist. 83.* ibi: "Nemo in Ecclesia nocet amplius, quàm qui perversè agens nomen vel ordinem sanctitatis habet; delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer exrenditur, quamdiu pro reverentia Ordinis peccator hortatur." *Can. Sacrosancta. 92. caus. 1. q. 1.* Non omnis, qui dicit: Pax vobis, quasi columba est audiendus, cùm multi sint corvi, quibus æquiparantur mali Prælati & Sacerdotes ob nigredinem vitiorum, raucedinem vocis, voracitatem mortuorum seu oblationum, ob fœtorem spiritûs, garrulitatem & furtum. *Can. non omnis. 30. caus. 2. q. 7. junct. gloss.*

§. Secundus.

DE

Proprio seu Parochiali Presbytero.

QUæres *primo*. Quid est Parochia? R. Parochia sive parœcia ex sua origine nomen Græcum est, significans conventum accolarum vel vicinorum.

In præsenti significat locum finibus certis limitatum, in quo degit populus alicui Ecclesiæ deputatus.

Quæres *secundo*. Qualiter, qui huic populo præest, appellatur? ℟. Qui Ecclesiæ Parochiali præficitur, appellatur aliquando Parochus, aliquando etiam Plebanus, ùt in *cap. scriptum. 40. de elect.* Vel à plebe, cujus curam gerit, vel à plebania, quæ est Matrix Ecclesia. *Cap. ad audientiam. 3. de Eccles. ædificand. cap. 1. de præscript. Trid. Sess. 21. de reform. cap. 7.* habens sub se plures Ecclesias vel Capellas. *Cap. 1. ne Clerici vel Monachi. in 6. junct. gloss.* Aliquando Rectores nuncupantur, quia Rector talis Ecclesiæ, quæ Parochialis vocatur, animarum totius populi intra limites illos congregati curam habet. *Cap. 1. de Capell. Monach.* Hodie vulgato nomine dicuntur Pastores, quo nomine Parochos honoravit Apostolus ad Ephesios scribens: *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores.* Demùm Parochus proprius Sacerdos appellatur. *Cap. omnis utriusque. 12. de pœnit. & remiss.*

Quæres *tertio*. Unde Parocho nomen Pastoris? ℟. Nomen Pastoris à pascere derivatur, Parochi enim oves sibi concreditas pascere debent *1mo* institutionis verbo. *Can. Ephesiis. 4. dist. 43. can. audacter. 18. caus. 8. q. 1. 2do* conversationis exemplo. *Can. præcipuè 3. caus. 11. q. 3. 3tio* Eucharistiæ Sacramento, sub quo cætera comprehenduntur Sacramenta. *Can. non prohibeat. 67. de consecrat. dist. 2. 4to.* Temporali subsidio. *Can. nulli Episcoporum. 62. caus. 16. q. 1. 5to* demùm ad exemplum Christi opportuno tempore animam suam pro ovibus exponendo. *Can. suggestum. 46. can. scisciteris. 47. can. adversitas. 48. caus. 7. q. 1.*

Quæres *quarto*. Quæ Parochiarum origo? ℟. Antiquitùs intra eandem Diœcesin Parochiæ non erant distinctæ, sed Episcopi totius Diœcesis curam animarum habebant, & tunc Parochia idem erat, quod Diœcesis. Exemplum est *in can. si quis. dist. 92.* Posteà S. Dionysius Papa singulas Ecclesias singulis Presbyteris dedit, parochias & cœmeteria eis dividens, & unicuique jus proprium habere statuens, ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terminos aut jus invaderet, sed unusquisque suis terminis contentus esset, & taliter Ecclesiam & plebem sibi commissam custodiret, ut ante tribunal æterni Judicis ex omnibus sibi commissis rationem redderet. *Can. 1. caus. 13. q. 1. cap. pastoralis. 9. de his quæ fiunt à Prælat.* Novissimè *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 13.* distinctionem Parochiarum, ubi illa nondum introducta, introduci præcipit decernendo: "Ut in "iis civitatibus & locis, ubi Parochiales "Ecclesiæ certos non habent fines, nec "earum Rectores proprium populum, "quem regant, sed promiscuè Sacra- "menta administrant, Episcopi pro tu- "tiori animarum eis commissarum salute "distincto populo in certas propriasque "Parochias unicuique suum perpetuum "peculiaremque Parochum assignent, "qui eas cognoscere valeat, & à quo "solo licitè Sacramenta suscipiant."

Quæ-

Quæres *quinto*. An omnis habens curam animarum sit Parochus ? R. Negativè ; quia cura animarum duplex est: propriè & strictè, ac latè sumpta. Strictè sumpta est cura pœnitentialis , quando videlicet quis Sacramentum pœnitentiæ & reliqua Sacramenta à se suscipere obligatis , administrare tenetur. *Gloss. in Clem. dudum. de sepultur. verb. impendant.* Hæc cura fori interni iterùm duplex est: Actualis, quam actu per se exercere obligantur, qui officium habent parochiale. Alia habitualis , quando nimirùm ex prima institutione cura annexa fuit , sed ea postmodum per unionem, privilegium, consuetudinem, vel alium casum sublata fuit , ut quia Parochiani recesserunt, defecerunt à fide, vel nondum adsunt. Cura animarum latè sumpta est pertinens ad forum externum sive potestas fori contentiosi & judicialis circa correctionem morum. *Cit. Clement. dudum.* Et habens curam animarum fori externi non est Parochus.

Quæres *sexto*. Quot sunt requisitæ in Parocho qualitates? R. Tres , expressæ *in cap. cum in cunctis. 7. de elect. cap. licet. 14. eod. in 6.* Scilicet: Ætatis maturitas, morum gravitas, & debita scientia.

1mo. Quoad ætatem annum vigesimum quintum attigisse debet , ad quod sufficit unum diem anni vigesimi quinti attigisse , secùs collatio nulla est. *Cit. cap. licet.*

2do. Quoad morum gravitatem, cùm nihil magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat , quàm eorum vita & exemplum , qui se Divino ministerio dedicârunt. *Trid. Sess. 22. de reform. cap. 1.* Ideo omnia illa, quæ generaliter de vita & honestate Cleticorum , de vitandis luxu vestium & capillorum , crapula , lusu , incontinentia , & negotiis sæcularibus à sacris Canonibus sunt statuta , tantò magis Parochi observare debebunt , quantò ipsis cum cura animarum arctiùs incumbit , ut aliis bono exemplo præluceant, quamvis hodie , ùt conqueritur *Corbinus de benefic. Ecclesiastic. tit. 6.* prô dolor ! de hoc curetur parùm , & fiat tantùm informatio pro forma , cùm tamen hujus conditionis ratio sit habenda potissima.

3tio. Quoad literarum scientiam, quia regimen animarum est ars artium. *Cap. cum sit. 14. de ætat. & qualit.* & animæ sunt omnibus aliis pretiosiores. *Can. præcipimus. 24. caus. 12. q. 1.* Et ubi majus periculum vertitur , ibi cautiùs est agendum. *Cap. ubi periculum. 3. de elect. in 6.* Ideo cura animarum non est committenda alicui, qui non idoneus ætate, moribus , doctrinâ , prudentiâ & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis judicatus fuerit. *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 18.* Integritas enim præsidentium salus est subditorum. *Trid. Sess. 6. de reform. cap. 1.* Et nihil est, quod Ecclesiæ DEI magis officiat, quàm quòd indigni assumantur ad regimen animarum.

Quæres *septimo*. Quæ obligatio in Neo - Pastore ad professionem fidei ? R. *1mo.* "Provisi de beneficiis quibuscun-"que curam animarum habentibus te-"nentur à die adeptæ possessionis , & ad "minus intra duos menses in manibus "ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram

" Generali ejus Vicario seu Officiali Or-
" thodoxæ suæ fidei publicam facere pro-
" fessionem , & in Romanæ Ecclesiæ
" obedientia se permansuros spondere ac
" jurare. " *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 12.*

2do. Hoc præceptum sub mortali obligat, quia verbis utitur gravibus, gravemque infert pœnam : *Alioquin fructus non faciant suos , nec illis possessio suffragetur.* Quæ gravem culpam indicare videntur.

3tio. Quòd si tempus bimestris à die adeptæ possessionis elabi permiserint, nihilominùs ad professionem fidei obligantur, quia terminus ille non ad terminandam obligationem, sed ad differendam pœnam est præfixus. Potest autem Neo-Parochus huic obligationi satisfacere per se ipsum, vel Procuratorem, ad hoc speciale mandatum habentem, juxta regulam generalem 68. *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. De Regul. Juris. in 6.*

Quæres *octavo.* Quæ obligatio in Neo-Pastore ad Sacerdotium? R. *1mo.* Non requiritur, ut qui accipit Ecclesiam Parochialem in titulum, actu sit Presbyter, sed sufficit, quòd initiatus primâ tonsurâ in statu sit , ut intra annum ad Sacerdotium promoveri valeat. *Cap. si pro Cleric. 8. de præbend. in 6. cap. 2. de instit. in 6.* Dixi : *In titulum :* quia cui commendatur Ecclesia Parochialis , actu Sacerdos esse debet , *per cap. nemo deinceps. 15. de elect. in 6.*

2do. Si à die , quâ pacificam habuit possessionem , vel per eum stetit, quò minùs illam haberet, post annum completum non legitimè impeditus Sacerdotium non susceperit , est ipso facto Parochiâ privatus , & , si animum non habuerit ab initio Sacerdotium suscipiendi , etiam fructibus anni illius , per textum *in cap. licet Canon.* 14. *cap. commissa. 35. de elect. in 6.* Hoc intelligendum de Ecclesia purè Parochiali, si enim simul Collegiata , non tenet. *per cap. statutum. 22. de elect. in 6.*

3tio. Si annus nondum elapsus, quamvis modò Ordines suscipere non valeat, nondum est privatus. *Cit. cap. commissa.* Attamen si illo tempore , quo ampliùs intra annum illum Ordines suscipere nequit , impedimentum occurrat , v. g. infirmitas , ob quam Ordines suscipere non valet, illud impedimentum evoluto anno non excusat juxta Juris-Consultorum axioma : *Impedimentum superveniens tempore , quo actus fieri non potest , non excusat.*

4to. Episcopus cum Neo-Parocho dispensare, & terminum præfixi Sacerdotii usque ad septennium prorogare potest, dummodò Subdiaconatum suscipiat, studiorum favore ; quia Ecclesia ad sui regimen viris literatis maximè noscitur indigere. *cap. cum ex eo. 34. de elect. in 6.* Quod non correctum per *Trid. Sess. 7. de reform. cap.* 12. Ubi dicitur facultates de non promovendo præterquam in casibus in jure expressis concessæ ad annum tantùm suffragentur , quia hic casus in jure , utì jam ostensum est , clarè expressus habetur.

Quæres *nono.* In quo exercitium curæ animarum consistit? R. *Trid. Sess. 23. de reform. cap.* 1. " id paucis & nervosè ex-
" primit admonendo & hortando omnes,
" ut

"ut Divinorum Præceptorum memores "factique forma gregis in judicio & ve- "ritate præsint & regant, cùm præcepto "Divino mandatum sit omnibus, quibus "cura animarum commissa est, oves suas "agnoscere, pro his sacrificium offerre, "Verbique Divini prædicatione, Sacra- "mentorum administratione, ac bonorũ "omnium operum exemplo pascere, pau- "perum aliarumque miserabilium perso- "narum curam paternam gerere, & in "cætera munia Pastoralia incumbere."

Quæres *decimo*. Quæ sunt Parochi obligationes? R. Sequentes: Obligatur Parochus *1mo* ad residentiam. *2do* ad exercendas functiones Pastorales. *3tio* ad recitandum Officium Divinum. *4to* ad celebrandas populo Missas. *5to* ad prædicationem. *6to* ad procurandam Ecclesiæ reparationem. *7timo* ad conservandum & promovendum debitum Ecclesiæ cultum & honorem. *8vo* ad administranda Sacramenta. De hoc ultim. in seq.

Quæres *undecimo*. Qualis obligatio Parochi ad residentiam? R. *1mo*. Parochus, uti & quivis alius animarum Rector de jure Divino in sua Ecclesia residere tenetur. *Trid. cit. Sess. 23. de reform. cap. 1.* Ideo tam impensè idem Concilium *Sess. 6. cap. 1. & 2.* urget residentiam. *2do*. Ad hanc residentiam tria: nempe ut Parochus in propria Ecclesia, ut formaliter, ut continuò resideat, requiruntur. Inprimis, ut in propria Ecclesia, quia in domo Parochiali, si sit, residere debet, & si Parochia domum non habeat, in alia, quæ est intra limites ejus vel saltem vicinia: si duas Ecclesias unitas habeat, in digniore, si de ea non constet, in frequentiore, si una sit intra, altera extra urbem, in ea, quæ est intra, residere obligatur. Parochialem Ecclesiam cum Canonicatu ex legitima dispensatione habens in Parochiali domo residere debet; cura enim animarum ex constitutione S. Pii V. quæ incipit: *Cupientes*. est perpetua. Deinde ut formaliter resideat. Residentia ad quam Parochus tenetur, non est residentia materialis, id est: sola habitatio in Parochia, sed residentia formalis, id est: exercitium muneris Pastoralis, quod iterùm non consistit in materiali eorum, quæ ad munus Pastorale pertinent, executione, sed in formali regimine & directione ovium suarum, sive quòd ipse Parochus disponat, quæ pertinent ad curam animarum in omnibus & singulis occasionibus, pro cujusque necessitate, & ita Parochus, qui ratione numerosæ plebis Sacerdotes sibi adjungit, quibus certam partem Parochiæ committit, formaliter residere dicitur, *Pignat. tom. 7. con. 4. n. 11.*

Demùm ut continuò resideat, ita ut ex rigore *Trident.* etiam ad aliquos dies à Parochia abesse nequeat sine licentia Episcopi, ût multi valdè probabiliter deducunt ex illis *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 1.* verbis: "Ita tamen, ut quando- "cunque eos, hoc est: Curatos inferio- "res, aliosque, qui beneficium aliquod "Ecclesiasticum curam animarum ha- "bens obtinent, causâ priùs per Episco- "pum cognitâ & probatâ abesse contige- "rit Vicarium idoneum ab ipso Ordina- rio approbandum, cum debita merce- "dis assignatione relinquant."

Causæ excusantes à residentia sunt:

Christiana charitas, urgens necessitas, obedientia debita, evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas. *Trid. loc. cit.* Ut ex his causis ultra bimestre Parochus legitimè abesse possit, tria requiruntur: 1*mo.* Ut ea causa ab Episcopo priùs cognoscatur & approbetur, qui non nisi ex gravi causa ultra bimestre licentiam non residendi dare potest. 2*do.* Ut Vicarius relinquatur idoneus, non quicunque aliàs approbatus, sed ad hunc casum ab Episcopo admissus. 3*tio.* Ut facultas in scriptis & quidem gratis concedatur. Ita *Trid. l. c.* "Quod simul adhortatur, "ne per illius temporis spatium Domini- "ci Adventûs, Quadragesimæ, Nativi- "tatis, Resurrectionis Domini, Pen- "tecostes, item & Corporis Christi die- "bus, quibus refici maximè, & in Do- "mino gaudere Pastoris præsentiâ oves "debeant, ipsi nullo modo absint." 4*to.* Non residentes præter peccati mortalis reatum pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciunt, nec tutâ conscientiâ, aliâ etiam declaratione non secutâ, illos sibi retinere possunt, sed tenentur eos fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci erogare.

Quæres *duodecimo.* Quæ Parochum à residentia specialiter non excusant? R. Sequentia: 1*mo.* Parochus ob servitium Episcopi à residentia non excusatur, ideo, ùt declaravit S. Congregatio, Episcopus operâ Parochi in visitatione, vel alio suæ Diœcesis officio uti non potest, nisi pro tempore duorum mensium permisso, nec Parochus in Vicarium Generalem, in Inquisitorem &c. assumi potest.

2*do.* De jure novo propter studia à residentia non excusatur. Quamvis enim olim Parochi cum licentia Episcopi studiorum causâ per septennium abesse poterant, ùt est textus *in cap. cum ex eo. 34. de election. in 6.* Hodie tamen post Concilium *Trid.* id ampliùs per Episcopum concedi non potest, ùt declaravit S. Congregatio. Ratio est: quia assumendus ad Parochiam moribus & scientiâ debet actu esse dignus, & ex digniis dignior est assumendus.

3*tio.* Paucitas ovium vel defectus domûs propriæ non excusat; alienam enim domum conducere potest. Attamen tolerari potest, quòd Parochus Parochiæ tenuis paucarum ovium in Parochia non resideat, quousque per unionem simplicis beneficii, vel alio modo ejus congrua portio suppleatur, dummodò illuc festis diebus ad celebrandum, & quando pro Sacramentorum administratione vocabitur, accedat. Si tamen Episcopus id tolerare noluerit, obedire & residere tenebitur; ùt declaravit S. Congregatio apud Pignatel. *tom. 2. cons. 4. n. 18.*

4*to.* Infirmitas & aëris intemperies Pastorem à residentia non excusant: sed si infirmitas curabilis sit, & in loco Parochiæ non sit copia medicorum, poterit Episcopus trium vel quatuor mensium dilatationem concedere, ut iterùm declaravit S. Congregatio *ibid.*

5*to.* Ob pestem Parochus à residentia non excusatur. Id etiam apud Pignat. *tom. 4. cons. 17.* declarat S. Congregatio hoc modo: Parochi tempore pestis omninò tenentur residere in suis Ecclesiis Parochialibus, & si non resideant, agendum est contra eos. Ministrent verò Pa-

Parochianis peste infectis Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ per alios, idque pro commoditate Parochianorum, qui sani quoque verisimiliter conversari nollent cum Parochis ad peste infectos euntibus.

6to. Pastorem à residentia non excusat persecutio, circa quam notabilis hæc facienda distinctio *ex can. adversitas. 48. §. hoc tunc servandum. caus. 7. q. 1.* cùm specialiter Pastor quæritur, fugiat exemplo Christi. Si verò non Prælato tantùm, sed generaliter periculum omnibus imminet, & animarum salus salva esse non potest, Pastor animam suam pro ovibus suis ponere debet. Ratio disparitatis est: Dum persecutio specialiter in Pastorem movetur, fugere potest, quia non desunt alii periculo immunes, per quos animarum salus tuta esse possit, aut fugere nequit v. g. à loco peste infecto, vel dum persecutio in omnes Catholicos vel Sacerdotes excitatur; quia cùm periculum omnibus sit commune, nec sint alii, qui ex officio tutò assistere valeant, Pastor pro ovibus animam suam ponere debet.

7timo. Demùm à residentia Parochum consuetudo, quantùm ad rationem formalem residentiæ non excusat. Circa residentiam enim duo ponderanda sunt: obligatio residendi, & obligatio petendi licentiam, si justa absentiæ causa subsit: à prima obligatione nulla excusat consuetudo, vel dispensatio, cùm residentia juris naturalis & Divini sit, obligatio petendi licentiam, cùm sit juris humani, per contrariam consuetudinem absolutè limitari vel tolli potest. Si tamen ex consuetudine Parochi ultra duos menses absque licentia à Parochia abesset, talis consuetudo, utpote à jure reprobata, habenda foret pro corruptela.

§. Tertius.

DE

Functionibus Parochialibus.

QUæres *primo.* Quæ sunt functiones Pastorales? R. Sequentes: *1mo.* Sacramentorum in Parochia administratio. *2do.* Fontis Baptismalis suis temporibus benedictio. *3tio.* Ssmi Sacramenti delatio. *4to.* Missarum Feriæ 5tæ in Cœna Domini, & Sabbathi sancti celebratio. *5to.* Candelarum in die Purificationis B. V. MARIÆ benedictio. *6to.* Cinerum & Palmarum in 40ma. *7timo.* Processionum per Parochiam directio. *8vo.* Mortuorum sepultura. *9no.* Nubentium benedictio.

Quæres *secundo.* Quas annotationes Parochus facere tenetur? R. Parochus oves suas non tantùm quoad numerum, sed etiam familias singulas, in iisque personas singulas, cum earum ætate & qualitate agnoscere debet, ideoque Ritualia præscribunt, ut librum habeat, in quo familias & personas subditorum cum nota ætatis, Sacramentorum aliisque similibus describat. Prætereà quatuor Matriculas, Baptismalem, matrimonialem, mortualem, & confirmatorialem

torialem facere debet. Baptismali inscribendi omnes, qui baptizantur, & si ex legitimo matrimonio nati, eorum parentum & patrinorum nomina, unà cum die, mense & anno. *Trid. Sess. 24. de reform. matrim. cap. 2.* Si illegitimi, scribendum, quòd prolem ignoti patris vel parentum baptizaverit. Finis hujus annotationis est, ut baptismus, baptizati ætas, origo, impedimentum spiritualis cognationis probari possint. Matrimoniali inscribenda nomina eorum, qui in Parochia sua contrahunt matrimonia, testium, & locus, ut Pastor in casu disputationis de contracto matrimonio fidem præstare valeat. *Trid. loc. cit. cap. 1.* Mortuali in Parochia defunctorum nomina inscribere debet, ut mors & sepultura singulorum probari possint. Confirmatoriali nomina & cognomina Confirmatorum, eorum parentum, patrinorum, uti & Episcopi administrantis cum die, mense & anno sunt inscribenda.

Quæres *tertio*. Qualis obligatio Parochi ad recitandas Horas Canonicas? R. Parochi, sicut & cæteri Beneficiati Divinum Officium recitare tenentur. *Can. fin. dist. 92. cap. fin. de rescript. in 6.* Idque studiosè & devotè. *Cap. dolentes. de celebrat. Missarum.* Sub pœna peccati mortalis & privationis fructuum ex constitutione S. Pii V. quæ incipit: *Ex proximo.* Ubi non solùm de Parocho, sed etiam de omnibus Beneficiatis statuit, ut si aliquis eorum totum Breviarium omiserit, teneatur ad restitutionem omnium fructuum, qui singulis diebus dividerentur, si verò omiserit matutinum, ad partem dimidiam unius diei, si alias omnes horas præter matutinum, ad alteram dimidiam partem, si unam tantùm horam, ad sextam partem fructuum restituendam.

Quæres *quarto*. Quando incipit in Parocho Horas Canonicas recitandi obligatio? R. Hæc obligatio recitandi Horas Canonicas in Pastore incipit post adeptam possessionem; beneficiorum enim jura ante captam possessionem Beneficiatus exercere nequit, præterea nec eorum onera sustinere obligatur. Quamvis autem Parochus statim post captam possessionem Breviarium recitare obligetur, attamen ad restitutionem fructuum non astringitur, nisi propter omissionem factam post sex menses à die adeptæ possessionis numerandos, ùt in Bulla Leonis X. quæ incipit: *Supernæ dispositionis*, reperitur expressum. Et ratio est: quia cùm oratio Horarum Canonicarum, & propter harum omissionem consequens restituendi obligatio solùm jure humano sit introducta, Pontifex illam pro suo arbitrio vel omninò remittere, vel certo modo temperare potuit.

Nota. Quòd multi graves Authores obligationem restituendi omnes fructus limitent ad fructus Breviario correspondentes; quia enim, inquiunt, fructus Parocho non debentur solùm propter onus Horas recitandi, sed potiùs propter onera & servitia Pastoralia, ideo facienda restitutio propter officii Canonici omissionem proportionaliter ad arbitrium Viri prudentis fieri debet, ita, ut Parochus duas fructuum partes pro labore Parochiali, & unam pro Horis Canonicis computare possit.

Quæres *quinto*. An Capellani Parochorum & Regulares Pastores ob omissum

sum Officium Canonicum ad restitutionem obligentur? ℟. *1mo.* Capellani vel Cooperatores Parochorum ob Officii Canonici omissionem ad nullam fructuum restitutionem obligantur, quia salarium suum non accipiunt tanquam ex beneficio Ecclesiastico, sed propter personale servitium, & functiones personales, aliud est in Vicariis perpetuis. qui perpetuum obtinent beneficium, adeoque pensum Canonicum titulo Vicariæ perpetuæ recitare obligantur.

2do. De Religiosis curam animarum habentibus hanc facit distinctionem Engel *in Manual. Paroch. p. 2. c. 6. n. 5.* Vel Parochia est jure pleno Monasterio incorporata, & eam habet Regularis tanquam Administrator & Vicarius temporalis, ad nutum Superioris amovibilis, & tunc ob omissionem Officii Canonici ad restitutionem non obligatur, quia Regularis tantùm percipit suam congruam sustentationem, non tanquam ex beneficio, sed propter curæ administrationem. Vel Parochia Monasterio non est plenè incorporata, aut est Vicaria perpetua, quam Religiosus per Canonicam institutionem obtinet, & tunc Horas omittens ad restitutionem tenetur, quia est propriè beneficium, ex quo juxta naturam omnium beneficiorum fructus percipere non potest, nisi cum onere Horas recitandi, vel propter earum omissionem fructus pro rata restituendi.

Quæres *sexto.* Cui facienda restitutio? ℟. Pauperibus, aut fabricæ Ecclesiæ fructus, quos Beneficiatus ob omissum pensum Canonicum non fecit suos, sunt distribuendi vel applicandi. Nomine autem pauperum intelliguntur personæ pauperes, Monasteria, Zenodochia, imò omnia loca pia. Nomine fabricæ venit fabrica domuum vel domûs beneficii, sumptus in agrorum ad beneficium pertinentium utilitatem conversi, & generaliter, quidquid in perpetui beneficii augmentum insumitur.

Quæres *septimo.* Qualis in Parocho ad celebrandas Missas obligatio? ℟. *1mo.* Omnibus illis diebus, quibus Parochiani ex præcepto Ecclesiæ Missam audire tenentur, Parochus vel per se vel per alium celebrare obligatur. Extra dies festos Parochus per se ex aliquo præcepto Missam celebrare non tenetur, id tamen maximè decens est, imò si populus in aliqua civitate numerosus, & Parochus ampliores habet reditus, per Episcopum adstringi potest, ut sæpiùs in hebdomade celebret, ùt colligitur ex *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 14.* Curet Episcopus, ut ii, hoc est, simplices Sacerdotes, saltem diebus Dominicis & Festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo munere satisfaciant, Missas celebrent.

2do. Si in aliqua Parochia populus tam numerosus, ut ad unam Missam convenire non possit, vel unus Parochus ad Sacramenta ministranda non sufficiat, alios Sacerdotes sibi Parochus adjungere debet. *Trid. Sess. 21. de reform. cap. 4.* Si autem Parochia ad hoc sufficientes reditus non habeat, Parochus de licentia Episcopi unâ die duas Missas celebrare potest, sicuti etiam, si ob penuriam Sacerdotum unus duas Parochias administret.

Quæres *octavo*. An, & quando Parochus pro Parochianis Missas celebrare teneatur? R. Parochus pro suis ovibus Sacrificium Missæ quandoque offerre, ac illis fructum Sacrificii applicare tenetur. Patet *ex Trid. Sess. 23. de reform. cap. 1.* in initio: Et *pro his*, hoc est: *suis ovibus Sacrificium offerre*. Quot autem vicibus per singulos annos Parochus Sacrificium ovibus applicare teneatur, Doctores non conveniunt, sunt, qui velint obligari Parochum, ut singulis diebus Dominicis Missam Parochianis applicet, quod probant ex aliqua declaratione Cardinalium, quâ declaratur, quòd Parochi diebus, quibus ex proprio officio & obligatione Missam celebrare tenentur, non possint pro eadem Missa in propria vel aliena Ecclesia celebranda manuales recipere eleëmosynas. *In Concil. Provinciali Mediolanen. 4.* à S. Congregatione recognito, & à Pontifice approbato. *Tit. de his, quæ pertinent ad Ssmum Missæ Sacrificium.* Prohibetur Curatis, ne in diebus Dominicis & aliis, quibus tenentur celebrare pro populo, aliud suscipiant Missarum celebrandarum onus. *Vid. Fagn. in cap. fraternitatem. de sepulturis. Paxjord. tit. 1. l. 4. t. 1. n. 518.* Concludit ad tollendos scrupulos diversarum opinionum in hac materia, & ad Curatos in hac parte in officio continendos Episcopum debere præfigere certum Missarum numerum, pro Parochianis offerendum.

Quæres *nono*. Qualis obligatio Parochi ad prædicationem? R. Munus prædicandi Parochiali animarum curæ annexum esse probatur *ex cap. quod DEI timorem. 5. de Stat. Monach* Ubi propter privilegiatum prædicandi munus Religiosi ad Parochias assumi posse dicuntur. Ratio desumitur *ex cap. inter cætera. 15. de offic. ordinar.* Ubi inter cætera, quæ ad salutem spectant populi Christiani, pabulum Verbi DEI vel maximè sibi noscitur esse necessarium, quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur, eò quòd non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEI. Ideo Tridentinum munus prædicandi toties Curatoribus animarum commendat, ùt *Sess. 5. de reform. cap. 2. Sess. 22. de Sacrific. Missæ cap. 8. Sess. 23. de reform. cap. 1. Sess. 24. de reform. cap. 4. & 7.*

Quæres *decimo*. Qualiter prædicationis munus à Parocho obeundum? R. Quæ, & quomodo Parochi in prædicationibus populo exponere debeant, idem *Trid.* explicat, ita, ut *Pignat.* velit, de jure antiquo incubuisse Pastoribus facere prædicationes solemnes & formales, ùt vocant, hodie tamen post *Concilium Trident.* munus prædicandi solemniter incumbit Episcopo, ut per se vel alios constitutos Prædicatores solemniter ex Cathedra dicat, Pastoribus verò incumbere, ut potiùs inter Missarum Solemnia populum de necessariis ad salutem doceant, & instituant, quàm solemniter prædicent. Loca *Tridentini* sunt *Sess. 22. de Sacrificio Miss. cap. 5.* "Frequenter ex "iis, quæ in Missa leguntur, aliquid ex- "ponant, atque inter cætera Ssmi hujus "Sacrificii mysterium aliquod decla- "rent." *Sess. 24. de reform. cap. 4.* Iidem, hoc est, Parochi, saltem Dominicis & festi-

festivis diebus pueros fidei rudimenta, & obedientiam erga DEUM & parentes docere non negligant. *Sess. 25. in decret. de Purgator.* Sanam doctrinam à sanctis Patribus & sacris Conciliis traditam à Christi Fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari studeant, apud rudem plebem difficiliores & subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, à popularibus concionibus secludantur, incerta item, & quæ specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant, ea verò, quæ ad curiositatem quandam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala & Fidelium offendicula prohibeant. Novissimè Innoc. XI. in decreto propositionum damnatarum simplicitatem Christianam in concionibus commendat. In concionibus quoque publicandæ sunt vigiliæ, & dies, in quibus ex præcepto Ecclesiæ, vel loci consuetudine, vel Ordinarii lege est jejunandum, item dies festi, in quibus ab operibus servilibus est vacandum.

Quæres *undecimo.* An Parochiani parochias suas frequentare obligentur? R. De jure communi parochiani Missas & conciones in Ecclesia parochiali diebus Dominicis & festivis frequentare obligantur. *Cap. ut Dominicis. 2. de parochiis. Trid. in Decret. de observand. in celebrat. Miss. Sess. 22.* Hodie tamen, dummodò proprium Parochum non contemnant, Ecclesias Regularium ex consuetudine & privilegiis frequentare possunt, ne autem proprium censeantur contemnere Parochum, ratio naturalis suadere videtur, ut saltem aliquoties in anno Missas & conciones ejusdem audiant; vix enim est, ut non habeatur filius contumax, qui toto anno patrem non invisit, ovis erratica, quæ nunquam vocem Pastoris audit. *Engel in manual. p. 2. cap. 8. in fin.*

Quæres *duodecimo.* Quæ Parochi circa Ecclesiam parochialem obligatio? R. *1mo.* Debet curare Parochus, ut Ecclesia parochialis, si necesse est, reparetur. *Cap. de his. 4. de Eccles. ædificand. Trid. sess. 21. de reform. cap. 7.* Reparatio autem facienda est ex fructibus & proventibus quibuscunque ad eandem Ecclesiam pertinentibus, si isti non sufficiant, patroni, beneficiati parochi, decimatores & alii, qui fructus aliquos ex Ecclesia percipiunt, defectum supplere tenentur, quòd si Parochi ab Ecclesia tot non habent reditus, in defectu illius parochiani omnibus remediis opportunis ad reparationem sunt cogendi, quâcunque appellatione, exemptione, & contradictione remotâ. *Trid. loc. cit.*

2do. Curare debet, ut Ecclesiæ suæ debitus honor deferatur, ne in illa quid indecens aut inhonestum fiat. *Trident. in decret. de observand. & vitand. in celebr. Miss.* Nec ulla negotia sæcularia ibidem tractentur. *Cap. cum Ecclesia. 5. de Immunit. Eccles.*

3tio. Non debet permittere, ut violentia aliqua sive ipsi Ecclesiæ per destructionem, incendium, aliumvè modum, *Cap. in literis. 5. de raptor.* sive personis & rebus in ea contentis inferatur. *Can. sicut antiquitùs. 6. can. quisquis inventus. 21. caus. 17. q. 4.*

4to. Omnis superstitio in Sanctorum

rum invocatione, Reliquiarum veneratione, & Imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur, Sanctorum celebratione & Reliquiarum visitatione homines ad commessationes & ebrietates non abutantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum & lasciviam agantur.

5to. Parochus omnium reditiuum Ecclesiæ inventarium conficere, eos non distrahere, nec cum anticipatis solutionibus elocare debet. De juribus parochialibus & obligationibus Parochorum in administratione Sacramentorum infrà.

TITULUS DECIMUS-SEXTUS.

DE

Iis, qui in sacris & in minoribus Ordinibus constituti.

QUæres *primo.* Quid significat Diaconus? ℟. "Levitæ ex no-"mine Authoris vocati. De Le-"vi enim Levitæ exortæ sunt, à quibus "in Templo DEI mystici Sacramenti mi-"nisteria explebantur. Hi Græcè Diaco-"ni, Latinè Ministri dicuntur; quia sicut "in Sacerdote consecratio, ita in Dia-"cono ministerii dispensatio habetur." *Can. Cleros. 1. §. Levitæ. dist. 21.*

Quæres *secundo.* Quis Author Diaconatûs? ℟. Ipse Christus; hic enim Ordo est Sacramentum, & omnia Sacramenta ab ipso Christo per se & immediatè sunt instituta. Probatur *ex Concilio Florent.* quod postquam dixit Ordinem esse Sacramentum, ejusque materiam & formam explicâsset, ponit exempla in Ordine Sacerdotii, Diaconatûs, Subdiaconatûs. Et Concilium Tridentinum *Sess. 23. can. 2. 3. & 6. Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam Divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.*

Nec obstat *can. Dominus. 25. dist. 93.* Ibi enim solùm dicitur Christum non ordinâsse ita Diaconos, sicut ordinavit Episcopos & Presbyteros; ex illo enim non sequitur, quòd Christus Diaconatum non instituerit, quia Christus Sacramentum Confirmationis instituit, & tamen nullum confirmâsse legitur.

Quæres *tertio.* Quæ materia & forma Diaconatûs? ℟. In hac determinanda Theologi in quatuor partes divisi sunt: *1ma.* S. Bonav. & Scotus volunt materiam Diaconatûs esse solam manuum impositionem, & formam verba Episcopi: *Accipe Spiritum Sanctum ac robur adresistendum Diabolo & tentationibus ejus in Nomine Domini.*

2da sententia dicit præter manuum impositionem traditionem stolæ super hu-

humerum sinistrum cum his verbis: *Accipe stolam candidam de manu Domini*, & traditionem Evangelii cum verbis: *Accipe potestatem legendi Evangelium tam pro vivis, quàm pro defunctis in Nomine Domini.*

3tia manuum impositioni addit solam Evangelii traditionem.

4ta solam Evangelii traditionem cum verbis proportionatis sufficere contendit.

Quæres *quarto*. Quæ Diaconi solemnitates & officia? ℟. *1mo*. Diaconus debet esse talis, qui sperat DEO juvante se continere posse. *Can. quicunque. 3. dist. 77.* Et quamvis ab initio Ecclesiæ propter defectum cœlibum ad ministeria sacra idoneorum Conjugati ad Diaconatum admissi fuerint. *Can. Diaconi. 8. dist. 28.* continentiam tamen promittere debebant. *Can. 1. dist. 27. can. 1. dist. 31. cap. conjugatus. 5. de conversi. Conjugator.*

2do. Antiquitùs ordinandus in Diaconum 25. annos habere debebat. *Can. placuit. 5. can. Episcopus. 6. dist. 77. can. nemo. 2. dist. 78.* Juxta *Clement. generalem. de ætat. & qualit.* anni 20. sufficiebant, modò post Trid. anni 23. requiruntur. *Trid. sess. 23. de reform. cap. 12.*

3tio. Debet esse in minoribus probatus, & quæ ad exercendum Ordinem pertinent, instructus. *Trid. l. c. cap. 13.*

4to. Primum & primarium Diaconi officium est Sacerdoti sacrificanti assistere & ministrare, oblationem ad altare deferre. *can. perlectis. 1. dist. 25.* Evangelium prædicare ex Episcopi, Prælati vel alterius habentis ad munus illud jurisdictionem licentia. *can. in sancta. 2. dist. 92.* Cum licentia Episcopi solemniter baptizare. *can. Diaconos. 13. dist. 93.* Et in necessitate absente Episcopo & Presbytero minùs solemniter baptizare. *Gloss. in cit. can. Diaconos. verb. necessitas. can. constat Baptisma. 19. de consecrat. dist. 4.* Ex mandato Episcopi Eucharistiam administrare.

Quæres *quinto*. Quale nomen & officium Subdiaconi? ℟. Subdiaconus Latinè, Græcè Hypodiaconus dicitur, quasi subministrans Diacono. *cit. can. Cleros. dist. 21.* Ex quo patet officium Subdiaconi; debet enim calicem & patenam ad altare deferre, Diacono tradere, ei ministrare, urceolum quoque aquæ & mantile tenere, Episcopo, Presbyteris & Diaconis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere. *can. perlectis. 1. dist. 25.*

Quæres *sexto*. Quæ ætas & substantialia Subdiaconatûs? ℟. *1mo*. Antiquitùs sufficiebant anni viginti. *can. Subdiaconus. 4. dist. 77. cit. Clement. ult. de ætat. & qualit.* Anni decem & octo: Hodie requiruntur viginti duo. *Trid. sess. 23. de reform. cap. 12.* Nec ad Subdiaconatûs Ordinem promoveri debet, nisi post lapsum anni à postremi gradûs Ordinum minorum susceptione, nisi necessitas, vel Episcopi judicio aliud expostulet Ecclesiæ utilitas. *Trid. l. c. cap. 11.*

2do. Conveniunt ferè Theologi, substantialia Subdiaconatûs videlicet materiam consistere in traditione calicis vacui cum patena supposita ab Episcopo, formam esse: *Videte, cujus ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut DEO placere possitis.*

Quæres *septimo*. An Subdiaconatûs

Ordo sacer? R. Olim talis non fuit, *can. nullus, 4. dist. 60, can. quicunque, 3. dist. 77, junct. Gloss. verb. Subdiaconus.* Nec habebat annexum votum continentiæ, quod Ecclesia Ordinibus sacris sub præcepto annexuit *cap. unic. de voto in 6.* Licèt enim Ecclesia neminem absolutè ad continentiam cogere valeat, eò quòd res sit meri consilii. *can. integritas. 13. caus. 32. q. 1.* Potuit tamen Ordini sacro, quem confert, apponere conditiones & leges illi convenientes, *Gloss. in cap. conjugatus. de convers. conjug. verb. continentiam.* Porrò votum continentiæ modò annexum esse patet *ex can. de iis. 5, dist.. 28.*

Quæres *octavo.* Quid circa primam tonsuram observandum? R. Sequentia: *1mo.* Minoribus Ordinibus præmittenda prima tonsura. *cap. cum contingat, 11. de ætat. & qualit. junct. gloss.* quæ est sacra cæremonia, per quam aliquis ab Episcopo ad Statum Clericalem suscipitur. *2do.* Illa danda est ab Episcopo. *can. 1, dist. 69. 3tio.* Eâ initiari non debet, qui Sacramentum Confirmationis non suscepit, *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 4.* Non est tamen de necessitate Sacramenti, ut Sacramentum Confirmationis primæ tonsuræ vel Ordinibus præmittatur. *S. Th. in suppl. q. 35. a. 4. 4to.* Tonsurandus septennio major esse debet. *cap. nullus. 4. de temporib. ordinat. in 6. junct. gloss. verb. infanti. 5to.* Tonsurandus debet scire fidei rudimenta, item legere & scribere, *Trid. loc. cit. 6to.* Prima tonsura & Ordines minores non sunt conferendi, nisi iis, qui sincerum videntur habere affectum in Statu Clericali permanendi, *Trid. loc. cit.* Quamvis, qui eos susceperunt, ad majores Ordines ascendere, vel in Statu Clericali permanere non obligentur. *7timo* demùm. An prima tonsura sit Ordo, & consequenter Sacramentum, à Christo institutum, vel an cæremonia Ecclesiastica ab ipsa Ecclesia introducta, gravis est controversia Canonistas inter & Theologos. Pro sententia affirmativa Canonistarum est *1mo, Can. Cleros. dist. 21. & can. perlectis. dist. 25.* Ubi inter Ordines Psalmistæ fit mentio. *In cap. cum contingat, de ætat. & qualit.* dicitur: *Per primam tonsuram juxta formam Ecclesiæ datam, Ordo Clericalis confertur.*

2dum Fundamentum. Sub vocabulis *Ordo, Ordines, ordinare* absolutè prolatis prima tonsura quoque intelligitur. Sic dum *Trid. sess. 23. de reform. cap. 1.* decernit, ut unusquisque à proprio Episcopo ordinetur, id etiam de prima tonsura procul dubio est intelligendum.

3tium Fundamentum. Primâ tonsurâ initiati beneficiorum Ecclesiasticorum capaces sunt, juxta *Trid. loc. cit. cap. 6.* quorum Laici, qui Ordinem non habent, incapaces existunt. *cap. exliteris. 6. de transact. cap. in Ecclesia. 2. de instit.*

Fundamentum Theologorum negantium est, quòd *Trident.* ferè semper primam tonsuram à minoribus Ordinibus distinguat, ut *Sess. 23. de reform. cap. 4.* ubi agit de prima tonsura, & *cap. 5.* ubi de minoribus Ordinibus tractat; ergo distinctionem inter primam tonsuram & Ordines minores apertè insinuat. *Ibid. cap. 6. Nullus primâ tonsurâ initiatus aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus. ibid.*

ibid. cap. 10. Tonsuram vel Ordines minores conferre. ead. Sess. de Sacram. Ordin. cap. 2. "Ut in ordinatissima Eccle-"siæ dispositione plures & diversi essent "ministrorum Ordines, qui Sacerdotio "ex officio deservirent, ita distributi, "ut qui jam Clericali tonsurâ insigniti "essent, per minores ad majores ascen-"rent." Utraque sententia conciliatur, si dicatur Canonistas loqui de Ordine impropriè dicto, in quantum scilicet est gradus quidam in ministeriis Ecclesiasticis: Theologos de Ordine propriè dicto, in quantum est Sacramentum, & characterem exprimit.

Quæres *nono*. Quot sunt Ordines minores? R. Sunt quatuor: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcizatus, & Acolythatus. Omnes esse Sacramenta docet *S Thom. in 4. dist. 24. a. 1. qlà 3.* Habentes hos Ordines matrimonium contrahere possunt, si ad superiores Ordines provehi non velint, attamen beneficiis, si quæ antè habuerint, sunt privandi. *cap. 1. cap. quod à te. 3. cap. diversis. 5. de Cleric. conjug.* Non obstat *can. Lectores. 8. dist. 32.* "Lectores, cùm ad annos pu-"bertatis venerint, cogantur, aut uxo-"res ducere, aut continentiam profi-"teri." Quia verbum: *Cogantur*, idem significat, quod moneantur. Nec *can. Presbyteri. 9. dist. 34.* Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi vel deinceps ducendi uxores licentiam non habent, quia ly *deinceps* non ad inferiores Ordines, sed ad superiores, ùt Archipresbyteratum, Episcopatum &c. est referendum.

Quæres *decimo*. Qui Ostiarii? R. Sunt Janitores, qui januis templi præficiuntur. *Can. Cleros. §. Ostiarii. dist. 21.* Materia hujus Ordinis est clavium Ecclesiæ traditio: Forma: *Sic agite, quasi reddituri DEO rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur. can. Ostiarius. 19. dist. 23.* Officium Ostiariorum est, sacras Ædes custodire, aperire & recludere, Fideles recipere, Infideles & excommunicatos prohibere, & ingressos expellere. *can. perlectis. dist. 25.*

Quæres *undecimo*. Qui Lectores? R. Qui ex officio in Ecclesia sacras Lectiones legunt. Materia hujus Ordinis est codex, ex quo lecturi: Forma: *Accipite, & estote relatores Verbi DEI, habituri, si fideliter & utiliter impleveritis officium, partem cum iis, qui Verbum DEI ministraverunt ab initio. can. Lector. 18. dist. 23.* Officium est: Lectiones clarè & distinctè pronuntiare, & ea, quæ dixerunt Prophetæ, populis annuntiare. *cit. can. perlectis. can. non liceat. 3. dist. 92.*

Quæres *duodecimo*. Qui Exorcistæ? R. Exorcista Latinè dicitur adjurans vel increpans. *cit. can. Cleros.* Eidem pro materia traditur liber exorcismorum sub hac forma: *Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum sive baptizatum, sive catechumenum. can. Exorcista. 17. dist. 23.* Eorum officium est expellere Dæmones ex energumenis vel Dæmone obsessis. *cit. can. perlectis.* Exorcismus est: Dæmonis adjuratio, quæ non solùm circa corpora obsessa exercetur, verùm etiam circa obsessas per peccatum vel infidelitatem animas. *can. ante viginti. 55. de consecrat. dist. 4. can. sicut nostis. 62. ibid.*

Quæ-

Quæres *ultimo.* Qui Acolythi ? ℟. Acolythus Latinè sequens dicitur, eò quòd sequatur Subdiaconum, illiqúe ministret, vel aliter Ceroferarius dicitur, eò quòd ipsius sit ferre candelabrum cum cereo, quem etiam accendit. *cit. can. Cleros. §. Acolythi.* Materia hujus Ordinis est 2plex: Ceroferarii traditio cum hac forma: *Accipe Ceroferarium cum cereo, ut sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in Nomine Domini.* Et traditio urceoli cum his verbis: *Accipite urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in Nomine Domini. can. Acolythus. 16. dist. 23.*

TITULUS DECIMUS-SEPTIMUS.

DE

ORDINATIONIBUS.

ORdinatio est Personæ Ecclesiasticæ consecratio, per quam gratia & potestas obeundorum Ecclesiasticorum munerum seu officiorum Ordinis confertur. Hanc materiam in tres §phos divisimus, acturi §. *1mo.* de eo, qui Ordines conferre potest. *2do* de iis, qui ordinari possunt. *3tio* de qualitatibus Ordinandorum.

§. Primus.

DE

Eo, qui Ordines conferre potest.

QUæres *primo.* Quis ordinare potest? ℟. Hoc proprium Episcoporum est officium. *can. perlectis. dist. 25. Concil. Trident. Sess. 23. de Sacram. Ordin. cap. 4. & can. 7.* Ordinandi potestas in charactere Episcopali fundatur, ideoqúe nec per privationem, nec degradationem, nec per ipsam mortem auferri potest; si enim Episcopus consecratus à mortuis resurgeret, absque nova ordinatione Ordines conferre posset.

Quæres *secundo.* Quæ requiruntur in Episcopo, ut ordinare valeat? ℟. Ut in ordinatione character & executio officii conferatur, duo in ordinante Episcopo requiruntur: *1mo* dignitas Episcopalis. *2do* jurisdictio Episcopalis, quæ non sit renuntiata, nec per censuram suspensa. *cap. fin. de ordinat. ab Episcop. qui renunt.* Ut conferatur character Ordinis, sufficit dignitas Episcopalis, sive quòd sit Episcopus consecratus.

Quæ-

Quæres *tertio*. An Episcopus, qui renuntiavit Episcopatui, executionem Ordinum nunquam dare possit? R. Si renuntiavit non solùm Episcopatui, sed etiam dignitati Episcopali, tunc in solis minoribus Ordinibus executionem officii dare potest, si renuntiavit Episcopatui, & non dignitati, etiam in Ordinibus majoribus officii executionem dare potest. *cap. 1. de ordinat. ab Episcopo, qui renuntiav.* Ratio fundamentalis est: duo jura, ùt dictum, in Episcopo ordinante concurrunt: jus imprimis dignitatis Episcopalis, personæ cohærens, quod habetur per consecrationem, & quia indelebile quoad habitum, semper in Episcopo manet consecrato, ideoque characterem Ordinis semper imprimit ordinando, attamen exercitio hujus Ordinis renuntiari potest, & tunc Ordinum executionem, Ordinis exercitio renuntians, dare nequit, quia nemo dat, quod non habet. *can. Daibertum. 24. caus. 1. q. 7.* Quod de solis majoribus Ordinibus intelligendum; quia minores Ordines etiam non Episcopi conferre possunt. Deinde in Episcopo administrante est jus administrationis loco, cui præsidet, cohærens, quod habetur per confirmationem. *cap. transmissam. 15. de elect.* Si Episcopus renuntiavit administrationi, sed non dignitati, potest omnia, quæ sunt Ordinis Episcopalis, & quoad habitum, & quoad exercitium, modò subditos habeat, quia autem per renuntiationem propriis caret subditis, ideoque si per invitationem alterius Episcopi alicui dentur subditi, illis tam in minoribus, quàm majoribus Ordinibus officii dare potest executionem. Cum ordinato ad minores Ordines scienter, ad majores ignoranter (nisi crassa & supina fuerit ignorantia) ab Episcopo, qui dignitati renuntiavit, quoad officii executionem proprius dispensat Episcopus. *cit. cap. 1. de ordinat. ab Episcopo, qui renuntiavit.*

Quæres *quarto*. An Episcopus hæreticus, & excommunicatus vel suspensus Ordinum nunquam det executionem? R. Si non sit hæreticus vel excommunicatus denunciatus, vel notorius percussor Clerici, dat Ordinis executionem; quia propter constitutionem Concilii Constantiensis: *Ad evitanda.* Fideles cum excommunicatis non denuntiatis, nec notoriis Clerici percussoribus communicare possunt, quasi non essent excommunicati, si autem denuntiatus, non dat officii executionem, attamen cum eo, qui ignoranter à tali Ordines suscepit, Episcopus dispensat. *cap. fin. de ordinat. ab Episcopo, qui renunt.*

Quæres *quinto*. An Prælati non Episcopi minores Ordines ex privilegio conferre valeant? R. Ex privilegio Apostolico Prælati non Episcopi primam tonsuram & quatuor minores conferre possunt. Ita Cardinales Presbyteri minores Ordines conferunt suis Familiaribus & Clericis suæ jurisdictionis, nec non Clericis ac Regularibus quibuscunque ad voluntatem suorum Ordinariorum.

Quæres *sexto*. Quibus Abbates primam tonsuram & minores Ordines conferre possunt? R. Abbates perpetui, Sacerdotes, Benedicti, usum mitræ & pedi habentes primam tonsuram & Ordines minores conferre possunt. *cap. Abbates.*

tes. 3. de privileg. in 6. Sed solùm Religiosis sui Monasterii & in suo tantùm Monasterio, ùt limitavit *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 10.* ita statuens: "Abbatibus "ac aliis quibuscunque, quantumvis "exemptis, non liceat imposterùm intra "fines alicujus Diœcesis consistentibus, "etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti "esse dicantur, cuiquam, qui Regula- "ris subditus sibi non sit, tonsuram vel "minores Ordines conferre, non ob- "stantibus quibuscunque privilegiis, "præscriptionibus, aut consuetudini- "bus etiam immemorialibus."

Quæres *septimo.* An Abbates vel Præpositi non benedicti minores Ordines conferre possint? R. Carentes speciali privilegio id non possunt. Fit exceptio *in cap. 1. de suppl. negl. Prælat.* Si per Abbatem non steterit, quin benedicatur, sed per Episcopi duritiam, qui interpellatus noluit benedicere, Abbas confirmatus, ac si benedictus esset, suum officium exercere potest.

Quæres *octavo.* An Abbates Novitiis suis primam tonsuram & minores Ordines conferre valent? R. Doctores communiter negativam tenent; in materia enim odiosa Novitii nomine subditorum non veniunt, cùm propriè loquendo subditi non sint. Cui non obstat, quòd Episcopus Diœcesanus Monasterii, in quo Novitius existit, eum ordinare possit, quia Episcopus Ordinis Minister est Ordinarius, Abbas Delegatus, & in privilegio sibi favorabili, Episcopis odioso: ideoque nequit agere ultra delegationem, quæ se tantùm ad Religiosos sui Monasterii subditos extendit.

Quæres *nono.* An Abbas benedictus Religioso non subdito minores Ordines conferens validè ordinet? R. Gravis hæc est inter Canonistas controversia. *Pignat. tom. 1. consult. 366.* sustinet talem ordinationem invalidam esse quoad substantiam, ideoque taliter ordinatum iterum ab Episcopo ordinandum. *Fagn. in cap. statuimus. de suppl. negl. Prælator. n. 12. & seqq.* ex proposito tenet affirmativam, quia Tridentinum potestatem, quam habebant Abbates, ex jure antiquo *per cap. Abbates. de privil. in 6.* conferendi Ordines minores etiam non Regularibus restrinxit quoad usum licitum, non quoad valorem; dicit enim: *Abbatibus non liceat.* Explicatio hæc confirmatur ex pluribus declarationibus S. Congregationis. *Fagn. l. c. n. 33.* hanc adfert: Cùm nonnulli Abbates in Germania in vim privilegiorum ante Concilium obtentorum conferrent minores Ordines non subditis, & dubitatum esset, an Ordines collati essent validi: S. Congregatio censuit esse validos, non obstante *cap. 10. Sess. 23.* & ordinatos non egere aliâ ordinatione. Imò ipse Pignatelli aliàs contrarius pro hac parte adfert S. Congregationis declarationem.

Quæres *decimo.* An Abbates Clericis sæcularibus vel Religiosis non subditis Ordines minores licitè conferre possint, si ordinandi ab Episcopo habeant literas dimissorias? R. Si habeant literas dimissorias specialiter ad ipsos Abbates directas, & adsit licentia Episcopi, in cujus Diœcesi Ordines conferunt, licitè Ordines conferre possunt. Ità probat novissimus Canonista *Juc-bus*

Wex

Wex è Societ. JESU in sua Ariadne. p. 5. tract. 3. controv. 1. Et ità respondit S. Congregatio citata *à Paxjord. l. 3. tit. 6. n. 18.* Non obstat declaratio S. Congregationis Anno 1641. 23. Novemb. approbante Urban. VIII. data in hunc modum: Non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis vel Instituti, etiamsi habeant literas dimissorias suorum Superiorum Regularium, & consensum Ordinariorum, intra quorum Diœcesion fines ipsi Regulares ordinandi existunt, & multò minùs personis sæcularibus etiam habentibus literas dimissorias à suis Ordinariis. Quia declaratio illa intelligenda est, quòd Abbates Ordines conferre nequeant Clericis sæcularibus habentibus literas dimissorias generales ad quemcunque Antistitem Catholicum, quo nomine soli Episcopi in hac materia intelliguntur, vel Regularibus non subditis habentibus literas dimissorias, etiam speciales, ad tales Abbates à suis Superioribus Regularibus, non autem à propriis Episcopis directas. Ratio fundamentalis ex Fagn. est. Quandocunque Prælatis non Episcopis per privilegium Apostolicum datur Ordinis potestas, illa datur simili modo, quo datur Episcopis in consecratione, quemadmodum igitur Episcopus consecratus non subditum inscio proprio Ordinario validè, consentiente autem proprio Episcopo, simul licitè ordinare potest, ita & Abbates habentes potestatem ordinandi ex privilegio personas in privilegio non expressas validè, ac etiam, si specialis consensus & proprii Episcopi deputatio accedat, licitè ordinare valent. Et ita tenet praxis; quamvis enim similes Abbates ex privilegio Apostolico consecrare possint Calices, Altaria & proprias Ecclesias, attamen ex deputatione Episcopi quotidie consecrant Calices, Altaria & Ecclesias alienas.

Quæres *undecimo*. An ex privilegio Prælati non Episcopi majores Ordines conferre valeant? R. Summus Pontifex Sacerdoti potestatem Diaconatum & Subdiaconatum conferendi committere potest. Probatur ex *Trid. & Florent.* ubi dicitur, quòd ordinarius Ordinis Minister sit Episcopus, & consequenter extraordinarius alius ab Episcopo, simplex scilicet Sacerdos, esse potest. Et quamvis non constet, quòd summus Pontifex simplici Sacerdoti unquam Sacerdotium conferendi dederit facultatem, cùm tamen de facto quandoque summus Pontifex tribuerit potestatem simplicibus Sacerdotibus conferendi Ordines Diaconatûs & Subdiaconatûs, dicendum est simplicem Sacerdotem posse esse ministrum extraordinarium Diaconatûs & Subdiaconatûs. Ita Innocent. VIII. Anno 1489. Abbati Cistercinsi & aliis quatuor primis Abbatibus, quorum Monasteria ex Cistercio immediatè fundata, & quatuor illius filiæ nuncupatæ, concedit, ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Diaconatûs & Subdiaconatûs Ordinibus extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, ut suorum Monasteriorum prædictorum Religiosis, quos idoneos repererint, Subdia- & Diaconatûs Ordines hujusmodi liceat ritè conferre. Hoc privilegium neque per Tridentinum revocatum, neque per non

usum abrogatum, sed adhuc in suo vigore perseverare recentioribus exemplis probat *cit. Wex p. 5. tr. 3. cont. 2.*

Quæres *duodecimo*. Quibus Episcopo Ordines conferre licet? ℟. Episcopus ordinare debet solùm proprios subditos, cæteros verò non subjectos absque Ordinarii proprii licentia illicitè ordinat. *totâ dist. 71. cap. cum nullus. de temp. ordinat. in 6. Trid. Sess. 23. de reform. cap. 8.* Porrò ex 3plici capite fit aliquis Episcopo ordinanti subditus, vel ratione originis, vel ratione domicilii, vel ratione beneficii. *cit. cap. nullus. junct. gloss.*

§. Secundus.

DE

Iis, qui ordinari possunt.

QUæres *primo*. Quis subditus originis? Qui natus est intra Diœcesin Ordinatoris. Non sufficit, quòd quis natus fortuito, ut dum parentes causâ itineris vel alicujus negotii reperiuntur in loco nativitatis, sed ibidem domicilium fixisse debent, sufficit tamen, quòd parentes in illo loco nati sint; quia in jure parificantur origo propria, & origo paterna. *L. assumptio. 6. §. filius. ff. ad municipalem.* In filiis naturalibus origo propria matris, non patris consideratur. In expositiis, quorum parentes ignorantur, origo loci, in quo renati, vel illius, in quo expositi, attenditur. Quemadmodum autem per nativitatem temporalem propria acquiritur origo, ita etiam per Baptismum, qui dicitur spiritualis nativitas, per quam quis de novo nascitur. *cap. debitum. 4. de Bapt.* Intellige de Baptismo in Parochia propria suscepto; sicut enim nativitas accidentalis in loco non facit originarium, sic ex eadem ratione nec Baptismus accidentalis. Conversi ad fidem illius loci, in quo baptizantur, sunt originarii, ibidem enim spiritualiter sunt renati.

Quæres *secundo*. Quis subditus domicilii? ℟. Qui de facto in Diœcesi degit, vel moratur, cum animo perpetuo ibi manendi. Duo igitur ad habitationem simpliciter dictam requiruntur: *1mo.* Actualis habitatio. *2do.* Animus perpetuò habitandi, qui animus colligitur ex sequentibus: Imprimis si quis aliò se conferat, ac domum emat vel conducat ad inhabitandum cum declaratione, quòd ibidem domicilium figere velit, illico sine ullo temporis lapsu domicilium acquirit, etiamsi majorem partem suarum fortunarum illuc non contulerit, sicut econtrà, si aliquis aliò se conferat, cum declaratione ibidem non contrahendi domicilium, non acquirit habitationem, quamvis etiam totam suam substantiam illuc contulerit, vel longo ibidem tempore moratus fuerit, quia in iis, quæ ab animo pendent, potiùs declarationi expressæ, quàm facto standum contrario. Quando non constat de certa animi declaratione ex verbis, fit conjectura ex facto, ita si quis per decem annos continuò in aliquo loco habitaverit, si tum

ma

majorem suorum bonorum partem vel familiam cum supellectili transferat, domicilium contraxisse præsumitur. Item, si quis relegatus ad vitam in aliquo loco, vel ibidem perpetuum suscipiat officium, domicilium habere censetur. Econtrà, quando ex facto aliquod est indicium, quod præsumptionem animi perpetuò in illo loco manendi excludat, domicilium nunquam contrahitur, quamvis longo tempore ibidem sit moratus, vel omnia sua illuc contulerit. Sic Studiosi, Mercatores, Sollicitatores alicujus causæ, Legati, eorúmque Ministri, etsi longo tempore studiorum, mercaturæ, litis, legationis causâ in aliquo loco subsiterint, simpliciter domicilium non contrahunt, semper enim de reditu finitis negotiis cogitant: ideóque, quamvis ratione aliorum Sacramentorum subditi sint, cùm quasi domicilium in loco, in quo morantur, contraxerint, subditi tamen non sunt cum respectu ad Sacramentum Ordinis, eò quòd in loco, in quo de facto subsistunt, simpliciter non habeant domicilium.

Quæres *tertio*. Quis subditus ratione beneficii? ℟. Qui beneficium Ecclesiasticum intra Diœcesin ordinantis est consecutus. *cap. cum nullus. de tempor. ordinat. in 6. junct. gloss. verb. Ecclesiasticum.* Non obstat, quòd beneficium sit tenue, vel non exigat residentiam, vel non habeat certum Ordinem annexum, vel ad provisionem alterius Episcopi pertineat, modò tale beneficium de facto possideat ordinandus.

Quæres *quarto*. An familiaris Episcopi, qui non est subditus originis, nec domicilii, nec beneficii, ordinari possit ab Episcopo, cui inservit? ℟. "Episcopus familiarem suum non subditum "ordinare non potest, nisi per triennium "secum fuerit commoratus, & benefi- "cium, quâcumque fraude cessante, sta- "tim re ipsâ illi conferat." *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 9.* Si scilicet sit verus familiaris, qui alatur sumptibus Episcopi, certo ejus officio deputatus, ejusdemque commensalis. *cap. fin. de V. S. in 6.*

Quæres *quinto*. Quid circa subditum proprium Episcopi ordinantis novissimâ constitutione sancitum? ℟. Innoc. XII. Anno 1694. in constitutione, quæ incipit: *Speculatores*, ad tollendos abusus & fraudes, quæ in ordinationibus subditorum alienorum contingere solebant, sequentia, quæ nos suprà ex jure attulimus, statuit, declarando:

1mo. Ne ullus Episcopus vel cujusvis loci Ordinarius, etsi Cardinalatûs fulgeat honore, exterum quempiam, ac sibi ratione originis vel domicilii legitimè non subditum ad Clericalem tonsuram promoveat, cujusvis beneficii Ecclesiastici ei statim, ac hujusmodi tonsurâ insignitus fuerit, conferendi, vel ad quod is à Patronis jam præsentatus aut nominatus fuerit, prætextu, etiamsi beneficium prædictum de novo eâ expressè lege adjectâ fundatum fuisse constiterit, ut quis immediatè post Clericalem characterem susceptum ad illud instituatur.

2do. Clericus, qui legitimè jam à proprio Episcopo ad Clericalem tonsuram, vel etiam ad minores Ordines promotus fuit, non potest ab alio Episcopo

ratione vel titulo cujuscunque beneficii in illius Diœcesi obtenti ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorundem susceptionem testimoniales literas proprii Episcopi tam originis, quàm domicilii super suis natalibus, ætate, moribus & vita sibi concedi obtinuerit, eásque Episcopo ordinanti in actis illius Curiæ conservandas exhibuerit.

3tio. Quamvis Clericus ratione cujusvis beneficii in aliena Diœcesi obtenti subjiciatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi hujusmodi beneficium est situm, nemo tamen ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi beneficium prædictum ejus sit reditûs, ut ad congruam vitæ sustentationem detractis oneribus per se sufficiat, illudque ab ordinando pacificè possideatur, sublatâ quâcunque facultate supplendi, quod deficit fructibus ejusdem beneficii, cum adjectione patrimonii pinguis, quod ipse ordinandus in eadem vel alia quavis Diœcesi obtinet, Episcopus etiam taliter ordinans tam de prædictis testimonialibus literis, quàm de reditu beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debet.

4to. Subditus ratione originis is tantùm esse intelligitur, qui naturaliter ortus est in eadem Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodò tamen ibidem natus non fuit ex accidenti occasione itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ vel permanentiæ ejus patris in loco; quo casu nullatenùs ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantùm & naturalis patris origo est attendenda, si tamen tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti natus, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci literas testimoniales obtinere, illasque Episcopo ordinanti, per eum in collatorum Ordinum testimonio similiter recensendas, præsentare tenetur.

5to. Si pater in alieno loco, in quo filius natus est, tamdiu ac eo animo permanserit, ut inibi verè domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem, ut præfertur, pro ordinatione ejusdem filii attendendum.

6to. Subditus ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is solùm censetur, qui licèt alibi natus fuerit, illud tamen adeò stabiliter constituit in aliquo loco, ut vel per decennium habitando, vel majorem partem rerum ac bonorum suorum cum instructis ædibus in loco ejusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuò ibidem permanendi animum demonstraverit, & nihilominùs in utroque casu se verè & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet, si tamen à proprio originis loco ordinandus in ea ætate discesserit, quâ potuerit aliquo canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales literas afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum literis est facienda.

7imo.

7timo. Nullus Episcopus alienæ Diœcesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros vel minores Ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, vel ordinare potest, absque proprii originis vel domicilii Prælati testimonialibus literis, & nisi ad præscriptum Tridentini *Sess. 23. de reform. cap. 9.* familiarem prædictum per integrum & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit, beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam sufficiat, quâcunque fraude cessante, statim, hoc est, saltem intra terminum unius mensis à die factæ ordinationis re ipsâ illi conferat. In testimonio ordinationis iterùm expressæ familiaritatis ac literarum prædictarum mentio fieri debet.

8vo. Demùm Episcopus quilibet suos ratione originis sive domicilii subditos Clericos quoscunque ab alienis Episcopis quâcunque authoritate etiam cum suis commendatitiis ordinatos ad formam *Trid. Sess. 14. cap. 3. de reform.* examinare potest, ac Ordinum collatorum testimonia recognoscere, assignato sic promotis termino competenti benè viso ad docendum eos omnia impleviſſe, ita ut, quos eo termino elapso id minimè præstitisse compererit, à susceptorum Ordinum exercitio, si ita, & quamdiu ei expedire videbitur, suspendere, iisque, ne in Altari vel in aliquo Ordine ministrent, interdicere possit.

Quæres *sexto.* Quis proprius Regularium quantùm ad ordinationem Episcopus? R. *Trident. Sess. 23. de reform. cap. 8. & 10.* statuit, ut Regulares nonnisi à proprio Episcopo vel de ejus licentia ab alio majores Ordines suscipere debeant. Quis autem Religiosorum proprius sit Episcopus, patebit ex sequentibus:

1mo. Ex declaratione S. Congregationis, quam Anno 1596. Clemens VIII. omnibus Regularium Superioribus sub pœna privationis officii, dignitatis vel administrationis ac vocis activæ & passivæ observari præcepit. Superiores Regularium suis subditis Regularibus præditis qualitatibus requisitis ad Ordines literas dimissorias concedant ad Episcopum Diœcesanum, nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis positus fuit.

2do. Si Regulares degant in monasteriis sitis in locis nullius Diœcesis, ab Episcopo viciniori ordinari debent, ùt apud Lezana sacra Congregatio declaravit.

3tio. Habent quidem Regulares varia privilegia, vi quorum à quolibet Antistite Catholico ordinari possint, sed hæc per *Tridentinum* revocata sunt, post *Tridentinum* S. Pius V. Fratribus Mendicantibus concessit, ut à quocunque Antistite, Ordinarii loci minimè requisitâ licentiâ, sive in domibus eorundem Fratrum ad sacros Ordines promoveri possint, at hocce privilegium Greg. XIII. ad terminos juris communis & *Concilii Tridentini* reduxit. Paulus III. Societati JESU concessit, quòd Generalis Præpositus suos cuicunque Catholico Antistiti gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habenti præsentare valeat: quod confirmavit Greg. XIII. præcipiendo, ut promovendos ad Ordines, qui licentiam à Præposito Generali Societatis

pro

pro tempore existente vel ab eo Delegatis habuerint, absque proprii Ordinarii licentia ad Ordines promoveat, ubi etiam prohibet hujus gratiæ communionem iis, qui sua privilegia cum Societate participant, vel participare poterunt. *Compendium privilegiorum Soc. JES. Verb. Ordines. §. 1. & 3.* Simile privilegium de Clericis Ordinis Melitensis refertur à Barbosa. Alii igitur Regulares, qui speciale privilegium post *Trident.* & constitutionem Clement. VIII. non habent, ab alio Episcopo quàm Diœcesano sui monasterii nequeunt ordinari.

4to. Quòd si Diœcesanus abfuerit, vel ordinationes habiturus non esset, Regulares ad quemcunque alium Episcopum mitti possunt cum hisce limitationibus: *1mo.* Ut ab Episcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam. *2do.* Ut Regulares dimissoriarum concessionem in id tempus, quo Diœcesanus vel abfuturus, vel ordinationes habiturus non esset, de industria non distulerint. *3tio.* Ut Episcopo Diœcesano absente vel ordinationes non habente in literis dimissoriis causa absentiæ Diœcesani, vel ordinationum ab eo non habitarum exprimatur. Ita declaratio Cardinalium citata ac probata à Clem. VIII.

5to. Si Episcopus Diœcesanus ordinationem quidem habeat, sed hunc Religiosum ordinare recuset, literæ dimissoriæ ad alium Episcopum dari non possunt, sed si Regularis ordinari petens sit gravatus, per appellationem vel recursum ad altiores Superiores sibi prospicere poterit. S. Congreg. apud *Pignat. tom. 9. con. 189. n. 139.*

6to. Sede vacante Regulares dimissorias nullâ licentiâ Vicarii Capitularis petitâ concedere possunt. *S. Congreg. cit.*

Quæres *septimo.* Quibus Episcopis alienos ordinare specialiter prohibitum? R. *1mo.* Nec Græci à Latinis, nec Latini à Græcis ordinari possunt. *cap. cum secundum. 9. de tempor. ordinat.* Si Clericus Græcus Episcopo Latino subjectus à Græco Pontifice ordinatur: nisi de mandato vel licentia sui Episcopi fiat, interdicenda est ei Ordinis executio sic susceptæ tanquam ab alieno Pontifice sine mandato & licentia sui Episcopi ordinato. Si verò de mandato & licentia sui Præsulis Græco Pontifice secundùm morem Græcorum fuerit ordinatus, licèt culpandus sit Episcopus Latinus, qui Clericos suos à Græco facit Antistite ordinari, quamdiu tamen talis mos ab Ecclesia toleratur impediri non debet ab executione Ordinum taliter susceptorum. *cap. quod translationem. 11. de temp. ordinat.*

2do. Episcopi Italiæ Ultramontanum qui Episcopi sui licentiam habere nequit sine consensu Papæ ordinare prohibetur. *cap. 1. de temp. ordinat. in 6.* nisi sit Regularis, ùt declaravit S. Congregatio.

3tio. Summus Pontifex ob summam quam in universam Ecclesiam habet, potestatem, quemlibet Clericum ordinare potest. *can. per principalem. 123. caus. 1. q. 1. can. nunc verò. 20. caus. 9. q. 3.* Ordinatus tamen à Papa, v. g. Subdiaconus, sine ejus licentia ad altiores Ordines promoveri ab Episcopo nequit. *can. filium. 122. caus. 1. q. 1. cap. cum in distribuendis. 12. de temp. ordinat.*

Quæres *octavo.* Quid sunt literæ dimissoriæ

missoriæ? R. Literæ dimissoriæ, quæ etiam appellantur Reverendæ, sunt illæ, quas Superiores suis subditis concedunt, ut ab aliis ordinari possint. Ita eas vocat *Trid. Sess. 7. de reform. cap. 10. & Sess. 23. de reform. cap. 10.* Differunt literæ dimissoriæ *1mo* à literis testimonialibus vel recommendatitiis, quòd illæ sint nudum de qualitatibus ordinandi testimonium, literæ dimissoriales præterea jurisdictionem concedunt. Differunt à licentia ordinandi, eò quòd licentia ordinandi Episcopo, ut in aliena Diœcesi ordinare valeat, indulgeatur, quæ insuper vocaliter tribui potest, literæ dimissoriæ conceduntur subditis, ut ab alieno Episcopo ordinari possint, & quidem in scriptis expresso Ordine, qui vigore illarum conferendus, aliàs per facultatem recipiendi Ordines minores vel Ordines tantùm non comprehenduntur Ordines majores. *Arg. cap. 1. de temp. ordinat.* Literæ dimissoriæ aliæ generales, in quibus persona non exprimitur, veluti, quòd à quolibet Episcopo valeat ordinari: aliæ speciales, in quibus, quòd quis à tali vel tali Episcopo ordinari possit, exprimitur, & tunc ab alio, quàm expresso ordinari nequit; quia expressio unius est exclusio alterius. *cap. nonne. 5. de præsumpt.* Ita ut, si subditus Trevirensis haberet literas dimissorias ad Episcopum Colonienſem, Episcopus Leodiensis de licentia Colonienſi in Diœcesi Colonienſi ordinans talem Trevirenſem ad Ordines promovere non posset; quia Episcopus de licentia in aliena Diœcesi ordinans solùm ordinare potest personas subjectas Episcopo ordinandi licentiam concedenti, ùt declaravit *Trid. Sess. 6. de reform. cap. 5.*

Quæres *nono.* Quis literas dimissorias dare potest? R. *1mo.* Summus Pontifex omnibus Christianis, ùt patet. *2do.* Proprius Episcopus suis subditis. *cap. nullus. 4. de tempor. ordinat. in 6.* Qualiter autem Episcopi subditis suis dimissorias dare debeant, exprimitur à *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 3.* "Episcopi per semet-"ipsos Ordines conferant, quòd, si "ægritudine fuerint impediti, subditos "suos non aliter, quàm jam probatos & "examinatos ad alium Episcopum ordi-"nandos dimittant." *Et Sess. 7. de reform. cap. 11.* "Facultates de promo-"vendo à quocunque non suffragentur, "nisi habentibus legitimam causam, ob "quam à propriis Episcopis ordinari non "possint, in literis exprimendam, & "tunc non ordinentur nisi ab Episcopo "in sua Diœcesi residenti, aut pro eo "Pontificalia exercente, & diligenti "prævio examine." Ex quibus

Colliges, quòd vi dimissoriarum ordinandus & ab Episcopo dimittente, & ab Episcopo ordinante examinari debeat, & si vi dimissoriarum ad Ordines promotus inhabilis esset, dans dimissorias tutus non foret in conscientia.

3tio. Episcopi Superior, vel Archi-Episcopus subdito Suffraganei literas dimissorias dare nequit, nec Prælati Episcopo inferiores, sive Religiosi, sive Sæculares suis subditis literas dimissorias citra speciale Sedis Apostolicæ indultum concedere possunt. *cap. cum nullius. 3. de temp. ordinat. in 6. Trid. Sess. 23. de reform. cap. 10.* Nec Vicarius Episcopi sine

speciali mandato extra casum longævæ absentiæ literas dimissorias dare potest. "Non licet Capitulis Ecclesiarum, Sede "vacante, infra annum à die vacationis "ordinandi licentiam, aut literas dimis- "sorias, tam ex juris communis disposi- "tione, quàm etiam cujuscunque privi- "legii aut consuetudinis vigore, alicui, "qui beneficii Ecclesiastici recepti aut "recipiendi occasione arctatus non fue- "rit, concedere." *Trid. Sess. 7. de reform. cap. 10.*

4to. Literæ dimissoriæ non exspirant morte naturali, vel civili, ut amotione ab officio, vel consimili mutatione concedentis: Prælatus tamen novus concessas ab antecessore dimissorias executioni nondum mandatas per edictum generale ex causa revocare non prohibetur.

Quæres *decimo.* In quibus casibus aliquis ab alieno Episcopo absque dimissoriis ordinari possit? R. In duobus: *1mo.* Si proprius Clerici Episcopus à collatione Ordinum notoriè sit suspensus, eò quòd alienos subditos ordinaverit. *cap. eos qui. 2. de temp. ordinat. in 6. junct. gloss.*

2do. Si ordinandus per triennium cohabitaverit Episcopo alieno, à quo beneficium accepturus est, ut suprà.

Quæres *undecimo.* Qualiter in susceptione Ordinum servanda interstitia? R. *1mo. Trid. sess. 23. de reform. cap. 11. 13. & 14.* Varia de tempore intermedio, quo Ordines gradatim suscipiuntur, disponit, ut etiam minores Ordines per temporum interstitia conferantur, nisi aliud Episcopo magis expedire videbitur, ut in unoquoque munere juxta præscriptum Episcopi se exerceant, priusquam ad altiorem gradum ascendant, ut ad majores Ordines ascendere non possint, nisi post annum à susceptione minorum, & similiter ab uno ex sacris ad alium nonnisi post annum, si ob Ecclesiæ utilitatem vel necessitatem aliud Episcopo non videbitur.

2do. Hæc interstitia non computantur mathematicè, sed moraliter, & sufficit, quòd annus interponendus sit lunaris sive Ecclesiasticus, ut, qui hoc anno ordinatus Subdiaconus in Quadragesima, altero anno in Quadragesima ordinari possit Diaconus, quamvis Pascha maturiùs celebrari contingat. *In S. Congreg.*

3tio. Non possunt eâdem die conferri duo Ordines, etiam non obstantibus quibuscunque privilegiis, quæ per *Trid. cit. loc. cap. 13.* sunt revocata. Nec possunt duobus diversis diebus continuato jejunio duo Ordines sacri conferri, quia continuatio jejunii fictione juris facit eandem diem Ecclesiasticum. *cap. literas. 13. de temp. ordinat.*

4to. Non potest eâdem die dari Subdiaconatus cum quatuor Minoribus. *cap. cum lator. 2. de eo, qui furtivè ordin. suscep.* Ubi taliter promotus à Subdiaconatu manet suspensus, & generaliter, dum duo Ordines sacri eâdem die conferuntur, collator suspensionem à collatione talium Ordinum, & Ordinatus suspensionem ab executione secundi Ordinis malè susceptí usque ad beneplacitum & dispensationem Sedis Apostolicæ incurrit.

5to. De consuetudine, quæ à *Trident.* non videtur reprobata, eâdem die

die prima tonsura cum minoribus Ordinibus confertur.

6to. Regularibus dispensationem in interstitiis quoad minores Ordines Prælati, qui eos conferunt, dare possunt, quoad sacros dispensat Episcopus, quoad causas tamen cognoscendas ex attestatione superiorum Regularium judicium formare debet. *Ita S. Congreg. apud Piacezium in prax. Episcop. p. 1. cap. 1. n. 50.* Patres Societatis JESU sine observatione interstitiorum tribus Dominicis vel aliis festis diebus etiam continuis ex privilegio Greg. XIII. ad S. Ordines promoveri possunt.

7timo demum non solùm Episcopus, sed etiam Sede vacante Capitulum vel ejus Vicarius super interstitiis, in casibus, in quibus dat dimissorias, dispensandi habet facultatem.

Quæres *duodecimo.* Quale examen, ne imperiti, inhabiles & defectum patientes promoveantur, ordinationi præmittendum? ℟. Præmittendum est 3plex examen, *1mum* fit in loco, in quo versatur promovendus, de quo *Trid. Sess. 23. de réform. cap. 5.* "Ad minores Ordines promovendi bonum à Parocho "& à Magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant, hi verò, "qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho "aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volunt promoveri, "publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, "moribus & vita à fide dignis diligenter "inquirat, & literas testimoniales ipsam "inquisitionem factam continentes, ad "ipsum Episcopum quamprimùm transmittat." Hucusque *Trident.* Pro Regularibus Superiorum sufficit attestatio.

2dum examen est proximè ante ordinationem coram Episcopo & Examinatoribus. *can. nullus. 2. can. quando. 5. dist. 24. Trid. l. c. cap. 7.* "Omnes, qui "ad sacrum ministerium accedere voluerint, Feriâ quartâ ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur, Episcopus autem Sacerdotibus & aliis prudentibus Viris peritis Divinæ Legis, ac "in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi adscitis ordinandorum genus, "personam, ætatem, institutionem, "mores, doctrinam & fidem diligenter "investiget & examinet." Ab hoc secundo examine non sunt liberi Regulares, privilegiis eorum hac in parte post *Trident.* minimè suffragantibus. *Piazecius. cit. n. 49.*

3tium est in ipsa ordinatione, dum Episcopus interrogat Archidiaconum, an sciat præsentatos ad Diaconatum & Presbyteratum esse dignos? De quo *in cap. unic. de scrutinio in ord faciendo.*

Qui scrutinium subterfugiens furtivè Ordines suscepit, sese ordinandorum multitudini Episcopo ignorante ingerendo, privatur spe majorum Ordinum, & Ordinis illius, quem suscepit, & si excommunicatus, à solo Papa restituitur. *cap. 1. & 2. de eo, qui furt. ord. susceptis.*

Quæres *ultimo.* Quâ solemnitate Ordines conferendi? ℟. *1mo.* 2plex in conferendis Ordinibus servanda est solemnitas:

tas: alia siquidem est solemnitas temporis, alia ordinationis. Circa solemnitatem temporis observanda sunt sequentia:

1mo. Prima tonsura, quia est voluntariæ jurisdictionis, omni die ad ordinantis libitum intra vel extra Diœcesin conferri potest.

2do. Minores Ordines intra Diœcesin diebus Dominicis & festivis conferri possunt, quandocunque Episcopo libuerit. *can. quando. 6. dist. 75. cap. de eo. 3. de temp. ordinat.*

3tio. Majores Ordines solùm conferri possunt in sex Sabbathis, nimirum in Sabbathis quatuor Temporum, in Sabbatho ante Dominicam Passionis, & in Sabbatho Sancto. *cit. cap. de eo. Trident. Sess. 23. de reform. cap. 8.* Rationem dat Catechismus Romanus: Statutis tantùm diebus, quibus solemnia jejunia ex vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more indicuntur, ordinationes fiunt, ut fidelis populus ejusmodi rerum sacrarum ministros piis & sanctis precationibus à DEO impetret, qui ad tanti ministerii potestatem rectè & cum Ecclesiæ utilitate gerendam aptiores videntur.

4to. Excipiuntur duo casus: *1mo.* Si tanta ordinandorum multitudo, ut nequeant omnes ordinari in Sabbatho, tunc in sequentem diem Dominicum ordinatio differri potest. *2do.* Si tam ab ordinando, quàm ab ordinante jejunium usque in sequentem diem servetur. *Can. quod à Patribus. 4. dist. 75.*

5to. Summus Pontifex promovendi ad S. Ordines extra tempora facultatem concedere potest, sic Mendicantes & cum iis in privilegiis communicantes ex privilegio Clem. VIII. & Patres Societ JESU ex privilegio Greg. XIII. extra tempora ordinari possunt.

6to. Absque privilegio extra tempora ordinatus per constitutionem Pii II. ab Ordinis executione suspenditur, donec cum eo à Papa, si suspensio notoria, vel ab Episcopo, qui scilicet in culpa non fuit, si occulta, dispensetur. Ordinans sine privilegio extra tempora tanquam sacrorum Canonum violator suspensione à collatione Ordinum est puniendus. *cap. cum quidam. 8. de temp. ordinat. junct. gloss. verb. canonica. cap. sanè. 2. cap. literas. 13. ibid.*

℟. *2do.* Solemnitas ordinationis consistit in sequentibus: *1mo.* In collatione Ordinum majorum, non minorum, Missa ab ordinante de necessitate præcepti, non autem Sacramenti celebranda est. *Gloss. in cap. quod sicut. 28. de elect. verb. dividatur.*

2do. Conferendi sunt gradatim, incipiendo à prima tonsura. *can. si officia. 2. dist. 59. cap. unic. de Cleric. per saltum promot.* Imprimitur tamen character superioris Ordinis, qui prætermisso inferiore collatus est, at ordinatus ab exercitio Ordinis suscepti, usque dum Ordinem prætermissum suscipiat, suspenditur. *cit. cap. unic. de Cleric. per salt. promot.*

3tio. In Ecclesia Cathedrali, vel alia ex dignioribus solemnis fieri debet ordinatio, vocatis præsentibúsque ad id Ecclesiæ Canonicis. *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 8.*

4to. Omnino gratis habenda est ordinatio. *can. ordinationes. 113. can. de ordi-*

ordinationibus. 116. can. quibusdam. 117. cauſ. 1. q. 1. Et noviſſimè *Trident. Seſſ. 21. de reform. cap. 1.* ita ſtatuit: "Nihil "pro collatione quorumcunque Ordi- "num, etiam Clericalis tonſuræ, nec "pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonia- "libus, nec pro ſigillo, nec pro alia "quacunque de cauſa etiam ſpontè obla- "tum, Epiſcopi, & alii Ordinum col- "latores, aut eorum miniſtri quovis præ- "textu accipiant. Notarii verò in iis tan- "tùm locis, in quibus non viget lauda- "bilis conſuetudo nihil accipiendi, pro "ſingulis literis dimiſſoriis aut teſtimo- "nialibus decimam tantùm unius aurei "partem accipere poſſint, dummodò "eis nullum ſalarium ſit conſtitutum pro "officio exercendo, nec Epiſcopo ex "Notarii commodis aliquod emolumen- "tum ex iisdem Ordinum collationibus "directè vel indirectè provenire poſſit, "tunc enim gratis operam ſuam eos præ- "ſtare omnino teneri decernit: contra- "rias taxas, ſtatuta & conſuetudines "etiam immemoriales quorumcunque "locorum, quæ potiùs abuſus & cor- "ruptelæ, ſimoniacæ pravitati faven- "tes nuncupari poſſunt, penitus caſſan- "do & interdicendo, & qui ſecùs fece- "rint tam dantes quàm accipientes ultra "Divinam ultionem pœnas à jure infli- "ctas ipſo facto incurrant." Hucuſque *Trident.*

5to. Ordinatio ſemel facta, licèt in ea ſit quid prætermiſſum, non iterabitur, ſed quantùm fieri poteſt, id, quod per errorem prætermiſſum eſt, cautè ſupplendum. *cap. fin. de Sacrament. non iter and. arg. cap. unic. de Clerico per ſalt. promot.* Ubi Clericus, qui omiſſo Diaconatu Presbyteratum ſuſceperat, non denuo Presbyter, ſed Diaconus ordinari præcipitur; niſi omnino contra Eccleſiæ formam facta fuiſſet ordinatio.

§. Tertius.

DE

Qualitatibus Ordinandorum.

QUæres *primo.* Quæ requiruntur in ordinando qualitates? R. *1mo.* Debet eſſe maſculus, fœminæ enim de jure Divino eorum, quæ ſunt Ordinis, incapaces exiſtunt. *cap. nova. 10. de pœnit. & remiſſ.* Ubi Innocent. III. *Licèt Beatiſſima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apoſtolis univerſis, non tamen illi, ſed iſtis Dominus claves Regni Cælorum commiſit.*

2do. Debet eſſe baptizatus; character enim Ordinis de ſui neceſſitate characterem Baptiſmi præſupponit. *cap. 1. cap. veniens. 3. de Presbyt. non baptizat.*

3tio. Confirmatus, non de Sacramenti, ſed de præcepti graviter obligantis neceſſitate.

4to. Legitimam ætatem adeptus, de qua ſuprà. Qui ante legitimam ætatem ſacros Ordines ſuſcipit, de jure communi uſque ad legitimam ætatem eſt ſuſpendendus. *cap. vel non eſt. 14. de temp. ordinat.*

dinat. Per constitutionem Pii II. quæ incipit: *Cum ex sacrorum.* ipso facto suspensionem incurrit, à qua, etsi ætatem à *Trident.* requisitam attigerit, nonnisi per summum Pontificem absolvitur. Episcopus ordinans puerum vel impuberem à collatione Ordinum suspenditur. *cit. cap. vel non est.*

5to. Literatus, ita ut sciat implere officium & functionem Ordinis, ad quem aspirat.

6to. Liber à vitiis animi, corporis & originis.

7timo. Solutus à vinculo personali vel civili.

8vo. Provisus de titulo sustentationis.

Quæres *secundo.* Qui animi laborant vitio? R. *1mo.* Amentes, furiosi, à Dæmone possessi. *can. maritum. 2. dist. 34.*

2do. Graviori aliquo crimine commaculati, ùt Hæretici, Schismatici, &c. *can. si quis. hæretica. 42. can. Arianos. 73. caus. 1. q. 1.* Simoniaci. *cit. can. maritum.*

3tio. Homicidæ voluntarii & culpabiles, *cap. 1. de homicid.* "Qui suâ volun-"tate homicidium perpetraverit, etiamsi "crimen id nec ordine judiciario proba-"tum, nec aliâ ratione publicum, sed "occultum fuerit, nullo tempore ad "sacros Ordines promoveri possit, in-"quit *Trid. Sess. 14. de reform. cap. 7.*"

4to. Censurâ aliquâ irretiti, qui, si Ordines suscipiunt, fiunt irregulares, ficut si in Ordine ministrâssent. *dist. 81.* per totum. *cap. fin. de eo, qui ord. furt. suscep. cap. cum illorum. 32. de sentent. excomm.*

5to. Infames infamiâ juris vel facti. *can. infames. 17. caus. 6. q. 1, cap. fin. de testib. Cap. Omnipotens DEUS. 4. de accusation. cap. infamibus. de Regul. Juris. in 6.*

6to. Qui publicam pœnitentiam pro gravi & publico delicto egerunt. *cit. can. maritum. dist. 33. can. ex pœnitentibus. 55. dist. 50.*

Quæres *tertio.* Qui laborant vitio corporis? R. *1mo.* Omnes qui habent defectum corporis vel ordinis executionem impedientem, vel magnam deformitatem inducentem, si hoc ex carentia membri cujusdam, sive ex debilitate vel infirmitate alicujus contingat, ut non nisi cum scandalo vel horrore in Ordinibus ministrare possit, qualem habent laborantes continuâ podagrâ, obnoxii morbo comitiali vel caduco, infecti leprâ &c. *cap. 1. de corpore vitiat.* Quis autem defectus sit hìc & nunc notabilis, Episcopus determinabit.

2do. Si quis per alium sit mutilatus, non tamen membro principali, quamvis non sine culpa mutilationem passi, qui directè non fuit cooperatus, si absque scandalo functiones Ordinis exercere potest, ad Ordines admittitur. *cit. cap 1.* Non tamen, qui cum sua culpa absque directa cooperatione membrum principale amisit, licèt occultum, nec Ordinis usum impediens. *cap. fin. de corpore vitiat.* Membrum principale hìc dicitur, quod ab aliis partibus distinctum officium habet, ùt oculus, manus, pes, &c.

3tio. Si quis sibi ipsi membrum vel partem membri præscidit, est irregularis, nec ad Ordines admittendus, sive mutilatio usum Ordinis notabiliter impediat, vel deformitatem inducat, sive non. *can. pœnitentes. 3. can. si quis abscidit.*

dit. 4. can. qui partem. 6. can. si quis pro ægritudine. 9. can. lator. 11. can. si Evangelica. 13. dist. 55. Dummodò mutilatio tanta sit, ut sine peccato mortali fieri non potuerit, aliàs si quis membrum sine sua culpa perdidit, quod nec Ordinis executionem impedit, nec notabiliter difformem reddit, ad Ordines promoveri non prohibetur. In hac irregularitate dispensare ad summum Pontificem pertinet. Cui non obstat *cap. significavit. 4. de corp. vitiat.* Illud enim loquitur de dispensatione ab Episcopo facta authoritate Apostolicâ.

Quæres *quarto.* Qui laborant vitio originis? R. *1mo.* Omnes filii Presbyterorum, aliique illegitimi extra matrimonium procreati. *cap. 1. cap. ad hæc. 12. de filiis Presbyt.* Ex triplici autem causa ab Ordinibus excluduntur: ob excellentiam Sacramenti, in detestationem paterni criminis, ob timorem, ne hæreditaverint paternam incontinentiam.

2do. Vitio originis laborant hæreticorum eorumque fautorum & defensorum filii, qui usque ad secundam generationem ad Ordines non sunt admittendi. *cap. quicunque. 2. §. hæretici. cap. statutum. 15. de hæreticis. in 6.* Nati ex Judæis vel Gentilibus, qui fidem susceperunt, ad Ordines promoveri possunt; de Judæis enim & Gentilibus conversis fundata est Ecclesia. *Gloss. in cap. eam te. 7. de rescriptis. verb. Judæus.* Et non generis, sed virtutum nobilitas, vitæ quoque honestas gratum DEO faciunt & idoneum servitorem. *cap. Venerabilis. 37. de præbend. cap. ad decorem. 5. de instit.* Neophyti noviter ad fidem conversi non facilè statim ad Ordines promoveantur. *can. Monasteriis. 6. caus. 19. q. 3.*

Quæres *quinto.* Quomodo cum illegitimis dispensatur? R. *1mo.* Illegitimi in Ordine Religioso professi ad Ordines, non ad dignitates, officia & curam animarum promoveri possunt. *cap. 1. de filiis Presbyt.*

2do. Ex dispensatione Episcopi illegitimi Ordines minores suscipere, & beneficia simplicia obtinere possunt. *cap. 1. de filiis Presb. in 6.* Non tamen majores, nec beneficia curata obtinere, quamvis defectus natalium sit occultus; Episcopus enim ulteriùs dispensare non potest, quia *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 6.* dans Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate, loquitur de occulta irregularitate, quæ ex delicto, intellige: proprio, orta est.

3tio. Dispensatus illegitimus à summo Pontifice majorum Ordinum capax existit, si tamen Pontifex in dispensatione non exprimat, quòd ad omnes promoveri possit, dispensatio de minoribus intelligenda est, cùm dispensatio strictæ sit interpretationis. *cap. 1. §. ille verò. de filiis Presbyt. in 6.* Ita etiam dispensatio ad beneficia de simplicibus est intelligenda.

4to. Quamvis dispensatio Pontificis illegitimum ad beneficia habilem faciat, non tamen habilitat eum ad beneficia in eadem Ecclesia, in qua pater præest, præfuit, vel beneficium habuit. *cap. 2. & 3. de filiis Presbyt. Trid. Sess. 25. de reform. cap. 15.* Quinimò filius legitimus patri in eodem beneficio immediatè succedere nequit. *cap. ad extirpanda. 11. de filiis Presbyt.*

Presbyt. Quamvis in eadem Ecclesia, in qua pater beneficiatus, beneficium obtinere valeat. Mediata successio in jure prohibita non est. *cap. ex transmissa. 7. de filiis Presbyt.* Bene tamen ex constitutione Clement. VIII.

Quæres *sexto.* Quo vinculo debent esse expediti, qui ad Ordines, maximè sacros, promoventur? R. Quadruplici: reali, personali, civili & matrimoniali. *1mo.* Vinculo reali impediuntur omnes, qui ad reddendas publicas rationes obligati ob aliquam administrationem, ùt Syndici Universitatum vel Collegiorum, Tutores, Curatores, testamentorum Executores, &c. *Can. legem. dist. 53. can. magnus. 3. dist. 54. cap. unic. de obligatis ad ratioci.* Ratio est; quia curis & negotiis hi ita distrahuntur, ut Ordinum ministerio vacare nequeant, & talium promotione Ordini Clericali nota timenda foret, si non potentes rationes reddere ad fugiendam jurisdictionem Laicalem Ordines susciperent. Fiunt sequentes limitationes: imprimis non prohibentur promoveri debitores Reipublicæ ex alia causa, quàm administrationis, veluti ex mutuo, conductione, emptione, etiam obligatione adhuc pendente, nisi ære alieno gravatus tantùm in bonis non haberet, ut satisfacere posset. Deinde nec administratores Ecclesiarum, miserabilium personarum, vel cujuslibet alterius causæ piæ publicæ vel privatæ etiam administratione pendente. *Can. fin. dist. 86. can. indicatum. 5. dist. 89.* Item qui ratiociniis quidem publicis astricti, fidejussores tamen adhibent, qui se ùt principales constituant, vel à dandis rationibus sunt absoluti.

2do. Vinculo personali impediuntur servi, ùt videre est *titul. de servis non ordinand. & dist. 54. per totum.* Et ratio est partim justitiæ, ne domino ex re sua illi subtracta fiat injuria; partim Religionis, quia ministerio Ordinis vacare non potest servus, si in servitio domini relinquatur. *can. quicunque. 5. dist. 54. cap. 2. de servis non ordinand.* Limitatur: Hæc intelligenda sunt, quamdiu servitus durat, & dominus non consentit, sive expressè. *cit. cap. 2.* sive tacitè, si servum ordinari sciat, & non contradicat. *can. si servus. 20. dist. 54.* Vel si intra annum à die scientiæ servum esse ordinatum illum non repetat. *cit. can. si servus.* Servus ordinatus domino ignorante vel contradicente validè quidem Ordinem suscepit, si tamen solùm in minoribus Domino repetenti restituitur, & ab executione Ordinum deponitur. *can. ex antiquis. 9. can. frequens. 10. dist. 54. cap. 2. de serv. non ordinand. junct. gloss.* Sacerdos ordinatus absque consensu Domini ob reverentiam Sacerdotii in gradu suo permanet, peculii tamen amissione mulctatur, quod cedit Domino, si aliquod habet. *cit. can. ex antiquis.* Ordinans scienter servum invito Domino, servum quidem per ordinationem liberum facit, attamen Domino duos alios servos æquè idoneos dare debet. *can. si servus absente. 19. dist. 54.* Ad servos reducuntur liberti, qui manumissi Domino vel patrono suo adhuc ad quædam officia temporalia obligantur; "nam à servitio humano "liber recedat, qui Divino amore di-"strictiorem subire appetit servitutem." *can. fin. dist. 54.* Coloni originarii vel ad-

adscriptitii, qui terræ colendæ perpetuò sunt adscripti, Curiales, qui in quacunque sæculari Curia in causis sanguinum sunt ministri, demum Monachi, qui sine consensu Abbatis ordinari non possunt. *can. 1. dist. 58. cap. ad aures. 5. de tempor. ordinat.*

3tio. Vinculo civili ab Ordinibus excluduntur bigami. *cap. 1. & 2. de bigam. non ordinand. cap. unic. eod. in 6.* non ratione peccati, quod transiens ad secundas nuptias non commisit. *can. fin. dist. 26. can. aperiant. & seq. caus. 31. q. 1.* sed ratione defectûs significationis; matrimonium enim carnale ad significandum matrimonium spirituale, quod Christus per incarnationem cum Ecclesia veluti cum Sponsa sua contraxit, institutum est, hoc unionis mysterium matrimonium bigami perfectè non significat, ideo à susceptione Ordinum in Ecclesia excluditur, etiam ab initio nascentis Ecclesiæ, ùt videre est ex Canonibus Apostolorum, & *cap. fin. de bigamis non ordinand.*

4to demum vinculo Sacramentali matrimonii. Vir, qui de facto est in matrimonio absque licentia uxoris, vel non facto divortio ab uxore ob adulterium, ordinari prohibetur.

Quæres *septimo.* Quotuplex bigamia ab Ordinibus excludens? R. 3plex: Vera, interpretativa & similitudinaria. In bigamia vera & interpretativa solus summus Pontifex, in similitudinaria Episcopus dispensat. Ordinans bigamum sine dispensatione potestate ordinandi, & ordinatus executione Ordinis privantur.

1mo. Bigamia vera est in eo, qui cum pluribus successivè contraxit, & consummavit matrimonium. *can. 4. & 5. dist. 26.* ita, ut, qui ante Baptismum uxorem habuit, & post Baptismum aliam duxit, sit bigamus, nec ordinari possit. *can. 1. 3. & 4. dist. 26. can. si quis viduam. dist. 34.* Baptismus enim tollit quidem crimina & provenientem indè irregularitatem, defectum tamen significationis ex divisione carnis per plura matrimonia successivè consummata non impedit, cùm Christus sibi perpetuò unicam copulaverit Ecclesiam.

2do. Bigamia interpretativa est, quando verè non intercessit duplex matrimonium in eodem viro, sed interpretativè carnem suam vir divisit, quod in sequentibus est casibus: *1mo.* Si vir contraxit cum una sola, & consummavit, quæ cum alio consummaverat matrimonium. *can. si quis viduam. 8. dist. 50. can. curandum. 9. dist. 34. 2do.* Si consummavit matrimonium cum ea, quæ ab alio per fornicationem corrupta. *can. maritum. 2. dist. 33. 3tio.* Si contraxit & consummavit cum virgine matrimonium, quam post commissum ab eadem adulterium cognovit. *can. si quis. can. si Laici. dist. 34.* Hujus bigamiæ ratio in hoc consistit, quòd sit unus cum ea, quæ carnem suam in plures divisit, ita, ut & ipse in plures divisisse censeatur, ubi non est facienda distinctio inter scientem & ignorantem, cùm non agatur de vitio, quod causat voluntas, sed de significationis defectu, quam etiam ignorans patitur. *4to.* Qui cum una contraxit & consummavit matrimonium validum, & cum alia iuvalidum, vel cum duabus

de facto nulliter contraxit matrimonium. *cap. nuper. 4. de bigam. 5to.* Qui cum vidua vel corrupta nulliter contraxit, & consummavit matrimonium, quia propter affectum intentionis opere secuto duorum fit interpretatio matrimoniorum.

3tio. Bigamia similitudinaria est, quando in Ordinibus sacris constitutus, vel voto solemni Religionis astrictus cum aliqua etiam Virgine contrahit, & consummat matrimonium. *can. quotquot. 24. caus. 27. q. 1.* Ratio est; quia postquam per Ordinem sacrum vel votum solemne spiritualiter & similitudinariè matrimonium cum Christo contraxit, dum cum alia matrimonium carnale contrahere & consummare attentat, adest duplicis similitudo matrimonii.

Quæres *octavo.* Qualis ad ordinationem requiritur titulus? R. Nullus ad aliquem sacrum Ordinem promoveri potest, nisi priùs de titulo, unde commodè sustentari valeat, provisus fuerit. *Trident. Sess. 21. de reform. cap. 2.* Ubi præcipit ad sacros Ordines non esse promovendos, qui beneficium Ecclesiasticum, pensionem vel patrimonium, quod ad victum sibi honestè sufficiat, pacificè non possideant, vel ut addit S. Pius V. professionem in Religione approbata non fecerit. Ratio est: quia dedecet eos, qui Divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere. *Trid. l. c. can. Diaconi. 23. dist. 93.*

Quæres *nono.* Quale beneficium est titulus ordinationis? R. Id exprimit *Trident. loc. cit.* "Ne quis deinceps Clericus "sæcularis, quamvis aliàs sit idoneus "moribus, scientiâ & ætate, ad sacros "Ordines promoveatur, nisi priùs legi- "timè constet, eum beneficium Eccle- "siasticum, quod sibi ad victum honestè "sufficiat, pacificè possidere. Id verò "beneficium resignare non possit, nisi "factâ mentione, quòd ad illius bene- "ficii titulum sit promotus, neque ea re- "signatio admittatur, nisi constito, quòd "aliunde commodè vivere possit, & ali- "ter facta resignatio nulla sit." Debet igitur beneficium *1mo* esse sufficiens ad victum honestè acquirendum juxta consuetudinem regionis, & ordinariam Clericorum conditionem, hujus sufficientiæ determinatio, cùm non sit à jure taxata, Episcopi relinquitur arbitrio, ut declaravit S. Congregatio.

2do. Pacificè possessum. Pacificè possidere dicitur, qui sine lite possidet, nullamque patitur juris vel facti, in judicio vel extra, controversiam. Ex hoc non satis est: quòd ordinandus ad beneficium per nominationem, præsentationem vel electionem jus habeat, priusquam collatio, vel confirmatio, & successivè possessionis traditio subsequatur. *Gloss. in can. Osius. 10. dist. 61.*

3tio. Actu ex beneficio fructus debet posse percipere, ideóque quis promoveri non posset ad sacros Ordines Diaconatûs & Subdiaconatûs titulo beneficii, cujus fructus lucrari non potest, nisi post susceptum Sacerdotium, quia sic promotus multis modis à suscipiendo Sacerdotio impediri, ac contra intentionem *S. Concilii* ad mendicandum obligari posset. *Pignat. tom. 5. cons. 77. n. 32.* adfe-

ren

rens pro hac parte declarationem sacræ Congregationis. Oppositum sustinet Jordanus *lib. 3. tit. 6. n. 302.* etiam pro se adferens decretum S. Congregat.

4to. Debet esse beneficium perpetuum, adeóque Vicaria temporalis vel manuale beneficium non sufficit, ùt probatur *ex cap. constitutus. 8. de filiis Presb. junct. gloss. verb. perpetuus.* Ex eadem ratione ordinari non permittitur, qui in Seminarium, Collegium vel Gymnasium adoptatus victum ibidem habet, si indè dimitti possit.

5to. Certos reditus habere debet; aliàs enim ordinatus certam sustentationem habere nequit. *Garz. p. 2. cap. 5. n. 111.* Quòd si cum beneficio vel patrimonio jungantur pitantiæ, eleëmosynæ, anniversaria, confraternitates & alia emolumenta quæ ex celebratione Missarum, & exercitio sacrorum Ordinum, si ad eos promoveantur, percipere & lucrari possunt, quæ ad victum honestum sufficiant, S. Congregatio respondit: non posse promoveri, etiamsi Episcopus obliget se suppleturum, vel etsi ex industria vel honesto labore lucrari posset, quod deficit, ut promovendus Musicus, juventutis instructor &c. esset, nihilominus ordinari prohibetur. Putat tamen Jordanus *loc. cit.* quòd quotidianæ distributiones, quæ beneficiato dantur, insufficientiam tituli supplere possint; quamvis enim regulariter nomine fructuum non veniant, certæ tamen sunt, & possessorem seu participantem congruenter sustentare valent.

6to. Resignatio talis beneficii est invalida etiam in foro conscientiæ, nisi sit expressum, quòd ad tale beneficium ordinatus, & acceptanti constet, quòd aliunde sit provisum resignanti.

Quæres *decimo.* Qualiter patrimonium vel pensio possit esse sufficiens ordinationis titulus? R. Id quoque expressit *Trident. loc. cit.* "Patrimonium verò vel "pensionem obtinentes ordinari post- "hac non possint, nisi illi, quos Episco- "pus judicaverit assumendos pro neces- "sitate vel commoditate Ecclesiarum "suarum, eo quoque priùs perspecto, "patrimonium illud vel pensionem verè "ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis "ad vitam sustentandam satis sint, atque "deinceps sine licentia Episcopi alienari, "aut extingui vel remitti nullatenus pos- "sint, donec beneficium Ecclesiasticum "sint adepti, vel aliunde habeant, unde "vivere possint." Circa quæ notanda sunt sequentia:

1mo. Ad titulum patrimonii vel pensionis nemo simpliciter ordinari potest, sed tantùm, si judicio Episcopi necessitas vel utilitas Ecclesiæ id suadeat, ideóque si ordinandus singularem doctrinam vel pietatem, quâ Ecclesiæ præ cæteris servire possit, non habeat, Episcopus habentem sufficiens patrimonium ab Ordinibus excludere potest.

2do. Nomine patrimonii comprehenditur, quidquid Clerico non solùm ex bonis paternis, verùm etiam undecunque obvenit, ita etiam intentioni Canonum & *Tridentini* satisfieri valet.

3tio. Patrimonium ab ordinando acta possideri debet; sicut enim ad hunc effectum non sufficit beneficium de futuro obtinendum, cujus spem v. g. Coadju-

tor habet, ita etiam, ut in spe futuræ successionis ordinari possit, patris vel propinquorum haud satis est opulentia.

4to. Assignatio patrimonii super rebus immobilibus, certis & determinatis fundari debet, ut cognosci possit, an ad congruam sustentationem sufficiant, quare minimè sufficeret, quòd quis obligaret se ad subministrandum Clerico, quidquid illi opus fuerit ad congruam sustentationem.

5to. Patrimonium per parentes eâ conditione donatum, ut filius interim, dum aliud beneficium aliáve bona ad congruam ejus sustentationem sufficientia acquirat, usumfructum habeat, est sufficiens. Item patrimonium super certis annuis & perpetuis censibus constitui potest, cum cautione, quòd si census redimerentur, pecunia ex decreto Judicis apud certas personas ad effectum reapplicandi deponatur.

6to. Pensio Ecclesiastica, quæ à *Tridentino* quidem separatim nominatur, in omnibus patrimonio parificatur, uti etiam pensio non Ecclesiastica super re vel bonis frugiferis in quantitate sufficiente fundata, si congruis temporibus illam exigere in pensionarii sit facultate.

7timo. Quælibet pensionis vel patrimonii, ad cujus titulum quis ordinatur, venditio, obligatio de vendendo, transactio, divisio, permutatio, in solutum traditio, hypothecatio, & quælibet alienatio etiam latè dicta, invalida est, nisi ordinatus assecutus sit beneficium, vel bona, unde vivere possit, ac præterea interveniat licentia Episcopi, ut cognoscat, an res in patrimonii locum surrogata, pariformiter ùt in beneficio ad congruam sustentationem sufficiens existat. *Jordanus cit. n. 343.*

Quæres *undecimo.* Qualiter professio Religiosa sit sufficiens ordinationis titulus? R. Quilibet in Religione professus sine titulo ad sacros Ordines promoveri potest. Ita S. Pius V. in constitutione, quæ incipit: *Romanus Pontifex.* Promajori securitate disponit Concilium Mediolanense Provinciale 5tum: Regulares titulo paupertatis ordinari possunt; sed jurent coram Episcopo se sponte professionem solemnem emisisse, vel ratam habuisse. Excipiuntur Religiosi Societ. JESU, qui ex privilegiis Gregorii XIII. & XIV. post vota simplicia, quæ emittere solent, ad sacros Ordines admitti possunt, cùm veri sint Religiosi, licèt nondum emiserint professionem solemnem.

Quæres *duodecimo.* Quæ pœnæ sint titulo ordinantium & ordinatorum? R. *1mo.* Jure antiquo ordinati sine titulo erant ipso facto suspensi, & si in tali suspensione functioni Ordinum sese ingererent, irregulares. *can. neminem. can. Sanctorum. dist. 70.* Qui rigor per posteriores Canones remissus, juxta quos non sunt suspensi, sed taliter ordinatis per ordinantes vel eorum successores de sustentatione, donec beneficia consequantur, provideri debet. *cap. cum secundum. 16. de præbend. cap. accepimus. 13. de ætat. & qualit.* Quin & Episcopus dans licentiam non habenti titulum, ut à quocunque ordinetur, ad sustentationem taliter ordinati obligatur *per cap. Si Episcopus. 37. de præbend. in 6.* Pœnas antiquorum

quorum Canonum innovavit Tridentinum *Sess. 21. de reform. cap. 2.* Quam innovationem Pignatelli *tom. 5. cons. 77.* ita explicat: si quis ordinatus sine titulo beneficii, vel patrimonii, vel pensionis sciente Episcopo vel cum Episcopi culpa, innovata est pœna. *cap. cùm secundùm Apostolum.* Ut scilicet Episcopus teneatur ad alimenta, ipse verò ordinatus non sit suspensus, si autem ordinatus solus fuerit in culpa, v. g. finxit titulum, ipse ordinatus incurrit pœnam suspensionis, juxta *cit. can. Sanctorum. 70.*

2do. Religiosi non professi, vel non validè professi suscipientes Ordinem sacrum ipso facto pœnam suspensionis, ordinans verò pœnam suspensionis per annum à collatione talium Ordinum incurrunt, quòd si Religiosus sciat quidem suæ professionis invaliditatem, attamen contra eandem absque gravibus incommodis reclamare non audeat, atque ita ad suscipiendos sacros Ordines astringatur, hanc pœnam suspensionis non incurrit, ùt declaravit S. Congreg. apud *Pign. cit. cons. 77.*

3tio. Si quis Ecclesiæ Rectorem rogavit, ut eum ad Ecclesiæ suæ titulum præsentaret, ut ordinari posset, firmiter promittens, nunquam in Ecclesia sua petere aliquam portionem, ad eum titulum ordinatus est suspensus, ita, ut in sic susceptis nec ministrare, nec ad superiores ascendere possit, donec cum eo dispensetur. *cap. si quis ordinaverit. 45. de simon.*

4to. Si quis aliquem ordinavit, vel ad Ordines ex officio præsentavit, promissionem vel juramentum suscipiens, quod super provisione sua non inquietabit eum, collator à collatione, præsentator ab executione Ordinum per triennium, & ordinatus absolutè ab Ordine cum tali fiduciario titulo suscepto, donec à Sede Apostolica dispensationem meruerint, sunt suspensi. *cit. cap. si quis ordinaverit.*

5to. Ordinatus paciscens taliter cum patre, donatore, vel alia persona obligata vel obliganda ad sustentationem ejus, ratione patrimonii se non illaturum molestias, & patrimonio non usurum, quamvis illicitè paciscatur, ac ipsum pactum ac juramentum juxta probabiliorem sit nullum, suspensionem tamen non incurrit, nec pactum est simoniacum; pœnales enim dispositiones ad casum non expressum haud sunt extendendæ.

TITULUS DECIMUS-OCTAVUS.

DE

BENEFICIIS.

LAtissimam hanc materiam in compendium redacturi, dividimus in quinque §phos : In *primo* explicaturi naturam beneficiorum, eorum honorem & onus. In *secundo* personas, quibus, & à quibus conferuntur. In *tertio*, quâ formâ & modo acquirantur. In *quarto* vacationes & amissiones. *Quinto* actiones pro beneficiis competentes.

§. Primus.

DE

Natura Beneficiorum.

QUæres *primo*. Quid est beneficium? R. Est jus spirituale utendi & fruendi fructibus rei Ecclesiasticæ in perpetuum, Clerico ob ministerium sacrum Ecclesiasticâ authoritate institutum. Explicantur singula :

1mo. Jus. Quia numeratur inter res corporales.

2do. Spirituale, puta, non per essentiam, sed quatenùs ab officio spirituali, ob quod exercendum datur, dependet, in quo à feudo distinguitur, quod beneficium temporale est, dicitúrque jus habendi usumfructum rei immobilis perpetuum, propter obsequium vel corporale servitium.

3tio. Utendi : Imprimis ipsa bona Ecclesiastica ad Clericos non pertinent ; jus enim utendi & fruendi semper est salvâ rei substantiâ, nec Clerici rerum Ecclesiasticarum proprietatem & dominium habent. *cap. fraternitatem. 2. de donation.* Sed earum tantùm usu gaudent, unde se suamque familiam alant, ac superfluum pauperibus vel ad alias pias causas erogent. *can. Clericus. 5. can. duæ sunt. 7. can. res Ecclesiæ. 26. caus. 12. q. 1.* Et sunt tantùm nudi dispensatores. *can. præcipimus. ibid. can. non satis. 14. dist. 86.* quibus non obstat, quòd fructus beneficii elocare possint. *cap. vestra nobis. 2. de locat. & conduct.* quia id nomine Ecclesiæ faciunt, nec adversatur, quòd de fructibus testari valeant, quia hoc intelligendum de fructibus aliunde, quàm occasione Ecclesiæ ad eos pertinentibus. *juxta cap. relatum. 12. de testament.*

4to. Fruendi : quia multi docent, Cle-

Clericos non tantùm usum habere redituum Ecclesiasticorum, sed etiam usumfructum. *Gloss. in cap. fin. de offic. ordin. in 6. verb. reservari.* Et saltem in aliquibus æquiparantur usufructuariis. *cit. cap. relatum.*

5to. In perpetuum. Quia, cùm ad tempus Minister Ecclesiæ ordinari non possit, ab Ecclesia sine justa causa amoveri nequit. *cap. unic. de Capell. Monach. in 6. junct. gloss. verb. perpetui. cap. 1. de Cleric. ægrotante.*

6to. Clerico. Hoc est: primâ tonsurâ initiato, qui eo ipso est persona Ecclesiastica, & non ampliùs Laicus. *cap. fin. de temp. ordinat. in 6.*

7timo. Ob ministerium sacrum: quia sicut beneficia militaria & profana militibus & hominibus profanis ob fidem & obsequium dantur, ita hæc beneficia DEO consecratis ob sacram & spiritualem functionem conceduntur. *cap. fin. de rescript. in 6.* Et ex hoc capite beneficium est res spiritualis, quia etsi proventus beneficiales non sint spirituales, sacro tamen ministerio sunt connexi, ita, ut ab eo separari non possint. *can. si quis objecerit. 7. caus. 1. q. 3. cap. ad nostram. 21. de simonia.*

8vo. Ecclesiasticâ authoritate institutum; beneficium enim Ecclesiasticum authoritate Episcopi fundari debet. *Gloss. in Clement. 2. de decim. verb. Beneficiorum.*

Si aliqua ex conditionibus explicatis deficiat, non est beneficium propriè, sed impropriè dictum. Qualia sunt *1mo* Coadjutoriæ; nam is, cui datur Coadjutor, manet titularius & possessor beneficii, & qui datur Coadjutor, habet tantùm administrationem. *2do.* Feuda Ecclesiastica. *3tio.* Patrimonia Clericorum, quæ pro beneficiis supponuntur, & sunt tituli ordinationis. *cap. Episcopus. 4. cap. tuis quæstionibus. 23. de præbendis. 4to.* Pensiones super beneficiis. *cap. quamvis plenissima. 4. eod. in 6. 5to.* Religiosæ domus. *6to.* Officia curandi Ecclesiæ fabricam, pulsandi campanas, quorum capaces Laici. *7timo.* Præstimonia, id est, portiones fructuum Ecclesiæ institutæ pro Studentibus, pro subsidio contra infideles. *8vo.* Commendæ militares, quæ non Clericis, sed Laicis conversis Ordinum militarium conferuntur. *9no.* Officia Vicariatûs Generalis, Officialatûs, Cellariæ, sacristiæ, &c. quæ non dantur Clericis in titulum.

Quæres *secundo.* Qualiter beneficia dividuntur? R. *1mo.* Beneficia alia curata, alia non curata. Curata sunt, quæ curam animarum annexam habent, de quibus *in cap. cum singula. 32. de præbend. in 6.* Vel quoad forum interius, quia Sacramenta administrandi, Verbum DEI prædicandi, &c. habet potestatem. De quibus *in cap. ut Dominicis. 2. de parochiis. cap. omnis utriusque sexûs. 12. de pœnit. & remiss. can. placuit. 3. de pœnit. dist. 6.* Vel quoad forum exterius, quia visitandi, corrigendi, excommunicandi, &c. habet jurisdictionem. Beneficia non curata sunt, quæ talia munera annexa non habent, de quibus *in cap. in Ecclesia. 2. de institut.*

2do. Alia sunt beneficia duplicia, alia simplicia: Duplicia sunt, quæ vel dignitatem, vel personatum, vel officium annexum habent. Dignitas est præeminentia,

nentia, vel administratio rerum Ecclesiasticarum fori externi, ùt Episcopatus, Decanatus, Abbatia, &c. Personatus est præeminentia in sessione, processionibus, aliisque actibus publicis sine jurisdictione, ùt in hisce partibus communiter Præposituræ. Officium est administratio rerum Ecclesiasticarum sine jurisdictione & præeminentia, ùt Scholasteria. Beneficia simplicia sunt, quæ nec curam animarum, nec aliquam administrationem annexam habent, sed solam Divinis Officiis interessendi obligationem, ùt Canonicatus.

3tio. Alia beneficia collativa, alia electiva: Collativa sunt, quæ collatione aliove provisionis modo ab electionis forma & ordine distincto obtinentur; electiva sunt, quibus per electionem Canonicam à Superiore confirmandam providetur. Quod ultimum additur, quia beneficia, quæ obtinentur per electionem quidem, sed confirmatione Superioris non indigent, non propriè electiva, sed collativa sunt, ut si Capitulum eligat Canonicum.

4to. Beneficia alia patronata, alia non patronata: patronata sunt, quæ ad præsentationem idoneæ personæ à patrono, hoc est, à fundatore, dotatore, eorúmque Successoribus per Episcopum conferuntur, factâ præsentati institutione. Non patronata sunt, quæ collationi liberæ sine alicujus patroni præsentatione relinquuntur.

5to. Alia beneficia Collegiata, alia non Collegiata: Collegiata sunt, in quibus tres vel plures per Superiorem authoritatem Collegium approbandi habentem instituuntur, ut cultui Divino inserviant, unum corpus faciant, ac unum sigillum habeant, sicut & unum Syndicum, & arcam communem. *cap. significavit. 48. de appellat. cap. dilecta. 14. de excess. Prælat.* Non Collegiata sunt, in quibus sunt quidem plures Clerici, quorum unus subest alteri, unum tamen Collegium non faciunt. Ecclesiæ Collegiatæ personarum Regularium Conventuales, Sæcularium Capitula nuncupantur.

6to. Demum alia beneficia sæcularia alia regularia: Sæcularia sunt, quæ Clericis non Religiosis conferuntur; regularia sunt, quæ personis alicujus Religionis Regulam professis conferuntur. *cap. cum de beneficio. 5. cap. cum singula. 32. de præbend. in 6. Clement. unic. de suppl. neglig. Prælator. Trid. Sess. 14. de reform. cap. 10.* Beneficia omnia sæcularia esse censentur, nisi contrarium probetur. Rationem præsumptionis hanc dat *Corvin. de benef. Ecclesiast. lib. 1. tit. 9. n. 3.* quia cùm S. Dionysius Papa beneficiorum omnium instituerit titulos, & ipse non regularis, sed sæcularis fuerit, omnia beneficia esse talia, qualis fuit eorum author, præsumitur.

Quæres *tertio.* Quomodo beneficium esse regulare probatur? *R.* Beneficium probatur esse regulare vel ex fundatione, si in erectione beneficii per Episcopum statutum sit, ut id per Regulares administretur, vel ex consuetudine & præscriptione, si per 40. annos per Regulares fuerit administratum. Ad hanc præscriptionem naturam beneficii ex sæculari in regulare & econtra mutantem requi-

requiruntur sex conditiones: *1ma.* Ut tempore ad legitimam præscriptionem à jure definito per 40. scilicet annos administratum fuerit per sæculares, ut sæculare, vel per regulares, ut regulare fiat. *2da.* Ut beneficia possidentes in eo sint instituti. *3tia.* Ut tanquam Rectores, & non tanquam Vicarii vel substituti beneficium rexerint. *4ta.* Ut beneficium administratum fuerit à Regularibus tanquam Regularibus ad hoc, ut in Regulare transeat, & econtra. Ideoque si Regularis Ecclesiæ parochiali Sæculari ex privilegio præficiatur, vel si beneficium regulare sæculari ex dispensatione conferatur, non ideo natura beneficii mutatur. *cap. nemo deinceps. 15. de elect. in 6. junct. gloss. verb. commenda. 5ta.* Ut conferens eo animo & intentione imprimendi beneficio statum, quem exprimit, conferat. *6ta.* Ut in possidente bona fides adsit, aliàs regularis manet regula: Sæcularia beneficia sæcularibus, regularia regularibus conferri debent, nisi Papa dispenset, quæ sumitur *ex cap. cum ad nostram. 37. cap. officii. 38. de elect. cap. cum pro beneficio. 5. de præbend. in 6. Trident. Sess. 14. de reform. cap. 10.*

Quæres *quarto.* Quæ Beneficiatorum onera? R. Onera Beneficiatorum alia sunt realia, alia spiritualia: Onera realia sunt erogationes, quas è sumptibus & proventibus beneficii superioribus Prælatis facere debent Beneficiati, ut quarta decimarum, primitiarum, oblationum, mortuariorum, Cathedraticum, subsidium charitativum, procurationes in visitatione, annatæ decimæ. De quibus alibi. Onera spiritualia omnibus beneficiis communia sunt: *1mo.* Ut deserviat Ecclesiæ, in qua est intitulatus, & beneficium possidet. *2do.* Ut officium diurnum & nocturnum certis diebus dicat. *cap. 1. & cap. dolentes. 9. de celebr. Missar. 3tio.* Professionem fidei emittat. *4to.* Ordines suscipiat. Onera specialia sunt secundùm diversas beneficiorum qualitates, ut si præbendæ Missæ celebratio, Sacramentorum administratio, &c. annexa.

Quæres *5to.* Qualis residentiæ obligatio? R. *1mo.* Regula generalis est, quòd residentiam omne beneficium requirat. *cap. quia nonnulli. cap. relatum. 4. de Cleric. non resident. cap. ad hæc. 13. de præbend. can. Singula. 1. dist. 89.* Quamvis etiam modica sint beneficia. *cap. conquerente. 6. cap. inter quatuor. 10. de Cleric. non resident.* Vel etiam simplicia. *cap. fin. de rescript. in 6.* Ratio est: quia nullus Clericus ordinari potest, quin certæ Ecclesiæ intituletur. *cit. cap. quia nonnulli.* In illa autem perseverare debet, cui nomen dedit, nec ab una Ecclesia ad alteram transire licet. *can. Sanctorum. 2. dist. 70.*

2do. Consuetudo generalis ab omni residentia beneficia simplicia absolvit, nisi aliquam administrationem, vel exercitium curæ animarum annexum habeant, aut aliquod statutum vel consuetudo ad residentiam obliget.

3tio. Episcopi, Parochi, ac omnes, quibus animarum cura commissa, de jure Canonico & Divino residere tenentur, ut suprà dictum.

4to. Qui in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis dignitates, Canonicatus

vel præbendas obtinent, residere debent, ita, ut cujuslibet statuti vel consuetudinis vigore, ultra tres menses continuos, vel interpolatos ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse non liceat, salvis nihilominùs earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 12.* additâ declaratione S. Congregationis.

Absentiæ licentiam ultra tempus à *Trident.* permissum, quamvis breve & ex causa justa ac rationabili, sed in jure non comprehensa, dare non potest Capitulum, cùm in lege Superioris, qualis est hæc de residendo, dispensare non possit. Ita declaravit S. Congreg. apud Garziam.

5to. Canonici residentes per se, & non per Substitutos Divina Officia suo Canonicatui incumbentia, ùt cantare Missas, Evangelium, &c. peragere tenentur. *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 12.* & declaratio S. Congregationis.

Quæres *sexto.* Qualis in Beneficiato ad Officium Canonicum obligatio? R. *1mo.* Officium Canonicum sunt certæ preces certis & designatis horis juxta sacrorum Canonum præscriptum à Ministris Ecclesiæ persolvendæ, quæ ideo Canonicæ dicuntur Horæ. *can. fin. dist. 92. cap. 1. de celebrat. Missar.*

2do. Officium Canonicum, quod in *cit. cap. 1. de celebrat. Miss.* pensum Clericalis servitutis vocatur, in septem Horas dividitur: tres nocturnas & quatuor diurnas, scilicet Matutinum, Laudes, & Primam, quæ ad noctem & crepusculum pertinent. Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperas, quæ dici sunt, & Completorium, quod initium noctis est. Hæc divisio in jure Divino Legis veteris & novæ fundata est. In Lege veteri de oratione matutina est in *Psl. 118. Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.* De Laudibus Matutinis *Psl. 5. Psl. 62. Psl. 118.* De Prima, Tertia, Sexta, & Nona *Lib. 2. Esdræ cap. 9. Legerunt in volumine legis Domini DEI sui quater in die. & quater confitebantur & adorabant Dominum DEUM suum. Dan. 6. ℣. 10 Daniel tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat, confitebatúrque coram DEO. Psalm. 54. Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam. Psl. 140. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* In novo Testamento de hora 3tia. *Act. 2. ℣. 16.* De sexta. *Act. 10. ℣. 9.* De hora nona. *Act. 10. ℣. 3.* & *Act. 3. ℣. 1.* Mysticam significationem exprimit *Glossa cap. 1. de celebrat. Missar. verb. septenarius numerus.* versibus sequentibus:

Hæc sunt, septenis propter quæ psallimus horis:
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis,
Sexta cruci nectit, latus ejus Nona bipartit,
Vespera deponit tumulo, completa reponit.

3tio. Horæ Canonicæ in omnibus Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis tam regularibus, quàm sæcularibus à personis Choro deputatis publicè sunt recitandæ. *can. fin. dist. 92. cap. dolentes. 9. de celebr. Missar. Clement. 1. eod. tit.*

4to.

4to. Privatim ad quotidianam Horarum recitationem Clerici beneficium Ecclesiasticum obtinentes obligantur, ùt desumitur *ex cap. fin. de rescript. in 6.* Beneficium enim datur propter officium, & clariùs ex *Concil. Lateran. Sess. 9.* & constitutione S. Pii V. De quibus infrà.

5to. Hanc Officium Canonicum quotidie recitandi obligationem habent etiam illi, qui tenue obtinent beneficium, cujus fructus ad moderatam sustentationem sufficientes non sunt, ùt verior docet sententia, & probatur *1mo ex can. Clericus. 3. & 4. dist. 91.* ubi ab Ecclesia sustentationem non habens Clericus, victum & vestitum artificio vel agricultura sibi parare jubetur, absque officii sui sive pensi horarii detrimento. *2do.* Ratione: quia beneficium, quamvis tenue, est verè beneficium. *cap. si proponente. 42. de rescript. cap. si motu. 23. de præbend. in 6.* Cùm sit jus perpetuum percipiendi fructus ratione officii spiritualis, obligatio autem pensi horarii quotidie persolvendi à Concilio Lateran. & S. Pio V. Beneficiatis sine ulla exceptione imposita est, unde sicut ille, qui unum beneficium pingue vel plura obtinet, ad Horas semel duntaxat recitandas obligatur, ita qui tenue habet beneficium, ad illas integre quotidie recitandas tenetur, & sicut Ecclesia onus illud omnibus in Sacris constitutis, quamvis nullum beneficium obtineant, imponit, ita omnibus Beneficiatis imponere potuit, cùm onus hoc honore, exemptione cæterisque Clericalibus sufficienter compensetur privilegiis.

Dixi: Verior: Sunt enim Doctores, qui tenue beneficium habentem ab Horis Canonicis saltem diebus singulis dicendis excusant, ita ut si beneficium tertiam partem moderatæ sustentationis non attingat, solùm ad Horas aliquoties in septimana recitandas v. g. diebus Dominicis & festivis obligetur.

6to. Ad contrahendum Officium Canonicum recitandi obligationem beneficii sufficit titulus, quantumvis nondum habeat possessionem; etenim per collationem vel institutionem jus in beneficio accepit. *cap. si tibi. 17. de præbend. in 6.* Ideóque si per Beneficiatum stet, quò minùs collati beneficii possessionem obtineat, ad Horas obligatur; quia possessionem habere, & quò minùs eam habeat, per Beneficiatum stare, paria reputantur. *cap. licet Episcopus. 28. de præbend. in 6.* Quinimò penes quem non sterit beneficii obtenti capere possessionem, si tamen certam cum possessione fructus à tempore collationis provenientes percipiendi spem habeat, ad Horas obligatur; est enim verus Beneficiatus fructus officio correspondentes percepturus.

7timo. Beneficiati, qui post possessionem captam primis duobus vel quatuor, quos vocant exspectantiæ annos, nullos fructus percipiunt, si illi fructus iisdem post mortem applicentur, ut si hæredes eorum eos percipiunt, vel Beneficiati applicantur sepulturæ, officium primis annis persolvere tenentur; nam fructus tempori, quo possiderunt, correspondentes virtualiter percipiunt, & in vita de fructibus post mortem percipiendis disponendi habent facultatem, quòd

quamvis juri & rationi sit consentaneum, attamen consuetudinem in Germania contrariam damnare non audet Wisner *de celebrat. Missar. n. 62.* vi cujus primis annis nullos fructus percipientes Officium Canonicum non persolvunt. Quamvis enim talis consuetudo novis Canonicis omnes fructus subtrahens *per Extrav. suscepti. 2. de elect.* & constitutiones S. Pii V. & Innocent. XII. sit reprobata, has tamen constitutiones in Ecclesiis Collegiatis Germaniæ receptas non videmus.

8vo. Beneficiati nullos fructus percipientes, quia illorum fundi ab hostibus occupati, vel quia fructus certis annis ad fabricam Ecclesiæ aut aliam causam piam applicantur, à recitatione Officii Canonici excusantur à Laym. & Navarr. eò quòd beneficia cum facultate fructus percipiendi plenè non obtineant, sicut etiam Canonicus nullâ suâ culpâ, sed alienâ vi, fraude, vel alio injusto modo à fructuum consecutione aliquot annis impeditus sine ulla spe eosdem recipiendi ad Horas non tenetur; illo enim tempore beneficii titulum cum effectu non habere censetur.

9no. Beneficiatus fructus, cùm possit, non percipiens ob culpam suam, ùt quia excommunicatus, vel suspensus, à loco beneficii sine justa causa absens, vel præsens Ecclesiæ non deserviens, ad pensum horarium obligatur, quia Ecclesiam servitio & officio ratione beneficii ab ea accepti defraudare nequit. Eodem modo si Beneficiatus nimis juvenis alteri pro ipso deservienti fructus beneficii cedere debeat, orare tenetur, quia quòd non percipiat fructus, non beneficii, sed illius est defectus.

10mo. Beneficiatus per alterum obligationi Officium Canonicum privatim recitandi satisfacere non potest; servitium enim illud Ecclesiasticum Beneficiatos ad recitandas privatim Horas obligans est quid personale, & ipsi personæ beneficiatæ ita affixum, ut per se ipsum satisfacere teneatur, vel si ob legitimum impedimentum nequeat, obligatio alterum substituendi cesset. Constat ex propositione 21. ab Alexandro VII. damnata: *Habens Capellaniam collativam, vel aliud quodvis beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit obligationi, si officium per alium recitet.*

11mo. Qui totum Canonicum Officium recitare non potest, ad persolvendam, quam potest, partem obligatur; qui enim totum solvere nequit, ad partem divisibilem, quam potest, solvendam astringitur. Ratio est: quia quando objectum obligationis est divisibile in partes sive æquales sive inæquales, per quas finis, per obligationem Religionis vel justitiæ intentus, saltem particulariter obtineri potest, tunc si non possit impleri totum præceptum, pars tamen, quæ possibilis, est adimplenda. Confirmatur ex propositione 54. ab Innocent. XI. damnata: *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.*

12mo. Demum Horarum Canonicarum recitatio studiosè & devotè fieri debet. *cap. dolentes. 9. de celebr. Miss.* tam quoad expressionem oris, quàm quoad inten-

intentionem cordis ; si enim cor non orat, invanùm lingua laborat, magis corde, quàm voce cantandum. *can. cantantes. 1. dist. 92. Ubi Gloss. verb. in voce:*

Non vox, sed votum, non cordula musica, sed cor,
Non clamans, sed amans, cantat in aure DEI.

Quæres *septimo*. Qualis in - & attentio ad recitationem Officii Canonici requiritur ? R. Hoc explicat *Gloss. in Clement. 2. de reliq. & venerat. Sanctor. verb. orationes.* Nihil aliud cogitet animus, quàm quod precatur ; nam, ùt inquit Gregor. illam orationem DEUS non audit, cui ille, qui orat, non attendit. Dicunt tamen Theologi hoc intelligendum, quando intentio nullo modo orationi conjungitur ; non enim requiritur, quòd attentio semper maneat in oratione per actûs essentiam : Unde *Psalm. 37. Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea.* Satis enim est, quòd maneat per virtutem, hoc est : quando cum bona attentione quis ad orationem accedit, etsi in prosecutione mens ad alia rapiatur, semper tamen primæ intentionis vis permanet, nisi tanta sit evagatio, ut attentio omnino depereat, & tunc locus esset dicto *S. Cypriani lib. de Oration. Dominica :* Quomodo à DEO audiri te postulas, cùm ipse te non audias ?

Quæres *octavo*. Quæ pœna Beneficiati Horas omittentis ? R. *1mo* ex decreto Concilii Lateran. quod S. Pius V. in sua constitutione refert, quicunque habens beneficium Ecclesiasticum cum cura & sine cura, si post sex menses, quàm illud obtinuerit, Divinum Officium legitimo cessante impedimento non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officii & temporis suos non facit, sed eos tanquam injustè perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleëmosynas erogare tenetur.

2do. Hanc pœnam S. Pius V. in sua constitutione ita declaravit, ut, qui Horas omnes Canonicas uno vel pluribus diebus intermisit, omnes beneficii vel beneficiorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur, qui verò Matutinum & Laudes, dimidiam, qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum ejus diei amittat, ac ita medietas fructuum correspondet Officio nocturno, hoc est : cæteris sex Horis, ita ut, qui omiserit Laudes ex Officio nocturno, sextam partem medietatis, & qui unam ex Officio diurno Horam omiserit, sextam quoque partem medietatis restituere obligetur. Ut probat *Wez. p. 4. decad. 5. casu 5.*

3tio. Qui Horas neglexit, fructus tali negligentiæ correspondentes ante omnem sententiam & declarationem in conscientia restituere tenetur, ùt constat *ex propos. 20. ab Alexand. VII. damnata: Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eò quòd sit pœna.* Ratio est : quia recitatio Horarum est conditio, sine qua Beneficiati fructus non faciunt suos, & fundatores eo pacto proventus beneficii obtulerunt, & Beneficiati eâ conditione be-

neficia admiserunt, quemadmodum curati simili pacto curam susceperunt.

4to. Restitutio ob omissionem Horarum facienda per eleëmosynas ante neglectam recitationem ex fructibus beneficii datas non compensatur. Ut patet ex propos. 33. ab Alexand. VII. damnata: *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea Beneficiatus ex fructibus sui beneficii fecerit.* Ratio disparitatis inter eleëmosynas ante omissionem Horarum, & post eam datas, hæc est: quod, qui ante omissionem eleëmosynam fecit, expendit rem suam eo tempore, quo nondum præceptum Ecclesiæ de restitutione facienda obligabat, cùm culpam tunc nondum commissam præsupponat, nec Beneficiatus per anteriorem eleëmosynæ erogationem menti Ecclesia à culpa absterrere volentis satisfaciat: in posteriori autem casu menti Ecclesiæ satisfacit, dum Beneficiatus rem non suam, vel fructus, quos ob omissionem Horarum suos non fecerat, piè expendit, licèt obligationis restituendi fuerit ignarus, dum hæc tacita & virtualis in dante eleëmosynam sit intentio, ut per eam, quas pro peccatis contraxit, satisfaciat obligationibus.

5to. Beneficiatus primis sex mensibus Horas omittens ex præcepto Ecclesiæ ad restitutionem fructuum non obligatur, attamen sub peccato mortali, & fortè ex justitia orare tenetur, ac ita ex lege naturali ad restitutionem adstrictus erit. Ex declaratione S. Pii V. in cit. constitut. Qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligatur admisisse.

6to. Non solùm Beneficiati ob omissionem pensi Canonici, sed etiam Clerici pensionem Ecclesiasticam habentes ob omissionem Officii B. M. V. ad restitutionem obligantur, ùt declaravit S. Pius V. "Quicunque pensiones, fructus, aut "alias res Ecclesiasticas ùt Clericus per- "cipit, is modo prædicto ad dicendum "Officium parvum B. M. Virginis obli- "getur, & pensionum, fructuum, & "rerum ipsarum amissioni est obnoxius."

7timo. Si Beneficiatus præter onus recitandi Horas Canonicas alia onera subeat, ut in Beneficiato curam animarum exercente clarum est, omnes fructus percéptos omissionis tempori correspondentes restituere non tenetur, sed tantùm vel quartam partem ratione aliorum onerum beneficio incumbentium, quibus ipse Beneficiatus Horas licèt omittens satisfecit, sibi reservare potest, ut benignè Theologi Pianam interpretantur constitutionem.

Quæres *nono.* Quæ ad professionem fidei obligatio? R. *1mo.* Provisus de beneficio intra duos menses à die adeptæ possessionis juxta constitutionem Pii IV. professionem fidei facere debet, Curatus in manibus Episcopi vel ejus Vicarii Generalis, Canonicus Cathedralis non solùm coram Episcopo seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo juxta decretum *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 12.*

2do. Qui semel professionem fidei fecit, si secundum obtineat Canonicatum, professionem fidei secundò facere debet. Ut declaravit S. Congregatio.

3tio.

3tio. Lapsus duorum mensium à die captæ possessionis ab hoc onere non liberat ; terminus enim duorum mensium non ad finiendam , sed ad non ulteriùs differendam obligationem est præfixus.

4to. A tempore professionis factæ fructus suos facere incipiunt , antea autem perceptos fabricæ vel pauperibus perinde ac fructus non residentium in conscientia restituere tenentur, nisi enim taliter provisi professionem emittant, fructus non faciunt suos , nec illis possessio suffragatur. *Trident. loc. cit.*

Quæres *decimo.* Quæ Beneficiati ad Ordines suscipiendos obligatio? R. *1mo.* Beneficiatus habens beneficium , cui certus Ordo annexus , infra annum à die pacificæ possessionis , vel quo per eum steterit , quò minùs eam habeat , Ordines requisitos suscipere obligatur. *cap. licet Canon. 14. cap. commissa. 35. de elect. in 6. Clement. ut ii. 2. de etat. & qualit. Trident. Sess. 22. de reform. cap. 4.*

2do. Non suscipiens talem Ordinem intra annum , si beneficium parochiale, est ipso jure privatus. *cit. cap. licet canon. & cap. commissa.* Si est Canonicatus vel aliud beneficium , est privandus.

3tio. Suscipientes beneficium curatum sine intentione Ordines illis annexos assumendi , peccant mortaliter, & ad restitutionem fructuum obligantur. *cit. cap. commissa.* Secus est de beneficiis simplicibus , quibus non est annexus sacer Ordo , dummodò adsit animus aliis beneficii oneribus satisfaciendi.

Quæres *undecimo.* In quo jus beneficii consistit? R. Id maximè consistit in perceptione fructuum vel redituum Ecclesiasticorum , directè ad ejus sustentationem ratione tituli beneficii & residentiæ deputatorum.

Quæres *duodecimo,* An Beneficiati illorum fructuum sint domini? R. Duplex est sententia : Una Beneficiatos non dominos , sed tantùm dispensatores esse tenet , ita , ut sibi quidem & ministris suis necessaria ad sustentationem ex fructibus sumere valeant , cætera tamen ex lege non solùm charitatis , sed etiam justitiæ pauperibus vel in utilitatem Ecclesiæ convertere debeant , & si aliter faciant , sacrilegium committant , & ad restitutionem obligentur. Ut probatur *ex principio distinctionis 42. §. ordinandus.* Aliena rapere convincitur , qui ultra necessaria sibi retinere probatur. *ex can. fin. caus. 16. q. 1.* Quidquid habent Clerici, pauperum est. *can. sicut ii. 8. dist. 47.* Esurientium panis est, &c. *can. quod autem. 3. caus. 23. q. 7.* Non sunt illa nostra, sed pauperum , quorum procurationem quodammodò gerimus.

2da hodiéque communior Clericos post distributionem redituum in quatuor portiones , de qua *in can. quatuor. 27. caus. 12. q. 2.* Et post beneficiorum institutionem fructuum ratione beneficiorum perceptorum dominos esse affirmat. Probatur *ex cap. unic. de Cleric. non resident. in 6.* Ubi Clerici , qui Divinis Officiis non interfunt , quotidianarum distributionum non acquirere dominium, nec facere eas suas dicuntur. Unde necessariò præsupponitur , quòd , si interfint , earum acquirant dominium , easque suas faciant. Eodem modo *Tridentin.* declarat Beneficiatos non residentes

fru-

fructus non acquirere, ergo residentes fructuum dominium acquirunt. Et ratio est: quia ista redituum Ecclesiæ distributio quoad portionem Clericis assignatam juxta qualitates & merita, nihil aliud fuit, quàm reditus aliàs communes facere proprios eorum, quibus in particulari in stipendium computabantur; titulus enim divisionis emptioni & permutationi æquiparatur, dominium transfert, & proprium facit, quod antè commune & indivisum, & quamvis divisio illa non mutaverit naturam illorum bonorum, quæ à fidelibus ad cultum Divinum data sunt, *arg. Clement. quia contingit, 2. de Religios. domib.* Qualitatem tamen mutavit, ita ut, quod tempore illo, quo Clerici in communi vivebant, & redituum Ecclesiæ tantùm dispensatores erant, ex eis sumentes, quantùm cuique erat necessarium, in pauperes reliquum distribuentes, cùm eis portio nondum esset discreta, erat commune, modò fit singulorum. Attamen non malè Ecclesiæ reditus adhucdum bona DEI & pauperum vocantur; quia peculiari ratione vel ex obligatione justitiæ vel Religionis Beneficiati superflua in pauperes aliáque opera pia erogare tenentur, ita ut Clerici quoad beneficiorum fructus usufructuario quidem in acquirendo, non tamen in disponendo æquiparandi videantur. *Trid. Sess. 25. de reform. cap. 1.* Non tantùm Episcopis, sed omnibus Ecclesiastica beneficia obtinentibus interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos secundùm carnis affectum augere studeant, sed in pauperes distribuant, quæ superflua fuerint. Porrò fructus necessarii sunt, qui ad Beneficiati & illius familiæ sustentationem, scientiæ, literaturæ, nobilitatis vel dignitatis ratione habitâ necessarii judicantur, de quibus non aliter ac de bonis patrimonialibus beneficiatus disponere potest. Cæteri fructus & proventus appellantur superflui, & in pauperes aliósque pios usus sunt expendendi. Hæc ab omnibus admittuntur: *1mo.* Beneficiati patrimonium sufficiens habentes, illo reservato ex fructibus beneficii vivere possunt, quia dignus est operarius mercede suâ, & nemo militat propriis stipendiis *can. charitatem, 45. caus. 12. q. 2.* Cùm ratio & usus obtineat neminem cogi de proprio facere beneficium. *can. precaria, 4. caus. 10. q. 2.* Canones, qui huic doctrinæ contrariæ videntur, ùt *can. Clericos, 6. can. pastor. 7. can. si quis. 1. caus. 1. q. 2. can. illi autem, 25. caus. 12. q. 1.* De consilio, non de præcepto sunt intelligendi.

2do. Beneficiati de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis absque licentia summi Pontificis nequidem ad piam causam testari possunt. Hodie tamen ex generali consuetudine absque licentia vel approbatione Episcopi testari solent. *cap. 1. & 2. cap. cum in officiis. 7 cap. quia nos. 9. cap. relatum, 12. de testament.* Ratio est, quia Canones bona ejusmodi post mortem Beneficiati ad Ecclesiam redire volunt, ùt videre est in *cit. cap. 1. & cap. cum in Ecclesiis.* Ut Beneficiatos ab accumulandis bonis averterent, & ad res in vita liberaliter ad pios usus expendendas excitarent, ex quo capite Clericis donationem talium bonorum ad pios usus per-

permisit, non autem ad testamenti confectionem.

3tio. Beneficiati de iis bonis, quæ ante Clericatum habuerunt, testari possunt. *cit. cap. 1. de testament.* Et quæ post Clericatum ex successione amicorum vel industria acquisiverunt. *cit. cap. relatum.*

4to. Beneficiatis, si ab intestato decedant, in bonis patrimonialibus, vel proprio labore vel industria acquisitis cognati: in bonis autem intuitu Ecclesiæ acquisitis Ecclesia, cui servierant, id est: cujus est beneficium, quod morientes obtinebant, succedit. *cap. fin. de pecul. Clericor.*

§. Secundus.

DE

Personis, quibus, & à quibus Beneficia conferri possunt.

QUæres *1mo.* Qui beneficia conferre possunt? R. *1mo.* Summus Pontifex, qui plenam, liberam, & nullis legum vinculis adstrictam omnium beneficiorum dispositionem habet, cum Episcopis omnibus, quotiescunque placet, concurrit. *can. cuncta per mundum. 17. caus. 9. q. 3. ad honorem. 4. de authorit. & usu pallii. cap. proposuit. 4. de concess. Præbend. cap. dudum. 14. de præbend. in 6.* Ratio est: quia in summo Pontifice est plenitudo potestatis. *can. decreto. 11. & seqq. caus. 2. q. 6.*

2do. Legatus summi Pontificis, si sit de latere, id est, ex Collegio Cardinalium, in sua provincia in beneficiorum collatione cum omnibus Ordinariis concurrit, & beneficia conferre potest. *cap. 1. de offic. Legati. in 6.* etiam quæ sunt patronatûs Ecclesiastici. *cap. dilectus. 6. de offic. Legati. cap. cum dilectus. 28. de jure patronatûs.* etiam quorum collatio ad summum Pontificem devoluta. *cap. Venerabilis. 37. de præbend. Gloss. in cap. 1. de officio Legat. in 6. verb. ampliori. & in Clement. si de beneficio. 5. de præbend. verb. sive ad nos.* Beneficia quoque nondum vacantia sibi reservare potest. *cap. præsenti. 3. de officio Legat. in 6.* Legati sequentia prohibentur conferre beneficia: *1mo.* In Ecclesiis regularibus vel Cathedralibus & Collegiatis majores post Episcopatum dignitates. *cap. deliberatione. 4. de offic. Legat. in 6. 2do.* Beneficia summo Pontifici reservata. *cap. quod translationem. 4. de offic. Legati. 3tio.* Beneficia litigiosa. *4to.* Beneficia juris patronatûs Laicorum. *Gloss. in Clement. per literas. de præbend. verb. Apostolicis.* nisi per negligentiam ad Episcopi collationem fuerint devoluta.

3tio. Ordinarii collatores, qui jure proprio, sive illud ex lege sive ex concessione summi Pontificis, sive ex præscriptione, sive ex consuetudine habeant, beneficia conferunt, quantumvis ordinariam non obtineant jurisdictionem. *cap. cum nostris. 6. cap. accedens. 14. cap. postulâstis. 15. de concess. præbend.* Et imprimis præbendas Ecclesiæ Cathedralis

Episcopus cum consilio Capituli de jure communi confert. *cap. novit. 4. cap. quanto. 5. de his, quæ fiunt à Prælat.* Et generaliter omnium beneficiorum in sua Diœcesi collator est Episcopus, nisi aliter fundatione, consuetudine, vel statuto sit cautum. Sede vacante, quanquam Capitulum Cathedrale in administratione succedat, beneficia tamen ad collationem Episcopi pertinentia conferre nequit. *cap. illa devotionis. 3. ne Sede vacante. cap. unic. eodem. in 6.* Quamvis ex jure devoluto ad Episcopum pertineat collatio, quod intelligendum de collatione libera, Capitulum enim Sede vacante electos confirmare. *cap. cum olim. 14. de majorit. & obedient.* & præsentatos instituere potest. *cap. 1. de institut. in 6.* Ratio est: quia Capitulum in his, quæ ex mera liberalitate & donatione Episcopi, inter quæ est beneficii collatio, procedunt, non succedit, quamvis enim Episcopus intra tempus à jure definitum collationem facere debeat, non tamen magis huic, quàm illi, unde etiam collatio vocatur donatio. *cap. relatum. 9. de præbend. cap. post electionem. 7. de concess. præbend.*

4to. Vicarius Generalis Episcopi beneficia liberæ collationis conferre non potest, nisi ei talis facultas ab Episcopo expressè sit commissa. *cap. fin. de offic. Vicar. in 6.*

5to. Qui est in quasi possessione juris conferendi, illud confert, licèt eum proprietarium non fuisse postmodum appareat. *cap. querelam. 24. de elect. cap. cum olim. 7. de caus. possess. & propriet. cap. consultationibus. 19. de jure patronat.* Ratio est: quia præsentatio, collatio, electio ad eum, qui est in quasi horum jurium possessione, pertinent, cùm sint quasi fructus, qui possessori bonæ fidei obveniunt. Unde provisus, præsentatus, vel electus à possessore, proviso à proprietario præfertur. *cit. cap. querelam.*

6to. Laici beneficia conferre nequeunt, cùm enim ministerium, propter quod conceditur beneficium, sacrum sit & spirituale, consequenter ipsa beneficia sunt spiritualia, ut per Laicos Ecclesiæ obtineri non debeant.

Quæres *secundo.* Quibus beneficia conferenda? R. Idoneis, & capacibus. *cap. causam. 8. de elect. cap. grave nimis. 29. de præbend. cap. in Ecclesia. 2. de institut. cap. relatum. 3. de concess. præbend.* Quæ ad capacitatem requirantur, constat ex suprà dictis.

Specialiter quantùm ad ætatem in Beneficiato requisitam notanda sequentia:

1mo. Ad beneficia simplicia jure antiquo ætas septennis solùm requirebatur. *Gloss. in cap. si eo tempore. de rescriptis in 6. verb. ætatem.* Hodie ex decreto *Trident. Sess. 23. de reform. cap. 6.* 14. annorum ætas requiritur; nisi in fundatione aliud reperiatur expressum, vel beneficium Ordinem annexum habeat, qui majorem exigat ætatem.

2do. Ad dignitatem, Canonicatum, vel portionem, cui certus Ordo annexus, nemo recipi potest, nisi qui eo Ordine initiatus, quem illa dignitas, præbenda vel portio requirit. *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 12.* Vel in tali ætate, ut intra tempus à jure statutum, scilicet intra annum initiari valeat. *Trident. Sess. 22. de reform. cap. 4.*

3tio.

3tio. Quia juxta *Trident.* in Ecclesiis Cathedralibus omnes Canonicatus Ordinem sacrum Presbyteratûs, Diaconatûs, vel Subdiaconatûs annexum habere debent, ideò, ubi *Trident.* quoad hoc receptum, in Ecclesia Cathedrali ad Canonicatum talis requiritur ætas, ut provisus intra annum sacrum Ordinem annexum suscipere possit.

4to. Ad parochiales Ecclesias & dignitates, quibus subest animarum cura, promovendus annum ætatis 25. attigisse debet. *cap. cum in cunctis. 7. §. inferiora. de election. cap. licet Canon. 14. eod. in 6. Trident. Sess. 24. de reform. cap. 12.*

5to. Ad alias dignitates vel personatus, quibus nulla subest animarum cura, jure antiquo eadem, quæ in curatis, requirebatur ætas. *cit. cap. cum in cunctis. §. inferiora.* ita tamen, ut in majoribus 20. annis Episcopus dispensare posset. *cap. unic. de ætat. & qualit. in 6.* Hodie ex dispositione *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 4.* requiritur annus 22. nec Episcopo permittitur dispensatio.

Quæres *tertio.* An promovendus ad beneficium debeat esse persona dignior? Est autem persona dignior, quæ consideratis omnibus circumstantiis, ac animi corporisque dotibus utilior Ecclesiæ creditur futura. Persona digna est, quæ qualitates ad ministerium beneficio annexum requisita habet. Indigna est, cui aliqua ex his qualitatibus deest, vel quæ muneri, quod beneficio incumbit, nequit satisfacere. His præmissis

R. *1mo.* Ad Episcopatus promovendos debere esse digniores exprimit *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 1.* obtestans omnes Ecclesiis Cathedralibus providentes alienis peccatis communicando, peccare mortaliter, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.

2do. Mens Tridentini circa Ecclesias parochiales constat *ex Sess. 24. de reform. cap. 18.* ubi Episcopo injungitur, ut ex concurrentibus ad Pastoratum eum eligat, quem præ cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi & non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Patronis præcipitur, ut quem digniorem inter probatos ab examinatoribus judicaverint, Episcopo præsentare teneantur, ut ab eo instituatur, si verò institutio ab alio quàm Episcopo facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem spectat institutio.

3tio. Hæc non solùm locum habere in Parochiis, quæ à patrono Ecclesiastico conferuntur, in quibus juxta dispositionem *Trident. loc. cit.* concursus fieri debet, sed etiam in aliis Parochiis, quæ patronorum Laicorum subsunt collationi. Deducitur ex propos. 47. ab Innocent. XI. damnata: *Cùm dicit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes peccare mortaliter, qui, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: Concilium vel videtur 1mo per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo:*

tivo : vel 2do. Locutione minùs propriâ ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur, quando fit concursus. Ergo etiam extra concursum dignior est præferendus.

4to. Etiam ad beneficium simplex promovendus dignior esse debet, ùt docet verior Canonistarum & Theologorum sententia, ex his fundamentis:

1mum. Cap. unic. ut Ecclesiast. benef. sine diminut. Ubi ita loquitur Pontifex de beneficio simplici: "Non ex affectu "carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum officium & beneficium in "persona magìs idonea dispensare."

2dum. Quia aliàs in materia gravi fit personarum acceptio juxta *Doctor. Ang. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3.* "Si potest haberi "magis idoneus erga aliquam dignita-"tem, & alius præferatur, oportet, "quòd hoc sit propter aliquam causam, "quæ quidem si pertineat ad negotium, "quantùm ad hoc erit ille, qui eligitur, "magìs idoneus, si verò non pertineat "ad negotium, id, quod consideratur ùt "causa, erit manifestè acceptio personæ. "Clariùs *q. 158. a. 3. O.* Quidam non quæ-"runt eos in Ecclesia columnas erigere, "quos plus cognoscunt Ecclesiæ prodes-"se, sed quos plus ipsi amant, vel quo-"rum sunt obsequiis deliniti vel dediti, "vel pro quibus majorum quispiam ro-"gaverit, & ut deteriora taceam, qui "ut Clerici fierent, muneribus impe-"trârunt. Hoc autem pertinet ad acce-"ptionem personarum, quæ in talibus "est grave peccatum."

3tium fundamentum. Finis primarius beneficia instituendi fuit major DEI cultus majúsque Ecclesiarum bonum, finis autem secundarius bene meritorum remuneratio; si autem digniores excludantur, uterque hic finis impeditur, & sic excludens contra fidelitatem ex officio debitam agit, cùm Ecclesia huic vel illi potestatem providendi de beneficio eâ conditione commiserit, ut eâ tanquam fidelis dispensator secundùm fines ab Ecclesia in erectione beneficiorum intentos utatur. Violatio autem fidei in re gravi ac ex officio debitæ peccatum mortale esse cognoscitur.

Quæres *quarto.* Quando alicui de beneficio provideri potest? R. Si beneficium per mortem vel naturalem vel civilem, vel alio modo vacat, primò congruentia est, ut tumulato Beneficiati corpore Ecclesia vacans alteri priùs conferatur. *cap. bonæ memoriæ. 36. de elect.* Ideo *1mo* beneficium non vacans in casum mortis vel vacaturæ dari nequit. *cap. 1. & 2. de concess. præbend. cap. detestanda. eod. in 6.* Ne quis mortem alterius desiderare videatur.

2do. Quamvis olim beneficium vacaturum, sub conditione: si vacaverit, vel cum potuero, promitti poterat. *cap. accedens. 14. de concess. præbend.* Hodie tamen ne directè vel indirectè via ad vacaturas aperiatur, beneficium actu nondum vacans nec promitti, nec acceptari potest. *cap. ne captandæ. 3. de concess. præbend. in 6.* Potest tamen aliquis sine præbenda recipi in Canonicum cum promissione, quòd ei præbenda proximè vacatura sit conferenda. *cap. relatum. 9. de præbend.*

3tio. Antequam beneficium vacet, à pa-

à patrono nec præsentatio, nec promissio obligatoria de facienda præsentatione ad beneficium vacaturum fieri potest. *cap. fin. de concessione præbend.*

4to. Quamvis Legatus Apostolicus beneficiorum resignationes recipere & beneficia conferre valeat. *Gloss. in cap. deliberatione. 4. §. prohibemus. de offic. Legati. in 6. verb. cuicunque.* Receptionem tamen resignationis beneficiorum, vel ipsorum collationem si vacaverint, in genere vel in specie alteri committere nequit. *cit. cap. deliberatione.* Ubi *Gloss.* hæc inquit: "Non potest (Legatus) re-"signationem committere uni, qui re-"cipiat, & alteri, qui demum confe-"rat; quia quâ ratione committendo "hæc eidem daretur via ad vacaturas, "eâdem ratione committendo hæc di-"versis, & iste est casus specialis, quo "possum per me, quod non per alium, "contra *Regul. 69. de Regul. Jur.*"

5to. Episcopus licèt suo Vicario Generali recipiendi resignationes & beneficia conferendi facultatem committere possit. *cap. fin. de offic. Vicar. in 6.* Personæ tamen singulari, nec ipsi Vicario de certo beneficio committere potest. *Gloss. loc. cit.*

6to. Procurator ad præsentandum in specie ad beneficium sive per mortem, sive per renuntiationem, sive aliàs vacaturum constitui nequit. *Arg. cap. deliberatione.*

7timo. Pœnæ beneficium nondum vacans impetrantis sunt: *1mo.* Privatio communionis. *cap. 1. de concess. præbend. 2do.* Habetur ùt fur & latro. *can. non furem. 10. caus. 7. q. 1. 3tio.* Infamia. *can. audivimus. 4. caus. 3. q. 2.* Privatur honore & gradu Ecclesiastico. *can. imprimis. 7. §. quia ergo. caus. 2. q. 1. 4to.* Si beneficium illud, quod vivente altero obtinuit, postmodum vacare contigerit, illud obtinere non potest; ut enim quis eam nequit obtinere uxorem, cum qua vivente marito contraxit. *cap. 2. de eo, qui duxit in matrim. quam poll. per adult.* Ita nec potest habere Ecclesiam, quam vivente Beneficiato adulteravit. *can. sicut alterius. 39. caus. 7. q. 1.*

Quæres *quinto.* Intra quod tempus provisio de beneficio fieri debet? R. Ne propter diutinam vacationem in spiritualibus & temporalibus Ecclesiæ patiantur detrimentum. *cap. quoniam. 5. §. porrò. ut lite non contest.* Intra tempus à jure statutum provisio fieri debet: *1mo.* Defuncto Episcopo vel Prælato regulari perpetuo, Ecclesiæ Cathedrali vel regulari vacanti de novo Prælato intra tres menses est providendum. *can postquam. 11. dist. 5. can. obeuntibus. 35. dist. 63. cap. ne pro defectu. 41. de elect. cap. dilectus. 12. de concess. præbend.*

2do. In cæteris Ecclesiarum sæcularium vel regularium Prælaturis vel beneficiis quibuscunque intra sex menses provisio fieri debet. *cap. de multa. 28. de præbend. cap. nulla. 2. de concess. præbend. cap. licet. 3. de suppl. neglig. Prælat.*

3tio. Similiter patronus Ecclesiasticus vacante beneficio intra sex, patronus autem Laicus intra quatuor menses præsentare debent. *cap. unic. §. verùm de jure patronat. in 6.*

4to. Hoc tempus trimestris, quadrimestris, & semestris à die habitæ scien-

tiæ vacationis de momento in momentum est numerandum. *cap. quia diversitatem. 5. de conceſſ. præb.* Vel quo scire potuit, & debuit. Nec currit legitimè sive de jure, sive de facto impeditum, *cùm non imputari debeat ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum. Reg. 41. de Reg. Juris. in 6.*

5to. Si is, ad quem de beneficio vacante providere spectat, intra tempus præfixum non providerit. *cap. licet. 3. de suppl. neglig. Prælat. cap. nulla. de conceſſ. præbend.* Vel indigno notabiliter aut incapaci contulerit, gradatim ad Superiores fit devolutio, quibus iterum à die habitæ notitiæ currit semestre, nisi devolutio facta fuerit à patrono Laico, qui solum quadrimestre habet, fit autem cum onere & qualitatibus pro prima provisione requisitis devolutio.

Quæres *sexto.* Quot modis summus Pontifex alicui de beneficio providere potest? ℟. Duobus modis: Jure videlicet ordinario & extraordinario. Jure suo, hoc est, ordinario confert: *1mo.* Beneficia suæ Diœcesis. *2do.* Vacantia in Curia Romana. *3tio.* Beneficia ab ordinariorum potestate exempta. *cap. fin. de renuntiat.* *4to.* Ad summum Pontificem devoluta. Jure extraordinario confert beneficium extra Diœcesin concedendo, vel promovendo Ordinarium, vel dando mandatum de providendo.

Quæres *septimo.* Quid circa rescriptum, per quod Papa beneficium confert, notandum? ℟. *1mo.* Papa beneficia per signaturam & Bullam, ut vocant, confert, quamvis enim Papa solo verbo gratiam conferre possit. *can. institutionis. 7. cauſ. 25. q. 2.* Ex stylo tamen Curiæ gratia non expeditur, nisi per signaturam & Bullas. Signatura fit in charta, quæ supplicationem partis & Papæ concessionem continet: Bulla fit in membrana, cui sigillum rotundum appendet per modum Bullæ, sive sit plumbeum, sive aureum, sive argenteum. Per expeditionem Bullæ gratia est perfecta.

2do. Bulla vel rescriptum ad beneficia omnia, quæ Papam à concessione gratiæ dimovere, vel difficilem reddere potuissent, continere debet, aliàs gratia iis contenta censetur subreptitia. *ea, postulásti. 27. de rescript. cap. gratia. 7. eod. in 6.* Illa autem, quæ sunt exprimenda vel sunt de beneficio, quod quis impetrare nititur, vel de eo, quod jam est obtentum.

3tio. De beneficio obtinendo sunt exprimenda: Qualitas beneficii, an sit curatum. *cap. cum in illis. 16. de præb. in 6.* An requirat residentiam. *cap. fin. de Cleric. non reſident.* An sit sæculare vel regulare: an patronatum patrono Laico. *cap. cum de beneficio. 5. de præb. in 6.* Valor beneficii. An sit litigiosum. *cap. fin. 2. ut lite pendente. in 6.*

4to. De beneficio, quod impetrans jam habet, exprimi debet imprimis valor illius beneficii. *cap. ad aures. 8. cap. cum adeò. 17. cap. si proponente. 42. de rescript. cap. non potest. 21. de præbend. in 6.* Deinde memoranda illius beneficii qualitas. *cit. cap. ad aures. Clement. 1. de præbend. in 6.* Demum exprimendum est beneficium, quo quis spoliatus, vel quod impetratum & collatum, sed per impetrantem nondum est acceptatum.

4to.

4to. In rescriptis clausulæ, subreptionem ejusque suspicionem, non tamen falsitatem excludentes, adjici solent, quarum

1ma, per quam impetrans ad effectum gratiæ concessæ à censuris absolvitur, cùm excommunicatus gratiam impetrandi capax non sit. *cap. postulâstis. 6. de Cleric. excomm. cap. 1. de rescript. in 6.*

2da, quâ habentur expressa beneficia impetrantis. In vim hujus gratia subreptitia non est, quantumvis beneficia impetrantis in supplica non exprimantur, ex hoc tamen impetrans beneficia, si incompatibilia existant, retinere nequit. *cap. non potest. 21. de præbend. in 6.* Nec sanantur inhabilitas & vitia impetrantis. *Gloss. in Clement. si Romanus. 4. de præb. verb. validam.*

3tia: Ex motu proprio. Hæc clausula quamvis plenissimam faciat interpretationem juxta *cap. si pluribus. 24. de præb. in 6.* Et tollat omnem subreptionis suspicionem. *cit. Clement. si Romanus.* Nihil tamen contra jus commune operatur. *cap. si motu. 23. de præbend. in 6.*

4ta: Vel alio quovis modo vacet. Hæc est necessaria; quia aliàs si modo vacationis expresso beneficium non vacaret, gratia nulla foret.

5to. Rescriptum falsum præsumitur, si vel in ipsius tenore Bullæ, vel in charta, filo, vel stylo quidquam falsitatis deprehendatur. *cap. licet. 5. cap. quam gravi. 6. de crimine falsi.* Vel si aliqua rasura inveniatur. *cap. inter dilectos. 6. de fide instrument.* Si per scripturam intermediam aliquid sit additum. *cap. cum venerabilis. 7. de religios. domib.* Si data non sit apposita. Juxta *L. 4. C. de divers. rescript.* Ibi: Si quæ beneficia personalia sine die & Consule fuerint deprehensa, authoritate careant. Si in constructione apertum sit vitium. *cap. ad audientiam. 11. de rescript. junct. gloss.*

Quæres *octavo.* Qualiter jure præventionis beneficium à Papa impetratur? R. *1mo.* Cùm Pontifex cum omnibus Ordinariis in provisione de beneficiis vacantibus concurrat, jus præventionis est: si aliquis beneficium vacans à summo Pontifice impetravit, & alius idem beneficium postmodum impetret ab Ordinario, provisus à summo Pontifice præfertur, & econtra si quis vacans beneficium priùs impetravit ab Ordinario, is præfertur postmodum impetranti à Papa. *cap. si à Sede. 31. de præbend. in 6.*

2do. Simili ferè modo Legati à latere in provincia, in qua legatione funguntur, jus præventionis habent, quod ad alios Sedis Apostolicæ Nuntios non extenditur. *cap. 1. de offic. Legat. in 6. junct. gloss. verb. ampliori.*

3tio. Si beneficium vacans eodem die à Papa & Ordinario conferatur, nec appareat, quæ collatio priùs facta, potior est conditio possidentis. *cit. cap. si à Sede.* Quod si uterque possideat, potior est, qui primus possessionem cœpit, quod si neuter possideat, vel dubium sit, quis prior possederit, propter conferentis majorem prærogativam, cui Sedes Apostolica contulit, erit alteri præferendus. *cit. cap. si à Sede.*

4to. Factâ præsentatione à Patrono etiam Clerico, quamvis Papa Ordinarium conferendo præveniat, collatio

præ-

præveniens in effectu præventionem non habet, quia hæc præsentatio à patrono facta vim habet electionis.

Quæres *nono.* Quid circa mandata Pontificia de providendo observandum? R. Mandatum de providendo est rescriptum summi Pontificis, quo alicui de beneficio vacaturo provideri mandat. *cap. mandatum. 38. & seqq. de rescriptis. cap. executor. 4. de conceſſ. præbend. in 6.* Hæc mandata de providendo sive omnes gratiæ exspectativæ sacris Canonibus sunt contraria, cùm mortem alterius exspectare faciant, ac variis artibus & circumflexibus ducant indignos ad beneficia exclusis dignioribus, ideo prohibita sunt in *Concil. Basilienſi*, & novissimè in *Trident. Seſſ. 24. de reform. cap. 19.* Quia tamen Papa & Curia Romana manus sibi ligari non permittit, circa rescripta beneficiorum observanda sunt sequentia:

1mo. Antiquitus Papa tribus modis ad beneficia vacatura literas dare solebat: imprimis dabat monitorias, quibus Ordinarios hortabatur, ut Ecclesiis idoneos, maximè verò eos, quos sine titulo ordinâssent, præficerent. *cap. accepimus. 13. de ætat. & qualit.* Si hæ monitoriæ nihil efficerent, dabat deinde præceptorias, quibus iisdem Ordinariis, ad quos monitorias dederat, præcipiebat, ut impetranti beneficium vacans, & si nullum vacaret, primò vacaturum conferret. Hisce nihil operantibus addebantur demum executoriæ, quibus Pontifex executores deputabat, vel ut Ordinarios ad providendum cogerent, & dicebantur executores ad compellendum, vel qui recusantibus Ordinariis ipsi conferrent, & dicebantur executores ad providendum. Hi non solùm conferebant. *cap. si Capitulo. 5. cap. si soli. 6. de conceſſ. præbend. in 6.* sed etiam collationem Ordinario interdicebant, & beneficia collationi suæ reservabant. *cit. cap. si Capitulo.* De tribus his rescriptorum speciebus agitur *in cap. conſtitutus. 19. cap. Capitulum S. Crucis. 30. cap. ex inſinuatione. 37. cap. literis. 39. de rescriptis.*

2do modo Pontifices Romani jure proprio & speciali Ordinariis collatoribus absolutè mandant, ut beneficium proximè vacaturum impetranti conferant, & executoribus in mandato expressis potestatem tribuunt conferendi, si Ordinarii post præsentationem mandati legitimè & suo tempore factam conferre negligant, aut recusent. *cap. si Apoſtolica. 22. de præbend. in 6.*

3tio. Communiter Canonistæ rescripta Pontificia in rescripta justitiæ & rescripta gratiæ dividere solent: Rescripta justitiæ dantur ad lites & justitiam administrandam. Rescripta gratiæ ad beneficia, dispensationes, &c. Attamen in præsenti rescripta ad beneficia in rescripta justitiæ & rescripta gratiæ dividi possunt; quamvis enim omnia mandata de providendo gratiæ sint, eò quòd Papa per similes literas potiùs huic, quàm illi provideri velit, sunt tamen etiam quandoque justitiæ, quando scilicet concessionem talium literarum justitia exigit. Videatur *Gloſſ. in Extrav. Joannis XXII. de præbend.* Cùm enim nihil justius sit, quàm initiatum sacris Ordinibus, & sine titulo ordinatum ab Episcopo suo consequi beneficium. *cap. 2. & 4. de præbend.* Ideo lite-

literæ, quæ dantur hujusmodi ordinatis ad beneficium, literæ justitiæ, vel *literæ in forma communi* vocantur. Cùm enim ex hac causa, quòd Ordinarii his, quos ordinâssent, beneficia non conferrent, originem literæ monitoriæ & præceptoriæ habeant, ideo rescripta, quæ ordinatis sine beneficio dantur, literæ in forma communi appellantur. Dicuntur etiam *literæ in forma pauperum*, quia Clericis pauperibus sufficiens patrimonium & sustentationis titulum non habentibus conceduntur. Vocantur quoque *literæ in forma secundùm Apostolum;* quia earum fundamentum ex Apostolo est: *Qui altari servit, vivere debet de altari.* Ut refertur *in cap. cum secundùm. 16. de præbend.*

4to. Rescripta gratiæ ad beneficia juxta stylum Curiæ varias habent formas: Alia sunt *in forma dignum*: alia *in forma gratiosa. In forma dignum* conditionem, si impetrans sit repertus idoneus, annexam habent. *Clement. unic. de offic. Judic. delegat. junct. gloss.* Ideo Episcopus vel executor, ad quem diriguntur, in vitam & mores impetrantis, antequam ei provideat, inquirere debet, quod non fit, quando literæ *in forma gratiosa* expeditæ sunt. *arg. cap. accepimus. 13. de ætat. & qualit.* Aliæ appellantur literæ facultatis, si Papa Ordinario mandat, ut beneficium reservatum, vel alio modo sibi affectum personis conferat idoneis. *cap. dudum. 14. cap. quamvis. 38. de præbend. in 6.* Et quia per has Ordinarius jus suum recuperat, provisus vi harum literarum non Apostolicus, sed Ordinarii provisus est. *cap. cum aliquibus. 4. de rescript. in 6.* Cùm per literas gratiæ provisus apostolicè sit provisus. Demum alia sunt rescripta *in forma si neutri, si nulli, si alteri.* Hæc rescripta in litis eventum dantur, quando super beneficio vacante duo vel plures litigant, ut si ex fine litis appareat nullum collitigantibus jus competere, vel uni ex collitigantibus provideatur, & tunc sunt *in forma si alteri*, vel conferatur tertio vi literarum, *si neutri*, dum duo litigant, vel vi literarum, *si nulli*, dum plures, quàm duo litigant.

5to, Sub literis exspectativis quælibet beneficia etiam dignitates, Canonicatus, &c. continentur. *cap. si soli. 6. de conces. præbend. in 6.* Pertinentia ad collationem Ordinarii, ad quem mandatum de providendo dirigitur, nisi sint certo modo excepta, utì excipiuntur *1mo* beneficia sæcularia, si mandatum sit ad officium regulare, & econtra. *cap. cum de beneficio. 5. de præbend. in 6. 2do* beneficia summo Pontifici reservata. *3tio* beneficia electiva. *cap. cum in illis. 16. de præbend. in 6.* Dummodo sint propriè electiva, quæ talia sunt, ut indigeant confirmatione, unde non comprehenditur Scholasteria, &c. *4to.* Quæ diversi Ordinis, quàm impetrans. *5to.* Post datas literas noviter erecta. *Clement. fin. de rescript. junct. gloss. 6to.* Quæ alio modo quàm per obitum, ùt causâ permutationis, vacant. *cap. unic. de rerum permut. in 6. 7mo* ea, quorum collatio ex negligentia Episcopi ad Capitulum devoluta. *Clement. si de beneficio. 5. de præbend. 8vo.* Quæ expressa & unita. *cap. cum accessissent. 8. de constitutionibus. 9no.*

Quæ sunt de mensa Prælati. *Clem. unic. de excessib. Prælat. 10mo.* Quæ ex consuetudine Ecclesiæ optioni sunt subjecta. *cap. fin. de consuetud. in 6. 11mo.* Quæ paterna, ne in beneficiis fiat successio. *cap. ad præsentiam. 2. cap. ex transmissa. 7. de filiis Presbyt. 12mo* ea, quorum impetrans tempore dati mandati incapax fuit. *cap. si eo tempore. 9. de rescriptis. in 6.* Demum si collator unicum beneficium ad suam collationem pertinens habeat, quod beneficium monoculum appellatur. *Gloss. in Clement. 1. de præbend. verb. incerta.*

Quæres *decimo.* Quid circa reservationem beneficiorum observandum? R. *1mo.* Reservatio est: alicujus beneficii Ecclesiastici vacaturi per habentem ad id potestatem ad se facta avocatio. Cujus effectus est, adimere jus conferendi Ordinariis; cùm enim ordinarii Collatores sæpius abuterentur jure collationis, plus deferentes carni & sanguini, quàm justitiæ, utilitati & necessitati Ecclesiæ, ut Ecclesiis de viris pietate & literaturâ præstantibus provideretur, sub hoc prætextu Romani Pontifices reservationes introduxerunt. *Arg. Extrav. Execrabilis. de præbend. junct. gloss. verb. reservamus.*

2do. Solus summus Pontifex, & cum certis limitationibus Legatus de latere ejus beneficia reservare possunt. *cap. præsenti. 3. cap. deliberatione. 4. de offic. Legat. in 6.*

3tio. Reservatio alia generalis, quando Papa sibi omnia beneficia tali modo vacatura reservat, ùt beneficia, quæ vacant per adeptionem secundi incompatibilis. *Extrav. Execrabilis. de præbend.* Quæ in Curia Romana vacabunt, beneficia Officialium summi Pontificis, beneficia Cardinalium, & quoties reservatio in corpore juris est clausa, vel per Extrav. vel per Regulam Cancellariæ inducta.

4to. Alia reservatio specialis, quando vel reservatur beneficii corpus, ut beneficium talis in tali Ecclesia, vel incertum in individuo, ut quod primò in tali Ecclesia vacaverit.

5to. Alia est reservatio expressa, alia tacita. Expressa fit per actum verbalem & expressum verbo: *Reservamus.* Tacita, quæ etiam affectio dicitur, est: cùm Papa super dispositione alicujus beneficii semel apposuit manum, etiamsi provisio nulla fuerit, utpote incapaci & inhabili facta, vel quia subreptitia, vel alio laborans vitio; tunc enim beneficium summo Pontifici dicitur affectum, ita, ut inferiores omnes circa dispositionem hujus beneficii taliter sese intromittere non valeant.

6to. Sede Apostolicâ vacante beneficia reservata quovis modo vacantia ab Ordinariis conferuntur; tunc enim omnes regulæ cessant reservatoriæ.

Quæres *undecimo.* Quæ beneficia in Germania sunt reservata? R. Attendenda sunt concordata inter Nicolaum V. Pontificem & Fridericum III. totámque Nationem Germanicam inita Anno 1447. vi quorum reservata sunt: *1mo.* Beneficia quæcunque majora & minora, cum cura & sine cura, sæcularia & regularia, quæ vacant apud Sedem Apostolicam, seu in Curia, & sunt reservata *per Extrav. Execrabilis. Et: Ad regimen. de præbend.*

2do. Majores dignitates post Pontificales

cales in Cathedralibus, & principales dignitates in Ecclesiis Collegiatis.

3tio. Quælibet alia beneficia vacantia in mensibus Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri & Novembri. Quoties autem vacante beneficio taliter reservato in his mensibus intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii non apparuerit, quòd alicui de illo Apostolicâ dignitate provisum fuerit, ex tunc Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebat, de illo libere disponendi habet facultatem.

Quæres *duodecimo.* Quid circa preces Cæsareas observandum? R. *1mo.* Imperator Rom. neo-electus in quavis Ecclesia intra Romanum Imperium personam aliquam idoneam beneficiorum Collatoribus nominare potest, cui beneficium quodcunque vacans vel proximè vacaturum conferre debeant. Hæc Imperatoris nominatio preces primariæ vocatur, vel quia cuivis juri nominandi, conferendi, vel præsentandi præferuntur, vel quia sunt veluti prima Cæsaris electi petitio. Ipsa persona à Cæsare nominata per preces precista appellatur. Hoc privilegio precum non tantùm nominatus per Cæsarem gaudet, sed etiam nominatus per eum, cui illud jus nominandi per Cæsarem est concessum, cùm de mandato alterius nominatus à mandante nominatus esse censeatur. Imò quia Cæsares tale nominandi jus Electoribus demandare solebant, ideo S. R. I. Electores ex consuetudine in omnibus Ecclesiis suæ Diœcesis preces sibi arrogant Electorales.

2do. Preces hanc habent originem: Neo-electus Imperator de jure Canonico approbandus vel confirmandus est à summo Pontifice. *Juxta cap. venerabilem. 34. de elect.* Electus & approbatus à summo Pontifice eidem juramentum defendendæ Ecclesiæ Romanæ &c. præstabat, quo præstito à Pontifice coronabatur tertia coronâ aureâ, quâ ultimò Bononiæ à Clement. VII. Anno 1530. 24. Febr. Carolus V. coronatus fuit. Postmodum electi Imperatores summo Pontifici per solemnem legationem suam electionem solùm indicârunt, qui præstito per Legatum juramento eandem approbare solebat, modò nec hanc solemnem pro approbatione legationem Imperatores Rom. mittere volunt: ideóque Curia Romana privilegium quoque precum, quod Rom. Imperatoribus post approbationem vel confirmationem dari solitum fuit, vult denegare.

3tio. Germani Canonistæ sustinent, quòd Imperator electus ante confirmationem à Papa acceptam preces dare possit, hoc nixi fundamento, quia quamvis spectato jure communi in Imperatorem electus ex sola electione jus & authoritatem administrandi imperium non habeat, spectatâ tamen consuetudine, post divisum per hæresin imperium introductâ, Imperator electus statim imperium administrat, nec confirmationem à Pontifice petit: ideóque etiam privilegia & gratias Imperatoriæ dignitati ex consuetudine & Romanorum Pontificum indultis annexas, inter quas preces numerantur, concedendi obtinet potestatem.

4to. Cæsar preces primarias porrigen-

di, seu personas idoneas nominandi præ quibusvis Collatoribus vel Collatricibus habet potestatem, quâcunq; illi vel illæ dignitate præfulgeant, ad quæcunque beneficia Ecclesiastica per S.R.Imperium ubilibet constituta, sive in Ecclesiis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Collegiatis vel aliis quibusvis Ecclesiis, sive sint curata, sive non, nisi excepta sint beneficia.

5to. Excipiuntur autem beneficia sequentia: *1mo.* In Ecclesiis extra Roman. Imperium de facto constitutis, licèt sint in territorio, quod olim ad Rom. Imperium pertinebat, preces locum non habent, & quamvis Collator in Germania domicilium habeat, si beneficia extra Germaniam existant, precibus haud sunt affecta. Econtra si Collator extra Imperium domicilium habeat, beneficia tamen saltem quatuor in Imperio, quorum collatio ad illum pertinet, preces recipere obligantur. *2do.* Excipiuntur beneficia jurispatronatûs Laici. *3tio.* Beneficia manualia. *4to.* Beneficia ex causa permutationis vel resignationis simplicis in manus Papæ vacantia. *5to.* Beneficia post preces Cæsareas erecta. *6to.* Beneficia ad duorum collationem spectantia, si preces ad unum sunt directæ. *7timo.* Beneficia incorporata & unita. *8vo.* Beneficia regularia. Hanc exceptionem quidam probant hoc fundamento: Beneficia regularia vel sunt talia ex natura sua, quâ videlicet Statum Religiosum requirunt, vel præsupponunt, ùt Abbatia, vel Præpositura Regularis, Monachatus, & hæc sub precibus non cadunt Cæsareis, ùt patet ex praxi & consuetudine; Imperator enim electus Prælatos vel Præfectos in Monasteriis non nominat; vel sunt beneficia regularia solùm ex fundatione, vel longæva præscriptione, quæ Professionem Religiosam per se non requirunt; sed nec ad hæc Imperator per preces nominare solet, ne Religiosam turbet disciplinam, sed totam dispositionem Prælatis & Superioribus Ordinis relinquit. *9no.* Preces in dignitatibus majoribus post Pontificalem in Cathedralibus, & in principalibus dignitatibus Ecclesiarum Collegiatarum locum non habent. Quæ autem majores sint dignitates, ex praxi & consuetudine locorum cognosci debet: in Germania majores dignitates in Cathedralibus, & principales in Collegiatis sunt Decanatus & Præpositura, & cùm privilegium à Paulo V. Ferdinando II. datum utatur numero plurali: *Post Pontificatum majores*, videtur, quòd neque Præpositura neque Decanatus precibus gravari possint. *10mo.* Preces in pluribus beneficiis ad eundem Collatorem pertinentibus locum non habent; non enim Cæsar eundem Collatorem per preces bis gravare intendit, quare si nominatus à Cæsare ad primum vacaturum primum vacans negligat, secundum petere nequit, sed gratia Cæsaris est extincta. *11mo.* Preces eum, qui non habet jus conferendi saltem quatuor beneficia, non gravant Collatorem.

6to. Potest Imperator vel simul, vel successivè unum per preces nominare ad diversos Canonicatus in diversis Ecclesiis, & tunc acceptione unius in una Ecclesia cæteræ nominationes in aliis Ecclesiis extinguuntur;

tinguuntur; neque enim ideo plures nominationes ejusdem personæ ad diversas Ecclesias à Cæsare fiunt, ut unus plura adipiscatur beneficia, sed ut citiùs nominato provideatur. Cæsar quoque eidem personæ novas preces post primæ nominationis vel gratiæ extinctionem concedere potest, cùm per hoc nec Sedi Apostolicæ, cujus non interest, cui fiat collatio, neque Collatoribus Ordinariis, qui semel tantùm gravantur, neque juris dispositioni ratione pluralitatis beneficiorum præjudicetur.

7timo. Postquam Imperator uni preces dedit, eas revocare ac alterum nominare potest, quia quamvis, qui semel præsentavit, variare non possit, cùm præsentatus jus ad beneficium vacans per præsentationem acquirat, in beneficio tamen vacaturo non jus per preces, sed solùm jus ad implorandum Executoris officium acquiritur.

8vo. Si preces concessæ ob mortem v. g. precistæ effectum non sint sortitæ, Imperator alium nominare potest; quando enim actus secundùm intentionem disponentis effectum non habet, ad unum actum non restringitur, quare si precista gratiam non admittat, Cæsar eam libere alteri conferre potest, donec preces plenum sortitæ sint effectum.

9no. Ut preces faciliùs habeant effectum, Cæsar in concessione earum Executorem nominare solet, qui in Ecclesiastica dignitate constitutus, vel Ecclesiæ Cathedralis Canonicus. Isti autem Executores Subexecutores constituere valent, cùm delegatam à Papa, ex cujus privilegio Cæsar Executores nominat, habeant jurisdictionem. Mortuo Executore, alium Imperator nominare potest.

10mo. Nominatus ad beneficium per preces illud intra mensem à tempore, quo ipsi vacatio beneficii innotuit, numerandum petere debet.

11mo. In privilegio Pontificio preces Cæsareas concedente quibuslibet juribus contrariis, Regulis Cancellariæ, Concordatis Germaniæ, & quibuscunque privilegiis ac consuetudinibus derogatur.

§. Tertius.

Quâ formâ, & modo Beneficia acquirantur.

QUæres *primo.* Quâ formâ de beneficio facienda provisio? R. In provisione parochialium præscripta est forma *à Concil. Trident. Sess. 24. de reform.* De qua alibi. Beneficiis simplicibus nulla specialis forma est præscripta, sed ùm sequentes requiruntur conditiones: *1mo* debet esse gratuita *2do* integra, *3tio* pura, *4to* non subreptitia. *5to* publica. *6to* probabilis.

1mo debet esse *gratuita*, sine omni ambitu & largitione. *can. ordinationes. caus. 1. q. 1. can. 1. 2. 3. 4. 5. can. fin. caus. 1. q. 3. cap. 1. 2. 3. de simon.* Non debent intervenire preces, obsequia, aliáque humana gratia. *Gloss in cap. tuam. 10. de*

atat. & qualit. verb. nullum. Ideóque neque in collationibus, neque in institutionibus, ac præsentationibus, vel processionum mandatis aliquid pro juribus exigi potest, non obstante quâcunque consuetudine. *cit. can. fin. caus. 1. q. 3. cap. non satis. 8. cap. cum in Ecclesia. 9. cap. Jacobus. 44. de simonia.* Nec Notarii conficientes tabulas aliquid recipere debent. *cap. 1. de simon.* Nisi de consuetudine salarium ex publico non haberent, juxta moderationem *Trident. Sess. 21. de reform. cap. 1.* Nec aliquid pro introitu, vel investitura, sive consistat in pecunia, vel aliqua tractatione, exigi potest. *cap. veniens. 19. cap. sicut pro certo. 39. de simon.* Quinimò & transactiones de beneficiis interpositæ non subsistunt, nisi justa causa cum Superioris insuper authoritate intervenerit. *cap. constitutus. 4. de transaction. cap. nisi essent. 21. de præbend.* Vel nisi pro jure quæsito conservando ad redimendam vexam aliquid detur. *cap. dilectus. 28. de simon.* Provisio facta per simoniam realem, id est: quando per dationem & acceptationem beneficii pro re temporali completa est simonia, vel per conventionalem, id est: quando facta promissio, quæ nondum executioni mandata, ipso facto nulla est. *can. Sanctorum. 10. caus. 1. q. 1. can. ea quæ. 5. & seqq caus. 1. q. 3. cap. cum Clerici. 6. de pactis. Extrav. cum detestabile, de simon. inter comm.* Quamvis proviso ignorante simonia facta. *cap. ex insinuatione. 26. cap. nobis fuit. 27. de simon.* Aut etiam Collatore inscio. Simonia mentalis nullitatem non inducit. *cap. fin. de simon.* Simoniaci ad istud & quodcunque aliud beneficium obtinendum inhabiles existunt.

2do. Integra. Collator enim partem fructuum beneficii sibi retinere nequit. *cap. unic. ut Ecclesiast. benefic. sine diminut. confer. cap. prohibemus. 7. de censibus.* Nec potest uni conferri beneficium, & alteri pensio ex beneficii reditibus attribui. *cap. extirpandæ. 30. de præbend.* A Superiore tamen Ecclesiastico vacanti beneficio onus spirituale imponi potest, v. g. ut de B. V. Missam cantet. *cap. significatum. 11. de præbend.* Vel temporale, modò ad pios usus ordinetur. *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 14.* Ut in subsidium seminarii, pauperum eleëmosynas, aut fabricam Ecclesiæ.

3tio. Pura. Hoc est: purè & absque conditione fieri debet; est enim collatio actus legitimus. *cap. solet. 2. de sentent. excomm. in 6.* Actus autem legitimi nullam conditionem admittunt. *cap. in electionibus. 2. de elect. in 6.* Et Regul. 50. *Actus legitimi conditionem non admittunt. de Reg. juris. in 6.* Si autem talis sit conditio, quæ tacitè inest; ùt confero tibi beneficium, si capax es: actus non vitiatur.

4to. Non subreptitia, id est: per falsa narrata impetrata; subreptio enim ipso jure gratiam vitiat. *cap. ad aures. 8. cap. constitutus. 19. de rescriptis. cap. si motu proprio. 23. de præbend. in 6.* Quod intelligendum de provisione à summo Pontifice vel ejus Legato facta, non verò de provisione Ordinarii, qui Ecclesiis, & non personis motu proprio providere dicitur: ideóque provisio Ordinarii ex capite subreptionis nequit impugnari. *Clement. 2. de offic. Ordinar.* 5to.

5to. Publica, id est: non clandestina; collatio enim clandestina & secretò facta suspicione non caret. *cap. unic. ut Eccles. benef. sine diminut. conferantur.*

6to. Probabilis, id est: ut per testes & instrumenta fides de provisione probari possit.

Quæres *secundo*: Quot modis acquiruntur beneficia? ℟. Beneficia acquiruntur vel modo ordinario vel extraordinario. Modi ordinarii, quibus acquiruntur, sunt sequentes: Electio, postulatio, translatio, &c. De quibus supra. Collatio sive jure devoluto sive jure ordinario, præsentatio, institutio, unio, commenda, possessio triennalis. Modi extraordinarii: collatio Papæ extra Diœcesin, præventio Papæ, mandatum de providendo, reservatio, nominatio.

Quæres *tertio*. Quotuplex collatio jure ordinario? ℟. 2plex: Necessaria, & libera. Necessaria est, quando Collator certæ personæ, vel certo personarum generi, etiam nolens, conferre debet, ùt *1mo*. Si mandatum habenti & acceptanti beneficium primò vacaturum conferre teneatur. *cap. tibi. 12. cap. duobus. 14. de rescript in 6. 2do*. Si præsentatum à patrono Laico vel Clerico instituere obligetur. *can. decernimus. 32. caus. 16. q. 7. cap. illud. 8. cap. relatum. 21. de jure patronat. 3tio*. Quando fit provisio à Papa ad Regis vel Principis nominationem. *4to*. Quando graduatis in vim nominationum, quas ex Academiis privilegiatis habent, fit collatio. *5to*. Ratione optionis, quando ex privilegio vel consuetudine antiquiori optanti debetur beneficium. *6to*. In beneficiis in favorem, vel permutationis causâ renuntiatis.

Collatio voluntaria fit, quando Collator sponte, cui vult, confert, dummodo digno & idoneo conferat. *cap. relatum. 9. de præbend. junct. Gloss.* Factâ collatione Collator beneficium secundò conferre nequit, quia functus est officio suo, & jus alteri est acquisitum. *cap. si tibi absenti. 17. de præbend. in 6. Clement. unic. de renuntiat.* Quod procedit, si digno contulit, si autem indigno contulit, idque scienter, jure conferendi privatur. *cap. cum in cunctis. 7. §. fin. de elect.* Si ignoranter, secunda collatio post primam cassatam, vel declaratam irritam facta valebit.

Quæres *quarto*. Quid circa collationem ex jure devoluto observandum? ℟. Sequentia:

1mo. Collatio ex jure devoluto locum habet, si is, qui jus conferendi habebat, amisit illud vel ob negligentiam non conferendo intra tempus à jure statutum. *cap. nulla. 2. cap. quia diversitatem. 5. de conces. præbend.* Ne Ecclesiæ diu maneant viduatæ. *cap. ne pro defectu. 41. de elect. cap. quam sit. 6. eod. in 6.* Vel propter delictum, conferendo indignis. *cap. cum in cunctis. 7. de elect. cap. si Compromissarius. 37. eod. in 6.* Vel ob non servatam formam. *cap. quia propter. 42. cap. nihil est. 44. de elect.*

2do. In Ecclesiis patronatis patrono intra tempus à jure statutum non præsentante jus conferendi ad instituentem, tanquam ad proximum hujus negotii Superiorem devolvitur. *Clement. unic. de suppl. neglig. Prælat. junct. gloss. verb. dispositionem.* Si Prælatus Episcopo inferior conferre negligat, ad Episcopum loci,

in

in quo vacat beneficium, devolvitur collatio. *cap. nulla. 2. de conceſſ. præbend. cit. Clement. unic.* Capitulo Cathedralis Eccleſiæ beneficium, quod ad ſuam collationem Epiſcopo excluſo pertinet, conferre negligente, ad Epiſcopum fit devolutio: Si Epiſcopus cumulativè cum Capitulo conferat, fit devolutio ad Archi-Epiſcopum. *cit. cap. nulla. gloſſ. in cap. irrefragabili. 13. de offic. Ordinarii. verb. per Capitulum. cap. poſtulâſtis. 15. de conceſſ. præbend.* Epiſcopo beneficium ſeorſim à Capitulo ad ſuam collationem ſpectans conferre negligente, fit devolutio ad Capitulum. *cit. cap. nulla.* Et hic eſt caſus, quo ad inferiorem fit devolutio. Si Epiſcopo ex jure devoluto competat collatio, & ipſe conferre negligat, ad Superiorem fit devolutio.

3tio. Si devolutio fiat ob delictum, ut quia proviſum eſt indigno, ſi omnes peccaverunt, hodie in Eccleſiis Cathedralibus immediatè ad Papam fit devolutio. *cap. quanquam. 18. de elect. in 6.* In Eccleſiis inferioribus ad immediatum Superiorem. *cit. cap. quanquam. cap. cum in cunctis. 7. de elect.* Si non omnes peccaverunt, jus providendi manet penes innocentes.

Quæres *quinto.* Quando mediante præſentatione acquiritur beneficium? R. Quando beneficium eſt patronatum; quemadmodum enim jure civili olim Domini per ſervorum manumiſſiones conſequebantur jus patronatûs, quod in operis, bonorum ſucceſſione & obſequiis patrono debitis conſiſtebat, ita per ædificationem vel dotationem Eccleſiæ fundatori vel dotatori de jure Canonico jus patronatûs accreſcit, vi cujus vacante Eccleſiâ vel beneficio aliquem habilem præſentandi obtinet facultatem.

Quæres *ſexto.* Quid & quotuplex eſt jus patronatûs? R. *1mo.* Jus patronatûs eſt: Inſtituendum ad beneficium vacans præſentandi poteſtas. Vel eſt jus alicui in Eccleſia acquiſitum, eò quòd ipſe vel majores ejus Eccleſiam fundaverint, ædificaverint, vel dotaverint adhibito Epiſcopi conſenſu, ex quo jure cum utilitate honor & onus ſimul reſultant.

2do. Jus patronatûs 3plex eſt: Eccleſiaſticum, Laicale, & mixtum. Eccleſiaſticum eſt, quod ratione Eccleſiæ vel beneficii competit, licèt ex bonis Laicalibus originem habeat, vel ab initio, vel fundatione, vel teſtamento, vel donatione, aut alio quovis titulo in Eccleſiam, Collegium Eccleſiaſticum ratione Eccleſiæ, dignitatis, vel beneficii eſt translatum. *cap. unic. de jure patronat. in 6.* Laicale eſt: quod perſonæ Eccleſiaſticæ vel Laicali ex titulo competit Laicali, ut quia ex ſuis bonis patrimonialibus Eccleſiam fundavit, vel Laico fundatori ſucceſſit. Fit ex Eccleſiaſtico Laicale, ſi non lucrativo, ſed oneroſo, ut permutationis titulo cum authoritate Sedis Apoſtolicæ in Laicos tranſeat, utì etiam ex Laicali fit Eccleſiaſticum, quando in Eccleſiaſticas tranſit perſonas. Mixtum eſt, quod partim eſt Eccleſiaſticum, partim Laicale, ſi convenerint patroni, ut unâ vice perſona Eccleſiaſtica, alterâ vice perſona Laica præſentet. *Clement. plures. 2. de jure patronat.* Tunc jus patronatûs in turno patroni Laici eſt Laicale, in turno Eccleſiaſtici eſt Eccleſiaſticum.

Di-

Dividitur quoque jus patronatûs in hæreditarium & gentilitium. Hæreditarium est, quod ad hæredes quoscunque etiam extraneos transit. *cap. quoniam. 3. de jure patron.* & tale in dubio præsumitur, nisi ex fundatione vel aliunde contrarium probetur. Gentilitium est, quod tantùm ad illos, qui de familia sunt, transit. Dividitur rursus in reale & personale. Reale est, quod competit personæ ratione rei, & transit ad omnem, ad quem res transit. Personale est, quod immediatè personæ competit, & cum persona extinguitur.

Quæres *septimo*. Quid circa jus patronatûs observandum? R. Sequentia; *1mo*. Tribus potissimùm modis jus patronatûs acquiritur, scilicet: fundatione, constructione, & dotatione, juxta vulgarem versum:

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Fundatione jus patronatûs acquirit, qui Ecclesiam in proprio Solo suis sumptibus construxit. *can. Abbatem. 4. caus. 18. q. 2.* Vel qui solum aut fundum, in quo Ecclesia ædificari possit, assignat, vel donat. *can. piæ mentis. 36. can. Frigentius. 27. caus. 16. q. 7. cap. nobis. 25. de jur. patronat.* Acquiritur autem eo ipso, quo fundatur Ecclesia, nec est necesse, quòd fundator jus patronatûs in fundatione sibi reservaverit, ùt colligitur *ex cit. cap. nobis. ibi: ex eo jus patronatûs acquirit. Gloss. in can. si quis basilicam. 10. de consecrat. dist. 1. verb. subtributaria.* Constructione vel ædificatione jus patronatûs acquirit, qui sine assignatione vel donatione proprii fundi suis sumptibus Ecclesiam construit. *can. monasterium 33. caus. 16. q. 7. cit. cap. nobis.* Vel Ecclesiam dirutam, ut novâ indigeat consecratione, reparat, talis enim reparatio ædificationi comparatur.

Dotatione jus acquirit, qui Ecclesiæ dotem dedit. *can. filiis. 31. caus. 16. q. 7.* Quemadmodum enim in matrimonio carnali ad alendam uxorem & sustinenda matrimonii onera dos datur marito, ita in fundatione Ecclesiæ certa dos ad Ministrorum Ecclesiæ alimentationem, ad luminaria, aliáque ad Divinum Officium necessaria in reditibus vel annuis censibus constitui debet. *can. nemo. 9. de consecrat. dist. 1. cap. cum sicut. 8. de consecrat. Eccles.* Veruntamen tam in dotatione, quàm fundatione, vel ædificatione consensus Ordinarii interveniat, necesse est. *cit. cap. nobis. de jure patronat.* Sive præcedens, sive ex post dotationi, ædificationi, vel fundationi superveniens. Ratio est: quia jus patronatûs Ecclesiæ onus est, quale Laici Ecclesiis propriâ authoritate imponere non possunt. *cap. Ecclesia. 10. de constitut.* Consensum Ordinarii, hoc est, Prælati Episcopalem jurisdictionem exercentis interveniss̃e ex diuturnitate temporis præsumitur.

2do. His tribus jus patronatûs acquirendi modis additur titulus præscriptionis, quæ si immemorialis, dubium non est, quin per eam jus patronatûs acquiratur, cùm vim tituli habeat. *Arg. cap. 1. de præscript. in 6. Trid. Sess. 25. de reform. cap. 9.* De ordinaria præscriptione disputant Canonistæ: plures concedunt, quòd Laicus jus patronatûs per præscriptionem ordinariam acquirere valeat,

cum hac tamen differentia, si Ecclesia sit libera, & nullum patronum habeat, ad præscriptionem adversus eam spatium 40. annorum requiritur. *cap. cura pastorali. 11. de jure patron. cap. querelam. 24. de elect.* Si Ecclesia patronum Laicum habeat, & alius Laicus contra talem patronum jus patronatûs præscribat, inter præsentes 10. inter absentes 20. annorum sufficit spatium. Alii tamen Canonistæ absolutè negant per ordinariam præscriptionem à Laico jus patronatûs acquiri posse, eò quòd Laicus spiritualia & spiritualibus annexa possidere nequeat. Sicut autem per præscriptionem, ita quoque per summi Pontificis privilegium jus patronatûs acquiri potest.

3tio. His modis jus patronatûs in Ecclesiis non Collegiatis tantùm acquirere possunt omnes, qui rerum suarum administrationem habent, ideóque & fœmina patrona fieri potest. *cap. ex literis. 7. de jure patron. cap. fin. de conces. præbend.* Filiusfamilias habens bona Castrensia minor 25. annis.

4to. Prohibentur esse patroni Religiosus particularis, quia nec administrationem habet, nec bonorum dominium. Infamis; jus enim patronatûs bonum honorificum est. Hæreticus, excommunicatus excommunicatione majori, Judæus, Paganus; quia Canones hoc jus Fidelibus & Christianis tantùm concedunt.

5to. Jus patronatûs partim honorificum, partim utile, partim onerosum est patrono, ùt exprimit *Gloss. in cap. nobis. 25. de jure patron. verb. modestè.* his versibus:

Patrono debetur honos, onus, utilitásque,
Præsens ut præsit, defendat, alatur egenus.

Honor patroni in hoc consistit, ut Ordinario personam ad vacantem Ecclesiam præsentet, in Ecclesiis, Processionibus &c. honoratiorem locum obtineat. *can. piæmentis. 26. can. Frigentius. 27. caus. 16. q. 7.*

Utilitas, quòd patronum ad inopiam redactum alat Ecclesia. *can. quicunque. 30. caus. 16. q. 7.*

Onus, quòd Ecclesiam ejúsque ministros contra vim hostilem defendere. *can. filiis. 31. can. decernimus. 32. caus. 16. q. 7.* dilapidantes bona Ecclesiæ denuntiare, indebitè alienata revocare debeat, &c. Est enim patronus Ecclesiæ Protector & Advocatus. *cap. præterea. 23. cap. cum autem. 24. de jure patron.*

6to. Modos, quibus jus patronatûs in alium transferri possit, exprimit *Gloss. in cap. cum sæculum. 13. de jure patron. verb. emptorum.* his versibus:

Jura patronatûs transire facit novus hæres,
Res permutata, donatio, venditióque.

Imprimis transfertur successione. *can. considerandum. 35. caus. 16. q. 7. cap. quoniam. 3. de jur. patr.* In hæredes. *cap. significavit. 41. de testibus. Clement. fin. de jure patron.* quoscùnque cum bonorum universitate, cui tanquam accessorium adhæret. *cap. ex literis. 7. de jure patron.*

Deinde permutatione cum alia re spirituali, sive cum alio jure patronatûs. *cap. ad quæstiones. 6. de rer. permut.* vel jure decimarum.

Do-

Donationis vel legati titulo transit jus patronatûs, si alteri legetur, vel donetur, cum hac diversitate, quòd si Laico donetur, consensus Episcopi accedere debeat, qui non requiritur, si Ecclesiæ, vel loco pio, vel compatrono donetur. *cap. unic. de jure patron. in 6.*

Demum titulo venditionis transfertur, si universitas bonorum, cui jus patronatûs cohæret, vendatur. *cit. cap. ex literis. 7. de jure patron.* Nomine universitatis intelligitur hæreditas, civitas, pagus, castrum, prædium, &c. Ratio est: quia quamvis jus patronatûs non sit vendibile, utpote res spiritualis, quia tamen cum re temporali connexum esse potest, ideo si res temporalis, ùt universitas principaliter, jus patronatûs cum universitate velut aliquod accessorium ad emptorem transit; quòd si jus patronatûs in venditione expressum, vel pretium intuitu illius auctum, venditio utpote simoniaca est irrita, & consequenter jus patronatûs non transit ad emptorem. *cap. de jure. 16. de jure patr.* Utì etiam non transfertur, si in venditione universitatis jus patronatûs exceptum, & venditor sibi illud reservavit. *Gloss. in cap. cum sæculum. 13. de jure patron. verb. emptorum.*

Ad titulum venditionis conductio universitatis ad longum tempus reducitur, quâ apud conductorem tempore conductionis est exercitium juris patronatûs, quod tamen non tenet apud conductorem universitatis oppignoratæ. *cap. cum Bertholdus. 18. de sentent. & re judic.* Disparitas est, quia per conductionem dominium utile & commodum rei conductæ in conductorem transeunt, quod tamen non fit per oppignorationem.

5timo. Ortâ controversiâ de jure patronatûs, si proprietas controvertitur, ad judicium Ecclesiasticum pertinet decisio, nam jus patronatûs conjunctum & connexum cum spiritualibus est res spiritualis. *cap. quantò. 3. de judic.* Si de possessione vel quasi possessione disceptatur, Judex sæcularis cognoscere potest, quia, ùt dicunt Juristæ, possessorium est quid temporale.

8vo. Si Ecclesiam juris patronatûs esse constat, & inter quosdam, quis sit patronus, controvertatur, ordinariæ sufficiunt probationes, si verò in dubium vocatur, an libera, vel patronata sit Ecclesia, libera præsumitur. *Arg. L. altius. 8. C. de servit. junct. gloss.* Et ut jus patronatûs decernatur, exactiores probationes requiruntur, juxta dispositionem *Trid. 25. de reform. cap. 9.* "Sicuti legitima patronatuum jura tollere, piásque fidelium "voluntates in eorum institutione violare æquum non est; sic etiam ut hoc colore beneficia Ecclesiastica in servitutem, "quod à multis imprudenter fit, redigantur, non est permittendum. Ut "igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit S. Synodus, ut titulus "juris patronatûs sit ex fundatione, vel "dotatione, qui ex authentico documento, & aliis jure requisitis ostendatur, sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliásve secundùm juris "dispositionem, in iis verò personis, seu "Communitatibus seu Universitatibus,

"in quibus id jus plerumque ex usurpa-
"tione potiùs quæsitum præsumi solet,
"plenior & exactior probatio ad docen-
"dum verum titulum requiratur, nec
"immemorabilis temporis probatio ali-
"ter eis suffragetur, quàm si præter reli-
"qua ad eam necessaria, præsentationes,
"etiam continuatæ, non minori saltem,
"quàm quinquaginta annorum spatio,
"quæ omnes effectum sortitæ sint, au-
"thenticis scripturis probentur."

9no. Amittitur jus patronatûs vel ob delictum, vel ob aliam causam. Ob delictum amittitur *1mo* ob hæresin, vel crimen læsæ Majestatis. *cap. vergentis. 10. de Hæret. 2do.* Si patronus Rectorem vel alium Ecclesiæ patronatæ Beneficiatum per se vel per alium occiderit, aut mutilaverit. *cap. ad aures. 10 cap. in quibusdam. 12. de pœnis. 3tio.* Si jura, bona, census Ecclesiæ patronatæ sibi patronus quocunque prætextu usurpârit. *Trid. Sess. 22. de reform. cap. 11. 4to.* Si venditionis vel alio quovis titulo contra Canones jus patronatûs in alium transferre præsumpserit. *cap. quia Clerici. 6. de jure patronatûs. 5to.* Publicatis bonis patroni, si jus patronatûs bonis publicatis annexum, illud ad Fiscum transit. *Gloss. in can. filiis. caus. 16. q. 7.* Si autem bonis non annexum, manet apud delinquentem, donec per Judicem illo privetur. *Gloss. in cit. can. filiis. & Gloss. in Clement. Pastoralis. de sentent & re judicat. verb. subjectæ.*

Alio modo jus patronatûs amittitur *1mo* Ecclesiæ sine spe reparationis destructione. *2do.* Si jus suum patronus Ecclesiæ cedat, vel Ecclesiam juris patronatûs sine reservatione sui juris fieri Collegiatam, vel Monasterio conferri patiatur. *cap. nobis. 25. de jure patronatûs. junct. gloss. verb. Capella.*

Quæres *octavo.* Quæ circa præsentationem observanda? R. *1mo.* Patronus, qui est in quasi possessione juris patronatûs, præsentare debet. *cap. consultationibus. 19. de jure patronat.* Hæc autem quasi possessio acquiritur per unicam præsentationem, his tamen concurrentibus: *1mo.* Si præsentatio bonâ fide facta. *2do.* Admissa. *3tio.* Eámque secuta institutio. Et *4to.* Ille, in cujus præjudicium possessio juris patronatûs acquisita, hoc sciens passus fuerit.

2do. Plures patroni ejusdem beneficii vel singuli alternis vicibus præsentare, vel omnes simul in præsentatione concurrere possunt, prout inter se convenerint. *cap. 1. 2. & 3. de jure patronat.* Plures hæredes unius patroni in præsentatione pro uno habentur. *Clement. plures. 2. de jure patronat.* Quòd si plures concurrentes in præsentatione discordent, is præsentatus admittendus, in quo præsentando major pars concordat. Ubi distinguendum, an præsentatio fiat à pluribus, ùt à Collegio, & tunc requiritur, ut à majori parte respectu Collegii concorditer sit præsentatus. *cap. Ecclesia vestra. 48. de elect. cap. ea noscitur. 6. de his, quæ fiunt à Prælato &c.* Quo casu etiam omnes, ad quos spectat collatio, sunt convocandi. *cap. quia propter. 42. de elect.* Aliàs absentes præsentationem rescindere possunt. *cap. quod sicut. 28. cap. bonæ memoriæ. 34. de elect.* Vel præsentatio spectat ad plures tanquam personas sin-

singulares, & tunc sine convocatione quilibet patronus sigillatim præsentare potest, & ille præsentatus præferendus, qui à majori parte patronorum respectu aliarum partium est præsentatus.

3tio. Patronus se ipsum præsentare nequit, quantumcunque idoneus sit, & quibuscunque studiis & meritis adjuvetur. *cap. per nostras. 26. de jure patron.* Qualecunque sit beneficium, tum quia hoc est ambitiosum. *cit. cap. per nostras.* tum quia inter dantem & accipientem debet esse distinctio personalis. *cap. fin. de institut.* Fiunt sequentes exceptiones:

1ma. Si patronus jus præsentandi cessit, præsentari potest, modò pro ea vice solùm non cesserit.

2da. Unus patronus ab aliis compatronis præsentari potest. *Gloss. in cap. consuluit. 15. de jure patronat. verb. concedant. arg. cap. cum in jure. 33. de elect.* Quo casu patronus à cæteris præsentatus consentiendo auget numerum, sibique jus firmat. *Arg. cap. cum in jure. cit.*

3tia. Episcopus patrono consentienti beneficium patronatum conferre potest, tunc enim patronus sibi ipsi beneficium non dat, sed patitur, & sibi dari consentit, & tunc sine patrono valet institutio, quia illa patrono non fit invito.

4to. Patronus filium suum vel aliter sibi conjunctum præsentare potest. *Gloss. in cit. cap. consuluit. verb. concedant.*

5to. Differentiæ inter præsentationem patroni Laici & Ecclesiastici sunt: *1ma.* Tempus, intra quod patronus Ecclesiasticus præsentare debet, sunt sex menses, intra quod à patrono Laico præsentatio facienda, sunt quatuor menses. Si patronorum alter sit Laicus, alter Clericus, etiam Laico sex menses conceduntur; quia magis dignum trahit ad se minùs dignum, & ita Laicus consequitur per Clericum, quod per se non habet. *Gloss. in cap. unic. de jure patronat. in 6. verb. Ecclesiasticus.*

2da. Patronus Laicus variare, hoc est: præsentato uno alterum addere potest, & tunc Episcopo instituenti unum ex præsentatis eligere licet. *cap. cum autem. 24. de jure patron.* Quod non licet patrono Ecclesiastico.

3tia. Si Episcopus vel præsentatum à patrono Laico instituens ùt indignum rejecerit, patronus Laicus alterum præsentare potest, quòd si tamen Episcopus vel instituens malitiosè primum rejecerit, & alterum postea nominatum instituerit, primò de beneficio providere tenetur. *cap. pastoralis. 29. de præbend.* Si patronus Ecclesiasticus indignum præsentaverit, suo functus est officio.

4ta. Clerico præsentato à patrono Ecclesiastico statim ad institutionem jus acquiritur. *cap. cum autem. 24. de jure patronat.* Præsentatum à patrono Laico Ordinarius non instituit, nisi post lapsum temporis ad præsentandum dati, cùm hoc in commodum patroni sit inductum, qui intra illud tempus, quoties ei libuerit, variandi habet potestatem. *Clement. plures. 2. de jure patron. junct. gloss.*

7timo. Patronus aliquid temporale à præsentato præter id, quod in ipsa fundatione est impositum, exigere nequit. *cap. sicut nobis. 2. de suppl. negligent. cap. præterea. 23. de jure patron.* Quòd si aliquid pro præsentatione datum vel pro

missum, præsentatio erit simoniaca, licèt id præsentato ignorante factum. *cap. si alicujus. 59. de elect. cap. nobis fuit. 27. de simonia.*

Quæres *nono.* Quid circa institutionem observandum? R. *1mo.* Institutio est beneficii juri patronatûs subjecti à legitimo Superiore Ecclesiastico facta collatio. Hæc est necessaria, quia præsentatio in Ecclesia patronata nullum jus tribuit præsentato, cùm patronus nullum jus obtineat. *can. noverint. 6. caus. 10. q. 1. cap. quod autem. 5. cap. querimoniam. 9. cap. cum Laici. 10. cap. consuluit. 15. de jure patronat.* Quamvis patronus sit Ecclesiasticus. *cit. cap. sicut nobis. 2. de suppl. neglig.*

2do. Ille, si idoneus est, instituendus, quem patronus præsentaverit, alioquin ad Superiorem habebitur recursus. *cap. significâsti. 18. de jure patron.* Et sicut institutio ab ipso patrono facta nulla est. *cap. illud. 8. de jurepatr.* Ita etiam institutio, quam Episcopus fecit sine patroni præsentatione; & quamvis non sit ipso jure irrita. *cap. illud. 8. de jurepatr.* Secutâ tamen præsentatione patroni intra tempus à jure præscriptum evanescit. *can. decernimus. 32. caus. 16. q. 7.*

3tio. Ad Episcopum pertinet institutio. *cap. ex frequentibus. 3. de institut. cap. 1. eod. in 6. cap. cum satis. 4. de offic. Archid.* Ad Capitulum Sede vacante. *cit. cap. 1. de institut. in 6.* Ad Vicarium Generalem Episcopi, etiam sine speciali mandato. *cit. cap. ex frequentibus.* Imò ad Prælatos inferiores jus illud ex privilegio, præscriptione vel consuetudine habentes.

4to. Institutioni locus est, quotiescunque jus patronatûs salvum & incolume manet, quod duobus modis impeditur per negligentiam scilicet, & derogationem Papæ.

Per negligentiam, si vel intra tempus præscriptum patronus non præsentaverit. *cap. sicut nobis. 2. de suppl. neglig.* Vel patroni ob discordiam illud tempus elabi permiserint. *cap. quoniam. 3. de jure patr.* Vel patronus Ecclesiasticus indignum præsentaverit.

Per derogationem jus patronatûs impeditur, si Papa præsentationem præveniendo Ecclesiæ de Ministro providerit, Papa autem juri patronatûs tam Ecclesiastico quàm Laico derogandi habet potestatem. *Clement. 2. de præbend. junct. gloss.* cum hac differentia, quòd juri patronatûs Laicalis non derogetur, nisi per clausulam specialem fuerit expressum. *cit. gloss. verb. Apostolicis.* ne Laicos à piis fundationibus & dotationibus contingat deterreri.

5to. Factâ institutione jus percipiendi fructus beneficii, illúdque administrandi potestatem nanciscitur institutus. Tempus institutioni non est præfixum, intra quod illa fieri debeat, nisi in beneficio curato, in quo juxta constitutionem S. Pii V. de concursu intra duos menses facienda institutio, aliàs ad summum Pontificem fit devolutio.

Quæres *decimo.* Qualiter beneficiorum fit unio? R. *1mo.* Unio est duorum vel plurium beneficiorum à legitimo Superiore facta connexio. Hæc unio vel est temporalis, vel perpetua. Temporalis est, in qua certum tempus expressum,

vel

vel quæ fit non intuitu Ecclesiæ, sed ad vitam alicujus, vel quæ ad Papæ fit beneplacitum. Hæc tempore præfixo elapso, ùt mortuo illo, ad cujus vitam est data, vel mortuo Papâ, si ad ejus data beneplacitum, dissolvitur. *cap. novit ille. 1. ne Sede vacante.*

Unio perpetua est, in qua expressum, quòd perpetuò sit duratura, ùt *in cap. exposuisti. 33. de præbend.* Vel quæ intuitu Ecclesiæ, vel alicujus dignitatis, vel ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, quæ nunquam emoritur, facta est. *cap. gratiosè. 5. de rescriptis. in 6.* In dubio unio facta perpetuò præsumitur. *cit. cap. novit ille.*

2do. Tribus modis unio fieri potest. *Gloss. in cap. 1. ne Sede vacante. verbo: uniendo. 1mus.* Quando duæ Ecclesiæ vel duo beneficia in unum corpus coalescunt, ita, ut ex duobus beneficiis vel duabus Ecclesiis una fiat. Hujus unionis effectus sunt *1mo.* Statuta & privilegia uni data competunt alteri, & si contraria, conservantur favorabiliora. *2do.* Canonici, qui sunt in una Ecclesia, sunt etiam Canonici alterius Ecclesiæ. *Gloss. in can. & temporis. 48. caus. 16. q. 1.*

2dus modus unionis, quando duæ Ecclesiæ ita uniuntur, ut una superior sit & principalis, altera inferior & secundaria, quo casu *1mo* inferius beneficium nomen amittit, estque per unionem suppressum & extinctum. *2do.* Inferius beneficium ejus beneficii, cui est unitum, nomen induit, & iisdem gaudet privilegiis. *cap. recolentes. 3. de Statu Monach. 3tio.* Beneficium inferius jura propria non amittit, sed illa manent, & ad Ecclesiam, cui est unitum, transeunt.

3tius modus unionis, quando nulla ex Ecclesiis unitis alteri subjicitur, sed ambabus suum titulum & gradum retinentibus idem minister præficitur. *can. & temporis. 48. caus. 16. q. 1. Gloss. in cap. 1. ne Sede vacante. verb. uniendo.* Hoc casu utraque Ecclesia est æquè principalis, sua statuta habet, & quælibet propriis utitur privilegiis.

3tio. Beneficia tempore, quo vacant, vel non vacant, uniri possunt. *Clement. si una. 2. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* cum hac differentia: si Ecclesia vel beneficium vacans uniatur, unio nonnisi post mortem Beneficiati, vel si beneficium alicui expressè reservatum, post obitum exspectantis tantùm sortitur effectum.

4to. Episcopus cum consensu Capituli quælibet beneficia unire potest. *cap. sicut unire. 8. de excessib. Prælator.* nisi beneficia uniri prohibeantur, ùti prohibentur *1mo* Ecclesiæ Parochiales. Juxta *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 13.* ibi: "Ecclesiæ Parochiales monasteriis qui-"buscunque, aut Abbatiis, seu digni-"tatibus, seu præbendis Ecclesiæ Cathe-"dralis vel Collegiatæ, sive aliis benefi-"ciis simplicibus, aut hospitalibus mili-"tiisve non uniantur." *2do.* Beneficia regularia Ecclesiis parochialibus vel aliis beneficiis sæcularibus non sunt unienda. *Trid. ibid. 3tio.* Sine consensu patroni beneficia juris patronatûs Laici uniri nequeunt. *Gloss. in cap. nobis. 25. de jure patronat. verb. in capella. 4to.* Beneficia unius Diœcesis cum beneficiis alterius Diœcesis uniri non possunt, ne unum beneficium duarum fiat Diœcesium. *Trid. Sess. 14. de reform. cap. 9. 5to.* Beneficium

neficium Ecclesiæ , cujus Sedes vacat, uniri nequit. *cap. 1. ne Sede vacante. 6to.* Episcopatus solus Papa unire potest. *cit. cap. sicut unire. 8. de excess. Prælat. 7timo.* Episcopus beneficia propriâ authoritate mensæ suæ vel mensæ Capituli unire non potest. *cit. Clement. si una. 2. de rebus Eccles. non alienand.*

5to. Ut unio legitimè fiat, sequentes requiruntur conditiones : *1ma.* Ut adsit causa utilitatis, vel necessitatis. *cap. exposuisti. 33. de præbend. 2da.* Ut prævia causæ fiat cognitione. *3tia.* Ut omnes, quorum interest, vocentur,& audiantur. *Trid. Sess. 7. de reform. cap. 6.* Consensus tamen Rectoris vel possessoris beneficii non requiritur ; fit enim sine illius præjudicio , cùm unio non sortiatur effectum, usque dum morte vel alio modo beneficium dimiserit. *cap. consultationibus. 4. de donation. 4ta.* Juxta Regulas Cancellariæ valor beneficii uniendi est exprimendus.

6to. Qui Ecclesias unire possunt, unitas quoque dissolvendi habent potestatem : ut quando per unionem tollitur hospitalitas , vel regularis fit dissolutio disciplinæ. *cap. novit ille. 1. ne Sede vacante.* Quando cessat causa factæ unionis, si unio Ecclesiis nocere incipiat. *cap. suggestum. 9. de decimis.*

Quæres *undecimo.* Quid circa commendam observandum ? ℟. *1mo.* Nomine commendæ hìc non intelligitur commenda , quæ in Ordinibus militaribus esse solet , sed hæc habet rationem beneficii regularis , cujus Rector Commendator.

2do. Commenda est alicui concessa Ecclesiæ custodia. *Gloss. in cap. nemo de elect. in 6. verb. commendare.* Cùm enim antiquitus Ecclesiæ vacanti statim idoneus Rector præfici non posset , ea viro cuidam probo & fideli , qui illius interea curam tanquam Custos & Tutor haberet , commendabatur. *can. constitutum. 22. caus. 7. q. 1.* Erat Procurator in temporalibus & spiritualibus , & exceptâ bonorum immobilium alienatione, & exercitio eorum , quæ consecrationem exigunt, omnia poterat, quæ proprius Pastor. *cap. is cui. 42. de elect. in 6.* Ex reditibus Ecclesiæ commendatæ faciebat sumptus , subministrabat alimenta, debita solvebat, &c.

3tio. Commenda 2plex est : temporalis & perpetua. Temporalis est, quando alicui ob Ecclesiæ utilitatem beneficium ad tempus in custodiam datur, & Commendatarius ex beneficii fructibus alimenta & expensas in temporariæ administrationis retributionem accipit. Tali modo Episcopus commendam Ecclesiæ parochialis, non tamen ultra sex menses, dare potest. *cap. nemo. 15. de elect. in 6.* Quod correctum esse per Trident. declaravit S. Congregatio : Commendæ, quæ ad sex menses in Ecclesiis parochialibus sive curatis ab Ordinariis fieri poterant, juxta *cit. cap. nemo.* amplius post Concilium locum non habent, cùm in iis deputari debeat Vicarius ad formam *capitis 18. Sess. 24. de reform.* Per commendam temporalem non datur titulus, nec jus in re, nec ad rem. *Gloss. in can. qui plures. 3. caus. 21. q. 1. cap. si constiterit, 12. de accusat.*

4to. Commenda perpetua est , quæ con-

concedi solet in favorem certæ personæ cum facultate plenè disponendi de beneficio ac Beneficiariis. Eam solus Papa concedit, & est titulus Canonicus. *cap. dudum. 54. de elect.* Et reverà est palliata dispensativa provisio incapaci per Canones facta, ùt imprimis, si habenti unum beneficium in titulum de alio incompatibili provideatur in commenda. *cit. cap. dudum. can. fin. caus. 21. q. 1.* Cùm enim sicut quis duas uxores simul habere nequit, ita quoque titulum duorum beneficiorum incompatibilium habere non potest, ideo dat Papa unum in sponsam, alterum in commendam; quare optimè respondit conscientiosus Episcopus oblatâ in commendam Abbatiâ: Absit, ut cum sponsa habeam concubinam. Deinde dum sæculari de beneficio providetur Regulari, vel econtra. Terriò dum minori 18. annis de beneficio curato providetur, illi Ecclesia ad 8. vel 10. annos in commendam, & postea in titulum confertur.

5to. Primus Author commendarum perpetuarum & in favorem personæ refertur fuisse Leo IV. Mala, quæ ex his commendis in Rempublicam derivantur, graphicè describit *Rebuff. in praxi beneficiaria. tit. de commenda.* Hunc commendarum abusum in semetipso correxit Clemens V. postquam infirmitate periculosâ visitatus ab Omnipotente prospexit evidenter, ùt ipsemet refert *in Extrav. ex supernæ. de præbend. inter comm.* quòd Ecclesiarum & monasteriorum commendatorum cura negligatur, bona & jura dissipentur, ac subjectis eis personis & populis spiritualiter plurimùm & temporaliter derogetur, eisque redundent ad noxam, quæ dicebantur cedere in profectum. Idem agnoverunt Patres Concilii Lateran. sub Leone X. *Sess. 19.* ùt refert *Fagn. in cap. cum ad nostram. de elect.* "Quoniam ex commendis monasteriorum, ùt magistra rerum "experientia sæpe docuit, monasteria "ipsa tam in spiritualibus, quàm in temporalibus graviter læduntur, quippe "quorum ædificia partim Commendatariorum negligentiâ, partim avaritiâ "vel injuriâ collabuntur, & indies Divinus cultus in his magis diminuitur, "passimque obloquendi materia personis præsertim sæcularibus præbetur, "non absque dignitatis Sedis Apostolicæ "diminutione, à qua commendæ hujusmodi proficiscuntur. Ut eorum indemnitati salubriùs consulatur, volumus, ac sancimus, ut cum illa per "obitum Abbatum, qui illis præerant, "vacaverint, nullo pacto cuipiam possint commendari." Ibidem quoque constituitur, ut Abbates Commendatarii, licèt Cardinales, si in monasterio commendato mensa Abbatialis distincta à mensa Conventuali, quartam partem mensæ Abbatialis pro instauratione fabricæ, pro ornamentis sacris vel pauperibus applicare, si verò mensa Abbatialis cum Conventuali communis, tertiam omnium fructuum partem pro supradictis oneribus, & sustentatione Religiosorum impendere teneantur.

6to. *Trident.* quidem expressè has commendas perpetuas non reprobavit, dum eorum mentionem facit *Sess. 21. de reform. cap. 7. Sess. 25. de Regul. cap. 20.*

Imò *Sess. 14. de reform. cap. 10.* dum beneficia Regularia conferri sæcularibus prohibet, expresè addit: *In titulum.* Ut concessio per viam commendæ excluderetur. Attamen haud dubium est, quin tacitè commendas reprobet; nam *1mo. Sess. 7. de reform. cap. 4.* submovet unam ex principalibus commendæ causis: "Quicunque de cætero plura curata "aut aliàs incompatibilia beneficia Ec- "clesiastica, sive per viam unionis ad "vitam, sive commendæ perpetuæ, aut "alio quocunque nomine & titulo con- "tra formam sacrorum Canonum & "præsertim constitutionem Innocent. III. "quæ incipit: *De multa.* recipere, ac "simul retinere præsumpserit, benefi- "ciis ipsis juxta ipsius constitutionis di- "spositionem ipso jure, etiam præsentis "Canonis rigore, privatus existat."

Clariùs *Sess. 25. de Regular. cap. 21.* ad intentum nostrum disponit, quæ dispositio ad minus consultiva esse ab omnibus admittitur; cavetur scilicet, ut iis monasteriis, quæ tunc commendata reperiebantur, & suos Conventus habebant, Regulares personæ ejusdem Ordinis præficerentur, quæ verò imposterum vacabunt, nonnisi Regularibus conferantur. Eodem loco præceptivè decernit, ut in monasteriis, quæ capita sunt ac Primates Ordinum, sive Abbatiæ, sive Prioratus filiæ eorum Capitum nuncupentur, teneantur illi, qui in præsenti ea in commendam obtinent, nisi sit eis de Regulari Successore provisum, infra sex menses Religionem illorum Ordinum propriam solemniter profiteri, aut eis cedere, aliàs commendæ prædictæ ipso jure vacare censeantur.

7timo. Loco coronidis notandum consilium *Bernardi ab Espen. p. 1. Juris Ecclesiast. tit. 30. n. 54.* Ad Abbates Laicos & Commendatarios excludendos nihil efficacius vel convenientius esse potest, quàm ut in ipsis monasteriis perfecta bonorum ac proventuum communio habeatur, relictâ distinctione vel separatione mensæ Abbatialis à Conventuali, quæ distinctio pro magna parte occasionem commendis subministravit. Deinde ut juxta leges Ecclesiæ, intentionem Fundatorum, nec non Regulas Professionis monasticæ proventibus monasteriorum ita moderatè Abbates utantur, ut in omni ipsorum suppellectili vel domo nihil appareat à professione paupertatis alienum, & quod mundi fastum redoleat, & quod reliquum fuerit, in Christianam hospitalitatem ac pauperum alimoniam impendant, ut hoc pacto re ipsâ ostendant bona monasteriorum esse patrimonium pauperum, quod sine sacrilegio in usus profanos impendi non possit.

Quæres *duodecimo.* Qualiter per triennalem possessionem acquiritur beneficium? R. Pacifica per triennium beneficii possessio cum colorato titulo vim justi & legitimi tituli obtinet, ex Regula *Cancellariæ de triennali possessione*, quæ sic habet: "Quòd si quicunque Ecclesiastica "beneficia, qualiacunque sint absque "simoniaco ingressu ex Apostolica & or- "dinaria collatione, vel electione, vel "electionis hujusmodi confirmatione, "seu præsentatione & institutione illo- "rum, ad quos beneficiorum hujusmo- "di collatio & provisio, electio, præ- "sentatio,

"sentatio, vel quævis alia dispositio per-"tinet, pacificè possederit, super iis-"dem beneficiis taliter possessis nequeant "molestari." Per quam Regulam titulo colorato cum possessione pacifica triennali beneficium canonicè obtinetur; hic enim titulus pro institutione Canonica habetur, ne lites super beneficiis sint immortales. Requiritur autem *1mo.* Possessio per triennium completum, nec Prædecessoris possessio, ùt in præscriptionibus, continuatur.

2do. Pacifica. Hoc est: ita, ut nullam controversiam sive judicialem sive extrajudicialem super beneficio possessio passa fuerit.

3tio. Ab initio possessionis coloratus titulus esse, & talis per totum triennium manere debet: titulum autem coloratum habere dicitur, qui titulum obtinet ab eo, ad quem beneficii pertinet dispositio, sed ex defectu aliquo accedit, ut collatio sit invalida, v. g. est facta collatio ab eo, cui ab Executore Apostolico erat interdictum, ne conferret. *cap. si soli. 6. de conces. præbend. in 6.* Si electio vitium habens facta fuit ab habentibus eligendi potestatem. Si quis sine præsentatione patroni in beneficio patronato est institutus, hi habentes titulum coloratum per triennalem possessionem pacificam beneficium acquirunt. Econtra illi, qui talem titulum habent ab iis, qui conferendi carent potestate. *cap. ex frequentibus. 3. de institut.* vel qui beneficia propriâ invaserunt authoritate. *cap. eum qui. 18. de præbend. in 6.* vel titulo priùs legitimè habito sunt privati, & nihilominus beneficia retinuerunt, vel habent quidem titulum ab habentibus conferendi facultatem, sed sunt interdicti vel excommunicati, violenti & intrusi dicuntur possessores. *cap. cum dilectis. 15. de purgat. canon.* nec triennali juvantur possessione.

§. Quartus.

De Modis, quibus Beneficia amittuntur.

QUæres *primo.* Quot modis vacant beneficia? R. *1mo.* Beneficium vacare dicitur, quod à nemine possidetur vel occupatur, sive de novo sit creatum, & à nullo antea possessum, sive post collationem suo Rectore sit destitutum.

2do. Præcipui modi, quibus beneficium vacat, sunt sex: Mors, renuntiatio, promotio ad aliud incompatibile, matrimonium, Religionis ingressus, & privatio.

Quæres *secundo* Quo modo per mortem vacant beneficia? R. Beneficium mortuo Beneficiato ita vacat, ut alteri conferri possit. *cap. susceptum. 6. de rescript. in 6. cap. ne captandæ. 3. de conces. præbend. in 6.* Fiunt sequentes exceptiones: *1mo* quando beneficium à legitimo Superiore suppressum, vel accessoriè alteri unitum. *cap. cum accessissent. 8. de constitut. 2do* quando in aliqua Ecclesia non est certus & definitus præbendarum numerus,

merus, tunc uno ex Canonicis mortuo beneficium non vacare dicitur. *cap. ex parte. 10. de conceſſ. præbend. 3tio* quando de menſa Prælati eſt beneficium, tunc per mortem Rectoris vel Vicarii non dicitur vacare.

Quæres *tertio*. Qualiter per adeptionem ſecundi beneficii vacat? R. Quandocunque beneficium ſecundum cum primo eſt incompatibile, vacat primum beneficium. Circa quod quotidie obvium obſervanda ſunt ſequentia:

1mo. Beneficiato duo vel plura beneficia qualiacunque, ſi unum ad commodam & honeſtam ſufficiat ſuſtentationem, obtinere vel retinere non eſt permiſſum. Conſtat *ex can. 2. diſt. 70. can. 1. cauſ. 13. q. 1. can. 1. & 2. cauſ. 21. q. 1. cap. cum adeò. 17. cap. poſtulâſti. 27. de reſcript. cap. quia in tantum. 5. de præbend. Trid. Seſſ. 24. de reform. cap. 17.* Ratio eſt; quia hoc naturali ſimul & Divino adverſatur juri, quod exigit, ut ſicut unus unam carnalem habeat conjugem, ita etiam unam ſponſam ſpiritualem. *can. ſicut. 4. cauſ. 21. q. 2.* Repugnat Juri Canonico, juxta quod ſingula beneficia ſingulos miniſtros requirunt. *cap. cum ſingula. 32. de præbend. in 6.* Repugnat fini beneficiorum, quia non poteſt quis ſimul pluribus Eccleſiis, ſicut par eſt, deſervire. *cap. quia nonnulli. 3. de Cleric. non reſident.* Contrariatur intentioni Fundatorum; ii enim plura beneficia pro pluribus Clericis fundaverunt, & multiplicârunt beneficia, ut Eccleſiæ multiplicarentur miniſtri. Eſt contra juſtitiam diſtributivam, quæ exigit, ut non paucis, ſed pluribus dignis & idoneis bona communia diſtribuantur. Repugnat bonis moribus; quia multiplicatio beneficiorum in eadem perſona ex radice ambitionis oritur, dat cauſam luxûs & diſſolutionis, minuit Divinum cultum, uni applicat ſtipendia, quæ multis viris probis ſufficerent ad ſuſtentationem. Unde juſtè conqueritur *Trident. loc. cit.* his verbis: "Multi improbæ cupiditatis affectu "ſe ipſos, non DEUM decipientes, ea, "quæ bene conſtituta ſunt, variis arti"bus eludere, & plura ſimul beneficia "retinere non erubeſcunt." Ex quibus ſequitur, quòd nullâ conſuetudine, privilegio, vel diſpenſatione multiplicatio beneficiorum in eadem perſona induci poſſit, quia conſuetudo juri naturali repugnans eſt potiùs corruptela. *cap. ex parte. 10. & cap. fin. de conſuetud.* Privilegium contra jus Divinum & naturale conceſſum non diſpenſatio ſed diſſipatio eſt: ideóque Beneficiatus plura beneficia retinens ex diſpenſatione eſt quidem liber à pœnis jure poſitivo ſtatutis, nequaquam tamen in conſcientia liber & tutus exiſtit.

2do. Quamvis generaliter ſit illicitum habere plura beneficia; quorum quodlibet ad honeſtam & congruam ſufficit ſuſtentationem, quia tamen id tam intrinſecè malum non eſt, ut nullâ occurrente circumſtantiâ cohoneſtari poſſit, hinc beneficia alia ſunt incompatibilia, quæ ex natura ſua ſimul poſſideri non poſſunt, ita quidem, ut obtento ſecundo vacet primum, vel quamvis ſecundo obtento ipſo jure primum non vacet, ſecundum tamen cum primo abſque diſpenſatione retineri nequeat. Alia ſunt com-

compatibilia, quæ, quantùm est de se, simul sine dispensatione haberi possunt, eò quòd ab uno eorum satisfieri possit officiis.

Quæres *quarto*. Quænam beneficia incompatibilia? R. *1mo*. Beneficia curata, ùt dignitas, Personatus, Parochiæ, Vicariæ curatæ perpetuæ. *cap. dudum. 54. de elect. cap. referente 7. cap. præterea. 14. cap. ad hæc. 13. cap. de multa. 28. de præbend.* Ita ut juxta *Extrav. Execrabilis. unic. de præbend.* qui dignitatem, personatum, officium vel beneficium curam animarum habens annexum receperit, si ante simile obtinebat, quod non dimiserit, sit ipso jure etiam secundo privatus, & inhabilis ad quodcunque beneficium aliud obtinendum, & ulteriores Ordines suscipiendos, posteriora quoque beneficia, quæ ob illicitam retentionem prioris beneficii vacant, sunt Papæ reservata.

2do. Duo beneficia etiam simplicia uniformia sub eodem tecto vel in eadem Ecclesia. *cap. literas. 9. de conces. præbend. Clement. fin. de præbend.* Et videtur major repugnantia esse inter duo beneficia uniformia sub eodem tecto, quàm inter duo beneficia curata; quia potest quis obtinere duo beneficia curata unum per se & alterum accessoriè, v. g. Dignitatem Decanatûs, cui accessoriè annexa vel unita Ecclesia Parochialis. *cap. super eo. 6. de præbend. in 6*. Duos tamen Canonicatus sub eodem tecto unum per se & alterum accessoriè, ùt Canonicatum in Ecclesia, & Parochiam, cui in eadem Ecclesia præbenda est annexa, nemo obtinere potest.

3tio. Duo beneficia simplicia continuam residentiam exigentia, aut unum curatum, & alterum simplex continuam residentiam exigens. *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 17*.

Gravis est quæstio, an per adeptionem secundi Canonicatûs prior continuam residentiam exigens ipso jure vacet. *Fagn. in cap. de multa. de præbend.* Affirmativam sustinet, quod probat ex decreto *Concilii Trident. Sess. 7. cap. 4. de reform.* "Quicunque de cætero plura "curata aut aliàs incompatibilia beneficia "Ecclesiastica contra formam sacrorum "Canonum & præsertim Constitutionis "Innocent. III. quæ incipit: *De multa.* "recipere ac simul retinere præsumpse- "rit, beneficiis ipsis juxta ipsius Consti- "tutionis dispositionem ipso jure, etiam "præsentis Canonis vigore privatus exi- "stat." Alii tamen adhuc negativam tuentur, decretum *Tridentini* de solis curatis incompatibilibus explicantes.

4to. Duo beneficia Regularia non subordinata; Religiosus enim duorum monasteriorum non subordinatorum membrum esse nequit, nec Religiosus unius monasterii beneficium alterius monasterii non subordinati obtinere potest. *cap. cum singula. 32. de præbend. in 6*.

Quæres *quinto*. Quid requiritur, ut per adeptionem secundi incompatibilis vacet primum? R. *1mo*. Ut adeptio possessionis secundi sit pacifica, vel saltem per provisum stet, quò minùs eam adipiscatur. *cap. de multa. 28. de præbend. cap. licet. 28. eod. in 6*.

2do. Ut provisus non tantùm pacificam possessionem tituli, vel exercitii v.g.

curæ, sed etiam bonorum & fructuum beneficii habeat, ita, ut si alius ex justa causa fructus percipiat, beneficium primum ipso jure non vacet. *cap. si tibi. 26. de præbend. in 6. junct. gloss.* Est tamen perinde, sive jure, sive per vim & violentiam secundum beneficium incompatibile obtineatur. *cap. eum qui. 18. de præbend. in 6.* Quia non decet, ut stultus melioris, quàm peritus, sit conditionis.

3tio. Non tantùm primum, sed etiam secundum incompatibile per dispensationem obtentum vacat in adeptione tertii incompatibilis. *Clement. si plures. 3. de præbend.* quia illæ plures dignitates per dispensationem erant unius loco dignitatis.

4to. Omnia beneficia etiam simplicia personalem residentiam non exigentia vacant, postquam Episcopus pacificam Episcopatûs possessionem adeptus & consecrationem suscepit, vel trimestre elapsum, intra quod consecrationem suscipere debebat. *cap. cum in cunctis. 7. §. cum verò. de elect.*

Quæres *sexto.* Quis in pluralitate beneficiorum incompatibilium dispensat?

R. Solus Papa, sive sint curata, sive simplicia, sub eodem tecto, vel continuam residentiam exigentia. Ratio est; quia in Decretis *Tridentini* Episcopi non dispensant, nisi id exprimatur, hoc autem ita disponit *Sess. 24. de reform. cap. 17.* "Ut imposterum unum tantùm beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri."

Quæres *septimo.* An ut quis plura beneficia obtineat, quorum quodlibet ad honestam sustentationem sufficiat, dispensari valeat?

R. Quia multiplicatio beneficiorum ad honestam proportionaliter sustentationem sufficientium juri naturali, Divino, & positivo repugnat, nullâ consuetudine, privilegio vel dispensatione à peccato potest excusari; nam

1mo repugnat bonis moribus, cùm ex ambitione oriatur, causam luxui & dissolutioni præbeat, cultum Divinum minuat, stipendia, quæ multis viris probis ad sustentationem sufficerent, uni applicet, ita, ut plura obtinens beneficia furtum & rapinam committere dicatur *in cap. dudum. 54. §. & retinendo, de elect.*

2do. Repugnat juri naturali, sicut enim vir unam tantùm potest habere uxorem carnalem, ita Clericis unicam tantùm Sponsam vel Ecclesiam. *Arg. can. sicut. 4. caus. 21. q. 2.* Quàm pauci sunt, qui respondeant cum Episcopo, cui præter Episcopatum offerebatur Abbatia: Absit, ut habeam cum sponsa concubinam.

3tio. Repugnat Juri Canonico; quia singula officia singulis personis sunt committenda. *cap. cum singula. 32. de præbend. in 6.* Nec quis, ùt par est, pluribus simul Ecclesiis deservire potest. *cap. quia in tantum. de præbend.* Cùm quis unum vix dignè valeat implere beneficium. *cap. quia nonnulli. 3. de Cleric. non resident.* Notanda sunt, quæ dicit Alexand. III. *in cit. cap. quia in tantum:*

Mul-

Multitudo præbendarum Canonibus inimica, dissolutionis materiam & evagationis inducit, certúmque continet periculum animarum.

4to. Repugnat juri civili, quia unus & idem pluribus militiis adscribi non debet.

5to. Repugnat intentioni Fundatorum, qui plura beneficia pro pluribus Clericis fundaverunt, ut Ministri Ecclesiæ multiplicarentur, & Divinus augeretur cultus.

Demum repugnat justitiæ distributivæ, quæ exigit, ut non paucis sed pluribus dignis & idoneis bona communia distribuantur.

Quæres *octavo.* Qualiter per matrimonium vacat beneficium?

℟. Si Clericus in minoribus constitutus de facto matrimonium contrahat, eo ipso omnia ejus beneficia vacant. *cap. 1. cap. quod à te. 3. cap. diversis. 5. cap. cum decorem. 8. de Clericis conjug.* Ratio est: quia ex consuetudine Ecclesiæ Clerico datur beneficium sub tacita conditione: ne incompatibilem matrimonii statum ineat; in Clericorum enim conversatione cythara cum psalterio malè concordat, & dum vir cogitat, quomodo placere possit uxori, minus quæ DEI sunt, valet cogitare, ùt dicit *cap. diversis. cit.* Ideo ineundo matrimonium tacitè beneficio renuntiat, plus enim est factis demonstrare, quàm verbis dicere. *cap. dilecti. 52. de appellat. junct. gloss.* Sed quid si Clericus invalidè contrahat matrimonium?

℟. *2do.* Si matrimonium à Beneficiato contractum sit invalidum, distinguendum est: Vel Beneficiatus contrahens sciebat impedimentum, vel nesciebat: si sciebat, multi sustinent beneficium non vacare; quia scienter invalidè contrahens nihil agit, imò nec sinceram intentionem contrahendi habere videtur, quod magis verum est, si matrimonium ex parte Beneficiati ob defectum consensûs, ùt, quia ex metu vel fictè contraxit, nullum fuerit. Si nesciebat impedimentum, vacat beneficium, quia veram & ex parte sui habuit efficacem nubendi, & statum cum beneficio incompatibilem eligendi intentionem, & consequenter tacitè ipso facto renuntiavit beneficio. Simile est *in cap. nuper. 4. de bigamis.* ubi declaratur bigamus quidam viduus in sacris constitutus, eò quòd de facto secundum matrimonium quamvis invalidè contraxisset, ob rationem: quia in matrimoniis contrahendis non juris effectus, sed animi destinatio attenditur.

Quæres *nono.* Qualiter per Religionis ingressum vacat beneficium?

℟. Per Religionis ingressum Professione secutâ ipso jure vacat beneficium. *cap. beneficium. 4 de Regular. in 6.* Ante Professionem beneficio renuntiari non potest, nisi juxta formam præscriptam *à Trident. Sess. 25. de Regul. cap. 16.*

Quæres *decimo.* Qualiter per privationem ob crimen vacant beneficia?

℟. Dupliciter vacant per privationem. *1mo.* Ipso jure, quando scilicet possessor beneficii eo ipso, quo crimen committit, illud amittit, ita ut alteri, licèt de facto possessionem ejusdem retineat, conferri valeat. *cap. licet. 28. de præbend. in 6.* nullum crimen licèt gravissimum, & privatione

vatione dignum beneficii vacationem ipso jure inducit, nisi in lege inveniatur expressum.

2do. Per sententiam Judicis privativam vacat beneficium, quando fundamentum vacationis est crimen, ipsum tamen beneficium non vacat, antequam Judex in vindictam commissi criminis beneficio de facto privat. Inter hos duos privationis modos notabiles reperiuntur differentiæ:

1ma. Beneficia ipso jure vacantia ob crimen ante sententiam Judicis condemnatoriam conferri & impetrari possunt. *cit. cap. licet. junct. gloss.* Sed post impetrationem sufficit, ut impetrans, si possessor se opponat, causam vacationis dicat, & probet. Secus dicendum, quando criminosus beneficio per sententiam est privandus; tunc enim ante sententiam beneficium non vacat, nec impetrari vel conferri potest.

2da. Ad dignoscendum, an beneficium vacet in mense Pontificis, vel mense Ordinarii, quando crimen ipso jure privat, tempus commissi criminis, non autem tempus amotionis à possessione beneficii est inspiciendum: econtra in privatione beneficii per sententiam Judicis tempus latæ sententiæ privationis attendendum.

3tia. Ob crimen ipso jure privatus beneficio in foro poli sive conscientiæ beneficium dimittere, ejusq; fructus à die commissi criminis perceptos saltem post sententiam criminis declaratoriam restituere tenetur. Privatus per sententiam Judicis omnes fructus ante eam perceptos retinere potest.

4ta. Privatus ipso jure beneficio illud resignare, aut alio modo de ipso disponere nequit: econtra Beneficiatus, qui crimen, ob quod beneficio privandus, commisit, illud renuntiandi, permutandi &c. habet facultatem.

Quæres *undecimo.* An in foro poli vel conscientiæ Beneficiatus, qui crimen, ob quod beneficio ipso jure privatus, admisit, possessionem beneficii usque ad sententiam criminis declaratoriam retinere valeat?

℟. Duplex est circa hanc quæstionem sententia: *1ma* docet privationem beneficii ipso jure in pœnam commissi criminis in foro conscientiæ ante declaratoriam Judicis sententiam de crimine commisso non obligare, eò quòd hæc pœna externam executionem scilicet dimissionem beneficii possessi requirat, adeóque subintrat dispositio. *cap. cum secundum. 19. de hæret. in 6.* Juxta quod quamvis per crimen hæresis ipso facto omnibus bonis privetur, hæreticus tamen bona ante sententiam Judicis declaratoriam in conscientia dimittere non tenetur.

2da sententia est communior, quæ docet committentem crimen, ob quod ipso jure beneficio est privatus, teneri illud in conscientia dimittere etiam ante declaratoriam criminis sententiam; quamvis enim in pœna amissionis propriorum bonorum lex pœnalis non obliget, ut criminosus ante sententiam declaratoriam criminis illius in se sit executor, attamen in bonis communibus, qualia sunt beneficia, delinquentem ad illa ante omnem sententiam dimittenda lex obligare potest, cùm bona communia particulariter à lege Ecclesiæ dependere dignoscantur. Quæ-

Quæres *duodecimo*. Quænam crimina ipso facto inducunt privationem beneficii?

℟. *1mo*. Simonia realis & conventionalis, ob quam Clericus non tantùm beneficio adepto, sed etiam aliis beneficiis jam legitimè possessis privatur. *can. sanè quisquis. 4. caus. 15. q. 3. cap. inquisitionis. 21. de accusat. Extrav. cum detestabile. 2. de simon. inter com.* Idem per Constitutiones Pii IV. & V. est de simonia confidentiali.

2do. Crimen hæresis. *cap. quicunque. 2. cap. ut commissi. 12. cap. cum secundum. 19. de hæret. in 6.*

3tio. Crimen falsi in literis Apostolicis. *cap. ad falsariorum. 7. de crimine falsi.*

4to. Percussio vel captio Cardinalis *cap. felicis. 5. de pœnis. in 6.* vel Episcopi à proprio Clerico facta, qui privatur beneficiis à capiente in Ecclesia Episcopi capti obtentis. *Clement. 1. de pœnis.* Item si Beneficiatus Rectorem suæ Ecclesiæ aut alium ejusdem Ecclesiæ Clericum mutilet, vel occidat. *Arg. cap. in quibusdam. 12. de pœnis.* Item qui Clericum capit, donec resignet beneficium, vel ut citatus ad Romanam Curiam venire non possit.

5to. Crimen Assasinii commissum, procuratum vel mandatum. *cap. 1. de homicid. in 6.*

6to demum nefandum Sodomiæ scelus, ex Constitutione S. Pii V.

§. Quintus.

DE

Actionibus & Judiciis beneficiariis.

QUia ratione cupiditatis, ambitionis & fraudis humanæ lites in materia beneficiorum sunt infinitæ, pauca Tyroni sufficientia in præsenti dicemus.

Quæres *primo*. Quodnam beneficium pacificè dicitur possideri?

℟. Cui nec in- nec extra judicium quæstio juris aut facti movetur. *Arg. cap. cum olim. 7. de dolo & contumacia. cap. ex parte. 7. de testibus. Gloss. in Clement. gratiæ. de rescriptis.* Beneficium per triennium pacificè possessum nec in possessorio nec in petitorio per Regulam Cancellariæ 33. controverti potest.

Quæres *secundo*. Quodnam beneficium dicitur litigiosum? ℟. De cujus dominio vertitur quæstio inter petitorem & possessorem judiciariâ contentione, vel precibus Principi aut Judici oblatis, & per eum reo futuro cognitis. *Gloss. in cap. 1. ut lite pendente. in 6. verb. litigantibus.*

Quæres *tertio*. Quot modis de beneficio litigari potest?

℟. Omnis lis super beneficio est vel de possessione, vel de proprietate beneficii, vel de utroque; nam utrumque simul conjungi potest. *cap. cum dilectus. 6. de caus. possess. & proprietat. Clement. unic. eod. tit.*

Quæres *quarto*. Quot modis in judicio agitur de beneficii possessione?

℟. Tribus. Vel enim agitur, ut possessio beneficii obtineatur, vel ut perdita recuperetur, vel ut habita retineatur.

Quæres *quinto*. Quomodo agitur ad obtinendam beneficii possessionem?

℟. Ut obtineatur possessio beneficii, agit interdicto adipiscendæ possessionis is, qui beneficii habet titulum, alio habente possessionem, in quam intitulatus induci non potest, nisi possessore coram Judice vocato ad relinquendam occupatam detentionem. *cap. licet Episcopus. 28. de præbend. in 6.* Qui enim ex aliquo titulo licèt injusto possidet, sine causæ cognitione titulo privari nequit. *can. volumus. 2. caus. 16. q. 4.* Et ita intelligendi sunt textus *in cap. in literis. 5. de restitut. spoliator. cap. ad ultimum. 2. de caus. possess. & proprietat.*

Quæres *sexto*. Qualiter agitur ad recuperandam possessionem?

℟. Ut recuperet possessionem, agit interdicto possessionis recuperandæ is, qui possessione beneficii fuit spoliatus; nam si habens Canonicum titulum alio possidente possessionem authoritate propriâ nanciscatur, jus, quod habet, tanquam intrusus amittit. *cap. eum, qui. 18. de præbend. in 6.* Et adversarius interdicto recuperandæ possessionis tanquam spoliatus uti potest. *cit. cap. in literis. 5. de restitut. spoliator.* Et priùs de spoliatione quæritur, quàm de titulo, cùm spoliatus ante omnia sit restituendus. *can. 1. & 2. caus. 3. q. 1. Clement. unic. de caus. poss. & proprietat.*

Quæres *septimo*. Quomodo agitur ad retinendam possessionem? ℟. Ut retineatur possessio beneficii, agit interdicto retinendæ possessionis, cujus jus in possessione potentius, quia causa possessionis priùs est discutienda, quàm ad judicium proprietatis perveniatur. *cap. fin. de judiciis.*

Quæres *octavo*. Quæ forma in processu judiciali de beneficio servanda?

℟. Procedendum est de plano sine strepitu & figura judicii. *Clement. 2. de judic.* Quos terminos explicat *Clement. sæpe contingit. 2. de verb. signif.* "Judex (summariè seu de plano procedens) necessario libellum non exigat, litis contestationem non postulet, in tempore etiam "Feriarum ob necessitates hominum inductarum à jure procedere valeat, amputet dilationum materiam, litem, "quantò poterit, faciat breviorem, exceptiones, appellationes dilatorias & "frustratorias repellendo, partium, Advocatorum & Procuratorum contentiones & jurgia, testiumque superfluam multitudinem refrænando. Non "sic tamen Judex litem abbreviet, quin "probationes necessariæ & defensiones "legitimæ admittantur."

Quæres *nono*. An in causis beneficiariis pleno judicii ordine procedi possit?

℟. Licèt summus Pontifex dispendiosam prorogationem litium, quam interdum ex subtili Ordinis judiciarii observatione causarum docet experientia provenire, restringere volens statuerit, ut in causis super præbendis seu quibusvis beneficiis Ecclesiasticis procedi valeat de cætero simpliciter, & de plano, & sine strepitu judicii, & figura. *Clement. dispen-*

dispendiosam. 2. de judic. Si tamen his casibus solemnis ordo judiciarius in toto, vel in parte non contradicentibus partibus observetur, non erit processus propter hoc irritus, nec etiam irritandus. *cit. Clement. sæpe contingit. in fine.*

Quæres *decimo.* Quis in lite beneficiali Judex?

R. Lis de beneficio coram Judice Ecclesiastico agitari debet. *cap. 3. de foro competent.* Nec enim Judices Laici rebus Ecclesiæ se immiscere debent. *cap. decernimus. 2. de judic. cap. cum Laicis. 12. de rebus Eccles. non alienand.* Attamen in pluribus locis Judex Laicus cognoscit, si agatur interdicto retinendæ & recuperandæ possessionis, cùm quid temporale dicant esse possessorium. *Arg. cap. causam. 7. qui filii sint legitimi.*

Quæres *undecimo.* Quis Judex cognoscit de interdicto adipiscendæ possessionis?

R. Quia, dum agitur de interdicto adipiscendæ possessionis, causæ cognitio constitit in discussione, an petens habeat collationem Canonicam, & detinens possessionem obtineat justam, interdictum adipiscendæ possessionis plus habet petitorii, quàm possessorii, ac proinde de eo non cognoscit Judex, qui tantùm de beneficiorum possessione, & non de proprietate cognoscendi habet authoritatem.

Quæres *duodecimo.* An in lite beneficiaria juramentum calumniæ præstandum?

R. Quamvis *in cap. literas. 7. de jurament. calumn.* dicatur: "Quòd in casibus, in quibus de Ecclesiis, decimis, "& rebus spiritualibus agitur, juramentum calumniæ nec dare nec recipere "consueverit Ecclesia Romana, eò quòd "tales causæ non ex legum districtione, "sed ex Canonum æquitate finem debitum sortiantur;" hæc tamen constitutio correcta est *per cap. 1. eod. in 6.* ùt innuit *Gloss. in cit. cap. literas. verb. literas.* Ibi enim ita statuit Bonifacius VIII. "Quamvis in causis spiritualibus Canones non indicant alicui calumniæ juramentum, nos tamen, quia frequenter "calumniari videmus, in ipsis utile reputamus, quòd simul tam de veritate "dicenda, quàm de calumnia, ut via "præcludatur calumniis, jurari debeat "in iisdem." Porrò calumniæ juramentum non tantùm præstandum, dum pleno judiciario proceditur Ordine, sed etiam quando de plano sine strepitu & figura agitur judicii. *Clement. sæpe contingit. 2. de verb. signif.*

TITULUS ULTIMUS.

DE

REGULARIBUS.

FUsissimam hanc materiam, ut Tyronum captui accommodetur faciliùs, & via ad veritatem pateat apertiùs, in quinque contraximus §phos, acturi §. *1mo* de Regularibus in communi. *2do* de ingressu Religionis. *3tio* de voto in communi. *4to* de Professione Religiosa. *5to* de obligationibus Religiosorum, huic Libro per appendicem de Monialibus finem imposituri.

§. Primus.

DE

Regularibus in communi.

QUæres *primo*. Unde nomen Regularis?

℟. Derivatur à Regula; ita omnes Clerici à primæva institutione appellantur Regulares vel Canonici, ob Canonem vel Regulam Ecclesiasticam, cui erant astricti. *can. si qui verò. 3. & seqq. dist. 32.*

Quæres *secundo*. An in primitiva Ecclesia omnes Clerici fuerint Religiosi?

℟. Vivebant tunc quidem omnes Clerici sub Regula cum Episcopo in communi, clausurâ, paupertate, & obedientiâ, ùt constat *ex Canon. dilectissimi. 2. can. necessaria. 3. can. quia tua fraternitas. 8. caus. 12. q. 1. can. in omnibus. 34. de consecrat. dist. 5.* Et ad talem vitam communem hortatur Gregor. VII. *in cap. quoniam. 9. de vita & honest. Cleric.* Non tamen omnes erant Religiosi, quia non se omnes ad communem vitam & obedientiam per votum astringebant, sed quamvis ex communi Ecclesiæ patrimonio viverent, patrimonia tamen sæcularia privata habere poterant, unde inter Clericos sæculares & Regulares facta est distinctio.

Quæres *tertio*. Quid est Religio?

℟. Religio 3pliciter sumi potest: *1mo* pro virtute, quâ DEO debitus exhibetur cultus. *2do* pro communitate, quæ DEUM per fidem & opera bona colit, unde Christiana dicitur Religio. *3tio* pro Statu Religioso, qui est stabilis modus vivendi in communi editis tribus votis substantialibus, perpetuæ castitatis, paupertatis & obedientiæ ad Christianæ tendens perfectionem charitatis.

Quæ-

Quæres *quarto*. Quæ ad ſubſtantiam Statûs Religioſi requiruntur conditiones? R. Sequentes: *1ma*. Ut ſerventur tria conſilia Evangelica perpetuæ caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, quæ Statui Religioſo eſſentialiter ſunt annexa, ùt colligitur *ex cap. cum ad monaſterium. 6. de Statu Monach. in fine:* "Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſto-"dia caſtitatis adeò eſt annexa Regulæ "Monachali, ut contra eam nec ſum-"mus Pontifex poſſit licentiam indulge-"re." Cujus ratio eſt: quia Status Religioſus eſt via & tendentia ad Chriſtianam perfectionem, quæ juxta Apoſtolum *ad Coloſſ. 3.* in charitate DEI conſiſtit, acquirendam; ad perfectam autem charitatem requiritur renuntiatio rerum omnium creatarum, quæ perfectum amorem impedire poſſunt, qualia ſunt divitiæ, quæ per paupertatem, voluptates corporis, quæ per caſtitatem, & propria voluntas, quæ per obedientiam abdicatur.

2da. Ut hæc tria conſilia Evangelica voto perpetuam obligationem inducente ſaltem ex parte voventis firmentur. Ratio eſt: quia Status aliquam immobilitatem ſignificat, ùt patet in Statu Epiſcoporum, conjugatorum, ſervorum, qui non ad tempus, ſed ſtabiliter & in perpetuum ſunt obligati. Dixi: *Saltem ex parte voventis*: quia ex parte illius, cui fit votum, non eſt neceſſaria reciproca perpetua obligatio, ùt patet in ſervo, qui ex parte ſua perpetuam Domino ſerviendi habet obligationem, quamvis Dominus eundem manumittere poſſit, ita in Societ. JESU Scholaſtici à Greg. XIV. veri Religioſi ſunt declarati, qui habent perpetuam in Societate manendi obligationem, licèt Societas eoſdem perpetuò retinere non teneatur, ſed ob juſtas cauſas eos dimittendi habeat facultatem.

3tia. Ut ex parte voventis actualis fiat traditio, per quam ſe vovet DEO, & Religioni dedicat, ex parte verò Religionis externa acceptatio, quibus mediantibus homo Statum mutans peculiariter in dominium, ſortem, & familiam DEI tranſit, Prælato ſive Superiore Religionis profitentem in familiam & Corpus myſticum Religionis adoptante. Colligitur *ex cap. porrectum. 13. de Regular.*

4ta. Ut tria vota in Religione per Sedem Apoſtolicam approbata emittantur; approbatio enim omnium Religionum ſummo Pontifici eſt reſervata. Ut conſtat *ex cap. fin. de Religioſ. domib. & cap. unic. eod. in 6.* Quamvis antiquitus Religiones ab Epiſcopis pro ſuis Diœceſibus approbarentur, hodie tamen approbatio Religionum inter majores Eccleſiæ cauſas ſupremo Capiti reſervatas numeratur. Requiritur autem, ut non ſolùm modus vivendi tanquam licitus ſit approbatus, ſed etiam pro vera Religione ſeu Statu Religioſo approbari debet. Ratio eſt: quia ſuper communem Chriſtianorum Statum is nequit eſſe, niſi modo ſpeciali à Chriſto deſcendat, mediante ſcilicet ipſius ſummo in terris Vicario.

Quæres *quinto*. Quis Author Statûs Religioſi, & unde ejus antiquitas probatur?

R. *1mo*. In ipſo legis gratiæ diluculo divus Joannes Baptiſta ex eremo ad Jor-

danis fluenta veritatis & pœnitentiæ Præco, vitæ Monasticæ & Religiosæ Antesignanus fuit, ùt testatur S. Hieronymus *in Epist. ad Virg. Eustochium.* Christus Præcursorem secutus Statum Religiosum quoad substantiam instituit, quando ad tria consilia Evangelica adhortatur, ad paupertatem Luc. 14. *Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Ad castitatem Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum cœlorum.* Ad obedientiam, quæ in abnegatione suî & propriæ voluntatis consistit, Matth. 19. *Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me, & habebis thesaurum in cœlo.* Apostoli doctrinam Christi secuti Matth. 19. dicunt: *Ecce nos reliquimus omnia*, scilicet conjugium, bona temporalia per votum castitatis & paupertatis, *& secuti sumus te*, obedientiam profitendo.

2do. Post tempora Apostolorum *Clemens I.* quem S. Petrus Successorem ordinavit, & post *Linum & Cletum* Sæculo primo Ecclesiam rexit de vita Religiosa *Epist. 5.* ita scribit: Communis vita omnibus necessaria est, & maximè his, qui DEO irreprehensibiliter militare, & vitam Apostolorum eorúmque Discipulorum imitari volunt. Sæculo 2do *Pius I.* qui Ecclesiam circa annum 156. gubernavit, ritum in sacris Virginibus velandis & consecrandis decrevit. *can. Virgines. 15. caus. 20. q. 1.* Sæculo 3tio *Urbanus I.* qui circa annum 224. præfuit. *in can. scimus. 9. caus. 12. q. 1.* "Scimus "vos non ignorare, quia hactenus vita "communis inter omnes Christianos vi-"guit, & adhuc DEI gratiâ viget, & "maximè inter eos, qui in sortem Do-"mini sunt electi, id est, Clericos. Qui-"cunque vestrûm vitam communem "susceptam habet, & novit se nihil pro-"prium habere, videat, ne pollicita-"tionem suam irritam faciat: Sed hoc, "quod Domino est pollicitus, fideliter "custodiat, ne damnationem, sed præ-"mium sibi acquirat."

Eutychianus Papa, qui eodem Sæculo circa annum 277. sedit, *in can. si quis Episcopus. 91. caus. 11. q. 3.* Monachorum facit mentionem. Sæculo 4to *Sylvester I.* qui circa annum 314. Apostolicam tenuit Cathedram, *in can. à Subdiacono. 5. dist. 93.* Abbati Monachus in omni loco repræsentet obsequium. Concilium Nicænum, quod fuit circa annum 341. *in can. placuit. 1. caus. 16. q. 1.* "Placuit omni-"bus residentibus in sancta Nicæna Sy-"nodo, ut Monachorum conversatio & "vita secundùm etymologiam nominis "ab omnibus discrepet."

Syricius Papa, qui circa annum 385. Ecclesiæ præfuit, *in can. Monachos. 29. caus. 16. q. 1.* Monachos, quos tamen morum gravitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, Clericorum officiis aggregari & optamus, & volumus. Hoc eodem Sæculo plura monasteria à S. Antonio in Thebaide, à S. Pachomio in Ægypto, à S. Hilarione in Palæstina, SS. Basilio & Athanasio in Græcia sunt instituta.

Sæculo 5to S. Augustinus in Africa Religiosas familias utriusque sexûs instituit, quo eodem Sæculo Canonici Regulares à Gelasio Papa I. qui Ecclesiam An-

Anno 492. administravit, Romæ in monasterio vel Ecclesia Lateranensi sunt positi, à quo usque hodie Canonici Lateranenses vocantur. Sæculo 6to S. Benedictus Monachorum Pater appellatus floruit.

Quæres *sexto*. An ergo Status Religiosus Juris Divini?

R. Si Status Religiosus quoad particularem modum vivendi sive Regulam spectetur, non est ex Christi institutione, sed Ecclesiæ, quæ etiam certas conditiones ponere potest, sine quibus vota tanquam Religiosa acceptari non debeant, quæ conditiones etiam pro temporum varietate mutari possunt. Sic primis Sæculis vota Religiosa absolutam indissolubilitatem non continebant, ùt probat *Suar. tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 14. n. 14.* Ita etiam vota Religionis matrimonium post Professionem non irritabant, quod quamvis illicitum & sacrilegum, validum tamen erat. *Arg. can. nuptiarum. 41. can. de viduis. 42. cauſ. 27. q. 1.* Innocent. II. in Concilio Rom. legem tulit, ùt refertur *in can. ut lex. 40. cauſ. 27. q. 1.* ut qui S. Ordine initiati vel Religionem sunt professi, si uxores sibi copulare præsumpserint, separentur.

Quæres *septimo*. Qualis diversitas & distinctio Religionum?

R. Quamvis omnes Religiosi Ordines in iis, quæ ad essentiam Religionis spectant, scilicet tribus votis substantialibus ab Ecclesia acceptatis conveniant, inter se tamen vel ex fine proprio, ad quem quilibet Ordo in particulari est institutus, vel ex diversis mediis & exercitiis, quibus tum ad vota servanda, tum ad eundem finem tendunt, distinguuntur.

Quæres *octavo*. Quinam Ordines ex fine distinguuntur?

R. Ob diversitatem finium Ordines in contemplativos, activos & mixtos dividuntur. Ordo vitam contemplativam habet, qui præter observantiam votorum substantialium in contemplatione rerum Divinarum potissimùm se exercet, quales ferè sunt omnes Religiones Monasticæ Benedictinorum, Cistercienſium, Carthusianorum, &c. quæ principaliter & ex fine suo ad solam contemplationem ordinantur.

Ordo vitam activam habet, qui ad opera misericordiæ circa proximum principaliter ordinatur, quales sunt Ordines militares, qui tribus substantialibus votis editis vi proprii instituti ad militandum pro Christianæ Religionis & Ecclesiæ defensione ordinantur, Ordines hospitalarii, qui tribus votis emissis ad hospitalitatem in curandis infirmis, vel excipiendis peregrinis, sepeliendis mortuis, redimendis captivis vi instituti diriguntur.

Ordo Religiosus vitam mixtam profitetur, qui tam ad contemplationem, quàm ad actionem erga proximum principaliter est institutus, tales in Ecclesia illi sunt Ordines, qui ad docendum, prædicandum, Sacramenta administranda, &c. erecti sunt, & vocantur Ordines Clericales, in hoc ab Ordinibus Monachalibus distincti, quòd per se primò ad ministeria Clericorum in Divino cultu, & procuranda animarum salute ordinentur, ùt patet ex pluribus textibus. *cauſ. 16. q. 1.*

Quæ-

Quæres *nono.* Quinam ex his Ordinibus perfectiores?

℟. Cum *S. Thom. 2. 2. q. 188. a. 6. 1mo.* Religiones seu Ordines, qui ad docendum & ad Verbum DEI prædicandum sunt ordinati, ac vitam ex contemplativa & activa mixtam profitentur, cæteris omnibus procul dubio antecellunt, quia contemplata aliis communicant. *2do.* Ordines, qui ad hospites excipiendos, eleëmosynas distribuendas, & ad similia externa pietatis opera exercenda sunt destinati, ac vitam profitentur activam, infimum inter Religiones locum obtinent. *3tio.* Ordines ad contemplationem instituti medium inter utrasque tenent gradum excellentiæ.

Quæres *decimo.* Qualiter Ordines ex mediorum diversitate distinguuntur? ℟. *1mo.* Ordines Mendicantes à non Mendicantibus distinguuntur. Ordines non Mendicantes sunt, qui bona immobilia in communi possident, possidere verò bona immobilia in communi non præjudicat Religiosæ perfectioni, ùt probat Doctor Angel. *2. 2. q. 188. a. 7.* Ordines Mendicantes sunt, qui etiam paupertatem in communi sectantur, & ex primæva institutione nulla bona immobilia in communi possident, licèt de facto vel ex concessione Pontificis, vel ex consuetudine approbata quædam bona immobilia habere videantur. De his agitur *cap. unic. de Religios. domib. in 6* ubi quatuor Ordines Mendicantes approbantur, scilicet: Prædicatorum, Fratrum Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum, quibus postea alii accesserunt. *Cap. unic. de excess. Prælat. in 6. Clement. 1. de Regul. Clement. cupientes. 3. de pœnis. Extrav. unic. de offic. Custod. inter com. Extrav. vices. 2. de treug. & pace. inter com. Extrav. 1. de Regular. inter com.*

2do. Religiones seu Ordines eundem finem habentes, sive Mendicantes, sive non Mendicantes secundùm diversas regulas & particulares constitutiones, juxta quas vivunt, inter se distinguuntur. Ab Ecclesia autem approbatæ quatuor principales numerantur Regulæ, sub quibus omnes ferè militant Ordines: *1ma* S. Basilii, quam ferè Ecclesiæ Orientalis Græci tenent Monachi. *2da* S. Augustini, secundùm quam vivunt infinitæ ferè Religiones, ùt dicit Donatus *tom. 2. de Regular. tract. 1. q. 2. 3tia* S. Benedicti, sub qua vivunt Cistercienses & aliæ Reformationes. *4ta* S. Francisci, quam tenent Minores de Observantia, Conventuales, Capucini, & tertiæ Regulæ de Pœnitentia: singuli tamen Ordines, qui sub eadem Regula militant, proprias & speciales, quibus inter se discrepant, habent constitutiones. Præter prædictas quatuor Regulas habent propriam & ab aliis distinctam Regulam vel Constitutiones à suis Fundatoribus datas Carthusiani, Minimi, Patres Societ. JESU.

Quæres *undecimo.* Quinam ex his Ordinibus digniores?

℟. Inter Ordines eundem finem vel contemplationis, vel actionis, vel ex utroque mixtum habentes ille est perfectior, qui habet media non plura, vel austeriora, sed fini intento magis proportionata, ùt similiter præclarè docet *Doct. Ang. l. c. a. 6. & 7.*

Quæ-

Quæres *duodecimo*. Qualis inter Ordines præcedentia?

R. *1mo*. Clerus Sæcularis præcedit Clerum Regularem. *Tamb. de jure Abbat. tom. 1. disp. 25. q. 2. n. 19.* Ratio est: quia cœtus Clericorum est dignior, quàm cœtus Monachorum. *Gloss. fin. in cap. qualiter. 24. de accusat.* Et colligitur *ex can. legi Epistolam. 36. caus. 16. q. 1.* Abbas tamen Regularis omnes præcedit Canonicos etiam Cathedrales, & illis dignior habetur, quando singuli incedunt, hoc est: dum Abbas cum aliquo Canonico in singulari concurrit. Ratio est; quia dignitas Abbatialis major post Episcopum dignitas existit. *Arg. can. si quis deinceps. 12. caus. 16. q. 7.* ubi immediatè post Episcopatum ponitur Abbatia.

Dixi: *Dum singuli concurrunt*, quia quando Canonici collegialiter procedunt, & in omnibus actibus, quibus Ecclesiam Cathedralem repræsentant, Canonici Cathedrales præcedunt Abbates. Ratio est; quia Ecclesia Cathedralis præ aliis honorari debet. *cap. quamvis. 4. de præbend. in 6.* Et est dignior aliis Ecclesiis ob caput suum, quod Episcopalem habet dignitatem, quæ est culmen dignitatum. *cap. Venerabilis. 37. de præbend. Gloss. in cap. licet. 2. de præb. in 6. verb. dignitatum.*

2do. Circa Ordines Monachales Greg. XIII. in constitutione, quæ incipit: *Exposcit pastoralis*. Anno 1583. hanc fecit ordinationem, ut appellationibus quibuscunque remotis ille Ordo Mendicantium præcedere debeat in processionibus, qui est in possessione præcedentiæ ac juris præcedendi: quando verò non potest probari, vel constare de quasi possessione præcedentiæ hujusmodi, illi Fratres Mendicantes in processionibus tam publicis, quàm privatis præcedere debent, qui in loco controversiæ sunt antiquiores, ita ut si contigerit nova monasteria vel domus alicujus Ordinis ex dictis Mendicantibus esse erecta vel instituta, ille Ordo, qui prius monasterium vel domum in loco habuerit, præcedat.

3tio. Supereſt quæstio, quinam inter antiquos Ordines scilicet Monachales, inter quos præeminet Ordo S. Benedicti, & Ordines Regularium Canonicales, inter quos præcipuus Ordo Canonicorum Regularium S. Augustini præcedere debeant. Hæc quæstio acriter agitata tempore *Concilii Trid.* ac pro utraque parte famosissimi Canonistæ ac Facultates Juridicæ sua consilia juris ediderunt.

Fundamenta utriusque partis refert *Tambur. Abbas Benedictinus de jure Abbat. tom. 1. disp. 25. q. 1.* S. Pius V. finalem sententiam dedit, dicendo Abbates, Prælatos & Canonicos Regulares Congregationis Lateranensis, utì & Clericos in linea veste & Clericali habitu incedentes in processionibus & omnibus actibus publicis Abbates, Prælatos & Monachos Ordinis S. Bened. Cassinenses præcedere: quando verò prædicti pro se sine Conventibus in Conciliis Generalibus, Provincialibus, Synodalibus & aliis actibus publicis vel privatis conveniunt, inter se juxta singulorum ipsorum Abbatum ibidem intervenientium priorem & antiquiorem promotionem ad Abbatiam, ac illâ promotione duntaxat, non autem congregatione in ordine, cujus fuerint, attentis præcedere debeant. *Tamb. cit.*

§. Secundus.

DE

Religionis Ingreſſu.

PEr Religionis ingreſſum aliquando intelligitur ipſa Profeſſio, per quam quis verè & propriè Religioſus efficitur, ùt *in can. quia ingredientibus. 7. cauſ. 19. q. 3.* In præſenti ingreſſus in Religionem pro ſuſceptione habitûs Regularis ſumitur, à qua aliquis in Novitium ad Religionis ſuſcipitur probationem.

Quæres *primo.* Quænam à Religionis impediunt ingreſſu?

R. Sequentia : *1mo* defectus ætatis, de quo ſtatim.

2do defectus libertatis. Servus vel propriè dictus, vel etiam colonus originarius, aut glebæ, ùt vocant, aſcriptus, invito vel inſcio Domino, ſi intra triennium à die, quo Dominus notitiam ingreſsûs habuit, computando, repetatur, cum omnibus, quæ in monaſterium attulit, fide de impunitate acceptâ, eſt reſtituendus. *can. fin. cauſ. 17. q. 2.* Triennio elapſo, quamvis Profeſſionem nondum fecerit, repeti non poteſt, cùm Dominus renuntiâſſe cenſeatur.

3tio vinculum matrimoniale; conjux enim poſt matrimonium conſummatum, niſi cauſa juſta perpetui divortii adſit, vel alterius conjugis interveniat licentia, ad Religionem haud eſt admittenda. *cap. quidam. 3. cap. placet. 12. de converſ. conjugat.*

4to Dignitas Epiſcopalis; Epiſcopus enim ſine licentia Papæ Religionem ingredi nequit *. cap. niſi cum pridem. 10. de renuntiat. cap. licet. 18. de Regular.* Tum quia vinculo ſpiritualis matrimonii ſuæ Eccleſiæ eſt alligatus. *cap. inter corporalia. 2. de tranſlat. Epiſcop.* Tum quia populi ſubjecti commune bonum, quod in ſuſceptione Epiſcopatûs ſe procuraturum vovit, privatæ utilitati & quieti contemplationis præferre debet, ùt probat *Doct. Ang. 2. 2. q. 188. a. 4. ad 1.*

5to Æs alienum ex delicto vel contractu oneroſo contractum, juxta conſtitutionem Sixti V. quæ incipit : *Cum de omnibus.* Limitatur. Tunc ſolùm impedit, quando ſpes, quòd in Sæculo ex officii vel beneficii fructibus, vel arte aut induſtria ſtatui ſuo convenienti intra paucos v. g. tres annos debita ſolvere poſſit, aliàs ſi talis ſpes deſit, debitor bonis cedens in favorem creditorum Religionem ingredi poteſt, quia inanis eſt actio creditoris, quam excludit inopia debitoris. *cap. olim. 16. de reſtit. ſpoliator.* Et ultra, quàm poteſt, nemo tenetur. *Reg. nemo. 6. de Reg. Juris. in 6.* Si creditores incerti, Religionem quoque intrare non prohibetur.

6to. Ratiocinia, ſive rationes ex adminiſtratione rerum publicarum reddendæ. *can. nnic. diſt. 53.* Quod conſtitutio Sixtina citata ad rationes privatas extendit, ſi ob iſtas dandas ſit lis intentata, vel ne intentetur, timeatur.

7timo.

7timo. Crimina, ob quorum enormitatem pœna publica mortis, mutilationis, perpetui exilii, triremium, fustigationis vel similis timetur, *cit. constit. Sixti V.*

8vo demum paupertas parentum filium, sine quo parentes honestè vivere vel sustentari nequeunt, ab ingressu Religionis impedit, & tales peccare mortaliter probat *S. Thom. 2. 2. q. 101. a. 4. ad 4. in can. 1. dist. 30.* Si qui filii parentes deseruerunt occasione DEI cultûs, hoc justum esse judicantes anathema dicuntur.

Quæres *secundo.* Quæ ætas ad ingressum Religionis requiritur?

R. *1mo.* Infantes ante usum rationis de consensu parentum ad Religionis habitum suscipi possunt. *can. 1. caus. 20. q. 2.*

2do. Parentes vel in illorum defectu tutores filium vel filiam impuberem etiam invitos Religioni offerre possunt, ut in ea non solùm sub regulari disciplina vivant & educentur, sed etiam ut suo tempore Religiosi fiant. Colligitur *ex cap. cum virum. 12. de Regular. cit. can. 1.* Cujus oblationis hic est effectus, quòd filius impubes à parentibus Religioni oblatus intra ætatem pupillarem parentibus etiam consentientibus iterum egredi non possit, si monasterium vel Religio repugnet, cui per oblationem jus est acquisitum, ne ante annos pubertatis recedere liceat, cùm impubes sine parentum oblatione vel imperio Religionem ultrò ingressus omni tempore liberè egredi valeat. *cap. significatum. 11. de Regular.*

3tio. Pueri ante annos pubertatis Religionem ingredi, habitum Religiosum suscipere, ac etiam se voto Religionem ingrediendi obligare possunt. *S. Thom. 2. 2. q. 189. a. 5. in O.* Si tamen parentes in talem ingressum non consenserint, filium revocare, ejúsque votum irritare possunt, cùm puerilis illa ætas à parentum voluntate dependeat. *can. puella. 2. caus. 20. q. 2.* Si verò aut expressè aut tacitè, scilicet habitâ notitiâ intra annum non revocando, consenserint, filium ingressum revocare nequeunt. *can. 1. caus. 20. q. 2. cap. si quis. 2. de Regular.*

Quæres *tertio.* Quænam ad inchoandum Novitiatum ætas requiritur:

R. Ad inchoandum Novitiatum requiritur ætas legitima, scilicet in masculis completus annus 14. & in fœminis 12. nec hìc prudentia aut malitia supplet ætatem, ùt colligitur *ex cap. ad nostram. 8. de Regular.* Ratio est: quia in hac ætate discretio rationis, libertas arbitrii, & vires sunt ad probandam Religionis austeritatem. Cui non obstat *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 15.* Ad Professionem annum ætatis 16. completum requirens, quia per hoc nihil circa inchoationem Novitiatûs innovavit, cùm non requiratur, ut annus probationis immediatè Professionem antecedat, sed si completo probationis anno desit legitima ætas, Professio usque ad eandem differtur.

Quæres *quarto.* Qualem Novitiatum Religionem ingrediens servare debet?

R. In monasterio assumpto habitu Religionis per integrum annum eúmque continuum Religionem probare debet.

1mo requiritur, ut annus probationis in monasterio peragatur, ùt colligitur *ex cap. 1. de Regular. in 6. illis verbis:*

Quòd si per totum annum in monasterio permanserit. Ratio est: quia annus probationis institutus est, ut Novitius Religionis austeritatem, & econtra Religio Novitii mores experiatur, hoc autem fieri non potest, si Novitius extra monasterium in Sæculo versetur; si tamen de licentia Prælati Novitius per aliquam anni partem à monasterio absit, probationi non obest, cùm de licentia Prælati extra monasterium degens, adhuc verè in probatione esse censeatur, dum in eo loco est, ubi sub Prælati obedientia vivit, & illo jubente paratus est redire; quòd autem absens taliter probari nequeat, sicut præsens, per accidens est, uti etiam si Novitius post susceptionem habitûs infirmaretur, & toto anno in infirmaria infirmus existeret, anno completo sine alia probatione ad Professionem admitti posset, quia verè per annum fuit in statu probationis & sub obedientia Religionis.

2do. Necessè est, ut annus probationis in habitu regulari peragatur. *Gloss. in cap. super eo. 9. de Regul. verb. in eadem veste. Et colligitur ex Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 15.* ibi: *Nec, qui minore tempore quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit.* Ratio est: quia Novitius omnes austeritates Ordinis probare debet, ideóque qui habitum non gestavit, sufficienter probatus non fuit; verius tamen est, quòd gestatio habitûs de essentia Novitiatûs non sit, ùt colligitur *ex can. unic. dist. 53.*

3tio. Annus probationis integer esse debet. De jure antiquo quidem tempus probationis quandoque erat annus. *can. 4. caus. 17. q. 2.* Quandoque biennium. *can. monasteriis. 6. caus. 19. q. 3.* Quandoque triennium. *can. unic. dist. 53. in cap. ad Apostolicam. 16. de Regul.* Statuitur quidem annus, sed cui Novitius & Religio renuntiare potest intra annum profitendo & Professionem recipiendo. *In cap. non solùm. 2. de Regular. in 6.* Declaratur Professum in Ordine Mendicantium intra annum probationis obligari ad aliquem Ordinem in communi: Tandem *Trident. Sess. 25. de Regul. cap. 15.* generaliter statuit, ut Professio in quacunque Religione tam virorum, quàm mulierum ante exactum annum probationis non solùm illicita, sed etiam invalida, nullámque obligationem ad alicujus Regulæ vel Religionis observantiam vel alium quemcunque effectum inducat. Annus autem de momento in momentum computandus est, ita ut qui 1ma Januar. Anno 1738. in meridie est investitus, non possit 1ma Januarii Anno 1739. manè profiteri, & in Anno bissextili Novitius diebus 366. in probatione esse debet. Ratio est: quia *Trident. l. c.* ad valorem professionis requirit, ut Novitius non minori tempore, quàm per annum in probatione steterit, & *in cap. non solùm. cit.* requiritur, ut annus probationis sit elapsus, qui autem aliquot horis ante annum finitum est professus, minori tempore, quàm per annum, in probatione stetit; annus enim ubi incipit, ibi quoque desinit.

4to. Necessè est, ut annus probationis sit continuus, uti sæpe declaravit S. Congregatio: Quoties enim in decreto aliquo certum tempus præscribitur, id necessariò debet esse continuum, ùt tra-

dunt

dunt *Gloss. in cap. 2. de temp. ordinat. in 6.* & communiter Doctores ; cùm igitur *Tridentin.* annum requirat integrum, continuus esse debet. Ratio congruentiæ est : quia hic annus præscribitur, ut Novitius Ordinis austeritates experiatur, ad quod multùm conducit, si onera Religionis sine intermissione portaverit.

Quæres *quinto.* An ex privilegio non finito probationis anno profiteri quis possit ?

℟. Moniales S. Dominici Anno 1570. obtinuerunt privilegium, ut in mortis articulo constitutæ, si 16tum ætatis annum compleverint, profiteri possint, etsi nondum integer Novitiatûs annus expletus, quo privilegio omnes alii Novitii aliorum Ordinum utriusque sexûs per communicationem gaudent. Circa quod privilegium duo sunt notanda : *1mo.* Quòd monasterium dotem Novitii in anno probationis decedentis non consequatur, quamvis ante obitum in mortis articulo Professionem emiserit.

2do. Si hujusmodi Novitius vel Novitia convalescat, de novo profiteri debet, ùt declaravit S. Congregatio apud *Pignatell. tom. 1. consult. 357.*

Quæres *sexto.* Quot modis annus probationis interrumpitur ?

℟. Sequentibus : *1mo.* Novitiatus interrumpitur, si anno probationis nondum completo fiat professio ; tunc enim Novitius in probatione amplius non manet, cùm tamen *juxta Trident. l. c.* per integrum annum in probatione stare debeat, quo casu juxta quosdam totum probationis annum repetere non est necessarium, sed sufficit, si tempus, quod anno probationis deerat, suppleatur, & postea professio ratificetur, eò quòd vitium in Novitiatu non intervenerit.

2do. Si Novitius anno probationis nondum completo exeat, & animo non redeundi Religionem deferat ; eo ipso enim amittit statum, quem habebat, & novâ probatione indiget : quòd si tamen spectatis circumstantiis mora temporis, quo extra Religionis claustrum mansit, sit modica, & paulò post per regressum & pœnitentiam purgata, multi volunt Novitiatum non esse moraliter interruptum, quamvis tutius & plerumque consultius sit, ut saltem ad constantiam talis Novitii probandam, Novitiatum ab initio inchoare jubeatur.

Dixi : *Anno probationis nondum completo :* quia si quis post expletum probationis annum exivit, ut quia morbo, qui putabatur incurabilis, laboravit, & postmodum plenè curatus redit, novum probationis annum inchoare non tenetur, ùt declaravit S. Congregatio *apud Fagn. in cap. ad Apostolicam. de Regular. n. 43.* Nisi fortè conditio personæ vel Religionis ita mutata, ut ex parte Novitii non esset experientia omnium austeritatum, & ex parte Religionis morum in Novitio exploratio. Ratio est : quia in tali casu Novitius per annum integrum & continuum difficultates Ordinis expertus est, quod solùm de jure requiritur. Idem est de eo, qui expleto probationis anno Religionem deseruit, & non ad prius monasterium, sed ad aliud ejusdem Ordinis Regularisque Observantiæ admittitur ; quia experientia asperitatum & probatio in uno monasterio facta ad

emittendam Professionem in altero ejusdem Ordinis & Observantiæ sufficit, imò si Novitius nondum completo probationis anno in uno monasterio v. g. post sex menses in uno ad aliud ejusdem Ordinis monasterium transferatur, non est necessarium, ut annum probationis de novo incipiat, secus si Religiosus ad aliud diversi Ordinis & Observantiæ cœnobium transeat; tunc enim necessariò, sive antea fuerit Professus, sive Novitius, denuò integrum probationis annum subire debebit.

3tio. Si Novitius ab Ordine dimittatur; justè enim ejectus à Superiore ad Ordinem ineptus est judicatus, & per consequens Novitiatus irritatus, ideóque si iterum sublato inhabilitatis impedimento admittatur, denuò probationis annus ab eo inchoandus: quod tamen intelligendum videtur, si nondum absoluto Novitiatûs anno ob inhabilitatem dimittatur; aliàs si expleto probationis anno dimittatur, v. g. ob morbum incurabilem, ùt supra dictum, sublato impedimento, sine nova probatione ad Professionem admitti potest. Idem est, si ob tale impedimentum Professio secuta sit invalida; nec enim tunc repetendus est Novitiatus, quia ratio finalis, ob quam Concilium Trident. annum probationis præmitti voluit Professioni, est: ut Novitius austeritates Ordinis, & hic ejus mores experiatur, eo sublato v. g. per dispensationem inhabilitatis impedimento, satis erit, si Professionem, quamvis non iteretur Novitiatus, ratificet. Multò magis id tenendum, si Novitius injustè sit dimissus, & ad Prælatum superiorem recurrat, ibidémque restitutionem obtineat, tunc admitti debet, vel ad Professionem, si completus ante Novitiatûs annus, vel ad inceptum probationis annum continuandum *juxta Regulam 41. de Reg. Jur. in 6. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.*

Quæres *septimo.* Quid si Novitius tempore Novitiatûs in amentiam incidat, an nihilominus currat annus probationis?

℟. Si quis, dum sanæ mentis, ad probationem admissus postmodum in amentiam incidat, & illa diu duret, ut per unum vel alterum mensem, interea suspenditur, & quasi dormit probationis annus, ac tempus amentiæ, postquam est restitutus, supplere debet. Hæc de jure *comm. Concil. Trident.* Cæterum in quibusdam Religionibus prolixius probationis tempus requiritur, per specialia earum statuta, quæ per constitutionem Tridentini immutata non sunt, ita tamen, ut si anno probationis expleto, & non evoluto ulteriori tempore per statuta vel consuetudinem Ordinis requisito, Novitius ad Professionem admittatur, propterea non sit invalida Professio, eò quòd statuta tempus illud requirere non soleant sub pœna nullitatis.

Quæres *octavo.* Quis ad Religionem suscipere potest?

℟. In quacunque Religione approbata Novitios suscipiendi est potestas; approbare siquidem Religionem est concedere ea omnia, quæ ad utilitatem, conservationem & gubernationem Religionis pertinent, sed conservatio Religionis sine susceptione Novitiorum ac legitima

tima eos gubernandi potestate fieri nequit. Quamvis autem hæc potestas in toto sit corpore, immediatè tamen à tota Religione concedi non potest, sed *1mo* à Prælato cujuslibet monasterii exercetur, *juxta cap. fin. de Regul. in 6. junct. gloss.* Et probatur *per cap. porrectum. 13. & cap. ad Apostolicam. 16. de Regular.* Quia autem hæc potestas recipiendi Novitios est ordinaria, immediatus Prælatus eam demandare potest. *cap. cum Episcopus. 7. de offic. Ordinar. in 6.* Fit ab hac Regula communi exceptio: nisi Novitios admittendi potestas in aliqua Religione Generali vel Provinciali esset reservata, aut specialiter à Generali alicui immediato Prælato Novitios suscipere foret inhibitum.

2do. Quia receptio Novitii ad habitum de majoribus est negotiis, ideo illa non ad solum Prælatum, sed simul ad Conventum vel Capitulum pertinet. *cap. novit. 4. cap. quanto. 5. cap. ea noscitur. 6. de his, quæ fiunt à Prælat.*

3tio. In hoc negotio regulariter ad consuetudinem & constitutiones cujuslibet Religionis est attendendum, ùt colligitur *ex cap. fin. de Regular. in 6.* In pluribus Ordinibus cum consilio majorum de Conventu Novitiorum pertinet receptio, in quo casu sustinet *Tamb. de jure Abbat. tom. 3. disp. 6 q. 1. n. 9.* quòd Prælatus consensum illorum exspectare teneatur, quia quando quis consilium ab aliis tanquam à Collegis & consortibus postulare obligatur, eorum consensum exspectare & sequi debet. Sufficit autem, quòd major Seniorum pars cum Prælato consentiat, & quamvis omnes Consultores consentirent, & solus Prælatus contradiceret, Novitius recipi non posset; facultas enim recipiendi principaliter penes Prælatum est, sine cujus consensu nullus recipi potest.

Quæres *nono.* Quæ obligatio in Novitio?

℟. *1mo.* Novitius ad Sæculum liberè redire, *juxta cap. consulti. 20. cap. statuimus. 23. de Regular.* & postquam ad Sæculum reversus, ad Ordines & beneficia licitè promoveri potest. *cap. postulanti. 21. de Regular.*

2do. De jure antiquo intra annum probationis exire non poterat, imprimis si in ipso probationis anno expresè professus, deinde si tacitè, suscipiendo habitum Professorum, quo Professi distinguuntur à Novitiis, foret professus, demum si constabat, quòd Novitius animo vitam absolutè mutandi & DEO perpetuò serviendi ingressus fuisset. *cit. cap. consulti.* Quæ correcta sunt jure novo. *Trident. Sess. 25. de Regul. cap. 15.* ubi Professio Religiosa ante absolutum probationis annum nulla & invalida declaratur.

3tio. Novitius Religionem egrediens expensas, quas Religio in eo alendo tempore probationis fecit, solvere non tenetur, ùt colligunt DD. *ex cap. 2. de Regular. in 6.* ubi prohibetur, ne Novitius exire impediatur, quod sæpe fieret, si expensas restituere obligatus esset. Rationem dant: quia probatio non solùm in Novitii, sed etiam in Religionis bonum est, & si Religio dedit alimenta, ille exhibuit servitia. Excipe: nisi in ipso ingressu ad solvendas expensas tempore

pro-

probationis in sui sustentationem faciendas Religioni sese Novitius obligâsset. Exceptio hæc colligitur *ex Trident. l. c. cap. 16.* ubi donationes factæ ab ingredientibus Religionem irritantur, excepto victu & vestitu Novitii, ergo à Novitio pro victu aliquid dari, & consequenter etiam promitti, & si promissum, solvi potest.

4to. Novitius Religionem ingressus per se & directè statutis Religionis non obligatur, cùm Religionem nondum voverit, jurisdictioni tamen Prælati non solùm quoad forum conscientiæ, sed etiam quoad forum externum subjicitur, ita, ut Prælatus monasterii non solùm illum ob crimen admissum punire, sed etiam sub censuris, quæ Episcopus suis Clericis, præcipere possit; tale enim præscriptum non in voto, sed in Ecclesiastica fundatur jurisdictione, qualem Prælati maximè exempti in suos subditos, etiam Novitios, habere noscuntur.

5to. Novitius indirectè, & ex æquitate vel decentia Regulam & constitutiones Ordinis servare tenetur, quia æquum est, ut, qui similem cum aliis vitam suscipiunt, sentiant in legibus disciplinam. *cap. recolentes. 3. de Stat. Monach.*

6to. Quodcunque beneficium Ecclesiasticum Novitii, licèt personalem residentiam exigat, non vacat, sed eidem Vicarius cum portione congrua præficiendus, usque dum Novitius Professionem emittat, vel beneficio resignet. Est expressus textus *in cap. beneficium. 4. de Regul. in 6.*

7timo. Novitius Religionis gaudet privilegiis; in favorabilibus enim nomine Religiosi venit, ideóque fori & Canonis habet privilegium.

Quæres *decimo.* Qualiter Novitius tempore probationis de suis bonis disponere potest?

Rx. *Concil. Trid. Sess. 25. de Regular. cap. 16.* hanc formam præscripsit: "Nulla quoque renuntiatio aut obligatio antea (id est: ante expletum probationis annum) facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causæ prævaleat, nisi cum licentia Episcopi sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante Professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secutâ Professione; aliter verò facta, etiamsi cum hujus favoris renuntiatione expressâ, etiamsi jurata, sit irrita, & nullius effectûs. Quod decretum sequentibus declaratur."

1mo. Irrita sunt ante duos ultimos Novitiatûs menses quæcunque pacta, cessiones & obligationes Novitiorum, quibus eorum bona vel jura notabiliter minuuntur, vel minus recipitur quàm datur, ùt sunt donationes inter vivos, renuntiationes, fidejussiones, concessiones, mutuum, &c.

2do. Valida sunt pacta & dispositiones revocabiles, ex quibus substantia patrimonii non minuitur, ùt sunt testamenta, codicilli, donationes mortis causâ, quamvis solemnitates Tridentini non habeant, liberè enim revocari possunt. Item contractus emptionis, venditionis, locationis, conductionis & similes, quibus non minus recipitur, quàm datur.

3tio. Duobus mensibus ante expletum Novitiatum facta renuntiatio revocari non

non potest ante Professionem, ante eam tamen secutam dominium non transfert, si non sequatur, etiam casu, quo Novitius moritur, nullum habet effectum. Si ultra duos illos menses differatur Professio, valet renuntiatio vel dispositio, quia facta intra duos menses proximos tempori, quo Professio de jure emitti debet. Si Novitius per dispensationem sexto vel octavo mense profiteatur, probabile est, nonnisi immediatè ante Professionem renuntiare posse.

4to. Quantùm ad consensum Episcopi, qui in renuntiatione Novitiorum intervenire debet, ille per dissuetudinem in quibusdam Religionibus hodie non adhibetur, ùt testantur *Lezan. Rodriquez &c.*

5to. Donatio vel renuntiatio facta ante Religionis ingressum, si non facta intuitu ingressûs in Religionem, sive animo Religionem ingrediendi, valida est; quia *Trident.* illas tantùm dispositiones irritare voluit, quæ intuitu ingressûs in Religionem fiunt, & liberum tempore probationis impediunt egressum.

6to. Dispositionem ab illo, qui Religionem ingredi intendit, ante susceptionem habitûs factam multi sub decreto *Trident.* comprehendi intendunt, quia finis *Tridentini* æquè locum habet in dispositionibus, quæ ab ingresturo Religionem ante investitionem, quàm quæ ab ingresso post habitûs fiunt susceptionem. Oppositum tamen etiam probabilitate non caret; cùm enim decretum *Trident.* juris communis sit correctorium, de propriis bonis disponendi auferens libertatem, illud ad casum similem non expressum etiam ob paritatem rationis haud est extendendum, *juxta Reg. 28. de Reg. Jur. in 6. junct. gloss.*

7timo. Parentes vel propinqui Novitii monasterio quædam ex bonis propriis in gratiam Novitii, non tamen in bonis hujus donandi habent facultatem.

Quæres *undecimo.* Quæ Novitios ad- & dimittentium obligatio?

℟. *1mo.* Tam Prælatus, quàm cæteri Conventuales votum in ad- & dimissione habentes, Novitium idoneum dimittere non possunt. Ratio est: quia ex officio & munere suo bonum Religionis procurare tenentur, ex quo Novitium, qui Religioni idoneus apparet, retinere obligantur non minùs, quàm expellere, si minùs idoneus judicetur, ne in ædificationem concessâ sibi potestate in destructionem abutantur, & contra officium charitatis, imò juxta quosdam, etiam justitiæ agant, sine justa & rationabili causa Novitium expellendo, & magno bono, ad quod, si tempore probationis se benè gesserit, jus habet, ex sola passione privando.

Nec obstat, quòd Novitius sponte exiens & Religionem deserens etiam sine ulla causa haud graviter peccet; Novitius enim juri suo cedit: Religiosi verò, quibus Novitios ad professionem admittere incumbit, nec bono communi, quod ex admissione Novitii evenire potest, cedere, nec Novitium jure, quod habet permanendi in Religione, ex quasi contractu inter ipsum & Religionem tempore ingressûs inito, ut, si in probatione reperiretur dignus, ad Professionem admitteretur, pro suo placito valent spoliare.

2do. Causæ graves, ob quas Novitio votum ad Professionem denegari possit, aliæ sunt naturales, ùt debilitas virium, periculum cæcitatis, &c. Aliæ morales, ùt mores incorrigibiles, mala indoles, vitiosi habitus.

3tio. Non est sufficiens votum Novitio denegandi causa, si expensas ratione investitionis vel Professionis ex pacto vel consuetudine debitas non solvat, si aliàs habilis existat, nam non solvere expensas habilitati personæ minimè detrahit; casus tamen dari posset, quo Novitius ob solum expensarum defectum dimitti valeret, ut si monasterium Monialium inops, in quo Moniales ex dotibus, quas afferunt, aluntur, Novitia ad habitum admissa dimitti posset, si parentes ejusdem tempore Novitiatûs ita depauperati, ut solvere dotem non valeant. Similiter si monasterium tempore Novitiatûs ita deperditum, ut plures, quàm actu Professos alere nequeat, utique, si spes melioritionis non affulget, Novitios dimittere potest.

4to Quamvis Novitius sit habilis, Professio tamen ultra annum probationis ex causa rationabili differri potest; licèt enim *Trident.* mandet, ut Superiores Novitium habilem expleto probationis anno ad Professionem admittant, id intelligendum, nisi Professionem differendi causa subsit rationabilis, ut sæpius declaravit S. Congreg. ideo ob bellicosa tempora, absentiam Prælati, infirmitatem Novitii &c. ultra probationis annum licitè differtur Professio.

5to demum abeunti Novitio omnia, quæ secum attulit, restituenda juxta dispositionem *Trident. Sess. 25. de Regul. cap. 16.* "Abeuntibus ante Professionem omnia restituantur, quæ sua erant, "quod ut rectè fiat, Episcopus per Ecclesiasticas censuras, si opus fuerit, compellat." Nec Novitius dimissus ad solvendas expensas tempore Novitiatûs factas tenetur, nisi pactum intervenerit, quo casu si Novitius discedere velit, ex hoc capite, quòd expensæ nondum solutæ, detineri nequit, sed contra dimissum, & eos, ad quos tales expensas solvere spectat, est actio instituenda. Porrò *Extrav. sanè. de simon. inter com.* sub pœna excommunicationis, si sint singulares personæ, vel suspensionis ipso facto incurrendæ prohibetur, ne Conventus vel Capitulum ante vel post receptionem ab admittendis pastus, prandia, pecunias, jocalia, aut alias res, etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata vel deputanda directè vel indirectè petere vel exigere quoquo modo præsumant.

Quæres *duodecimo.* Qualiter Novitio injustè dimisso succurrendum?

R. Novitius injustè dimissus contra Religionem apud Superiorem altiorem agere potest, ut dimissum Superior dimittens reassumat, ùt docent C.C. *in cap. sicut tenor. 15. Regular.* Ratio est: quia eo ipso, quo Novitius ad Professionem jus acquirit conditionatum, si nimirum habilis inveniatur, & completo Novitiatûs anno, stante habilitate, jus conditionatum velut purificatâ conditione transit in absolutum, ideóque si rejiciatur, velut læsus in proprio jure contra Religionem agere potest. In praxi tamen hæc

hæc difficultatem patientur, quando enim Novitius per vota secreta admittitur, vel rejicitur, unusquisque votum suum secundùm conscientiam regulat, nec rationem assignat: in iis autem, quæ secundùm conscientiam judicantur, ulterior quæstio locum non habet. *Gloss. in cap. statutum. de rescript. in 6. verb. relinquatur.* Ideóque nisi gravamen sit ita manifestum, ut celari nequeat, dimissus Novitius nihil efficiet.

§. Tertius.

De Voto.

QUæres *primo*. Quid est votum?

℟. *1mo*. Votum latè sumptum est quodvis desiderium. Strictè sumptum est deliberata promissio DEO facta de meliori bono.

2do. Ad votum tria requiruntur: *1mo*. Deliberatio. *2do*. Propositum. *3tio*. Promissio, in qua perficitur voti ratio. Ex sola deliberatione, nec ex solo proposito quis obligatur, ùt constat *ex cap. literaturam. 3. de voto*. Nisi promissio subsequatur, quæ quidem, licèt homini nonnisi per verba & alia signa fieri valeat, DEO tamen per solam internam cogitationem & mentem fieri potest.

Quæres *secundo*. Quotuplex est votum?

℟. Duplex: Simplex & solemne. Simplex est omne votum, quod privatâ fit voluntate, & in quo non intervenit publica Ecclesiæ acceptatio. Solemne est, quod publicâ Ecclesiæ authoritate stabiliter acceptatur, ita, ut ab utraque parte, tam voventis, quàm Ecclesiæ acceptantis tanquam perpetuum & viâ ordinariâ indissolubile vinculum obliget, cùm vota simplicia per ordinariam dispensandi potestatem solvi & relaxari valeant. Duplex est votum solemne, scilicet castitatis votum Ordini sacro annexum, & votum Professionis in Ordine approbato. *cap. unic. de voto. in 6.*

Quæres *tertio*. In quo inter votum simplex & solemne genuina consistit differentia?

℟. Votum solemne in hoc à voto simplici distinguitur, quòd solemne votum personam ad contractus actúsque contra votum absolutè reddat inhabilem, ùt in voto solemni castitatis ad matrimonium, sic quoque in solemni paupertatis voto vovens inhabilis fit ad dominium, ideóque actus proprietatis sunt invalidi: sic pariformiter in voto solemni obedientiæ actus præter voluntatem Prælati roboris carent firmitate, votum autem simplex actus voto adversantes quidem illicitos, sed non facit invalidos. Inveniuntur quidem aliqua vota simplicia, ùt Coadjutorum & Scholasticorum in Societ. JESU, quæ etiam subsequens dirimunt matrimonium, ex hoc tamen solemnia non sunt; votum enim solemne matrimonium perpetuò & indissolubiliter vim

habet dirimendi, ùt colligitur *ex cit. cap. unic.* in quo votum solemne carnali assimilatur matrimonio: at verò vota simplicia in Societ. JESU non continent indissolubile matrimonii impedimentum, cùm illa vota per ipsam dissolvi valeant societatem, ideóque hæc vota nomine spiritualis matrimonii non comprehenduntur.

Quæres *quarto*. An differentia illa inter votum solemne & simplex sit intrinseca & essentialis, vel tantùm accidentalis ex sola constitutione & dispositione Ecclesiæ orta.

℟. Canonistæ dicunt esse tantùm differentiam accidentalem, & voti solemnitatem ab Ecclesia adinventam, nisi textu *in cap. unic. cit. Nos attendentes, quòd voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ sit inventa.* Et hanc dat rationem; quia votum simplex apud DEUM non minùs obligat, quàm solemne, juxtà *cap. rursus. 6. qui Cleric. vel vovent.* Ergo per se & spectato jure naturæ & Divino votum solemne & simplex æqualiter obligant; per accidens tamen votum solemne magis obligat ex sola Ecclesiæ constitutione, quæ voto secundùm se spectato extrinsecam acceptationis solemnitatem, cujus effectum actuum contrariorum voluit esse irritationem, superaddidit.

Quæres *3to*. Quinam vovere possunt?

℟. Quotquot ex defectu rationis, ùt furiosi, amentes, infantes ante completum septimum ætatis annum, vel ex defectu sufficientis libertatis vovere non prohibentur.

Quæres *sexto*. Quinam ob defectum ætatis vovere prohibentur?

℟. *1mo*. Impuberes ultra septennium egressi absolutè quidem vovere possunt, ejusmodi tamen vota à parentibus vel tutoribus directè infirmantur; tales enim ùt plurimùm infirmi sunt judicii, ideo lex Ecclesiæ eorum voluntatem parentum vel tutorum authoritati subjecit, ut similia vota irritare valeant, ùt concorditer cum Canonistis docent Theologi.

2do. Filiifamilias sub patria, & minores sub tutorum potestate constituti vota realia, hoc est, de re aliqua, cujus administratio ad parentem vel tutorem pertinet, sine consensu parentis vel tutoris facere nequeunt; quia in his filiusfamilias patri, & minor tutori est subjectus. Vota verò personalia, hoc est: de actione aliqua ab ipso vovente exhibenda emittere possunt, quia quoad tales post annos pubertatis ordinariè liberæ sunt conditionis. Si actio, quam filius vovit, ùt jejunium vel peregrinatio, in patris cedat præjudicium, ut quia filium à muniis expediendis à patre justè & pro familiæ necessitate injunctis impedit, pater votum à filio emissum rescindendi & irritandi habet authoritatem.

3tio. Conjuges, quorum neuter aliquid in præjudicium matrimonii vovere potest. *can. manifestum. 11. can. noluit. 16. caus. 33. q. 5.* cum hac notanda differentia: quia maritus majorem habet potestatem in uxorem, quàm uxor in maritum, siquidem uxor est subjecta viro, & quoad usum matrimonii, & quoad gubernationem familiæ, vir autem solùm subditus mulieri quoad usum conjugii, ideo maritus quidlibet non impediens usum matrimonii libere vovere potest,

uxor

uxor verò nec in præjudicium conjugii, nec in detrimentum rei domesticæ quidquam vovere valet, unde si uxor peregrinationem vovit, votum non subsistit, nisi sub tacita conditione: si maritus permiserit, & quamvis maritus semel assensum dederit, uxoríque executionem voti permiserit, ex post tamen sententiam mutare, votúmque irritare potest, ùt colligitur *ex cit. can. manifestum.*

4to. Religiosi, ùt disponitur *in can. Monacho. 2. caus. 20. q. 4.* Monacho non licet votum vovere sine consensu Abbatis sui, si autem voverit, frangendum erit. Si igitur Religiosus contra Regulam aut regularem Observantiam voveat, illud nullum est, si autem non sit contra Regulam, ùt certam orationem vel abstinentiam, illud sub hac conditione, si Superior non contradicat, vel votum irritet, & tamdiu servandum est, usque dum à Superiore irritetur.

5to. Episcopus nequit vovere ea, quæ Episcopale impediunt officium, ut longam peregrinationem, ingressum in Religionem sine licentia summi Pontificis; quia vinculum, quo Episcopus suæ Ecclesiæ alligatur, etiam prætextu pietatis solvi non potest, cùm bonum commune privatæ sit præferendum devotioni. *cap. nisi cum pridem. 10. de renuntiat.*

Quæres *septimo.* Quæ res voveri possint?

℟. Res vel opus, quod voto promittitur, sequentes debet habere conditiones:

1ma. Ejus exercitium in potestate voventis esse debet: frustra enim promitto, quod non est in mea potestate. Hinc votum de vitandis omnibus peccatis tam morta- quàm venialibus est nullum; quia viâ ordinariâ vitare omnia peccata venialia est impossibile. Aliud esset, si vovens omnem diligentiam adhibere promitteret, ut, quantùm in se, omnia venialia caveat, quantumcunque cum DEI auxilio caveri possunt, ad talem quippe diligentiam lex naturalis obligat & Divina: ergo est voti materia. Vix tamen tale votum consulendum. Exemplum Seraphicæ Matris Theresiæ, quæ vovit in omnibus illud facere, quod videretur perfectius, admirandum potiùs est, quàm imitandum.

2da. Debet esse bonum, quod vovetur, ideo votum de re indifferenti & ad finem bonum improportionata, vel de opere aliquâ circumstantiâ vitiato, nullum est.

3tia. Debet esse de meliori bono, hoc est: de tali, ut promittentem ab eo bono, quod DEO magis placet, & melius est, non impediat, ideo votum de non amplius mutuando, cum proximo non ampliùs loquendo, de matrimonio contrahendo &c. est invalidum, quia regulariter impediunt majus bonum, utpote Divinis contraria consiliis.

Quæres *octavo.* Quæ ad voti formam requiruntur?

℟. *1mo.* Debet esse promissio seria cum intentione sese obligandi. Nudum propositum etiam à longo tempore habitum non sufficit, ùt constat *ex cit. cap. ad literaturam. 3. de voto.*

2do. Promissio deliberata & voluntaria, quâ aliquis libere & directè certum quid promittit, & quidem talis libertas

ad votum requiritur, qualis ad perfectum actum humanum desideratur, vel, ùt alii loquuntur, qualis sufficit ad peccandum mortaliter. Voluntarium indirectum vel in sua causa ad votum non sufficit, ideo qui novit se in ebrietate aut somno vota & promissiones facere, & voluntariè se inebriat, voto in ebrietate facto non obligatur, quia non est directè voluntarium.

3tio. Debet votum fieri DEO, saltem mediatè, hoc est: ad minus finaliter in DEUM dirigi; votum enim latriæ & Religionis soli DEO tanquam summo Domino omnium bonorum Authori debitus est actus. Si Sanctis vota fiant, ut per illorum intercessionem sanitatem, vel quid aliud impetremus, id fit ad eum modum, quo Altaria & Ecclesiæ Sanctis dedicantur, scilicet in honorem DEI & memoriam Sanctorum.

Quæres *nono*. Quos votum habet effectus?

℟. Effectus voti est obligatio, quamvis enim ab initio vovere liberum sit, votum tamen factum necessariò est implendum, ùt constat *ex cap. licet. 6. de voto. Deuter. 23. Si nolueris polliceri, sine peccato eris, quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis & facies, sicut promisisti DEO tuo.* Hæc obligatio ex genere suo gravis est, attamen ex levitate materiæ violatio voti potest esse venialis.

Quæres *decimo*. Quæ circa executionem voti notanda?

℟. Votum absolutè & nullo præfixo termino factum statim est adimplendum. *Deuter. 23. Cùm votum voveris Domino DEO tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus DEUS tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi illud in peccatum.* Ratio est: quia omnis promissio absolutè & sine ulla determinatione facta, statim obligationem parit, ita, ut solvi & adimpleri debeat, quod promissum est, quamprimùm juxta prudentis arbitrium id commodè fieri potest, juxta *Reg. Juris. 14. ff. de Reg. Juris: In omnibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.*

2do. Ex justa causa voti executio differri potest. *cap. non est. 5. de voto.* Ut si impedimentum occurrat, ob quod voti executio redditur difficilior. Hoc si temporale, executio voti differri potest, donec commodè impleri valeat: si est perpetuum, votum vel est redimendum, vel commutandum, vel in ea dispensatio petenda. *cap. quod super his. 8. de voto.*

3tio. Qui Religionem ingredi vovit, & voto non impleto Episcopatum susceipit, transgressor est voti, & Episcopatui renuntiare, séque ad Religionem, ut votum impleat, transferre tenetur. *cap. per tuas. 10. de voto.* Et ratio est: quia qui absolutè tenetur voto, peccat faciendo aliquid, quo se ad implendum votum moraliter reddit impotentem, suscipiendo autem Episcopatum, consentit in statum, per quem ad executionem voti vel Religionis ingressum impotens efficitur.

4to. Qui ad certum diem, vel intra determinatum tempus aliquid dare vel facere vovit, si absque justa causa ultra præfixum tempus executionem differat, contra votum peccat, & elapso etiam tempore, quod promisit, adhuc exequi obli-

obligatur, v. g. quis vovit intra annum Religionem ingredi, elapso biennio vel triennio adhuc Religionem ingredi tenetur. Aliud est, si vovisset aliquid dare vel facere dependenter à certa die, v. g. promitto in Vigilia S. Thomæ jejunare, tunc si illo die non jejunem, violo quidem votum, sed alio die jejunare non obligor, tunc enim tempus est circumstantia ipsam rem voto promissam intrinsecè afficiens. Cùm ergo illo die transacto cum illa circumstantia rem promissam præstare impossibile sit, voti cessat obligatio. In priori casu vovens virtualiter duo promittit, unum principaliter, ùt ingredi Religionem, alterum secundariò, scilicet intra annum: ideóque si posterius omiserit, ad prius manebit obligatus.

Quæres *undecimo*. An vota transeant ad hæredem?

℟. Vota defuncti merè personalia hæres implere non tenetur, bene tamen realia vel mixta, hoc est: partim realia, partim personalia, dummodo id, quod in voto est reale, sit separabile ab eo, quod est personale, ac per se & independenter ab alio sit promissum: ùt si quis contra fidei hostes militare, & tres socios belli milites alere vovit, hæres non militare, sed solùm tres milites alere tenetur, nisi defunctus hos tres socios principali intentione ob suum comitatum & independenter à sua militia promisisset. Ratio est: quia obligatio voti personalis actiones voventis respicit, ideóque cum persona extinguitur, nec ad hæredes transit, votum autem reale res respicit, hæres verò adeundo hæreditatem illam cum omnibus oneribus realibus hæreditati annexis suscipit, ideóque votum reale non vi voti & obligatione Religionis, sed ex justitia & quasi contractu exsolvere tenetur. Constat *ex cap. ex parte. 18. de censibus*. Si hæres vota realia defuncti ab eodem hærede acceptata à Judice monitus intra annum exequi negligat, omni commodo hæreditatis est privandus. *cap. licet. 6. de voto*. Haud aliter tamen hæres ad vota realia obligatur, quàm juxta vires aditæ hæreditatis salvâ filiis legitimâ, quæ votis aut legatis nequit gravari.

Quæres *duodecimo*. Quomodo cessat voti obligatio?

℟. Votum obligare desinit *1mo* ex defectu materiæ, si videlicet superveniat circumstantia, per quam res promissa melius cessat esse bonum, vel fit majoris boni impeditiva, vel illicita, aut omnino destruitur, facta impossibilis Quando votum est mixtum, & illud, quod in eo est reale, independenter ab actione personali est promissum, si fiat impossibilis actio personalis, quod reale est, adhuc solvendum erit. V. g. Petrus vovit visitare sepulchrum S. Jacobi, & ibidem offerre 100. Imperiales, si personale vel peregrinatio ad S. Jacobum impossibilis fiat, reale, 100. scilicet Imperiales solvere obligatur. Secus si reale dependenter ab opere personali sit promissum, ùt vovi peregrinationem ad S. Jacobum, in qua impendendi pro sumptibus 100. Imperiales, peregrinatione factâ impossibili, ad sepulchrum S. Jacobi offerendi 100. Imperiales non est obligatio.

2do. Per irritationem, quâ subtrahitur materia & libertas illius, qui vovit. Irritare votum pertinet ad illum, cui voventis subjecta voluntas, quod 2pliciter esse potest: imprimis ita, ut absolutè nihil independenter à voluntate alterius vovere vel promittere valeat, & sic voluntates Religiosorum à suo Prælato dependent, qui proinde omnia illorum vota, excepto strictiorem Ordinem ingrediendi voto, irritandi habet facultatem. Deinde ita, ut voluntas voventis voluntati alterius subjecta sit, ut nihil in præjudicium vovere possit, ita dependet voluntas filii à parentibus, uxoris à marito, ùt constat *ex can. puella. 2. caus. 20. q. 2. can. manifestum. 9. can. noluit. 16. caus. 33. q. 5.*

3tio. Per commutationem, quâ materia voti in aliam, ùt peregrinatio in jejunium, commutatur. Vota commutandi potestas ordinariè Episcopis, & Episcopalem jurisdictionem habentibus competit. *cap. de peregrinationis. 1. de voto.* Extraordinariè etiam aliis, ùt tempore Jubilæi, Confessariis competere potest. Ad licitam commutationem requiritur causa justa, vel necessitatis, ùt si votum implendi difficultas, vel utilitatis, ùt si voto ligatus opus utilius præstare velit, & quidem si opus, in quod commutatio fieri petitur, evidenter melius DEOque gratius sit, nequidem Superiotis authoritas requiritur; quia promissum non infringit, qui in melius illud commutat. *cap. pervenit. 3. de jurejur.* Sic omnia vota etiam summo Pontifici reservata in melius DEOque gratius obsequium commutantur, & omninò extinguuntur. *S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 1.* Concordat *cap. Scripturæ. de voto.*

4to. Per dispensationem, quæ est quædam obligationis DEO per votum libere factum quæsitæ remissio. In voto simplici Episcopi ordinariè dispensare possunt. *cap. 1. de voto.* Excipiuntur quinque vota summo Pontifici reservata: *1mum* votum castitatis perpetuæ, 2dum votum ingrediendi Religionem, & tria vota peregrinationis: ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum in Hispania, & ad Terram Sanctam, quod votum ultramarinum vocatur. *cap. magnæ. 7. cap. postulásti. 11. de voto Extrav. etsi Dominici. 5. de pœnitent. & remiss. inter com.*

§. Quartus.

DE

Professione Religiosa.

QUæres *primo.* Quid est Religiosa Professio?

℟. Est voluntaria sui ipsius traditio in Religione approbata, cum emissione trium votorum castitatis, paupertatis, & obedientiæ à legitimo Superiore acceptata.

Quæres *secundo.* Quotuplex est Professio?

℟. Professio Religiosa Statum constituens

tuens duplex est: Tacita & expressa. Expressa est, quæ fit verbis, scripturâ vel nutibus consensum declarantibus; cùm enim Professio mutuus sit contractus, sufficit, quòd in ea consensus quomodocunque exprimatur, nisi in Religione per particularia statuta expressa verba requirantur. Tacita est, quando non verbis, vel formalibus, vel æquivalentibus, sed facto quodam mens Religionis promissæ declaratur.

Quæres *tertio*. Quibus modis tacita fit Professio?

℟. De jure antiquo tribus potissimùm modis Professio tacita fiebat. Modus *1mus*. Si post probationis annum quis habitum Professorum proprium gestavit, de quo in *cap. ad nostram. 8. de Regular. cap. constitutionem. 3. eod. in 6.*

2dus. Si quis suscepto habitu Religionis actus Professorum proprios exercuit, ùt si Novitius inter Professos vocem habuit in Capitulo. De quo in *cap. Vidua. 4. de Regular.*

3tius. Si nulla in Novitiorum & Professorum habitu est distinctio, & quis anno continuo habitum Religionis detulit, censetur esse professus. *Clement. 2. de Regular.* Hæc de jure antiquo. Post *Concil. Trident.* per quod Professio tacita limitata, non abrogata est, quatuor conditiones ad eandem requiruntur: *1ma*. Ut actus, per quos tacita fit Professio, fiant authoritate & consensu, tacito vel expresso illius, cujus ad Religionem est admittere. *2da*. Ut ea, per quæ Professio tacita inducitur, scienter fiant & spontaneè. *3tia*. Ut iis actibus utens verè profiteri intendat. *4ta*. Ut sit 16. annorum, & integrum probationis annum compleverit.

Quæres *quarto*. Quis profiteri potest?

℟. Omnes à jure non prohibiti. Prohibentur autem *1mo*. Mente alieni. *cap. sicut tenor. 15. de Regular.* Professio enim plenam & deliberatam exigit voluntatem.

2do. Constituti infra 16. ætatis annum, ante quem Professio nulla est, nullámque, ne quidem voti simplicis obligationem inducit. *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 15.*

3tio. Vir in monasterio mulierum, & econtra profiteri non possunt; Superior enim Professionem acceptans nec vult, nec potest alterius sexûs acceptare personam. Unde mulier in monasterio virorum habitu ementito professa, vi Professionis ad aliud sui sexûs monasterium ingrediendum non teneretur, cùm simpliciter nulla fuerit Professio.

4to. Servi, debitis obligati &c. de quibus supra, ubi de Religionis ingressu.

Quæres *quinto*. An Conjugati ad Professionem admitti possint?

℟. Affirmativè. Et quidem post matrimonium ratum, id est, per verba de præsenti inter fideles celebratum, actu matrimoniali non secuto, absolutè & simpliciter, post matrimonium consummatum sub certis conditionibus.

Quæres *sexto*. Qualiter conjugatus post matrimonium ratum profiteri potest?

℟. *1mo*. Sponsus vel sponsa de præsenti ante consummatum matrimonium alterâ parte non requisitâ, vel etiam invitâ Religionem libere ingredi potest.

Constat ex *cap. ex publico, 7. de conversi. conjugat.* Ratio est : quia per matrimonium ratum quædam spiritualis conjunctio, & spirituale tantùm vinculum induitur, cui subest conditio resolutiva : nisi statum perfectiorem elegero, & in illo spiritualiter vel civiliter, ùt fit per Professionem solennem, mortuus fuero, ideóque per Religionis ingressum alteri parti nulla fit injuria.

2do. Ne sub prætextu hujus privilegii unus ex sponsis alterum eludat, ac matrimonium consummare injustè detrectet, sponsis post contractum matrimonium ratum bimestre datur, intra quod deliberare valent, an Religionem ingredi, an matrimonium consummare velint. Toto illo bimestri conjux licitè debitum negat, & matrimonii consummationem recusat, illo transacto, nisi statim Religionem ingrediatur, à judice ad consummandum matrimonium compelli potest. Ut communiter tradunt *DD. in cit. cap. ex publico.* Tempus illud bimestre ad deliberandum de Religione ingredienda datum, est arbitrarium, ita, ut à judice restringi, vel abbreviari, aut etiam justa de causa prorogari valeat. *Gloss. in cit. cap. ex publico. verb. infra duorum.*

3tio. Conjugi ante consummationem matrimonii sive intra, sive post bimestre Religionem ingredienti ad probationem integer datur annus; cùm enim jus sponsis de præsenti Religionem ingrediendi concedat facultatem, hoc ipso etiam concedit annum probationis ad Professionem necessariò prærequisitam; cui non obstat, quòd alteri conjugi in sæculo remanenti tanto tempore se continere grave sit; ab eo enim non fit injuria, qui jure suo utitur, imò si sponsa duodennis esset, & Religionem ingrederetur, sponsus per quatuor annos exspectare teneretur, donec sponsa annum 16. assecuta profiteretur, cùm ante illam ætatem à *Trident.* Professio irritetur.

4to. Expleto probationis anno & Professione subsecutâ, matrimonium ratum dissolvitur, ita, ut conjux in Sæculo manens ad aliud matrimonium transire valeat. *Can. desponsatam. 27. caus. 27. q. 2. cap. verum. 2. cap. ex parte. 14. de convers. conjugat. Trident. Sess. 24. de Sacram. matrim. can. 6.* An hæc dissolutio naturæ vel Ecclesiæ fiat jure, disputant Theologi; ad minus est ex jure antiquissimo à temporibus Apostolorum introducto. Ratio differentiæ inter matrimonium ratum & consummatum quoad dissolutionem per Professionem Religiosam hæc est: quòd matrimonium ratum consensu mutuo contractum significet conjunctionem Christi cum Ecclesia vel anima fideli per dilectionem charitatis, quæ non tam firma, quin per peccatum mortale sit dissolubilis; at matrimonium consummatum repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem vel unionem hypostaticam, quæ perpetua est & nunquam dissolvenda, ideo matrimonium fidelium consummatum nullo casu quoad vinculum solvitur, matrimonium ratum per Religiosam Professionem dissolvitur; sola autem Professio solemnis trium votorum hunc effectum habet, unde nec votum simplex castitatis, juxta *cit. cap. ex parte.* Nec

vota

vota Scholasticorum in Societate JESU, nec vota Coadjutorum formatorum in eadem, cùm non solemnia, sed simplicia tantùm sint vota, matrimonium ratum dirimunt contractum, quamvis irritent contrahendum. Econtra Professio in ordine etiam militari, ubi solemnia vota emittuntur, matrimonium ratum dissolvit.

Quæres *septimo*. Qualiter conjugatus post matrimonium consummatum profiteri potest?

℟. Postquam matrimonium per carnalem copulam est consummatum, ut unus ex conjugibus Religionem ingredi valeat, requiruntur sequentia:

1mo. Consensus alterius partis, & quidem expressus *Can. sunt, qui dicunt. 19. caus. 27. q. 2.* Nec sufficit tacitus, qui ex scientia, taciturnitate ac dissimulatione præsumitur. Ratio est: quia conjux dominium corporis sui non habet, ideo illud invito altero conjuge in Religionem transferre nequit: ac ita Professio altero conjuge ignorante facta nulla est. *Cap. quidam. 3. cap. placet. 12. de convers. conjugat.*

2do. Præter alterius partis consensum requiritur, ut conjux in Sæculo manens, si juvenis, aut non extra periculum incontinentiæ constituta sit, ipsa etiam Religionem ingrediatur. *Can. Agathosa. 21. caus. 27. q. 2. cap. 1. cap. cum sis. 4. uxoratus. 8. cap. ad Apostolicam. 13. de convers. conjugat.* Ratio est: quia postquam copulatione viri & mulieris unum corpus efficitur, ex parte converti, & ex parte in Sæculo remanere nequit: ideo non sufficit, quòd conjux juvenis, ad ibi commorandum, ingrediatur, sed insuper habitum suscipere, & Professionem suo tempore emittere tenetur, ùt colligitur ex *locis cit.* Si verò conjux in Sæculo manens senex, aut talis conditionis existat, ut de ejus incontinentia nulla sit suspicio, sufficit, ut perpetuum continentiæ votum coram Episcopo faciat. *Cap. significavit. 18. de convers. conjugat.* Hæc tamen ad valorem Professionis non requiruntur, sed tantùm ut licitè fiat; multa enim fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem. *Cap. ad Apostolicam. 16. de Regular. Gloss. in cit. cap. uxoratus. verb. nullatenus.*

3tio. Requiritur, ut Professio uxorati cum licentia & authoritate Episcopi fiat. *Can. si vir. 33. caus. 27. q. 2.* Quæ licentia similiter non ad valorem, sed ut ingressus licitus sit, est necessaria. Colligitur ex *cap. 1. de convers. conjugat.*

Quæres *octavo*. Quando conjux manens in Sæculo aliam conjugem ex monasterio revocare potest?

℟. *1mo*. Conjux aliam conjugem sine licentia sua professam repetere & revocare potest. *Cap. quidam. 3. cap. placet. 12. de convers. conjugat.* Imò licèt ambo de communi consensu continentiam vovissent, quia nec tunc unum sine alterius consensu Religionem ingredi vel profiteri licitum foret.

2do. Conjux sine alterius licentia professus cognitâ Professionis nullitate exire potest, tametsi alter conjux eum non repetat. Colligitur ex *can. notificâsti. 2. can. una sola. 6. caus. 33. q. 5. junct. gloss. verb. corrigenda.* Verè enim irrita est Professio.

3tio. Si conjux sine licentia alterius compartis professus, & compars post ejus Professionem sine licentia emissam Religionem quoque ingrediatur, primò professus secundò professum ad Sæculum revocare potest, quia Professio secunda etiam invalida fuit, nec delictum prius, quod absque licentia conjugis profitendo commisit, alteri conjugi jus ad perpetuum divortium tribuit, nec Professio à primo emissa per subsequentem conjugis consensum ratificatur, cùm Professio ab initio irrita sine nova ratificatione tractu temporis non convalescat.

4to. Qui professus altero invito vel inscio conjuge, sese, quantùm potuit, obligare voluit, ita, ut si actus non valeret ùt solemne votum, saltem quatenus posset, valeret, nempe ut votum simplicis continentiæ, juxta adagium: Si non valet, ùt ago, valeat, sicut valere potest, tunc revocatus debitum quidem reddere obligatur, illud tamen petere, & mortuo revocante secundam uxorem ducere nequit. Cùm enim maritus uxore invitâ ad duo, nempe ad non petendum debitum, & ad perpetuam mortuâ uxore continentiam sese obligare valeat, ideo jus præsumit, quòd conjux altero ignorante Religionem professus ad illa duo obligare se intenderit. *Cap. quidam. 3. de convers. conjugat.* Hæc tamen præsumptio in foro conscientiæ cessat, si conjux Religionem profitendo, tantùm dependenter à Professionis valore se obligandi habuerit intentionem.

5to. Conjugem post matrimonium consummatum absque licentia alterius partis in Religione professum compars in sequentibus casibus revocare nequit: *1mus.* Si intra bimestre, quo uxori matrimonium consummare liberum erat, actum conjugalem vi vel metu extorsit, ùt probabiliter docet *Gloss. in can. fin. dist. 55. verb. invitus.* Ratio est: quia iniquum foret, quòd uxor sine culpa & voluntate sua per mariti violentiam jure suo privaretur, & maritus ex delicto commodum reportaret. *2dus.* Si unus conjugum post matrimonium consummatum adulterium commisit, alter innocens adultero invito Religionem professus revocari nequit; adulterium enim, modò de eo constet, est justa perpetui divortii causa. *Cap. significâsti. 4. de divort. 3tius.* Si alter conjugum spirituale commisit adulterium, id est, si in hæresin vel apostasiam lapsus, & authoritate Judicis Ecclesiastici facta propterea separatio, innocens Religionem ingressus revocari non potest. *Cap. fin. de convers. conjugat.*

6to. Si maritus consentiente quidem, attamen nec castitatem promittente, nec religionem ingrediente uxore sit professus, ab Episcopo revocari potest, & revocatus uxori cohabitare debet, debitum tamen petere nequit. Ratio est: quamvis enim uxor dando licentiam marito, juri suo conjugali renuntiaverit, quia tamen hæc renuntiatio haud canonicè facta, id est, juxta præscriptum Canonum, voti obligatio ex parte viri ad hunc suspenditur effectum, ut debitum reddere, non tamen petere possit, & uxore mortuâ ad Religionem, in qua validè, sed illicitè est professus, reverti teneatur.

7timo demum. Si conjux in Sæculo ma-

manens absque voto continentiæ juris conscia conjugi licentiam dedit profitendi, professum revocare non potest: quia conjux conscia juris alteri conjugi dando licentiam, ad id sese obligâsse censetur, quod jus requirit, scilicet vel ad ingrediendum Religionem, vel ad castitatem in Sæculo vovendam, si periculum absit incontinentiæ.

Quæres *nono*. Qualiter conjugati extra Religionem castitatem vovere possunt?

R. *1mo*. Conjuges tam ante, quàm post matrimonium consummatum de mutuo consensu continentiam vovere possunt, & tunc uterque ad observantiam voti est obligatus, ita, ut neuter votum revocare valeat. *Cap. dudum. 20. de converſ. conjugat.* Et neuter debitum petere vel reddere sine voti violatione ac gravi peccato potest, cùm uterque juri conjugali renuntiaverit.

2do. Unus conjux alteri licentiam vovendi continentiam vel ad tempus, vel in perpetuum dare potest, quæ licentia voto emisso revocari nequit.

3tio. Conjugatus de licentia alterius conjugis continentiam voventis, vel ad Religionem transeuntis ad S. Ordines promoveri potest. *Cap. conjugatus. 5. cap. sanè. 6. de converſ. conjugat.* Attamen post susceptionem S. Ordinum matrimonium contractum, quamvis nondum consummatum, non dirimitur. *Extrav. antiqua. de voto.*

4to. Si vir sine licentia uxoris, quæ vel contradixit, vel ignoravit, vel dissimulavit, vel vi dolóve circumventa consentit, ad S. Ordines promotus fuerit, eundem uxor revocare potest, ac vir revocatus ante matrimonium consummatum illud consummare, debitúmque petenti reddere cogitur, petere tamen non potest, quia voto castitatis S. Ordinibus annexo, quantùm legi matrimoniali contrariatur, obligatur, ideóque mortuâ uxore aliud matrimonium nec validè nec licitè contrahere potest. Ubi notanda disparitas inter professum & S. Ordinibus præter voluntatem alterius partis initiatum conjugem, quòd Professio uxore non consentiente facta sit irrita, ideóque subsequens matrimonium non dirimat, Ordo verò S. sit validè susceptus, cui cùm sit annexum solemne castitatis votum, illud subsequens dirimat matrimonium.

5to. Si vir de licentia uxoris S. Ordines suscipiat, ipsa virum revocare nequit, sed ad perpetuam continentiam est obligata; ex hoc enim, quòd viro S. Ordines suscipiendi dederit licentiam, continentiam voviſſe censetur. Quinimò viro mortuo aliud matrimonium inire non potest, cujus ratio est: quia ex constitutione Ecclesiæ ob reverentiam Ordinis S. à viro de licentia uxoris suscepti ipsa quoque ad aliud subsequens matrimonium ineundum reddita est inhabilis. Videatur *Fagn. in cap. conjugatus. de converſ. conjugat.*

6to. Ut conjugatus de licentia uxoris ordinetur Episcopus, uxor priùs Religionem ingredi. in eáque profiteri debet. *Cap. sanè. 6. de converſ. conjugat.*

Quæres *decimo*. Quænam ad Religiosæ Professionis valorem requiruntur?

R. *1mo*. Professio cum consensu illius,

cujus est Religioni incorporare, fieri debet. *cap. porrectum. 13. junct. gloss. cap. ad Apostolicam. 16. de Regular.* Ratio est: quia ut traditio Religiosi respectu Religionis obligationem pariat, à Religione acceptari debet, hanc autem acceptationem de jure communi præstat Prælatus & Capitulum. *Arg. cap. ea noscitur. 6. de his, quæ fiunt à Prælat. &c.* Ita, ut nec totum Capitulum repugnante Prælato, nec Prælatus repugnante majore Capituli parte aliquem ad Professionem admittere valeat, ùt *ex communi CC. doctrina in cap. Ecclesia. 57. de elect.* colligere licet. Sede vacante, si admissio ad Professionem ad Prælatum & Conventum simul pertinet, Conventus Novitium ad Professionem suscipere potest. *Cap. fin. de Regular. in 6.* Si verò ad solum Prælatum, vel ad eum cum consilio Conventûs admissio ad Professionem pertinet, Conventus Novitium mortuo Prælato ad vota suscipere nequit. *cit. cap. fin. cap. unic. ne Sede vacante. & can 6.* Porrò Prælatus Professionem per se vel per Procuratorem suscipere potest. *Cap. ad Apostolicam. 16. de Regular.* Etiam Laicum. *Arg. cap. 1. de procurat. in 6.*

2do. Professio in Religione determinata fieri debet. Colligitur ex *cap. unic. de voto in 6.* Ubi ad solemnem Professionem requiritur, ut in aliqua fiat Religione, per Sedem Apostolicam approbata. Ratio est: quia per Professionem Religiosus Religioni tanquam membrum suo corpori incorporatur, membrum autem in particulari corpori in communi uniri nequit, sicut nec potest quisquam esse civis civitatis in communi.

3tio. Professio libera & spontanea sit, oportet. *Cap. 1. de Regular.* Ideo metus gravis ab extrinseco in ordine ad extorquendam Professionem injustè incussus Professionem irritat. *Can. præsens. 4. caus. 20. q. 3. cap. 1. de his quæ vi. &c.* Ratio est: quia non minùs per Professionem, quàm per matrimonium novus & ex sua natura immutabilis status suscipitur: sicut igitur Canones matrimonium carnale ob metum injustè & directè incussum irritum declarant, ita etiam Professionem Religiosam, quæ matrimonio carnali æquiparatur. Ad metum gravem reducitur metus reverentialis, qui non consistit in sola verecundia & reverentia, ex qua filius vel filia patri contradicere non audet, sed in quadam coactione, per quam ob minas patris, ob torvum vultum &c. quem semper, si repugnet, est habiturus, eligit profiteri: professio ex metu reverentiali taliter qualificato facta nulla est. Patet ex *cap. cum virum. 12. de Regular. can. puellæ. 8. caus. 20. q. 1. can. præsens. 4. caus. 20. q. 3.*

4to. Professio vel absolutè vel sub conditione præterita vel præsenti, vel ad minus de futura contingente emittenda est, dummodo Religionis substantiæ contraria non sit, idem enim de carnali statuitur matrimonio. *Cap. fin. de condit. appos.* A matrimonio autem carnali ad matrimonium spirituale, Religiosam videlicet Professionem bona est argumentatio.

Quæres *undecimo.* Quinam validæ Professionis effectus?

℟. Sequentes.: *imus.* Profitentis in dominium & potestatem Religionis incorporatio

corporatio & translatio, ut gubernationi, regulis, constitutionibus & mandatis Prælatorum subjiciatur, & vicissim Religio professentem retinere, alere, gubernare, & ùt parens filium, dominus servum, & Respub. suum civem tractare teneatur.

2dus. Exemptio filiifamilias à patria potestate, cùm in dominium & potestatem transeat Religionis, ideóque patria potestas saltem quoad ea, quæ Professo damnosa & Religioni sunt præjudicios, extinguitur & cessat, ne contra *Reg. 61. de Reg. Jur. in 6.* quod in gratiam conceditur, in ejus dispendium retorqueatur.

3tius. Irregularitatis ex defectu natalium ortæ sublatio, eò quòd professus extra monasterium à parentibus, qui tunc matrimonium vel non contraxerant, vel contrahere non poterant, sit procreatus, ita, ut ad S. Ordines & beneficia Ecclesiastica (exceptis dignitatibus, Prælaturis & beneficiis curatis) promoveri valeat; aliæ irregularitates in Sæculo contractæ, quamvis per Professionem ipso facto non tollantur, in iis tamen per Prælatos dispensari potest.

4tus. Purgatio maculæ ortæ vel ex testimonio falso, ob quod quis ad testificandum inhabilis factus, vel ex ingratitudine, ob quam de jure filius à parentibus exhæredari & legitimâ privari posset, hæc per Professionem Religiosam purgatur & abstergitur. *Can. fin. caus. 19. q. 3. junct. gloss. verb. ingratitudinis.*

5tus. Impedimentum dirimens matrimonium contrahendum & dissolvens contractum non consummatum. *Cap. verum. 2. cap. ex publico. 7. cap. ex parte. 14. de convers. conjugat.*

6tus. Irritatio & commutatio omnium votorum ante Professionem factorum. *Cap. scripturæ. 4. de voto.* In quo hæc traditur regula: *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare.* Ideo imprimis post Professionem non obligant juramenta, quibus soli Deo aliquid promissum fuit, vel vota juramento firmata; juramentum enim actûs, cui adjicitur, sequitur conditionem. *Cap. quemadmodum. 25. de jurejur.* Dixi: *Soli DEO.* Quia si intuitu DEI certæ Ecclesiæ, monasterio vel hospitali aliquid juratò promissum, & ab Ecclesia vel monasterio promissio jurata fuit acceptata, sicut tunc promissum in aliud opus pium cum præjudicio tertii, cui promissio facta, commutari nequit, ita nec per professionem Religiosam ab onere promissi deobligatur, cùm Ecclesiæ vel monasterio jus acquisitum, cui per Professionem non derogatur. Deinde cessant quælibet vota, etiam realia & perpetua, quamvis eorum executio cum assumptione Statûs Religiosi compossibilis sit, imò etiam votum ingrediendi strictiorem Ordinem per Professionem in laxiori irritatur. Est decisum in *cap. qui post votum. 5. de voto in 6.* Sicut enim sponsalia contracta cum una per matrimonium de præsenti cum altera contractum dirimuntur. *Per cap. si inter. 31. de sponsal. cap. 1. de sponsa. duor.* Et secunda venditio cum traditione prævalet primæ sine traditione factæ, ita Professio in Ordine laxiore facta voto simplici Ordinem

nem strictiorem ingrediendi prævalere dignoscitur.

7timus. Omnium peccatorum ante commissorum quoad pœnam remissio. Est communis Theologorum doctrina ex *S. Thom. 2. 2. q. 189. a. 3. ad 3.* Ubi ita: Rationabiliter dici potest, quòd etiam per ingressum Religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum; si enim aliquibus eleëmosynis factis homo potest statim satisfacere de peccatis suis secundùm illud Daniel. 4. Peccata tua eleëmosynis redime, multò magis in satisfactione pro omnibus peccatis sufficit, quòd quis totaliter se Divinis obsequiis mancipet per Religionis ingressum, qui excedit omne genus satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, ùt habetur *can. admonere 8. caus. 33. q. 2.* Ubi *Gloss. verb. monasterium.* colligit, quòd quantamcunque pœnitentiam subire peccator obligetur, si Religionem intret, ad pœnitentiam non teneatur.

8vus. Indissolubilis tam ex parte profitentis, quàm ex parte Religionis obligatio, ita, ut neque professus Religionem propriâ authoritate deserere, neque Religio professum valeat dimittere.

Quæres *duodecimo.* Quid si nulla fuerit Professio?

82. In casu nullitatis Professionis observanda sunt sequentia:

1mo. Si Professio nulla sit vel ob incapacitatem personæ, vel quia non est libere emissa, vel quia non est à legitimam potestatem habente acceptata & admissa, hoc probato coram Prælato & Ordinario loci, in quo monasterium situatum, professus ad Sæculum redire, & à Religione dimitti potest, si Professio ante tacitè vel expressè ratificata non fuerit.

2do. Post quinquennium à Professione elapsum nulliter professus vel ob metum gravem in Professione intervenientem, vel ob insufficientem ætatem, vel defectum integritatis Novitiatûs &c. non ampliùs auditur. Ex decreto *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 19.* Ratio est: quia tanto tempore sciens Professionem esse nullam, & tamen non reclamans, eam ratificâsse præsumptione juris & de jure præsumitur, nec adversus eam directa probatio in contrarium admittitur; sicut enim post elapsum unius anni spatium ex continuata matrimoniali cohabitatione purgatur metus, & ex capite metûs invalidum ratificatur matrimonium. *Cap. ad id 21. de sponsal.* Et inter sponsos de futuro intercedens copula affectu maritali habita præsumitur, & sponsalia in matrimonium olim transire faciebat. *Cap. is, qui fidem. 30. de sponsal.* Ita etiam Professio ex metu vel alio defectu nulla post elapsum quinquennium à jure ratificata censetur. Si tamen revera professionem taliter professus intra ea non ratificâsset, & elapso quinquennio Religionem desereret, ac matrimonium contraheret, illud in foro interno validum foret, cùm à professo, id est, tali, qui nec unquam validè professus, nec Professionem invalidam ratificâsset, initum fuisset.

3tio. Si Professio ob impedimentum perpetuum invalida fuit, ùt quia mulier est professa in monasterio virorum, vel non est perpetuum, attamen ultra quinquennium durat, ùt quia professus alteram conjugem mortuam esse putabat, con-

contra Professionem etiam post quinquennium auditur, quia *Concil. Trident.* de eis loquitur, qui vel ob vim & metum vel defectum ætatis aut simile impedimentum temporale invalidè professi, & decretum Concilii est in favorem Religionis, cui utique grave foret & damnosum, si hujusmodi perpetuo impedimento laborantes denegatâ audientiâ retinere obligaretur.

4to. Temporaneo laborans impedimento, quamvis post Professionem ob impedimentum nulliter factam, illius invaliditatem toto quinquennii tempore ignoraverit, vel si sciverit, contra Professionem tamen coram legitimo Superiore reclamare impeditus fuerit, talis ob lapsú quinquennii ordinario caret reclamationis remedio, cui non obstat Regula generalis, quam tradit *cap. quia diversitatem. 5. de conceff. præbend.* Legitimè impeditis non currit tempus. Hæc etenim Regula solùm habet locum, quando certum tempus in odium negligentis à jure est definitum; in præsenti autem tempus quinquennii non in odium contra Professionem non reclamantis, sed in favorem Religionis est decretum, ne ab iis, qui post Professionem ad Sæculum redire cogitant, sub invalidæ Professionis prætextu Religio turbetur. Ita sententia magis recepta. Dixi: *Ordinario medio:* quia juxta modernam praxin elapso quinquennio invalidè Professo remedio extraordinario, scilicet beneficio restitutionis in integrum succurri potest: hanc dat Romæ negotiis Regularium præposita Congregatio, quæ auditis rationibus, quare invalida sit emissa Professio,

R.D. Schnorrenberg Instit. J. Can.

& quare sic invalidè professus intra quinquennium non reclamaverit, eundem in integrum restituit.

5to. Si Professio ex defectu consensûs legitimi ex parte profitentis invalida fuit, & ille illegitimitatem agnoscens impedimento sublato Professionem renovavit, Professio ratificatur, quamvis Religio consensum expressum vel acceptationem, utpote impedimenti ignara, non renovaverit. Colligitur ex *cap. significatum. 11. de Regular. & cap. 1. eod. in 6.* ubi ante legitimam ætatem professus suam Professionem annuâ delatione habitûs Professorum proprii, & exercitio actuum professis competentium ratam habuisse præsumitur, quanquam expressa ratificatio ex parte Religionis vel scientia nullitatis non adfuerit. Adhuc clariùs patet ex *Trident.* quòd Professionem ab eo, qui intra quinquennium non reclamavit, ratificatam præsumit, & si nulla fuerit ex parte Religionis, quæ impedimentum v. g. ignoravit, sit consensûs ratificatio. Ratio est: sicut enim matrimonium carnale ob defectum consensûs in uno contrahentium invalidum, ratificatur renovato consensu illius, qui antea in consentiendo defecit, consensu ex parte alterius semel legitimè posito & non revocato adhuc moraliter perseverante, ita si matrimonium spirituale Professionis ex defectu legitimi consensûs in profitente nullum sit, sufficit, quòd ille renovetur, quamvis Religio nullitatem Professionis, vel ejusdem renovationem omninò ignoret.

Quæres *ultimo.* Qualiter Religioso professo licitus ab una Religione ad aliam transitus?

℟. Quamvis sit Apostoli monitum *1. Corint. 7.* ut unusquisque, in qua vocatione vocatus est, permaneat, & Religiosus eo ipso, quo alicui monasterio per Professionem incorporatus, ad aliud admitti non debeat, & admissus restitui, sicut servus ab uno domino ad alium transiens repetendus & restituendus est. *Cap. Johannes. 5. & cap. non est. 7. de Regular.* Nihilominus ex majoris perfectionis zelo, & majorem sanctitatem assequendi studio Religiosos ad alium Ordinem transire sacri Canones non prohibent. Patet ex *can. 1. can. Monachum. 3. caus. 20. q. 4. cap. sanè. 10. cap. licet. 18. de Regular.* dummodò sequentes observentur conditiones:

1ma. Transitus ad Religionem strictiorem & perfectiorem fieri debet. *cit. cap. licet.* An autem Religio, ad quam transitur, strictior sit, non tam à primæva institutione, quàm ex constitutionibus modernaq; earum observantia desumendum est, transitus námque ad perfectiorem vitam conceditur, perfectio autem vitæ in perfecta votorum substantialium observantia consistit, quæ quandoque in Religione secundùm Regulam quidem stricta, sed cum tempore & secundùm observantiam relaxata non tam strictè observatur. Jure communi transeuntis à strictiore Ordine ad laxiorem nulla est Professio. *cit. cap. sanè.* Quandoque tamen dispensatur & conceditur, ut ob infirmitatem, debilitatem, parentum necessitatem, quibus in strictiori Ordine subveniri non potest, aliáve justa causa à strictiori ad laxiorem quis Ordinem transeat, quam licentiam Papa dare potest, & juxta Sanchez Generales Ordinum exemptorum, & Prælati etiam non exempti accedente consensu Episcopi Diœcesani. Ex his colligitur *1mo.* Licèt ab initio Canonici Regulares ad Ordinem Monachalem transire non poterant. *Can. mandamus. 2. caus. 19. q. 3. cap. intelleximus. 12. de æt. & qualit.* Cùm enim Monachi illo tempore soli DEO vacarent, nec sacris Ordinibus initiati ad tractanda sacra Mysteria applicarentur, Canonici Regulares ad Monachos transeuntes velut ex Clericis fiebant Laici; postquam verò Monachi ad Clericatum admissi cùm adhuc strictiori Regulari Observantiæ inhæreant, licitum est Canonicis Regularibus transire ad Monachos, ast non econtra Monachis ad Canonicos Regulares transmeare permittitur. *cit. cap. sanè.*

Deinde Religiosis Ordinum Mendicantium ad non Mendicantes, excepto Carthusianorum Ordine, transmigrare non licet. *Extrav. 1. de Regular. int. com.* Quòd præ omnibus aliis strictiorem Observantiam propter hæc quatuor: ob perpetuam à carnibus abstinentiam, juge silentium, continuum veluti chorum, & perpetuam clausuram, in Ecclesia Carthusiani habere censeantur. Quòd si quis ex Ordine Mendicantium etiam authoritate Apostolicâ ad non Mendicantes transiret, is ex *cit. Extrav. 1.* ad Prioratus, administrationes, officia quæcunque curam animarum per se vel per alium exercendam incapax esset, nec vocem in Capitulo haberet.

2da conditio est sincera & recta intentio, ut scilicet transitus non fiat ex animi in-

inconstantia, inordinata iræ, vindictæ, odii, rancoris, &c. passione, sed ex puro zelo ac adipiscendæ majoris perfectionis studio. *cit. cap. licet.* Cùm de tali intentione Prælatus non statim certificari possit, petitam transeundi licentiam potest, & non rarò differre debet.

3tia. Ut transitus fiat sine gravi detrimento vel notabili infamia Religionis, à qua transitur: quia commune Religionis bonum privatæ particularis Religiosi ad alium Ordinem transire volentis utilitati est præferendum.

4ta. Ut transiturus à Prælato locali vel alio Superiore, si ita in aliquo Ordine specialiter sit ordinatum, propositis transeundi causis petat licentiam, quam cum humilitate petitam Prælatus sine difficultate concedere debet. Si Prælatus petitam à Religioso licentiam indiscretè, hoc est, ex nulla vel apertè injusta causa deneget, illo non obstante Religiosus ad Ordinem strictiorem transire potest, juxta *cit. cap. licet.* ibi: *Libere potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante protervâ indiscreti contradictione Prælati.* Si causa negatæ licentiæ non apertè injusta, adeundus est Superior, non illius monasterii vel Ordinis, ad quod vel ad quem transire intendit, ut partialitatis evitetur periculum, sed ille, cujus inter monasterium vel Ordinem, ad quem & à quo fit transitus, est dirimere controversias.

5ta. Ut dimissoriæ à Prælato petantur litteræ, sine quibus Religiosus transiens à Prælato alterius monasterii suscipi non potest. *Can. statuimus. 3. caus. 19. q. 3.* nisi transiens licentiam transeundi & ejusmodi dimissorias litteras sibi indebitè negatas fuisse in continenti probare paratus sit, vel si hoc sufficienter probare nequeat, Superior deserti monasterii interrogatus de negatæ causa licentiæ apertè alleget injustam. Si transitus absque petita licentia factus, & Professio in Ordine strictiore subsecuta fuisset, illa valida foret, quia quamvis culpabili transierit modo, nihilominus votum in Professione in melius commutatum fuit, quod neque jure naturæ. *Arg. cap. pervenit. 3. de jurejur.* neque de jure Ecclesiastico irritum esse noscitur.

6ta. Si totum monasterium & quoad personas & quoad locum ad alium Ordinem transiret, summi Pontificis necessaria foret licentia. Colligitur ex *Cap. unic. de Religios. domib. §. fin. in 6.* ibi: *Nullus Ordo ad alium, vel Conventus ad Conventum se ac loca sua totaliter transferat, Sedis ejusdem Apostolicæ, super hoc permissione specialiter non obtentâ.*

§. Quintus.

DE

Obligationibus Religiosorum.

QUæres *primo.* Qualiter Religiosi ad Regulam obligantur?

R. *1mo.* Religiosi secundùm Regulam, quam professi sunt, vivere tenentur.

Constat ex *cap. recolentes. 3. de Stat. Monach.* ubi Alexand. III. Cistercienses Regulam secundùm originalia instituta, sive primævam Religionis institutionem observare hortatur. *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 1.* præcipit, ut omnes Regulares tam viri, quàm mulieres ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant & componant.

2do. Regula Religiosos obligat. Ratio est: quia aliàs Regula non differret à consilio, quod nullam inducit obligationem, nec Prælati transgressores Regulæ corripiendi haberent potestatem, cùm tamen Religiosi in Professione observare Regulam, vel vivere secundùm Regulam, vel obedire Prælato suo secundùm Regulam præcipienti sese obligare soleant.

3tio. Regula quandoque immediatè obligat sub culpa, quandoque sub sola pœna, quandoque immediatè neque sub culpa, neque sub pœna, attamen semper mediatè aliquam obligationem inducit, quia Prælato secundùm Regulam imperanti obedire obligat, & ita obediendi infert necessitatem, in quo à mero differt consilio. *Can. quisquis. 3. causs. 14. q. 1.* ibi: *Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est, ubi præceptum, necessitas est servientis.*

4to. Religiosus transgrediens Regulam non semper peccat, quia nullus Religiosus sub voto suæ Professionis promittit servare singula, quæ sunt in Regula, sed vivere secundùm Regulam, vel obedire Prælato jubenti secundùm Regulam; sunt & quædam in Regula præcepta, quædam verò monita & consilia, ideóque profitens præcepta Regulæ ùt præcepta, consilia ùt consilia servaturum se promittit. Colligitur ex *Clement. exivi. 1. de V. S.* ubi declarat summus Pontifex de Regula S. Francisci, quòd S. Francis. illius Regulæ institutor omnes hujus Regulæ Professores ad omnia in eadem contenta æqualiter obligare non voluerit.

5to. Quæ continentur in Regula, in quadruplici genere sunt: *1mo.* Sunt quædam, quæ sub mortali obligant, non quia in Regula sunt, sed quia aliundè præcepto vel naturali, vel Divino, vel Ecclesiastico præcepta sunt, ùt amor DEI & proximi, &c. *2di* generis sunt ea, quæ ad mortale ratione votorum adstringunt, cùm ad eorum observantiam pertineant. *3tii* generis sunt opera supererogationis & consilii omnibus Fidelibus communia, ùt specialis inimicorum dilectio, abnegatio sui ipsius, &c. & istorum transgressio culpam non inducit, cùm ad Religionis spectent perfectionem, Religiosus autem non perfectus esse, sed ad perfectionem tendere tenetur. *4ti* generis sunt Observantiæ Regulares & externæ in Regula præscriptæ cæremoniæ, & hæ de se ad culpam non obligant, nisi Author Regulæ, quòd sub gravi vel levi ad illa Professores ejus adstringere velit, mentem suam declaraverit.

6to. Transgressio Regulæ neque ad mortale, neque ad veniale obligantis per accidens mortalis aut venialis esse potest, quia est vel ex negligentia, vel ex libidine, vel ex contemptu. *Doct. Angel. 2, 2. q. 186. a. 9 ad 1.* Ex negligentia ab

eo

eo fit Regulæ transgressio, qui ex aliquo animi tepore Regulam transgreditur, & talis ad minus culpam venialem committit, quam non committeret, si ex inadvertentia vel oblivione fieret transgressio. Ex libidine Regulam transgreditur, qui ob nimiam cupiditatem erga aliquid Regulam violat. Ex contemptu denique formali transgreditur Regulam, qui eidem subjici recusat: contemptus siquidem formalis duo importat, ipsam transgressionem, & causam transgressionis; est enim transgressio præcepti, quia præceptum est, & hic contemptus formalis semper est peccatum mortale. Si ex consuetudine vel alia causa legis fiat transgressio, materialis est contemptus, qualis in omni peccato invenitur, si transgressionem continuandi adsit intentio, contemptus dicitur interpretativus.

Quæres *secundo*. Qualiter Prælati regulæ observantiam procurare tenentur?

℟. Prælati, ut regula à subditis etiam quoad accidentalia, in quibus illa sub nullo omninò conscientiæ reatu obligat, observetur, sub mortali procurare tenentur. Ratio est: quia Prælati ex officio regulæ observantiam urgere debent, sunt enim in regulæ custodiam, non in illius destructionem electi, ideóque ejus observantiam non procurantes in malo statu sunt, & peccata subditorum Prælatis imputantur. Colligitur ex *cap. in tantum. 36. de simon.* ibi: *Ne aliorum culpa tibi ob tuam negligentiam imputetur ad pœnam. cap. irrefragabili. 13. de offic. Ordinar.* Ubi hæc: *Irrefragabili constitutione sancimus, ut Ecclesiarum Prælati ad corrigendum subditorum excessus, maximè Clericorum, & reformandos mores prudenter ac diligenter intendant, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur.* Ubi *Gloss. verb. sanguis. Durum verbum pro Prælatis negligentibus subditos corrigere, &c.* Nec

Dicas: Subditus transgrediens regulam sub culpa non obligantem non peccat, ergo neque Superior, cùm hic non sit deterioris conditionis, quàm subditus. Disparitas enim est, quòd Prælatus ex officio procurare teneatur, ne disciplina regularis relaxetur, ideóque graviter peccat, si ex tolerantia levium etiam excessuum quoad notabilem partem relaxetur disciplina.

Quæres *tertio*. Qualiter Superiores ad relaxatæ regulæ reformationem obligantur?

℟. *1mo.* Si regula per negligentiam Superiorum sit relaxata, Superiores reformationem instituere, & ad pristinum vigorem Religiosos reducere possunt & debent, qui etiam huic reformationi sese accommodare tenentur: tum quia per Professionem propriæ renuntiârunt voluntati, tum quia non corruptas consuetudines, sed regulæ voverunt observantiam. *Fagn. in cap. recolentes. 3. de Stat. Monach.*

2do. Quando regula Religionis quoad vota substantialia paupertatis, castitatis & obedientiæ relaxata, Religiosi illam non sic relaxatam, sed in suo pristino vigore quoad observantiam votorum servare tenentur. Ratio est: quia licèt Religiosi secundùm regulam profitentes expressam intentionem tantùm ad illam ùt relaxatam sese obligandi habuerint, quia

tamen expressam Statum religiosum profitendi habuerunt intentionem, & hic trium votorum observantiam essentialiter includit, ideo virtualiter & implicitè ad regulam perfectè & integrè servandam se obligare intenderunt, uti suscipiens Ordinem sacrum, quamvis ad castitatem sese obligare explicitè non intendat, ex vi tamen statûs illius ad eam manet obligatus.

3tio. Quando regula per legitimam consuetudinem non quidem quoad vota substantialia, sed quoad alias regulares relaxata est observantias, Religiosi illam professi non peccant se regulæ sic relaxatæ accommodando. Ratio est: quia ad regulam non aliter se obligârunt, quàm prout erat in usu, & prout de facto observabatur, nec ex vi Statûs religiosi, quem sunt professi, aliud, quàm votorum exigitur observantia; si tamen summus Pontifex vel Superiores sic collapsam & relaxatam regulam reformare, & ad pristinum suum vigorem reducere vellent, Religiosi illam professi reformationi hujusmodi resistere non possunt, quia eo ipso, quo talis Religionis membra, & talem regulam professi sunt, etiam cum proprio dispendio bonum & conservationem ipsius procurare tenentur: evidens autem est bonum & conservationem regulæ & Religionis ex reformatione pendere. *Lezana & Fagn. in cit. cap. recolentes.* ubi ad hoc declarationem Congregationis adducit. Unde meritò summi Pontifices Conservationi Religionum intendentes, eas sæpissimè ad pristinum vigorem decretis Apostolicis reducere conantur, quod fieri non posset, si Religiosis prædictæ reformationi obstare & resistere liceret.

Quæres *quarto.* Quid circa constitutiones & statuta Ordinum est observandum?

R. *1mo.* Constitutiones & statuta à regula differunt, quòd regula ùt plurimùm ab aliquo Patriarcha Ordinis sit constituta, à summis Pontificibus approbata, & in Religione perpetua ac invariabilis: Constitutiones autem à Prælatis & Capitulis sunt ordinatæ, & pro temporum mutari possunt varietate.

2do. Potestas statuta pro tota Religione condendi generaliter ad Generalem cum Capitulo generali, vel ad Provincialem cum Capitulo Provinciali pro tota Provincia pertinet. Cujus ratio est: quia licèt quilibet Superior præcepta vel mandata solùm pro determinato sui officii tempore duratura imponere valeat, statuta tamen & constitutiones condi non possunt, nisi ab eo, qui totam repræsentat communitatem, qualis est cum Capitulo generali Generalis, vel cum Capitulo Provinciali Provincialis.

3tio. Ut hujusmodi constitutiones in conscientia obligandi vim habeant, debent esse de rebus ex- vel implicitè regulam concernentibus, explicitè quidem, si illa in regula non habeantur, implicitè verò, si ad observantiam regulæ sunt necessaria. Ratio est: quia Religiosi nonnisi in iis, quæ aliquo modo regulam professam concernunt, obedire tenentur.

4to. Quando ea, quæ in constitutionibus habentur, aliunde v. g. jure naturali aut positivo sunt præcepta, talis ac tanta est transgressio illorum, qualis

&

& quanta illorum præceptorum transgressio.

5to. Obligatio servandi statuta in materia aliàs non præcepta, nec Deo promissa aliquando ad culpam mortalem, aliquando ad venialem, aliquando ad nullam, sed ad meram pœnam in constitutionibus taxatam adstringit; hic communis usus & Religionis acceptatio est attendenda, quoties autem censura gravis additur, culpa gravis esse dignoscitur.

6to. Quoties Religiosus aliquod statutum, etiam ad culpam non obligans, ex contemptu transgreditur, peccato mortali contaminatur; contemptus enim formalis est actus inobedientiæ, directè oppositus obedientiæ voto, quo in Professione Religiosus suam voluntatem Superiorum voluntati subjiciendo sese adstrinxit, talis autem contemptus juxta superiùs dicta est: quando quis statutum ideo transgreditur, quia statuto vel Superiori per statutum præcipienti subjici non vult, habetque duos virtualiter actus, unum, quo legi vel Superiori subjici non vult, alterum, qui ex eo nascitur, quo legem vel statutum transgredi eum delectat.

7timo. Prava consuetudo non servandi statuta ad culpam gravem non obligantia, ex se mortalis non est; sunt enim plura peccata venialia eorum crebræ transgressiones, per accidens tamen hujusmodi consuetudo mortalis fieri potest, ùt ratione periculi, cui se quis exponit transgrediendi ex contemptu, vel ratione scandali, ùt quia ferè nunquam servat statuta, & talis Religioni valdè noxius est, & alios suo exemplo ad relaxationem inducit.

8vo. Non solùm subditi & inferiores, sed etiam quicunque Religionum Superiores statutis tam quoad vim directivam, quàm quoad vim coactivam obligantur, cùm talia statuta non ab ipsis solùm, sed à tota Religione vel à Capitulis generalibus condita sint.

9no. Statuta Religionum authoritate Papæ confirmata ab ipsis Religionibus mutari nequeunt, eò quòd inferior facta Superioris tollere non possit, quod tunc verum est, quando in bonum Religionis seu per modum decreti, mandati vel ordinationis facta est Papæ confirmatio; secùs est, si confirmatio facta in tales leges statuentium favorem, tunc enim rationem privilegii habet, à quo liberè recedere possunt privilegiati.

10mo. Statuta juri communi seu constitutionibus Apostolicis contraria condi non possunt; jus enim commune est à supremo Ecclesiæ Capite vel in generali Concilio vel extra præcipiente constitutum, cui Prælati cum generalibus suis Capitulis noscuntur esse subjecti. Constitutiones tamen juris communis declarandi, innovandi, pœnam, ubi deficit, imponendi, vel appositam augendi habent facultatem, sic enim jus commune non subvertitur, sed adjuvatur. *Arg. cap. 1. de nov. oper. nuntiat.*

11mo. Demum Superiores Religiosorum in statutis universaliter dispensare non possunt, nisi talis facultas illis expressè vel interpretativè concedatur, eò quòd inferiores in legibus à Superioribus emanatis dispensare nequeant, statuta

verò

verò à tota Religione aut tota Provincia facta sunt, in casibus tamen obviis eis dispensandi non negatur potestas. Ratio est: quia cùm in his casibus sæpè facultas dispensandi necessaria sit, à jure talis licentia concedi præsumitur, quod etiam consuetudine, quæ est optima legum interpres, observatur.

Quæres *quinto*. An Religiosi ad studia adstringi valeant?

℟. Justissimæ sunt constitutiones Religiosos ad litterarum studia adstringentes, conformiter *Trident. Sess. 5. de reform. cap. 1.* ubi ita disponitur: In monasteriis Monachorum, ubi commodè fieri queat, Lectio sacræ Scripturæ habeatur, qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc ut Sedis Apostolicæ Delegati eos ad id opportunis remediis compellant. In Conventibus verò aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, sacræ Scripturæ Lectio similiter habeatur, quæ Lectio à Capitulis generalibus vel Provincialibus assignetur dignioribus Magistris. Ubi

Notandum cum *Lezana tom. 1. cap. 8. n. 29.* quòd Religiosi ad studia deputati notabiliter negligentes in studendo sæpè peccent mortaliter, tum quia aliorum occupant locum, tum quia commoditate illis ad studendum à Religione concessâ abutuntur, & scientias contemnere videntur; tum quia ad exercitium curæ animarum sese reddunt incapaces, ad quod tamen cum præsentissimo plures animas perdendi periculo à Superioribus, illos tempore studiorum suæ obligationi satisfeciisse præsumentibus, certò sunt applicandi.

Quæres *sexto*. Quæ circa votum paupertatis Religiosorum obligationes?

℟. *1mo.* Religiosus per votum paupertatis omnes res temporales à se abdicat, ideóque per illud privatur Religiosus *1mo.* Si solenne, dominio & proprietate cujuscunque rei temporalis; res spirituales, ùt S. Reliquiæ &c. sub hac abdicatione non comprehenduntur. *2do.* Usufructu. *3tio.* Usu juris: quemadmodum enim per votum obedientiæ Religiosus omnes suas actiones Superiorum subjicit voluntati, ita per votum paupertatis omnem rerum temporalium usum Superiorum voluntati submittit, ut usum facti solum habeat, hoc est: usum rerum necessariarum dependenter à Superiorum voluntate, sicut servi, qui quamvis nil proprii habeant, habent tamen usum facti ciborum, vestium, &c. quæ illis à Domino conceduntur.

2do. Ut hæc abdicatio meliùs ac perfectiùs servari possit, omnes Religiosi ad vitam communem obligantur juxta novissimum decretum *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 1.* ubi generaliter præcipitur, ut omnes Regulares tam viri, quàm mulieres, quæ ad communem vitam, victum & vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent. Ratio est: quia quamvis sine tali vita communi votum paupertatis absolutè observari possit, cùm illud substantialiter in hoc consistat, ut dominium alicujus rei temporalis, vel usus illius sine licentia Superioris non habeatur: quia tamen prædicta Religiosa paupertas sine vita communi difficulter & mancè observatur, Ecclesia omnibus Religiosis vitam com-

communem præcipere potuit, sicut etiam omnibus Monialibus ad facilius servandum castitatis votum perpetuam præcepit clausuram, tametsi absque hac absolutè, non tamen sine magna difficultate & pluribus periculis votum castitatis servari valeat.

Quæres *septimo*. Ad quæ Religiosi ratione vitæ communis obligantur?

R. *1mo*. Nunquam Religioso proprium quid habere licitum est. *Can. non dicatis. 11. caus. 12. q. 1. cap. Monachi. 2. cap. cum ad monasterium. 6. de Stat. Monach.* ubi Pontifex in virtute obedientiæ sub obtestatione Divini Judicii præcipit, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat. *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 2.* Hac de causa Superior Monacho rem, quæcunque illa sit, ad usum irrevocabilem nunquam concedere potest. Ratio est: quia hoc esset directè proprietatem habere, de qua in *cit. cap. cum ad monasterium: Nec æstimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

2do. Religiosus peculium sive reditus annuos aut rem immobilem vel mobilem ex licentia & concessione Superiorum, de qua independenter à voluntate disponat eorundem, habere nequit. *cit. cap. Monachi: Monachi peculium non permittantur habere. cit. cap. cum ad monasterium. cap. Jooannes. 5. de Regular. Prohibemus aliquem peculiare quidpiam habere.* Ex quibus colligunt DD. illicitum esse Religioso peculium sine causa, independenter, irrevocabiliter, ac cum plena de illo pro placito proprio potestate disponendi concessum.

3tio. Peculium sive reditus annui in usus licitos & honestos, revocabiles ac à voluntate Superiorum dependentes neque ex natura voti paupertatis, neque ex jure antiquo Religiosis prohibiti sunt: non ex natura voti paupertatis; nam votum solùm possessionem, vel rei cujuspiam usum independenter à Superioris voluntate ac dispositione excludit: non ex jure antiquo, quia in *cit. cap. Monachi. 2. de Stat. Monach.* peculium ab Abbate pro adjuncta administratione Religioso permittitur. *In can. mulieres. 31. caus. 27. q. 1.* dicitur: *Mulieres obtentu Religionis velatæ aut in monasterio regulariter vivant, aut in domibus suis susceptum habitum castè observent.* Quod absque peculio ad sustentationem requisito fieri non potest. Demum in *cap. insinuante. 7. qui Cler. vel vovent.* professio fœminæ sub conditione in propria remanendi domo cum omni sua substantia quoad usum illius facta approbatur.

4to. Hodie Religioso annuos reditus, peculium, vel rem immobilem etiam à voluntate Superiorum dependentem & ad nutum revocabilem habere illicitum est: postquam enim *Trident Sess. 25. de regular. cap. 1.* perfectam rerum omnium in monasteriis communitatem cunctorum Ordinum regulis & constitutionibus primævis expressam commendâsset, tanquam basin & totius regularis disciplinæ fundamentum, quâ exactè non servatâ totum ædificium corruat necesse est.

Cap. 2. subjungit : "Nemini igitur Regularium tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine Conventûs possidere vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem aut commendam." Quo decreto *Trident.* novum jus condi verior docet sententia: quia intentum Concilii absque dubio fuit abusuum, qui in aliquibus monasteriis ante Concilium erant, extirpatio, qui abusus non solùm in hoc consistebant, quòd Religiosi peculium vel annuos reditus independenter à Superiorum voluntate haberent, quod indubitanter semper proprietatis fuit peccatum, sed etiam in hoc, quòd peculio aliisve reditibus dependenter à Superiorum voluntate fruerentur. Sensum *Concil. Trident.* expressit Clemens VIII. in constitutione : *Nullus omnino :* ut *Concil. Trident.* decreta de paupertatis voto custodiendo fideliùs observentur, præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia vel pecuniam, proventus, census, eleëmosynas sive ex Concionibus, sive ex Lectionibus vel promissis, tam in propria Ecclesia, quàm ubicunque celebrandis, alióve ipsorum justo labore & causa & quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, vel piorum largitiones, legata vel donata fuerint, tanquam propria vel etiam nomine Conventûs possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, reditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus & vestitus omnibus suppeditari possit. Hanc constitutionem Clement. Urbanus VIII. & sequentes Pontifices innovaverunt.

5to. Post *Concil. Trident.* & has Pontificias constitutiones administratio boni stabilis Regularibus, solis exceptis Officialibus, ex nulla causa nullóque casu est permissa. Ratio disparitatis inter simplicem Religiosum & monasterii Officialem quoad administrationem bonorum temporalium hæc est: quia dum simplici Religioso conceditur administratio, ea datur, ut proventus in suos particulares usus convertat, atque ita in effectu est quasi usufructuarius; cùm enim de fructibus disponere possit, quasi jus utendi & fruendi habere dicendus est. Nec refert, quòd nonnisi in usus honestos ac licitos disponere & expendere valeat: quia nec Beneficiati sæculares fructus superfluos beneficiorum suorum in usus profanos, inhonestos & Clericalem Statum dedecentes erogare possunt, & tamen sunt usufructuarii. Minus refert, quòd ad nutum Prælati auferri possit administratio: hoc enim non impedit, quò minùs durante administratione jus utendi ac fruendi habeat, & ita ad beneplacitum Prælati sit usufructuarius. Officialis verò monasterii in ejus utilitatem administrator constituitur, ideóque de proventibus in usus proprios disponere nequit,

quit, sed omnia in communes Conventûs & Ecclesiæ usus convertere tenetur.

6to. In monasteriis, in quibus vel ob nimiam paupertatem, quâ premuntur, vel ob incuriam & negligentiam Superiorum vita communis servari nequit, quia singulis & omnibus ea, quæ necessaria sunt, vel decent, non subministrantur, Religiosi extra statum sunt damnationis, si peculium vel annuos reditus in Ordine solùm ad usus necessarios, & à voluntate Superiorum omni momento revocabiles habeant ac percipiant. Ratio est: quia cùm isto modo habere peculium non contra votum paupertatis, sed solùm contra præceptum *Trident.* & Apostolicas sit constitutiones, & præcepta Ecclesiæ cum morali impossibilitate non obligent, ac leges vitam communem præcipientes, & consequenter peculium vel annuos reditus tam strictè prohibentes præsupponant, quòd monasteriorum Superiores singulis Religiosis de communi redituum massâ omnia suppeditent necessaria. Ergo in casu, in quo monasteria ob domûs angustiam ita de necessariis providere nequeunt, aut etsi queant, id tamen de facto non præstant, Religiosos particulares, penes quos non stat, ut vita communis juxta regulas Pontificias & constitutiones præceptivas introducatur, Ecclesiæ non ligat dispositio. Ex prædicta ratione etiam excusatur consuetudo, quæ in quibusdam relaxatis monasteriis inolevit, ut quotannis cuivis Religioso certa fructuum portio, quâ necessaria comparet, assignetur, dummodò hæc portio in usus necessarios, & dependenter à voluntate Superiorum expendatur; unde tales portionistæ à læsione voti paupertatis haud sunt excusandi, si fructus perceptos in compotationes, lusus aliósve vanos usus impendant, interim necessariorum penuriam patientes, similiter purgatur consuetudo, juxta quam particularibus Religiosis ea, quæ proprio labore, industriâ, doctrinâ aut donatione acquirunt, ad usus necessarios conceduntur, dummodò Religiosi illi vitam communem, si juxta regulam & Ordinis Ecclesiæque constitutiones introducenda foret, acceptare parati existant.

7timo. Religiosus nequidem de licentia Prælati aliquid superfluum, sive naturæ, personæ aut statui non necessarium habere potest, ideóque contra paupertatem peccat tam Religiosus de licentia Prælati superfluum habens, quàm Prælatus superfluum concedens, ex his fundamentis: *1mo* ex *Clement. 1. de Stat. Monach.* ubi Religiosis omnis cultus & ornatus pretiosus interdicitur. *2do* ex *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 2.* ibi: *Mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quem professi sunt, conveniat, nihilque superfluum in ea sit. 3tio* ex decretis Clement. VIII. & Urban. VIII. Fratrum vestitus & supellex cellarum ex communi pecunia procuretur, & omninò conformis sit Fratrum & quorumcunque Superiorum, statuíque paupertatis, quem professi sunt, conveniat, ita, ut nihil superflui admittatur, nihil etiam, quod sit necessarium, iis denegetur. *4to* ex ratione: quia votum paupertatis ea solùm, sine quibus vita transigi non potest,

& quæ secundùm naturam, personam & decentiam statûs necessaria sunt, permittit; quemadmodum autem Religiosi ad habendum nisi necessarium, sic etiam Prælati ad non dispensandum adstringuntur, cùm Prælati monasteriorum non Domini bonorum communium, sed Administratores tantùm sint, hinc de rebus communibus citra utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ disponentes peccant. In dispensatione autem rerum necessariarum attendenda est primò necessitas naturæ, quæ omnibus est communis, deinde necessitas personæ, quæ in singulis est particularis, item usus inter prudentes & timoratos ejusdem Religionis approbatus, ac demùm omnes circumstantiæ temporis, loci, officii, quia si ad hæc omnia non attendatur, non est prudens dispensatio.

8vo. Religiosus habens de licentia Superioris præcedentis aliquid, illúdque celans, vel Prælato præsenti, ne videat, vel auferat, occultans, est proprietarius. Ratio est: quia retinet aliquid contra voluntatem Superioris præsentis, qui hìc & nunc verus est illius Superior, & generaliter Superiori aliquid occultans, quod possidet, vel non manifestans, dum Prælatus interrogat, est proprietarius: quia aliquid contra voluntatem Superioris retinere intendit, nec quidquid possidet, si Superior jusserit, paratus est dimittere.

9no. Religiosus vi voti paupertatis nihil, sive usu consumptibile, sive non consumptibile à quoquam sive extraneo, sive domestico sine Superioris licentia accipere potest. Ratio est: quia accipere aliquid independenter à voluntate Superioris est actus proprietatis, cui per votum renuntiavit. Unde in *cap. cùm ad monasterium. 6. de Stat. Monach.* dicitur: si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati assignetur. Quapropter Religiosus ab extraneo pecunias accipiens, & eas apud alium deponens, ut iisdem ad libitum utatur, proprietatis vitium committit: aliud foret, si dare volenti Religiosus diceret, ut pecunias apud tertium deponeret pro casu, quo licentiam illis utendi haberet, tunc enim proprietarius non esset. Ratio est: quia in tali casu nec dominium nec proprietatem nec usum juris, sed solum usum facti cum Superioris licentia acquirit, quod voto paupertatis non repugnat.

10mo. Religiosus, qui ex eo, quod alteri ad usum est concessum, aliquid sibi assumit, peccato peccat proprietatis: Idem est, si Religiosus A aliquid recipiat, quod recipiendum erat à Religioso B, ut Religiosus recipiens Missarum stipendia, quæ Prælato jubente Sacrista recipere deberet, etiamsi Missas dicat, est proprietarius, eò quòd contra beneplacitum Prælati aliquid recipiat.

11mo. Contra paupertatem delinquit Religiosus aliquid ex iis, quæ ad usum sunt concessa, sine licentia Superioris expendendo, ut si permutet, mutuet, vel alio modo de illis contrahat, si ea, quæ ad certum usum à Superiore indulta, in alium usum applicet, in conservatione rerum ad usum sibi concessarum eam diligentiam non adhibeat, quam homines in rebus suis conservandis communiter

muniter adhibere solent: quia illas dicto modo non conservare est quasi expendere, & contra Superioris voluntatem consumere.

Adde Religiosum extrostantem sub peccato proprietatis obligari ad reddendum fideliter computum, & exprimendum residuum, neque revocatum posse quid sine licentia alteri tradere custodiendum in eventum, ut, si rursùs emittatur, habere valeat.

12mo. Peccat contra paupertatem Religiosus ludens pro pecunia vel re pretio æstimabili: quia rem ad usum concessam sine licentia Superioris expendit, illam jacturæ exponendo. Quòd si lusus vel à jure, vel à regula aut constitutionibus prohibitus sit, Religiosus nec pro magna, nec pro parva quantitate etiam de Superioris licentia ludere potest, cùm Superior hujusmodi licentiam indulgendi non habeat facultatem.

Quæres *octavo*. Qualis requiritur licentia, ut Religiosus contra paupertatem non peccet?

℟. Licentia requisita ad hoc, ut Religiosus aliquid accipiat, possideat, vel expendat, debet esse vel expressa & formalis, vel tacita & virtualis in alio actu inclusa, vel si Superior adiri non possit, prudenter præsumpta, quando videlicet in casu, quo copia Superioris haberi nequit, prudenter creditur, quòd Superior id velit, & expressam daret, si interrogaretur, licentiam. Deinde debet esse licentia voluntaria, non coacta, precibus importunis, metu murmurationum vel alterius mali aut dolo extorta; talis enim licentia potiùs est violentia, nec Religiosus per eam secundùm Superioris, sed propriam operatur voluntatem. Demùm licentiam oportet esse legitimam, ad usus honestos, non pravos, inutiles & superfluos, cùm ad hos Prælatus licentiam dare non possit.

Quæres *nono*. Quàm grave peccatum proprietatis?

℟. Crimen proprietatis ex genere suo est mortale, ob parvitatem materiæ leve. Ratio est: quia peccatum proprietatis habet malitiam quasi furti contra justitiam, quatenus usum rei alienæ invito Domino importat, & malitiam sacrilegii contra Religionem, quatenus est contra votum, ideóque illa materia, quæ in furto levis est, etiam in peccato proprietatis levis erit, & sicut per plura minora furta ad materiam gravem devenitur, sic Religiosi successivè minima retinentes, accipientes vel expendentes sine Superiorum licentia contra votum paupertatis, quando ad gravem vel notabilem pervenitur quantitatem, mortaliter peccant, dummodò actus illi accipiendi, retinendi, expendendi &c. aliquo modo, vel ratione temporis vel loci, uti aliàs de furto docere solent Theologi, sint uniti.

Quæres *decimo*. Quæ proprietariorum pœnæ?

℟. Præter pœnas in propria regula vel cujuslibet Ordinis constitutionibus expressas de jure communi contra proprietarios statuuntur sequentes:

1ma. Privatio communionis & sepulturæ Religiosæ. "Qui peculium habue-"rit, nisi ab Abbate fuerit ei pro injun-"cta administratione permissum, à com-

"munione removeatur Altaris, & qui "in extremis cum peculio inventus fue- "rit, & dignè non pœnituerit, nec obla- "tio pro eo fiat, nec inter Fratres ac- "cipiat sepulturam, quod etiam de uni- "versis Religiosis præcipimus observa- "ri." *Cap. Monachi. 2. de Stat. Monach.* "Quòd si proprietas apud quenquam "inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in "signum perditionis extra monasterium "in sterquilinio subterretur, secundùm "quod B. Gregorius narrat in dialogo "se fecisse Innocent. III. in *cap. cum ad monasterium. 6. de Stat. Monach.* Quòd si in loco sacro sepultus fuerit, est extrahendus, si id sine magno scandalo fieri possit. *Cap. super quodam. 4. de Stat. Monach.*

2da. Expulsio è monasterio: "Si quis "proprietatem aliquam fuerit deprehen- "sus habere, regulari monitione prævia "de monasterio expellatur, nec recipia- "tur ulteriùs, nisi pœniteat secundùm "monasticam disciplinam." *Cit. cap. cum ad monasterium.*

3tia. Privatio vocis ac- & passivæ: "Quòd si quis aliter quidquam retinere "deprehensus aut convictus fuerit, is "biennio activâ & passivâ voce privatus "sit, atque etiam juxta suæ regulæ & "Ordinis constitutiones puniatur." *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 2.*

Quæres *undecimo.* Quæ ex voto castitatis sequuntur obligationes?

℟. Quantumvis formula Professionis votum castitatis explicitè non contineret, Religiosus tamen eo ipso, quo profiteretur, ad castitatem obligaretur, cùm custodia castitatis Statui religioso essentialiter sit annexa. *Cit. cap. cum ad monasterium.* Votum castitatis duo includit: *1mo.* Fit obligatio ad vitanda omnia peccata tam in- quàm externa, quæ sunt contra castitatis votum, ita, ut omnis actus contra castitatem in Religioso non solùm sit peccatum carnis, sed etiam sacrilegium.

2do. Fit obligatio abstinendi à conjugio & omni actu conjugali, ita, ut Religiosi non solùm peccent, sed etiam excommunicationem matrimonium contrahendo incurrant. *Clement. unic. de consang. & affin.* Et matrimonium taliter contractum irritum est & invalidum. *Cap. unic. de vot. in 6.* Specialiter observanda sunt sequentia:

1mo. Peccatum contra castitatem, quod in Sæcularibus solùm est veniale, ùt verbum inhonestum, in Religioso ratione scandali mortale fieri potest. Ratio est: quia cùm Sæculares talia in Religioso vident, grave concipiunt scandalum, quod peccatum scandali juxta multos est contra votum castitatis, eò quòd peccatum scandali (si scandalum directum, juxta omnes) ad eandem speciem, ad quam pertinet peccatum illud, ad quod inducit, reducatur.

2do. Clemens VIII. in decreto de reservatione Casuum inter casus, qui à Superioribus Regularibus reservari possunt, nonum posuit: *Lapsum carnis voluntarium, opere consummatum.* Per quæ verba non solùm fornicatio, adulterium, &c. sed etiam quæcunque voluntaria pollutio intelligitur, eò quòd sit lapsus carnis in sua specie consummatus, quamvis in ordine ad alium actum consummatus non sit.

3tio.

3tio. Ob castitatem à Religiosis Viris conservandam ab Ecclesia prohibitum est, ne fœminæ cujuscunque qualitatis vel conditionis intra Claustra admittantur. Ad hoc plures *Canones à Gratiano causa 18. q. 2.* referuntur, qui per constitutiones S. Pii V. & Gregor. XIII. renovantur.

Quæres *duodecimo*. Quam obligationem votum obedientiæ inducit?

R. Per votum obedientiæ, quod inter substantialia Religionis vota præcipuum est, DEO propria voluntas offertur, quæ potior est, quàm corpus per votum castitatis DEO dedicatum, & nobilior, quàm bona temporalia, per votum paupertatis abdicata, illo se Professionem emittens obligat ad obediendum Superiori præcipienti ea, quæ vel directè vel indirectè, explicitè vel implicitè regulæ sunt consentanea. Ideo

1mo. Religiosus ad obedientiam formalem, per quam Superiorum præcepta, quatenus præcepta sunt, exequatur, ex voto obedientiæ non obligatur. Ratio est: quia obedientiam non sub motivo obedientiæ, sed solùm materialem obedientiam, hoc est, rei, quæ præcipitur, vovit executionem; attamen votum obedientiæ ad non contemnendum Superioris præceptum obligat, cùm dictet obediendum secundùm regulam, in qua obligatione continetur, ne mandata Superioris contemnantur.

2do. Religiosus ad ea, quæ suum Superiorem velle novit, ut subditus faciat, nisi hæc voluntas aliquo præcepto intimetur, vi voti obedientiæ non tenetur. Ratio est: quia solùm Superioris præceptum obedientiæ est objectum, voluntas autem Superioris, nisi sit intimata, non habet rationem præcepti: nihilominùs obedire voluntati Superiorum non intimatæ est perfectissima non præcepti, sed consilii obedientia.

3tio. Religiosus Superiori juxta regulam, sive in illis, quæ directè vel indirectè in regula continentur, præcipienti solùm obedire tenetur: illa autem directè & explicitè in regula continentur, quæ in ea verbis exprimuntur, de quorum intelligentia nulli est dubium. Implicitè & indirectè continentur in ea, quæ licèt non exprimantur, ad regulæ tamen pertinent observantiam, ùt sunt obsequia communitatis, fraternæ charitatis munia, coërcitio per pœnas, &c. sine quibus regularis disciplina salva consistere non potest.

4to. Religiosus Prælato contra regulam præcipienti obedire non tenetur, nisi in casu, quo Prælatus authoritatem justámque causam in regula dispensandi haberet, quia Prælatorum potestas non in destructionem regulæ, Juris Divini & Pontificii diminutionem, nec in animarum data est dispendium.

5to. Nec Religiosus Superiori supra regulam imperanti obedire obligatur, tota enim Prælati jurisdictio & authoritas præcipiendi ex sola subditi oritur promissione, quâ tantùm se ad obediendum juxta regulam adstrinxit, ideo valet illud S. Bernardi: Nihil mihi præcipiat Prælatus eorum, quæ non promisi, nihil prohibeat eorum, quæ promisi.

6to. Religiosus omnibus Prælatis gradatim & respectivè obedientiam præstare de-

debet: quamvis enim Religiosus per votum obedientiæ se immediatè locali tradat Prælato, mediatè tamen omnibus aliis altioribus Prælatis subjicitur. Est igitur talis inter Superiores, quibus Religiosus subditur, distinctio: extra Ordinem sunt Papa, S. Congregatio à summo Pontifice Regularibus præposita, & ab his Delegati, Episcopus in casibus, in quibus Religiosi ab ipsius jurisdictione non sunt exempti. Intra Ordinem sunt Generalis, Provincialis, Superiores locales, inter Superiores Locales quidam in utroque foro jurisdictionem obtinent, & hi propriè Prælati sunt; alii non jurisdictionem in foro externo, sed secundùm se solam habent potestatem œconomicam, suntque Prælatorum Coadjutores, quibus eidem in regimine monasterii assistere incumbit, & curare, ut regularis observantia intertincatur, &c. His etiam Professus vi voti obedientiæ obedire tenetur, si præcipiant ea, quæ ad domûs pertinent disciplinam; licèt enim in his Superioribus non sit potestas dominativa, ex voto obedientiæ, utì est in Prælato, orta, eo ipso tamen quo à Prælato Coadjutores constituuntur, potestas præcipiendi ea, quæ regularem concernunt disciplinam, ipsis communicatur.

APPENDIX

DE

SANCTIMONIALIBUS.

SAnctimoniales omnes cujuscunque Ordinis sive Prælato regulari, sive Episcopis subjectæ ad observantiam trium votorum, Regulæ & Religionis suæ Constitutionum eodem modo, quo alii Religiosi, sunt obligatæ, exceptis iis, qui fragili sexui & infirmitati repugnant: sunt enim verè Religiosæ, iisdémque privilegiis, quibus Religiosi, gaudentes personæ: jura tamen quædam specialiter circa ipsas ordinaverunt. Unde

Quæres *primo*. Quid circa Monialium receptionem ordinatum?

R. *1mo*. In *cap. periculoso. 1. de Stat. Regular. in 6.* prohibetur, ne in monasteriis Ordinum non Mendicantium plures de cætero Sorores vel Moniales, quàm quot ex bonis vel proventibus earundem absque penuria sustentari possint, recipiantur, id innovatur & extenditur à *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 3.* In monasteriis & domibus tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus is tantùm numerus constituatur, ac imposterùm conservetur, qui vel ex reditibus propriis monasteriorum, vel

vel ex consuetis eleëmosynis commodè possit sustentari. Hoc decretum Interpretes explicantes dicunt, nisi dos adferatur, ex qua supernumeraria sustentari valeat; per hoc enim intentioni Ecclesiæ sufficienter providetur.

2do. Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 18. quatuor actiones prohibet: *1mo.* Cogere mulierem ad ingressum monasterii, ut ibidem habitum suscipiat, præterquam in casibus à jure expressis. *2do.* Dare auxilium, consilium vel favorem ad coactum hunc ingressum. *3tio.* Interponere propriam præsentiam, vel consensum, vel authoritatem hunc in finem. *4to.* Sine justa causa impedire, ne mulier in monasterio Professionem emittat.

3tio. Circa ætatem & examinationem investiendarum statuit *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 17.* ut puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major 12. annis sit, nec ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia Professionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat, & si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas juxta monasterii illius & Ordinis Regulam, nec non monasterium fuerit idoneum, liberè ei profiteri liceat, cujus Professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta monasterii eam ante mensem certiorem facere, quòd si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit. In hoc decreto tria statuuntur: *1mo.* Ut investienda sit annorum duodecim, ùt probabilior tenet sententia. *2do.* Ut puella duodecim annorum investienda ante investitionem ab Episcopo examinetur. *3tio.* Ut Novitia investita iterùm ante Professionem per Episcopum à Præfecta Monialium mense ante Professionem admonitum examinetur propter declarationem S. Congregationis apud *Thom. Zerol. in prax. Episcop. verb. Monialis.* Consuetudine tamen videtur receptum, ùt Romæ scribit *Lezan. tom. 1. cap. 25. n. 12.* quòd solùm semel ante Professionem examinetur.

Quæres *secundo.* Quæ circa velum Monialium sacri Canones ordinaverunt?

R. *Gloss. in can. devotis. 11. caus. 20. q. 1.* hanc facit distinctionem: *1mo.* Velum nigrum Professionis olim dabatur anno ætatis 12. *Can. puella. 2. caus. 20. q. 2.* Post *Trident.* datur anno 16. completo, quo validè emittitur Professio. *2do.* Velum consecrationis olim dabatur anno ætatis 25. *Can. placuit. 14. caus. 20. q. 1.* idque solis virginibus. *Cit. can. placuit. can. Virgines. 15. ibid.* Cùm velum Professionis omnibus profitentibus daretur. *Can. omnes fœminæ. 36. caus. 27. q. 1.* & quidem à solo Episcopo. *Can. sancti Monialis. 24. dist. 23. can. 1. dist. 25.* & tantùm in diebus solemnibus, ùt in Epiphania Domini, Dominica in Albis, in Natalitiis Apostolorum, diebus Dominicis.

cis. *Cit. can. devotis. & can. Virgines. 3tio.* Velum ordinationis, quod olim Diaconiſſis ad inchoandum Officium ac Homilias legendas non ante annum 40. dabatur. *Can. Diaconiſſam. 23. cauſ. 27. q. 1. 4to.* Velum Prælationis, quod olim Abbatiſſis dabatur anno ætatis 60. *Can. juvenculas. 12. cauſ. 20. q. 1.* Poſtea anno 30. completo. *Cap. indemnitatibus. 43. de elect. in 6.* Hodie poſt *Trident. Seſſ. 25. de Regular. cap. 7.* niſi perſonarum ſit inopia ad Abbatiſſam eligendam, ætatis annus 40. requiritur. *5to.* Velum continentiæ, quod viduis ad Religionem converſis dabatur. *Can. vidua. 34. cauſ. 27. q. 1. 6to.* Velum converſionis vel probationis, quod Novitiis in habitûs ſuſceptione datur, eſtque communiter album.

Quæres *tertio.* Quomodo Monialibus præcipitur clauſura?

℟. In *cap. periculoſo. unic. de Stat. Regular. in 6.* univerſas & ſingulas Moniales præſentes atque futuras, cujuscunque Religionis ſint vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus exiſtentes, ſub perpetua in ſuis monaſteriis debere de cætero permanere clauſura præcipitur. Quam conſtitutionem *Trident. Seſſ. 25. de Regular. cap. 5.* tali innovavit decreto: "Bonifacii VIII. conſtitutionem, "quæ incipit: *Periculoſo*, renovans "ſancta Synodus univerſis Epiſcopis ſub "obteſtatione Divini Judicii & inter"minatione maledictionis æternæ præ"cipit, ut in omnibus monaſteriis ſibi "ſubjectis ordinariâ, in aliis verò Se"dis Apoſtolicæ authoritate clauſuram "Sanctimonialium, ubi violata fuerit, "diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, "conſervari maximè procurent, inobe"dientes atque contradictores per cen"ſuras Eccleſiaſticas, aliásque pœnas, "quâcunque appellatione poſtpoſitâ, "compeſcentes, invocato etiam ad hoc "auxilio brachii ſæcularis, quod auxi"lium ut præbeatur, omnes Chriſtia"nos Principes hortatur ſancta Syno"dus, & ſub excommunicationis pœ"na ipſo facto incurrenda, omnibus "Magiſtratibus ſæcularibus injungit." S. Pius V. ad idem intentum duas conſtitutiones edidit, unam anno 1566. in qua magis decreta Bonifac. VIII. & *Concil. Trident.* explicat, alteram anno 1569. in qua rigidiùs eandem clauſuram præcipit, juſtas cauſas concedendæ licentiæ exponens, quas Gregor. XIII. aliíque Pontifices confirmaverunt.

Quæres *quarto.* Qui ſunt Clauſuræ perpetuæ effectus?

℟. Sequentes: *1mo.* Nulla Monialis cujuscunque inſtituti tacitè vel expreſsè Religionem profeſſa, etiamſi converſa, vel quocunque nomine appelletur, quamvis ex inſtitutis vel fundationibus earum Regulæ ad Clauſuram non teneantur, nec unquam in earum monaſteriis vel domibus etiam ab immemoriali tempore ea ſervata fuerit, poteſt licitè egredi monaſterii ſui clauſtra, ſive interiora ſepta ad loca, ubi Sæculares intrant, etiam ad breve tempus, ſub quocunque prætextu, niſi ex aliqua cauſa legitima ab Epiſcopo

ap-

approbanda, indultis quibuscunque & privilegiis non obstantibus. Moniales aliter, quàm concessum est, egredientes, & licentiam aliter concedentes, quin & concomitantes, recipientes &c. excommunicationem majorem Papæ reservatam incurrunt, & tam egredientes, quàm licentiam dantes privantur dignitatibus, administrationibus, officiis, & ad illà imposterùm obtinenda sunt inhabiles ex Constitutione S. Pii V.

2do. Nulli personæ cujuscunque sexûs extraneæ ad Moniales intra septa monasterii ingredi licet juxta *cit. cap. periculoso.* ibi: "Nulli aliquatenus in- "honestæ personæ, nec etiam hone- "stæ (nisi rationabilis & manifesta "causa existat, ac de illius, ad quem "pertinuerit, speciali licentia) ingres- "sus vel accessus pateat ad easdem, ut "sic à publicis & mundanis conspe- "ctibus separatæ, omninò DEO ser- "vire valeant liberiùs, & lasciviendi "opportunitate sublatâ, eidem corda "sua & corpora in omni sanctimonia "diligenter custodire." Hæc magis declaravit *Trident. loc. cit.* his verbis: Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscunque generis aut conditionis & sexûs vel ætatis fuerint, sine Episcopi vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.

3tio. Nec tantùm extraneis septa monasteriorum Monialium ingredi, sed etiam ad ea monasteria extra casus necessarios accedere jure vetitum est. Constat ex *cit. cap. periculoso. junct. gloss. verb. honestæ. cap. monasteria. 8. de vita & honest. Cler. can. definimus. 21. caus. 18. q. 2.* "ibi: Si contigerit, ut aliquam propin- "quam suam videre voluerit Monachus, "in præsentia Abbatissæ huic confabu- "letur per modica & compendiosa "verba, & in brevi ab ea discedat."

Quæres *quinto.* Quid circa licentiam Monialium ex Clausura exeundi ordinatum?

R. *1mo.* Justa causa, ob quam Monialibus exeundi licentia concedi possit, in *cit cap. periculoso*, unica exprimitur; scilicet: "Nisi fortè tanto "& tali morbo evidenter earum ali- "quam laborare constaret, quòd non "posset cum aliis absque gravi pericu- "lo seu scandalo commorari." Quod mitiores Theologi extendunt ad casum, quo Monialis morbo periculoso, etsi aliàs non contagioso, laborat, ita, ut Medici eam morituram judicent, nisi exierit; quia, inquiunt, humanæ leges tam severè non obligant, ut periculum mortis ad eas servandas subire cogamur, & hic infirmitatis prætextus nimis familiaris & quotidianus est Monialibus.

2do. S. Pius V. has causas expressit: Nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis, lepræ vel epidimiæ, &c. & quia hæ causæ à S. Pio V. ad *Concil. Trident.* & constitutionem Bonifacii VIII. in *cap. periculoso.* expressæ, ideo Moniales ob alias causas similes, vel magis urgentes, ùt ob Hæreticorum vel aliorum hostium incursiones, &c.

exire possunt, quia per particulam taxativam: *Tantum*, casûs similes, in quibus eadem vel similis aut magis urgens militat ratio, non excluduntur.

3tiò. Aliàs causæ de jure exeundi approbatæ sunt sequentes: *1ma.* Si Monialis in alio monasterio ejusdem Ordinis fiat Abbatissa. *2da.* Si Abbatissa ad fundandum aliud monasterium egrediatur. *3tia.* Si Monialis ad aliud monasterium correctionis gratiâ transferatur, quia in proprio monasterio commodè corrigi nequit. *4ta.* Si Monialis ab uno monasterio ad aliud strictioris Observantiæ exire velit. *5ta.* Si totum monasterium in alium locum commodiorem transferendum, ùt est rure in urbem juxta præceptum *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 5. 6ta.* Si Abbatissa ratione feudi homagium personaliter præstare debeat. *Cit. cap. periculoso. §. verùm. in 6.*

Quæres *sexto.* Quid circa licentiam monasteria Monialium ingrediendi ordinatum?

℟. *1mo.* Ne quidem ipse Episcopus vel Ordinis Prælatus, qui aliis licentiam dare possunt, extra casum necessitatis licitè ingrediendi habent facultatem, ùt declaravit Gregor. XIII.

2do. Ipse Episcopus vel Superior in casibus necessariis, nullo tamen modo in aliis etiam vigore cujuscunque facultatis vel indulti licentiam ingrediendi concedere potest juxta declarationem *Trident.* Hanc igitur ingrediendi licentiam dare potest Episcopus authoritate ordinariâ, quoad monasteria sibi subjecta, delegatâ verò quoad exempta & Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, ad Prælatos autem Regulares hanc licentiam indulgere pertinet, si monasteria mediatè exempta; nomine Superioris intelligitur Generalis, Provincialis vel Prælatus localis, cui Moniales subjiciuntur. Quamvis ex novissimis constitutionibus S. Pii V. & Gregor. XIII. licentiam exeundi Monialibus, & ingrediendi earum monasteria etiam exempta Episcopus approbare debeat, nec ullus Regularis vel sæcularis ullo privilegio vel exemptione se tueri possit, quò minùs si circa personas intra septa degentes, vel circa Clausuram monasteriorum Monialium etiam Regularibus subditarum deliquerit, ab Episcopo tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato, quoties & quando opus fuerit, puniri & corrigi valeat, licèt certum & indubitatum sit, hæc in omnibus Monialium monasteriis in partibus nostris haud esse recepta.

Quæres *septimo.* Quæ causæ ingrediendi clausuram?

℟. *1mo.* Causæ necessariæ ingrediendi clausuram non ex ingredientis, sed monasterii necessitate desumendæ sunt, ùt sæpiùs declaravit sacra Congregatio: sufficit autem necessitas moralis; sic datur licentia Sacerdotibus ad Sacramenta infirmis ministranda, Medicis, Chirurgis, Fabris & operariis ad ædificium, vel similia opera necessaria peragenda.

2do. DD. quoque communiter excipere

pere solent : *1mo.* Pueros, qui ante rationis usum admitti possunt, cùm in illis ratio prohibitionis, nempe periculum incitationis ad peccatum cessare noscatur. *2do.* Puellas sæculares, quæ in monasterio educantur, ùt declaravit sacra Congregatio ; si tamen eadem monasteria ante Concilium hujusmodi puellas recipere consueverint, & à Superioribus licentiam scriptam impetraverint, atque Abbatissæ vel aliarum Monialium consensus accesserit, ac ipsæ puellæ eo vestitu, qui virginali pudori ac modestiæ conveniat, intromittantur, nullamq; secum familiam adducant, nec manere in iis possint, nisi usque ad ætatis annum 25. atque in monasteriis, in quibus fuerint, eandem servent Clausuræ Regulam & legem, quam Moniales ipsæ, & si semel exiverint, nullam habeant ad ea revertendi facultatem. Demùm admitti possunt pro totius monasterii obsequio famulæ sæculares, quando non sunt conversæ, quæ istud monasterium exercere valeant, dummodò foràs non exeant, & de licentia Superiorum admittantur.

Quæres *octavo.* Quænam circa Sacramentum Pœnitentiæ ordinata?

Rs. *1mo. Concil. Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 10.* Episcopos aliósque monasteriorum Monialium Superiores adhortatur, ut procurent, quatenùs Moniales saltem secum singulis mensibus confessionem peccatorum facere, & Ss. Eucharistiam suscipere non omittant, ut eo salutari præsidio se muniant ad omnes impugnationes Dæmonis fortiter superandas.

2do. Trident. ibid. constituit, ut præter ordinarium Confessarium alius extraordinarius ab Episcopo & aliis Superioribus bis vel ter in anno Monialibus offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.

3tio. Ex constitutione Gregor. XV. *Inscrutabili.* Confessarii quomodocunque exempti tam ordinarii, quàm extraordinarii ad confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas nullatenùs deputari valent, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedenda est, obtineant.

4to. Ex declaratione S. Congregationis ad dictam Constitutionem : *Inscrutabili.* Confessarius ordinarius omni triennio mutari debet, si approbatus ad confessiones excipiendas in uno monasterio, absque nova approbatione in alio Monialium monasterio Confessarium agere nequit. Episcopus ex causa rationabili Superiores Regulares admonere potest, ut hujusmodi Confessarium amoveant, & Superiore id negligente aut detrectante ipse Episcopus talem Confessarium amovendi habet authoritatem.

5to. Demùm Confessarius extraordinarius ab Episcopo ad semel audiendas Monialium confessiones approbatus, in virtute ejusdem approbationis pluries earum confessiones excipere nequit, sed toties quoties novâ indiget Episcopi licentiâ. Hanc constitutionem:

Inſcrutabili. cum declarationibus S. Congregationis, quam cum ſuis declarationibus innovavit Clemens X. in conſtitutione: *Superna Patrisfamilias.* non eſſe in omni rigore quoad omnes partes ſuas hiſce in locis receptam, nemo negare poteſt.

Quæres *nono.* Quid circa Sacramentum Euchariſtiæ?

℟. *Trident. loc. cit.* prohibet, ne ſanctiſſimum Chriſti Corpus intra chorum Monialium vel ſepta monaſterii, ſed in publica Eccleſia conſervetur.

Quæres *decimo.* Quid circa adminiſtrationem bonorum?

℟. Gregor. XV. in cit. conſtitutione: *Inſcrutabili,* circa adminiſtrationem bonorum monaſteriorum Monialium diſponit ſequentia:

1mo. Adminiſtratores bonorum ad monaſteria Monialium pertinentium ſive Regulares, ſive Sæculares quomodolibet exempti Epiſcopo loci ſingulis annis rationes adminiſtrationis gratis tamen exigendas reddere teneantur.

2do. Ex cauſa rationabili, quam tamen Epiſcopus juxta declarationem S. Congregationis dicere non tenetur, adminiſtratoris amotionem petere, & ſi Superiores Regulares amotionem recuſaverint, ipſemet eundem amovere poteſt.

Quæres *undecimo,* Quid circa viſitationem?

℟. *1mo.* Singula Monialium monaſteria non exempta per Ordinarios authoritate ordinariâ, exempta & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta per eoſdem authoritate delegatâ, & exempta Regularibus ſubjecta per Prælatos Regulares quotannis viſitanda ſunt juxta formam & modum *Clement. attendentes. 2. de Stat. Monach.* Quæ Clementina per *Trident. Seſſ. 25. de Regular. cap. 9.* eſt renovata.

2do, Collegia Canoniſſarum ſæcularium, quorum ſtatus à jure nec approbatus, nec reprobatus exiſtit, ùt loquuntur Pontifices. *Cit. Clement.* & *cap. indemnitatibus. 43. §. ſupradicta. de elect. in 6.* Per Ordinarios vel authoritate ordinariâ, vel delegatâ, ſi ſint exempta, ſunt viſitanda. *Cit. Clement.*

Quæres *duodecimo.* Quid circa Abbatiſſas Monialium eſt tenendum?

℟. Abbatiſſa vel Prioriſſa de jure communi à Monialibus monaſterii,

nasterii, cui præficienda est, eligitur juxta formam *cit. cap. indemnitatibus.* Votum in electione habent Moniales professæ Chorales, conversæ per consuetudinem excluduntur.

2*do.* Episcopus unà cum Superioribus Regularibus quarumcunque Abbatissarum electionibus per se vel per alium interesse potest per cit. constitutionem : *Inscrutabili.* Si tamen Abbatissa Superiori Regulari subjecta, huic & non Episcopo competit electæ confirmatio, ùt declaravit S. Congregatio. Episcopus vel Superior Regularis electioni præsidens clausuram ingredi nequit, sed vota singularum ante Cancellos excipienda. *Trident. Sess.* 25. *de Regular. cap.* 7.

3*tio.* Eligenda in Abbatissam vel Priorissam, quæ monasterii Superior est, debet esse ætatis 40. annorum, & octo annis professa, vel ad minus 30. annorum, & quinque annis professa. *Trident. loc. cit.* Electio tamen ex defectu horum nulla non est, & Episcopus confirmans in hac ætate de facto dispensat.

4*to.* Abbatissa electa & confirmata, si benedici solita sit, intra annum à confirmatione benedictionem suscipere debet, aliàs jure suo excidit, per *cit. Clement.* 2. §. *statuimus. de Stat. Monach.*

5*to.* Abbatissa Monialibus præceptum obligans ad culpam materiæ proportionalem imponere potest : etsi enim Abbatissa veram & propriam non habeat jurisdictionem spiritualem, cùm illius fœmina incapax sit, habet tamen veram potestatem dominativam, hoc est : administrandi & regendi monasterium, personas & bona illius, ac per consequens in illis, quæ ad domûs regimen pertinent, Moniales ipsi, sicut aliis Prælatis obedire tenentur, ideoque subditas sibi Moniales Abbatissa ad Regulæ & Constitutionum observantiam adstringere, de delictis inquirere, &c. potest, cùm hæc ad potestatem dominativam spectent, & ad minus Abbatissa à confirmante quoad hæc accepit præcipiendi authoritatem.

6*to.* Non repugnat, quin Abbatissa Professionem Monialium in suo monasterio excipere valeat; nam hæc acceptatio, ùt advertit *Lezana*, non est actus jurisdictionis, sed cujusdam Superioritatis : hinc videtur probabilius, quòd Abbatissa etiam in virtute S. obedientiæ, scilicet in virtute obe-

obedientiæ ſibi promiſſæ præcipere queat, & ita hic modus loquendi jurisdictionem ſpiritualem neceſſariò non importat.

7timo. Abbatiſſa in materia paupertatis aliquid recipiendi vel retinendi licentiam dare poteſt, nam bonorum ſui monaſterii habet adminiſtrationem.

8vo demùm Abbatiſſa utpote jurisdictionis ſpiritualis omninò incapax, cenſuras ferendi, in votis diſpenſandi, vota commutandi, Novitias recipiendi caret poteſtate, cùm hi actus jurisdictionis ſpiritualis eſſe dignoſcantur.

Finis Libri Primi.

LIBER

LIBER SECUNDUS

INSTITUTIONUM CANONICARUM.

LIbro primo *de jure Personarum* subjungimus *secundum de rebus Ecclesiasticis*. Sunt autem res Ecclesiasticæ vel *spirituales* vel *temporales*; *Spirituales* sunt, quæ spiritui deserviunt, animæ causâ institutæ, ùt Sacramenta, &c. *Temporales*, quæ non tam spiritûs, quàm corporis gratiâ, veluti *prædia*, *domus*, *decimæ*, pro honesta sacrorum Ministrorum sustentatione & usu sunt comparatæ.

TITULUS PRIMUS

DE

SACRAMENTIS IN GENERE.

QUæres *primo*. An ad Canonistam de Sacramentis agere pertineat? R. cum Abbate Caramuele. Sacramentorum materia nec benè à puro Theologo, nec sufficienter à solo Canonista tractatur, Theologus siquidem in quidditatem Sacramenti, ejus materiam & formam, causas, effectus, ad dignam illius administrationem vel susceptionem requisita inquirit, & quid veritatis sit, concludit, in quibus omnibus Canonista fidem habet Theologo, ast econtra plura à Canonista discit Theologus; nam quibus, quo loco & tempore, quo ritu & formâ applicanda vel conferenda sint Sacramenta, uberiùs tradunt sacri Canones, & docent explicatiùs.

Quæres *secundo*. Quid est Sacramentum? R. Est sacrum, seu rei sacræ signum. *Can. Sacrificium. 32. dist. 2. de consecrat.* Sive est invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram sanctificationem institutum.

Quæres *tertio.* Quot sunt Sacramenta? ℟. Juxta septem in Ecclesia hominum diversitates sunt septem Sacramenta: *1mum* intrantium, Baptismus. *Secundum* pugnantium, Confirmatio. *3tium* vires resumentium, Eucharistia. *4tum* resurgentium, Pœnitentia. *5tum* exeuntium, Extrema Unctio. *6tum* ministrantium, sacer Ordo. *7mum* novos milites introducentium, Matrimonium.

Quæres *quarto.* An omnia Sacramenta necessaria?

℟. *1mo.* Quædam Sacramenta sunt necessaria, eò quòd sine periculo salutis æternæ prætermitti vel contemni nequeant, cùm ad particularem cujusque profectum sint instituta, ùt Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, & Extrema Unctio. Quædam sunt voluntaria, quæ sine dispendio salutis pro cujusque arbitrio recipi vel non recipi possùnt, ùt Ordo sacer & Matrimonium.

℟. *2do.* Quædam absolutè & necessitate medii necessaria sunt, ùt Baptismus, quædam necessitate præcepti, ùt Eucharistia, & volenti suscipere Ordines Confirmatio. *Trid. sess. 23. cap. 4. de refor.* Quædam necessaria sunt ex suppositione, ùt Pœnitentia illi, qui in mortale peccatum incidit, quædam respectu Ecclesiæ necessaria sunt, ùt Ordo, quia per ipsum ministri creantur, & matrimonium, quia per propagationem in Ecclesia multitudo Fidelium augetur & conservatur.

Quæres *quinto.* Quæ Sacramenta iterari possunt? ℟. Quæ characterem imprimunt, iterari non possunt, ùt Baptismus, Confirmatio, & sacer Ordo, cætera, quæ characterem non imprimunt, ùt Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, matrimonium iterari non prohibentur. Unde versus:

Fons, Ordo, Chrisma non, cætera sunt iteranda.

Quæres *sexto.* An omnia Sacramenta constent materiâ & formâ? ℟. Constant elemento & verbo, elementum est res, quæ sub visibili natura invisibilem gratiam designat, verba sunt, quæ formæ visibilis gratiam exprimunt, & accedente verbo ad elementum fit Sacramentum.

Quæres *septimo.* Quis Author Sacramentorum? ℟. *Trident. Sess. 7. de Sacrament. in genere. can. 1.* definit: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à JESU Christo Domino nostro instituta, anathema sit.* Dicuntur tamen Sacramenta Ecclesiæ, tum quia Ecclesia per Sacramenta sanctificata est, & cœlesti Sponso matrimonii fœdere conjuncta, tum quia Sacramentorum administratio concredita est Ecclesiæ ministerio.

Quæres *octavo.* An mali ministri Sacramenta administrare possint? ℟. Qui baptizat, qui absolvit, &c. Dominus est, ministri autem Ecclesiæ in conficiendis vel dispensandis Sacramentis nudum sibi vendicant ministerium, cùm non propriam, sed ejus, qui Sacramenta instituit, referant personam. Unde quanquam eos inculpatos esse deceat, si tamen mali sint, vel à Catholica communione sejuncti, nihilominùs Sacramenta secundùm se validè conficiunt & dispensant; veluti enim per lapideos canales ad areolas aqua diffunditur, & Solis radii per loca fœdissima transeuntes

tes nullâ contactûs commaculatione contaminantur, sic multò magis Sacramenta nullâ ministri fœditate maculantur. Et definivit *Trident. Sess. 7. de Sacrament. in genere. can. 12.* his verbis: *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

Quæres *nono.* Qualis in ministro requiritur intentio? Debet ministri & Ecclesiæ concors esse intentio, ideò si aliud agere intendat, puta: sacris illudere Mysteriis, aut aliud, quod Ecclesiæ non consentiat, nihil agit, quamvis enim sine fide spiritualis potestas exerceri valeat, non tamen sine intentione Ecclesiæ.

Quæres *decimo.* An omnia Sacramenta conferant gratiam? R. Omnia in non ponentibus obicem. Definivit *Trident. cit. Sess. 7. can 6. 7. & 8.* Ac ita reprobata est opinio *Glossæ in can. is igitur. dist 23. verbo: pro beneficiis. & in can. honorentur. caus. 13. q. 2. verbo: dispensata.*

TITULUS SECUNDUS
DE
BAPTISMO

EX ipsis propemodum verbis Canonum explicabimus §. *1mo* diversitatem, excellentiam & institutionem Baptismi, §. *2do* essentialia. Et §. *3tio* cæremonias Ecclesiæ in administratione Baptismi adhiberi solitas.

§. Primus.
DE
Diversitate, Excellentia & Institutione Baptismi.

QUæres *primo.* Quotuplex est Baptismus? R. cum *glossa in can. simissimè. 3. caus. 15. q. 1.* est triplex: Baptismus fluminis, flaminis & sanguinis. Id est: Sacramentum Baptismi, contritio, & martyrium.

Quæres *secundo.* Quomodo martyrium est Baptismus? R. Baptismi vicem implet passio. *Can. Baptismi. 34. dist. 4. de consecrat.* In illis, qui pro Christi nomine suo sanguine baptizantur. *Can. firmissimè. 3. caus. 15. q. 1.* dummodò adsit charitas, sine qua non sufficit ad salutem subire martyrium. *Gloss. in cit. can. firmissimè. verb. per Baptismum.* Carentia charitatis talis est macula, quæ nec sanguine abluitur. *Can. neque. 3. dist. 90.* Comparatio martyrii cum Baptismo fit

in can. Catechumenum. 37. dist. 4. de consecrat. In Martyrio tota Baptismi Sacramenta complentur, baptizandus confitetur fidem suam, & interrogatus respondet, hoc & Martyr coram persecutore facit, qui & confitetur fidem suam, & interrogatus respondet. Ille post confessionem vel aspergitur aquâ vel intingitur, & hic vel aspergitur sanguine vel contingitur igne. Ille manûs impositione Pontificis accipit Spiritum Sanctum, hic habitaculum efficitur Spiritûs Sancti, dum non est ipse, qui loquitur, sed Spiritus Patris, qui loquitur in illo. Ille communicat Eucharistiæ in commemoratione mortis Domini, hic ipsi Christo commoritur. Ille confitetur se mundi actibus renuntiaturum: hic ipsi renuntiat vitæ. Illi peccata omnia remittuntur: in isto extinguuntur.

Quæres *tertio.* Quomodo contritio habet rationem Baptismi? R. Non tantùm passio pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, potest supplere, sed etiam fides conversióque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. *Can. Baptismi. 34. dist. 4. de consecrat.* Ideóque de Judæo inter solos Judæos existente, qui in mortis articulo se ipsum in aquam immerserat, dicendo: Ego me baptizo in nomine &c. *in cap. debitum. 4. de Baptismo.* dicitur: *Quòd si talis continuò discessisset, ad cœlestem Patriam protinùs evolâsset, propter Sacramenti fidem, etsi non propter fidei Sacramentum.* Generale hoc est, quòd tunc solùm prosit Baptismus sanguinis & flaminis, cùm Baptismum fluminis non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis excludit. *Cit. can. Baptismi.*

Quæres *quarto.* Quid est Sacramentum Baptismi? R. Est visibile Sacramentum aquæ ad ablutionem visibilis Corporis, & sanctificationem invisibilis Animæ. *Can. necessarium. 1. dist. 4. de consecrat.* Sive: est ablutio corporis exterior, quæ adhibitâ certâ verborum formâ interiorem animæ ablutionem significat & operatur; hæc enim duo in Sacramento Baptismi necessariò requiruntur, videlicet verbum & elementum, juxta quod de verbo Veritas ait: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti,* eadémque dicit de elemento: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* Unde dubitandum non est, illos verum non habere Baptismum, in quibus non solùm utrumque prædictorum, sed eorum alterum est omissum. *Cap. non ut apponeres. 5. de Baptismo.*

Quæres *quinto* Quibus nominibus appellatur Baptismi Sacramentum? R. Dicitur *1mo* Sacramentum fidei, quia imprimis in fide Christi consecratur, & in fide Ecclesiæ conficitur, deinde in nomine Sanctissimæ Trinitatis confertur. *3tio* signum est, quod suscipiens habeat fidem scilicet vel actu vel habitu. *Glossa in can. nihil. 76. dist. 4. de consecrat. 4to* appellatur prima tabula, & pœnitentia secunda tabula, quia inter procellas hujus mundi navigamus, tendentes ad patriam, & incurrimus naufragium ex peccato primo hominis, quo morte addicti sumus, sicut igitur prima ta-

tabula eſt navis, ſecunda tabula eſt ſcapha, quâ in naufragio periculum vitamus, ita prima tabula eſt Baptiſmus, ubi purgatur vetus homo, & induitur novus, ſecunda tabula eſt pœnitentia, quâ poſt Baptiſmum reſurgimus. *Can. ſecunda. 72. diſt. 1. de pœnitentia. junctâ gloſsâ. 5to* dicitur fundamentum & janua reliquorum Sacramentorum. *cap. 2. de cognat. Spirit. in 6.* quia reliquis Sacramentis omnibus prior eſt, & magis neceſſarius.

Quæres *ſexto*. Quæ dignitas hujus Sacramenti? R. Prærogativæ præ reliquis Sacramentis ſunt: *1mo* eſt janua ſalutis. *can. cum itaque. 112. diſt. 4. de conſecrat. in fine. 2do.* Baptiſmus poteſt ſuſcipi ſine aliis Sacramentis, aſt non alia Sacramenta ſine Baptiſmo, quoniam ubi fundamentum non eſt, ſuperædificari non poteſt. *Cap. veniens. 3. de Presbyt non baptizato. 3tio.* Poteſt à quocunque dari Baptiſmus, non autem alia Sacramenta. Sive Hæreticus, ſive Schiſmaticus, ſive facinoroſus quiſque in confeſſione Sanctiſſimæ Trinitatis baptizat, validè baptizat. *Can. ſive. 51. diſt. 4. de conſecrat. 4to.* Per Baptiſmi virtutem omnia peccata, originale, mortale & veniale remittuntur, non per reliqua Sacramenta. Regenerante Spiritu non ſolùm originalium, ſed etiam voluntariorum fit remiſſio peccatorum. *Can. regenerante. 136. diſt. 4. de conſecrat.*

Quæres *ſeptimo*. Quomodo differt Sacramentum Baptiſmi à Baptiſmo Joannis? R. Sacramentum Baptiſmi non eſt in aqua tantùm, verùm etiam in Spiritu Sancto, ut de illo Spiritu regeneretur, quiſquis in Chriſtum credit, de quo Chriſtus regeneratus regenerationem non cognovit. Non regenerabantur, qui Baptiſmo Joannis baptizabantur, ſed quodam Præcurſoris illius miniſterio, qui dicebat: parate viam Domino, huic uni, ſcilicet Sacramento Baptiſmi, in quo ſolo renaſci poterant, parabantur. *Can. non regenerabantur. 135. diſt. 4. de conſecrat. Trid. Seſſ. 7. de Baptiſmo. can. 1.* Baptiſmum Joannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti dicentes anathematizat.

Quæres *octavo*. Quandonam Baptiſmus inſtitutus? R. Concordandæ ſunt ſententiæ, quas refert *Gloſſa in can. ex quo. 6. diſt. 4. de conſecrat. verb. ad innovationem.*

1mo. Materiam Baptiſmi Chriſtus conſecravit, quando à Joanne in Jordane baptizatus eſt; quare enim *Chriſtus deſcendit in aquam, niſi ut caro iſta mundaretur, caro, quam ſuſcepit de noſtra conditione, non enim ablutio peccatorum ſuorum Chriſto neceſſaria erat, qui peccatum non fecit, ſed nobis erat neceſſaria, qui peccato manemus obnoxii. Can. per aquam. 9. diſt. 4. de conſecrat.* "Nunquam aquæ Baptiſmi purgare peccata "credentium potuiſſent, niſi tactu Dominici Corporis ſanctificatæ fuiſſent. " *cit. can. nunquam. 10. diſt. 4. de conſecrat.* "In aqua igitur baptizari voluit à Joanne, non ut ejus iniquitas ulla delere"tur, ſed ut magna commendaretur "humanitas, ita quippe nihil in eo Bap"tiſmus habuit, quod ablueret, ſicut "mors nihil, quod puniret, invenit. " *cit. can. non regenerabantur.*

2do. Neceſſitatem Baptiſmi Chriſtus annuntiavit, dum Nicodemo dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* *3tio.*

3tio. "Efficaciam Baptismo in morte "dedit, quia tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius "profluxerunt sanguis redemptionis & "aqua baptismatis." *Can. si quis. 14. dist. 4. de consecrat.*

4to. "Postquam resurrexit à mortuis, "Discipulis suis, in quibus omnes Ecclesiarum Præsules docebantur, & formam & potestatem tradidit baptizandi, "dicens: Euntes docete omnes gentes, "baptizantes eos in nomine &c. de quo "utique potuisset eos ante passionem instruere, nisi propriè voluisset intelligi "regenerationis gratiam ex resurrectione cœpisse." *Can. propriè. 13. dist. 4. de consecrat.*

5to. Baptismus in festo Pentecostes promulgatus est: "quia eo die, quo omnium Credentium numerum promissus "Spiritûs Sancti replevit adventus, "trium millium populorum suâ prædicatione conversum lavacro baptismatis consecravit S. Petrus promulgans "pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine JESU "Christi in remissionem peccatorum, & "accipietis donum Spiritûs Sancti." *Cit. can. propriè.*

Quæres *nono.* Quis baptizat principaliter? R. Christus instituens hoc Sacramentum; "Aliud est enim baptizare per "ministerium, aliud baptizare per potestatem, hanc potestatem Christus solus tenuit, & in neminem ministrorum "transfudit, quamvis per ministros suos "baptizare dignatus sit." *Can. aliud. 39. dist. 4. de consecrat.* "Quos baptizavit "Joannes, Joannes baptizavit, quos "autem baptizavit Judas, Christus "baptizavit: sic ergo quos baptizavit "ebrius, quos baptizavit homicida, "quos baptizavit adulter, si Baptisma Christi erat, Christus baptizavit, quod Sacramentum tam "sanctum est, ut nec homicidâ ministrante polluatur." *Can. dedit. 46. caus. 1. q. 1.*

Quæres *decimo.* Quibus Sacramentis ante Legem Evangelicam usitatis correspondet Baptismus? R. In tempore ante legem parvuli in fide parentum, adulti in fide Sacrificiorum à peccatis mundabantur, in tempore legis adulti & parvuli per circumcisionem justitiam consequebantur; "Quod igitur apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud "veteres, vel pro parvulis sola fides, vel "pro majoribus sola virtus sacrificii, vel "pro his, qui de Abrahæ stirpe prodiêrunt, mysterium circumcisionis." *Can. quod autem. 5. dist. 4. de consecrat. junctâ gloss.*

Quæres *undecimo.* In quo Baptismus antecellit circumcisionem? R. "Plus "hodiè confert Baptismus Christianis, "quàm quondam contulit circumcisio "Judæis, quoniam etsi originalis culpa "remittebatur per circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad Regnum cœlorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum, "sed per Sacramentum Baptismi Christi "sanguine rubricati culpa remittitur, "vitatur periculum, & ad Regnum cœlorum statim pervenitur, cujus januam Christi Sanguis fidelibus suis "mi-

"misericorditer reseravit." *Cap. majores. 3. de Baptismo.*

Quæres *duodecimo.* Quanta Baptismi necessitas? ℟. Hæc constat ex dicto S. Augustini *in can. firmissimè. 3. dist. 4. de consecrat.* "Firmissimè tene, & nullatenùs "dubites, non solùm homines ratione "utentes, verùm etiam parvulos, qui "sive in utero matris vivere incipiunt, "& ibi moriuntur: sive cùm de matri-"bus nati sine Sacramento sancti Baptis-"matis, quod in nomine Patris, & Filii, "& Spiritûs Sancti datur, de hoc Sæculo "transeunt, sempiterno igne punien-"dos: quia etsi propriæ actionis nullum "peccatum habuerunt, originalis tamen "peccati damnationem conceptione & "naturâ traxerunt." Ideo *Trid. Sess. 7. can. 5. de Baptismo: Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est: non necessarium ad salutem, anathema sit.*

§. Secundus.

DE

Essentialibus Baptismi.

QUæres *primo.* Quænam Essentialia Baptismi? ℟. Illa brevibus complectitur Innocent. III. *in cap. firmiter. 1. de sum. Trinitate. §. una verò.* Sacramentum Baptismi, quod ad Dei invocationem & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti consecratur in aqua, tam parvulis, quàm adultis in forma Ecclesiæ à quocunque ritè collatum proficit ad salutem.

Quæres *secundo.* Quæ materia remota Baptismi? ℟. Est aqua elementalis. "Renascitur homo ex aqua, visibili Sa-"cramento, & Spiritu invisibili intelle-"ctu, ut signum Baptismi visibiliter ac-"cipiat, & spiritalem intellectum ipsius "Symboli perficiat." *Can. necessarium. 1. dist. 4. de consecrat.* Ideo ad quæstionem: An parvuli sint pro Christianis habendi, quos in articulo mortis propter aquæ penuriam & absentiam Sacerdotis, aliquorum simplicitas in caput & pectus ac inter scapulas pro Baptismo salivæ consperssione lenivit, respondit *Innocentius IV.* negativè, quia in Baptismo duo semper, videlicet verbum & elementum, id est. aqua, necessariò requiruntur. Hinc *Trid. Sess. 7. can. 2. de Baptis. Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, anathema sit.*

Quæres *tertio.* Quæ materia proxima? ℟. Ablutio, quæ an per immersionem, ita, ut ipse baptizandus aquæ immergatur, an per affusionem sive aspersionem fiat, ut nimirùm aqua affunda-datur ipsi baptizando, perinde est, non una olim fuit, nec hodie est omnium Ecclesiarum disciplina, quæ diversitas unitati Ecclesiæ non officit, quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. *Can. de Trina. 80. dist. 4. de consecrat.* Nam

1mo.

1mo. In can. multi. 82. dist. 4. de consecrat. Pelagius Papa præcipit trinâ etiam immersione sanctum Baptisma unicuique tribuere. *2do. In can. propter. 85. dist. 4. de consecrat.* Cùm Ariani Hæretici ex trina illa immersione Trinitatem essentiæ in Personis Divinis arguerent, Patres Concilii Toletani *4ti* decreverunt: *Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum simplam teneamus Baptismi mersionem. 3tio.* S. Gregorius in *cit. can. de Trina.* ait: *Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismo vel ter vel semel immergere: quando & in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari. 4to.* Paulus V. in Rituali Romano: *Baptismus licèt fieri possit aut per affusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen & secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur. 5to* demùm Agenda nostra: *Optimus baptizandi modus est tenere puerum manu sinistrâ supra fontem, & manu dexterâ ter aquam affundere super caput pueri, ut per scapulas ejus defluat.*

Quæres *quarto.* Quæ essentialis Baptismi forma? R. *1mo. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Ita enim Dominus docuit Apostolos: Ite, baptizate omnes gentes *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Can. multi. 82. dist. 4. de consecrat. 2do.* Si quis non diceret: Ego te baptizo, puer non esset baptizatus. *Cap. 1. de Baptismo. 3tio.* Qui vel unam de Trinitate Personam in Baptismo non nominaret, illud Baptisma verum esse non posset. *Can. in Synodo. 83. dist. 4. de consecrat. 4to.* Si quis omittit pronomen: Ego, dicendo: baptizo te, benè baptizt, quia pronomen subintelligitur, & nec Christûs addidit pronomen dicendo: Ite, baptizate &c. *Gloss. in can. multi. cit. verb. Trinitatis. 5to.* Græci ne actum Baptismi ministris attribuant, ad evitandum antiquorum errorem, qui virtutem Baptismi baptizantibus attribuebant, dicendo: *Ego sum Pauli, ego sum Cephæ*, dicunt: *Baptizetur servus Christi talis in nomine Patris &c.* Et quia exprimitur actus exercitus per ministrum cum invocatione Trinitatis, verum perficitur Sacramentum; forma enim realis est attendenda, non verbalis. *Gloss. in cit. can. mult. 6to.* Sub nominibus synonymis benè confertur Baptismus, ùt si quis diceret: *Baptizo te in nomine Genitoris, & Nati, & Sancti Flaminis;* non tamen sic: In nomine Paternitatis, Filiationis, & processione ab utroque. Nec: Mergo te in nomine Patris &c. quia mergo non est synonymum cum verbo baptizo. Nec: Baptizo in nomine trium Personarum. *Gloss. in cit. can. multi. 7timo.* De eo, qui nesciens Latini eloquii infringens linguam dixerat: Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spirita Sancta. *In can. retulerunt. 86. dist. 4. de consecrat.* Respondetur: si non errorem inducens neque hæresin, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denùò baptizentur.

Quæres *quinto.* An valeat Baptismus in nomine Christi collatus? Responsio affirmativa videtur colligi *ex can. à quodam.*

dam. 24. dist. 4. de consecrat. ubi Nicolaus Papa ad consultationem Bulgarorum: A quodam Judæo, nescitis utrùm Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de iis sit agendum consulitis. Ad quod ita respondet Pontifex: *Hi profectò si in nomine Sanctissimæ Trinitatis, vel tantùm in Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippè idem est, ùt sanctus exponit Ambrosius) constat eos non esse denuò baptizandos.* Quem textum ita exponit *glossa in cap. 1. de Baptismo.* In nomine Trinitatis intelligitur explicitè, & quod sequitur in nomine Christi tantùm, dispositum illud fuit ab Apostolis ex causa, ut in principio baptizarent in nomine Christi, in quo verbo intelligitur ungens inunctus, & per quem ungitur, id est: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; sed hodiè non servatur forma illa, tamen si aliquis sic hodiè baptizaretur sub his verbis, baptizatus esset, licèt fieri non debeat. Responsionem negativam Doctor Angelicus *3. p. q. 66. a. 6. probat ex can. si revera. 30. dist. 4. de consecrat.* Ubi Pelagius Papa de iis, qui ab Hæreticis baptizati, respondet: *Si solummodo se in nomine Domini baptizatos fuisse confiteantur, sine cujusquam dubitationis ambiguo eos ad Catholicam fidem venientes in sancta Trinitatis nomine baptizabis.* Rationem dat *S. Doctor in O.* non sufficit intellectus vel fides Trinitatis ad perfectionem Sacramenti, sed sensibilibus verbis Trinitas exprimenda, unde & in Baptismo Christi, unde fuit origo sanctificationis nostri Baptismi, adfuit Trinitas in sensibilibus signis, scilicet Pater in voce, Filius in natura humana, Spiritus Sanctus in columba. In responsionibus *ad 1. 2. & 3tium ad can. a quodam. suprà cit.* dicit, quòd ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis & Gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptismo. Aliam hujus dispensationis congruentiam dedit S. Ambrosius, quia scilicet in nomine Christi tota Trinitas intelligitur, aliàs absque speciali dispensatione ejus, qui virtutem suam Sacramentis non alligavit, quidquid deest ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem Sacramenti.

Quæres *sexto.* Qualis debeat esse, qui baptizatur? R. *1mo.* Debet esse homo natus; "quia qui natus adhuc secundùm "Adam non est, renasci secundùm Chri"stum non potest, neque enim dici re"generatio in eo poterit, quem gene"ratio non præcessit." *Can. qui in maternis. 115. dist. 4. de consecrat.* Si mulier parturiens baptizetur, nihil in hoc participat mater infanti, qui nascitur, propterea, quòd uniuscujusque propria voluntas in confessione monstratur. *Can. si qua mulier. 116. dist. 4. de consecrat.* "Baptizari tamen vel enixam mulierem, "vel hoc, quòd genuerit, si periculo "mortis urgetur, vel ipsa horâ eadem, "quâ gignit, vel hoc, quod gignitur, "cândem, quâ natum est, nullo modo "prohibetur, ne dum adhuc tempus ad "præbendum redemptionis medium "quæritur, interveniente paululùm mo-"râ

râ inveniri non valeat, qui redimatur." *Can. baptizari. 3. dist. 5.*

2do. Debet esse distinctus à baptizante, quia inter baptizantem & baptizatum discretionem intercedere oportet, colligitur ex verbis Domini Apostolis dicentis: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, ad quod etiam designandum ipse Christus non à se ipso, sed à Joanne voluit baptizari. "In Baptismo quippè "illa spiritualis regeneratio celebratur, "de qua Veritas ait: Oportet vos nasci "denuò, quia nisi quis renatus fue- "rit ex aqua & Spiritu Sancto, non in- "trabit in Regnum cœlorum. Sicut ergo "in carnali generatione, quâ proles ex "viro & fœmina nascitur, alius est, qui "carnaliter gignit, & alius, qui carnali- "ter gignitur, sic in Sacramentali gene- "ratione, quâ Soboles ex aqua & Spiri- "tu Sancto renascitur, alius debet esse, "qui spiritualiter generet, & alius, qui "spiritualiter generetur." *Ita Pontifex in cap. debitum. de Baptismo.*

3tio. Non sit baptizatus, quia per iterationem fit injuria Baptismatis Sacramento. *Cap. ex literarum, 2. de Apostat.* Per Baptismum enim insigitur animæ imago sive pictura quædam aut character, unde si alia imago superponeretur, illa prima pictura obscuraretur, & ita videtur obfuscari primum Sacramentum. *Gloss. in cit. cap. ex literarum. verbo. injuriam.*

Doctor Angelicus *3. p. q. 66. a. 9. in O.* quatuor affert rationes, ob quas Baptismus iterari non possit. *1ma.* Quia Baptismus est quædam spiritualis regeneratio, sicut ergo unius tantùm una est generatio carnalis, ita quoque tantùm unius una potest esse regeneratio spiritualis. *2da.* In morte Christi baptizamur, per quam morimur peccato, & resurgimus in novitatem vitæ, Christus autem tantùm semel mortuus est, ergo & homo per Baptismum semel tantùm mori & resurgere potest. *3tia.* Quia Baptismus imprimit characterem indelebilem, & cum quadam consecratione datur, consecrationes autem ejusdem rei non iterantur. *4ta.* Quia Baptismus principaliter datur ad delendum peccatum originale, sicut ergo originale peccatum non iteratur, ita nec Baptismus.

Quæres *septimo.* An baptizandi, de quibus nescitur, aut dubitatur, an baptizati sint? R. "Si nulla existant indicia, "quibus hi, de quibus quæritur, bapti- "zati fuisse doceantur, agendum est, ut "renascantur, ne manifestè pereant, in "quibus quod non ostenditur gestum, "ratio non sinit, ut videatur iteratum, "ideóque conferendum iis videtur, "quod collatum esse nescitur, quia non "temeritas intervenit præsumptionis, "ubi est diligentia pietatis, inquit Leo "Papa." *Can. si nulla. 113. dist. 4. de consecrat.*

2do. "De quo dubium est, an sit bap- "tizatus vel non, debet baptizari, qui "si priùs baptizatus non fuerat, conse- "quitur gratiam Baptismi, si autem "baptizatus erat, nihil accipit in secun- "da Unctione, nec pertinet hoc ad re- "iterationem Baptismi, sed ad cautelam "salutis." *Can. Presbyt. 2. §. quod ergo. dist. 68.* Baptizandus est autem hi verbis:

bis: "Si baptizatus es, non te baptizo, "sed si nondum baptizatus es, ego te "baptizo, &c." *Cap. de quibus. 2. de Baptismo.*

3tio. "Qui natus de Christianis pa- "rentibus, & inter Christianos est fide- "liter conversatus, tam violenter præ- "sumitur, quòd fuerit baptizatus, ut "hæc præsumptio pro certitudine sit ha- "benda, donec evidentissimis forsan "argumentis contrarium probaretur." *Cap. veniens. 3. de Presbyt. non baptizato.* Et si talis revera sine unda Baptismatis extremum clausisset diem, quia in sanctæ Matris Ecclesiæ fide & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum & cœlestis Patriæ gaudium assecutum esse asserendum est incunctanter, cùm juxta S. Augustinum invisibiliter Baptismus administretur, quem non contemptus Religionis, sed terminus necessitatis excludit. *Cap. Apostolicum. 2. de Presbyt. non baptiz.*

4to. Si puer in necessitate baptizatus, & Sacerdos cognoscat certò infantem ritè in aqua sub debita verborum forma baptizatum, tunc nec simpliciter, nec sub conditione est rebaptizandus, sed ea faciet Sacerdos, quæ post Baptismum fieri solent, at si verè dubitet, quod semper tutiùs, an ritè aquâ naturali, & sub debita verborum forma baptizatus, baptizandus est sub conditione. *Ita Agenda, seu Rituale Colonienſe.*

Quæres *octavo.* Quæ pœnæ rebaptizantium? R. *1mo.* Qui bis ignoranter baptizati sunt, secundùm Canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat, qui autem ignari iterùm baptizati sunt, quasi iterùm crucifixissent Christum, per septem annos pœnitere debent. *Can. qui bis. 117. dist. 4. de consecrat.*

2do. Qui rebaptizat, si publicum est crimen, ad superiores Ordines promoveri non valet. *Cap. ex literarum. 2 de Apostatis.* Græci, qui baptizatos à Latinis rebaptizare temerario ausu præsumunt, excommunicationis mucrone percussi, ab omni officio & beneficio Ecclesiastico deponuntur. *Cap. licet. 6. de Baptismo.*

Quæres *nono.* Quæ dispositiones requiruntur in baptizando?

R. *1mo.* In parvulo baptizando nulla requiritur dispositio; *quia peccatum originale, quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim remittitur Sacramenti. cap. majores. 3. de Baptismo.* Dispositiones supplet Ecclesia; *nam Mater Ecclesia os maternum parvulis præstat, ut sacris Mysteriis imbuantur: quia nondum possunt corde proprio credere ad justitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. can. mater. 139. dist. 4. de consecrat.* Ac ita parvulus *fidem habet propter fidei Sacramentum, & convertit se ad DEUM propter conversionis Sacramentum, ac ipsum fidei Sacramentum fidelem facit. can. nihil. 76. dist. 4. de consecrat.*

2do. Adultus, qui nunquam consensit, sed penitùs contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacrament: quia plus est expressè contradicere, quàm minimè consentire: sicut nec ille notam alicujus reatûs incurrit, qui contradicens penitùs & reclamans thurificare cogitur idolis violenter. *Cap. majores. 3. §. Item quæritur. de Baptism.*

3tio. Sed facienda est distinctio inter invitum & invitum, coactum & coactum. Qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis (sicut & is, qui fictè ad Baptismum accedit) characterem suscipit Christianitatis impressum, & ipse tanquam conditionaliter volens, licèt absolutè non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christianæ, ut fidem, quam necessitate suscepit, tenere cogatur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam suscepit, vilis & contemptibilis habeatur. *cit. cap. majores.*

4to. Sicut autem ad suscipiendum sufficit voluntas habitualis, ita ad excludendum contradictio habitualis. "Ideo "dormientes & amentes, si priusquam "amentiam incurrerent, aut dormirent, "in contradictione perstiterunt; quia in "eis intelligitur contradictionis propositum perdurare: etsi sic fuerint immersi, "characterem non suscipiunt Sacramenti. Secùs autem, si priùs Catechumeni extitissent, & habuissent propositum "baptizandi: unde tales in necessitatis "articulo Ecclesia consuevit baptizare. "Tunc ergo characterem Sacramentalis "imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obstentem." *cap. majores. cit.*

5to. Ut ab adulto fructuosè suscipiatur Baptismus, conditiones sequentes à *Trident. Sess. 6. cap. 6.* graphicè descriptæ requiruntur: *1mo. Fides.* "Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum "excitati Divinâ gratiâ & adjuti fidem ex "auditu concipientes liberè moventur in "DEUM, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt, atque "illud imprimis à DEO justificari impium per gratiam ejus & per redemptionem, quæ est in Christo JESU." *2do. Timor.* "Et dum peccatores se "esse intelligunt, à Divinæ justitiæ timore utiliter concutiuntur." *3tio. Spes.* "Ad considerandam DEI misericordiam se convertendo in spem erigiuntur, fidentes DEUM sibi propter "Christum propitium fore." *4to. Amor DEI initialis.* "Et illum tanquam "omnis justitiæ fontem diligere incipiunt." *5to. Pœnitentia sive dolor de peccatis.* "Ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & "detestationem, hoc est: per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi "oportet." *6to. Propositum vitæ Christianæ.* "Demùm proponunt suscipere "Baptismum, inchoare vitam novam, "& servare Divina mandata." Has dispositiones singulas tam necessarias probat *Trident. loc. cit.* Ut: Fidem, *Hebr. 11. Accedentem ad DEUM oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se Remunerator sit.* 2. Spem, *Matthæi 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* 3. Timorem, *Eccles. 1. Timor Domini expellit peccatum.* 4. Pœnitentiam, *Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrùm.* 5. Demùm propositum vitæ Christianæ, *Matth. ult. Euntes docete omnes gentes, docentes eos servare, quæcunque mandavi vobis. Et 1. Reg. 7. Præparate corda vestra Domino.*

Quæres *decimo.* An Infideles ad Baptismum cogendi? R. *1mo.* "Nemini ad "cre-

"credendum vis inferri debet (*cui enim "vult, DEUS miseretur*) nec tales invi- "ti salvandi sunt, sed volentes, ut inte- "gra sit forma justitiæ. Sicut enim homo "proprii arbitrii voluntate serpenti obe- "diens periit: sic vocante se gratiâ DEI, "propriæ mentis conversione homo "quisque credendo salvatur. Quapro- "pter non vi, sed liberi arbitrii facul- "tate, ut convertantur suadendi, non "potiùs impellendi sunt Infideles." *can. de Judæis. 5. dist. 45. can. ad fidem. 33. caus. 23. q 5.*

2do. Judæis non sunt auferendi parvuli eorum, & baptizandi: quia sicut nec adulti, ita nec parvuli ad fidem vi trahendi sunt: Religioni etenim Christianæ est contrarium, ut invitus & contradicens ad servandam Christianitatem quis compellatur. *cap. majores. de Baptis. Quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum Baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire. cap. sicut Judæi. 9. de Judæis.*

3tio. Hi tamen, qui procreati de mulieribus infidelibus & viris fidelibus, ac econtra, Christianam sequantur Religionem, & ne parentum ultra involvantur erroribus, ab eorum consortio separandi deputentur aut monasteriis, aut Christianis viris, aut mulieribus DEUM timentibus, ut sub eorum conversatione cultum fidei discant, atque in melius instituti tam in moribus, quàm in fide proficiant. *Can. Judæorum. 11. caus. 28. q. 1.*

4to. Si unus ex infidelibus conjugibus convertatur ad fidem, infans non doli capax sequitur meliorem conversi conditionem. Secus est, si doli capax esset; tunc enim nonnisi sponte baptizandus est. *Cap. ex literis. 2. de convers. Infidelium. junct. gloss.*

Quæres *undecimo.* Quis Baptismi minister?

R. *1mo.* Minister solemnitatis est solus Sacerdos: quia constat Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum, ejusque ministerium nec ipsis Diaconis explere est licitum absque Episcopo vel Presbytero, hoc est: sine licentia Episcopi vel Presbyteri. *Can. constat. 19. dist. 4. de consecrat.*

2do. Si quis baptizaverit (intellige solemniter) non ordinatus, propter temeritatem est ab Ecclesia abjiciendus, & nunquam ordinandus. *Cap. 1. de Clerico non ordinat. 3tio.* Si ultima languoris necessitas cogat, & Laicis fidelibus baptizare permittitur, ne quisquam sine remedio salutari de sæculo evocetur. *cit. can. constat. can. in necessitate. 21. ibid. can. ad limina. 7. caus. 30. q. 1. 4to.* Mulier, quamvis docta & sancta aliquos baptizare non præsumat, intellige: dum vir adest, qui in necessitate baptizet. *can. mulier. 20. dist. 4. de consecrat. 5to.* S. Augustinus relatus in *can solet. 31. dist. 4. de consecrat.* Circa ministrum ejúsque intentionem has format quæstiones: Solet, inquit, quæri: *1mo.* Utrùm approbandum sit Baptisma, quod ab eo, qui non accepit, accipitur, si fortè curiositate aliquâ didicit, quemadmodum dandum sit. *2.* Utrùm nihil intersit, quo animo accipiat ille, cui datur, cum simulatione, an sine simulatione: si cum simulatione, utrùm fallens, sicut in Ec-

clesia, vel in ea, quæ putatur Ecclesia. *3.* An jocans, velut in mimo.

Respondet S. Pater ad *1mum*: "Nequaquam dubitarem habere eos Baptismum, qui ubicunque & à quibuscunque illud verbis Evangelicis consecratum sine sua simulâtione & cum aliqua fide accepissent, quamvis eis ad salutem spiritualem non prodesset, si charitate caruissent, quâ Catholicæ insererentur Ecclesiæ. Si enim habeam fidem, ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Ad *2dum* respondet: Non dubito etiam illos habere Baptismum, qui quanquam fallaciter illum accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia, ab eis, in quorum societate sunt, eum accipiunt: de quibus dictum est: ex nobis exiêrunt. Ad *3tium* non vult respondere, dicendo: Ubi autem nulla societas esset ita credentium, neque ille, qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicrè, & mimicè, & joculariter ageretur, utrùm approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, Divinum Judicium implorandum esse censerem." Respondet tamen *Gloss.* Si baptizans intendit baptizare, qualemcunque intentionem baptizandus habeat, recipit Sacramentum: sed si non intendit baptizare, licèt verba proferat, non est baptizatus: quia verba debent servire intentioni. Hæc opinio Glossæ firmatur ex propositione 28va ab Alexand. VIII. anno 1690 damnata: *Valet Baptismus collatus à ministro, qui omnem ritum externum formamque Baptismi observat, intùs vero in corde suo apud se resolvit: non intendo, quod facit Ecclesia.*

Quæres *duodecimo.* Qui effectus hujus Sacramenti?

℟. *1mo.* Per Baptismum Christum induentes nova prorsùs in illo efficimur creatura, plenam & integram omnium peccatorum remissionem consequentes. *Trident. Sess. 14. cap. 2.*

2do. Crimina tantùm dimittuntur in Baptismo: non illa, quæ secundùm Domini præcepta & DEI instituta complentur; ideo qui ante Baptismum uxorem habuit, & post Baptismum secundam duxit, bigamus est. *can. deinde. 3. dist. 26.*

3tio. In Sacramento Pœnitentiæ non tota semper, ùt in Baptismo fit, remittitur pœna temporalis; in Baptismo enim omninò plena & perfecta fit remissio peccatorum omnibus inimicis interfectis, quibus separabamur à DEO.

4to. Quamvis autem plena fiat remissio peccatorum: nondùm tamen est plena novitas, & perfecta mutatio: quia adhuc remanet corruptio non solùm in corpore, sed etiam in animo, qui est homo interior, in quo si perfecta esset novitas, non diceret Apostolus: quod renovatur de die in diem. *can. non ex quo. 146. dist. 4. de consecrat.*

5to. Notanda differentia inter originale & actuale peccatum; actuale peccatum transit actu, & remanet reatu, donec per Baptismum vel Pœnitentiam ex toto deleatur; etenim facta, dicta, cogitata iniqua quantùm ad motus præterierunt, & non sunt, eis tamen præteritis reatus eorum manet, nisi peccatum per remissionem solvatur. Originale verò peccatum, quantùm ad concupiscentiam, in Baptismo remanet actu, sed

transit

transit reatu : remanent enim quædam pœnalitates, cum quibus homo pugnat, & ita non præteritâ, sed manente lege concupiscentiæ reatus ejus solvitur: cùm fit in Baptismo plena remissio peccatorum. *cit. can. non ex quo. junct. gloss.* Hos effectus non habet Baptismus statim, dum fictè, hoc est: absque debita dispositione suscipitur, sed *tunc valere incipit ad salutem Baptismus, cùm illa fictio veraci confessione recesserit, qua corde in malitia vel sacrilegio perseverante peccatorum abolitionem non sinebat fieri. can. tunc valere. 42. dist. 4. de consecrat.*

§. Tertius.

DE

Baptismi Cæremoniis.

QUæres *primo.* Quo loco dandus Baptismus?

℟. Nullus in aulis, vel cameris, aut privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos audeat baptizare. Fit exceptio: *1.* Nisi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc deferri, Liberi extiterint. *2.* Aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus fieri. *Clement. unic. de Baptismo.*

Quæres *secundo.* Quo tempore dandus Baptismus?

℟. Olim duo tempora, id est: Pascha & Pentecostes ad baptizandum erant præfixa. *Can. duo. 12. dist. 4. de consecrat.* Venerabilis Baptismi Sacramentum nonnisi his temporibus tradebatur: exceptis iis, quibus urgente mortis periculo, ne in æternum perirent, his remediis subveniri oporteret. *Can. Venerabilis. 17. de consecrat. dist. 4.* In hujus memoriam Fons baptismalis affuso chrysmate illis temporibus consecratur, de quo in *can. in Sabbatho. 126. dist. 4. de consecrat. In Sabbatho sancto Paschæ & Pentecostes, si quis velit aquam consecratam ad aspersionem in domo sua recipere, ante Chrysmatis infusionem recipiat.*

Quæres *tertio.* Quot sunt cæremoniæ Baptismi?

℟. Primariæ sunt septem. Quomodo enim sunt septem dona Spiritûs Sancti, ita sunt septem dona Baptismi: *1.* Salis collatio. *2.* Aurium & narium linitio sputo. *3.* In pectore & in fronte facta crucis signatio. *4.* Olei sancti unctio. *5.* Baptismi ablutio. *6.* In vertice chrysmatis perunctio. *7.* Ejusdem in fronte facta signatio.

Quæres *quarto.* Quænam cæremoniarum, quæ Baptismo præmitti solent, significatio?

℟. *1mo.* Imponitur baptizando nomen; quia olim baptizandi nomen suum ad Baptismum in scriptis dabant. *Can. baptizandi. 60. dist. 4. de consecrat.* Modò novi nominis impositio signum est, quòd baptizandus novum Dominum accipiat, dum per confessionem veræ fidei in alterius commendatur dominium, &

per

per abrenuntiationem à prioris possessoris se alienat servitio. *Can. postquam. 61. dist. 4. de consecrat.*

2do interrogatur baptizandus : "Si "abrenuntiat Diabolo, & omnibus dam- "nosis operibus ejus , atque fallacibus "pompis , ut primum respuat errorem, "& sic appropinquet ad veritatem , pos- "sitque juxta Apostolum deponere ve- "terem hominem secundùm pristinam "conversationem , qui corrumpitur "secundùm desideria erroris, abnegans "impietatem & sæcularia desideria." *Can. primùm. 95. dist. 4. de consecrat.*

3tio. Ante Baptismum baptizandus catechizatur. Catechizo idem est, quod instruo, & Catechismus idem est, quod institutio , quæ hodie communiter fit ante fores Ecclesiæ , ubi interrogatur de articulis fidei, & propriè debet fieri solis adultis. *Gloss. in cap. 2. de cognat. spirituali.* Ratio est : "Ut fidei primum Ca- "techumenus accipiat rudimentum: quia "priùs debet baptizandus fide Incarna- "tionis Christi institui , & sic ad Baptis- "mum jam credulus admitti : ut sciat, "cujus gratiæ in eo est particeps, & cui "jam debitor fiat deinceps." *Can. ante. 55. dist. 4 de consecrat.*

4to. "Sacerdos in faciem baptizandi "exsufflat , ut pellatur ab eo potestas "Diaboli inimica , quæ decepit homi- "nem, ut possideret homines. Non ergo "creatura DEI in infantibus exorcizatur, "aut exsufflatur ; sed ille , sub quo sunt "omnes , qui sub peccato nascuntur." *Can. sicut. 62. dist. 4. de consecrat.*

5to. "Postea signatur baptizandus "signaculo S. Crucis tam in fronte, quàm "in corde : ut ab eo tempore ipse apo- "stata Diabolus in vase suo pristino suæ "interemptionis cognoscens signacu- "lum , jam sibi deinceps sciat esse alie- "num." *Can. postea. 63. dist. 4. de consecrat.*

6to. "Datur baptizando Sal benedi- "ctum in os : ut per sal typicum , sapien- "tiæ sale conditus fœtore careat iniqui- "tatis , nec à vermibus peccatorum ul- "tra putrefiat , sed magis illæsus serve- "tur ad majorem gratiam percipien- "dam." *Can. ex hinc. 64. dist. 4. de consecrat.*

7timo. "Dehinc iterùm exorcizatur "Diabolus , ut suam nequitiam agnos- "cens , & justum super se judicium DEI "timens recedat ab homine " *Can. de- hinc. 66. dist. 4. de consecrat.* "Et Sacer- "dos per exorcismi gratiam manum cre- "denti imponens habitare malignum "spiritum in ejus mente contradicit." *Can. Sacerdotes. 67. ibid.*

8vo. Sacerdos expuit in manum sinistram , & cum pollice manûs dextræ accipit de sua saliva tangens aures & na- res baptizandi : "Ut per salivam typi- "cam Sacerdotis & tactum sapientia & "virtus Divina salutem ejusdem Cate- "chumeni operetur : ut aperiantur ei "nares ad accipiendum odorem notitiæ "DEI ; ut aperiantur illi aures ad au- "diendum mandata DEI , ut aperiantur "illi sensus in intimo corde ad respon- "dendum." *Can. postea. 68. dist. 4. de consecrat. Ubi Gloss.*

Est caro nostra lutum, Patris sapientia sputum,
Creditur humanum genus hoc medi- camine sanum.

9no.

9no. Demum à Sacerdote baptizandus oleo Catechumenorum in pectore & in Scapulis inungitur : ut Sacrum baptisma cum fide custodiatur : ungitur illius pectus, ut nullæ reliquiæ latentis inimici in eo resideant : sed in fide Sanctissimæ Trinitatis mens ejus confortetur : ungitur & inter scapulas, ut undique muniatur, & ad bona opera facienda per DEI gratiam roboretur. *Can. deinde*, 70. *Dist.* 4. *de Consecrat.* In pectore baptizandus ungitur : ut per Spiritûs Sancti donum abjiciat errorem & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam : quia justus ex fide vivit. Inter scapulas, ut per Spiritûs Sancti gratiam excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat : quia fides sine operibus mortua est : ut per fidei Sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, & per operis exercitium sit fortitudo laborum. *Cap. unic.* §. *quia verò. de Sacra unctione.*

Quæres *quintò*. Quid significant cæremoniæ baptismum concomitantes ?

R. Interiora mysteria, quæ ad ipsum Sacrum fontem celebrantur, sunt : 1*mò*. Emissâ iterum certissimâ cautione, quâ baptizandus renuntiare omnibus pompis Diaboli, & omnibus operibus ejus, & omni fornicationi Diabolicæ spondet, rursus Sacerdos interrogat : Credis in DEUM Patrem &c. juxta Domini imperium, qui cum ad Patrem in cœlum ascenderet, discipulis suis, id est : Apostolis mandavit dicens : Euntes docete omnes gentes &c. *Can. prima.* 73. *Dist.* 4. *de Consecrat.* 2*dò* Fit terna immersio seu terna affusio aquæ duplici mysterii significatione : quia accipit baptismum in nomine Sanctissimæ Trinitatis ; quia accipit baptismum in nomine JESU Christi, qui die tertiâ resurrexit à mortuis ; illa enim tertiò repetita immersio typum exprimit Dominicæ sepulturæ, per quam Christo consepulti sumus in baptismo, & cum Christo resurgimus in fide, ut peccatis abluti in Sanctitate virtutum Christum imitando vivamus. *Can. postquam.* 78. *Dist.* 4. *de Consecrat.*

Quæres *sextò*. Quid significant cæremoniæ baptismum subsequentes ? R. 1*mò* Suscipiunt patrini baptizatum, & tenent super fontem : quos adhortatur S. Augustinus *In Can. vos ante.* 105. *Dist.* 4. *de Consecrat.* " Qui filios in baptismo „ suscepistis moneo ; ut vos cognosca- „ tis fidejussores apud DEUM extitisse pro „ illis, quos visi estis de Sacro fonte sus- „ cipere : ideoque semper eos admo- „ nete, ut castitatem custodiant, justi- „ tiam diligant, charitatem teneant. An- „ te omnia Symbolum & orationem Do- „ minicam & vos ipsi tenete, & illis, „ quos suscepistis de Sacro fonte, osten- „ dite. „

2*dò*. Sacerdos intincto pollice in chrysmate facit crucem in vertice seu summitate capitis. " Ante baptismum ungitur „ oleo benedicto, & post baptismum „ chrysmate Sancto ; quia chrysma soli „ competit Christiano : Christus enim „ à chrysmate dicitur, vel potius à Chri- „ sto dicitur chrysma, non secundùm „ nominis formam, sed secundum fidei „ rationem : à Christo verò Christiani „ dicuntur, tanquam uncti deriventur „ ab

„ab uncto : ut omnes concurrant in „odorem illius unguenti, cujus nomen „oleum est effusum. In vertice Baptiza„tus inungitur, ut sit paratus omni pe„tenti de fide reddere rationem : quia „per caput intelligitur mens, juxta quod „legitur: Oculi sapientis in capite ejus, „cujus superior pars est ratio, & infe„rior sensualitas. Unde bene per verti„cem, quæ est pars superior capitis, „intelligitur ratio, quæ est superior „pars mentis. „ *Cap. unic. §. quia verò. de „Sacra unctione.*

3tiò. "Post Baptismum traditur neo „Christiano vestis candida, designans „innocentiam & puriratem Christianam, „quam post ablutas veteres maculas stu„dio Sanctæ conversationis immacula„tam servare debet repræsentandam an„te tribunal Christi. Tegitur etiam post „Sacram unctionem caput ejus mystico „velamine : ut intelligat se diademate „regni. & Sacerdotali dignitate potiri. „Quilibet enim fidelis Rex debet esse „& Sacerdos : Rex : quia se & alios „virtutibus regere debet : Sacerdos : „quia cor contritum & humiliatum, „quod est vera oblatio ; id est, se de„bet offerre Deo. „ *Can. post Baptismum. 91. Dist. 4. de Consecrat. junct. Gloss.*

4tò. Si Baptizatus sit adultus, communicat : quia congruum est, ut Corporis Sanguinisque Dominici particeps fiat, qui in baptismo Christi membrum effectus est. *Can. nulli. 131. Dist. 4. de Consecrat.* Si infans : ponit Sacerdos de vino in os ejus dicens : *Hujus vini perceptio sit tibi in salutem æternam corporis & animæ.*

5tò. Demum traditur Baptizato in manibus cereus ardens, quo significantur tres Theologicæ virtutes, quæ ipsi in hoc Sacramento infunduntur : fides in lumine, Charitas in calore, Spes in cerei recti altitudine, quæ sursum ascendit, designatur : ut spes nostra ad cœlos usque excitetur, & erigatur. Præterea quia per baptismum fit communicatio lucis, & depulsio tenebrarum, ob quam causam baptismus Sacramentum illuminationis, & baptizati illuminati à Patribus dicuntur. S. Carolus Borromæus de cœremoniis baptismi.

Quæres *septimò*. Quid circa oleum, quo ante, & quid circa chrysma, quo baptizatus post baptismum inungitur, observandum ?

℟. 1mò. Benedicitur oleum, quod dicitur Catechumenorum vel infirmorum, & conficitur chrysma, quod ex oleo fit & balsamo mysticâ ratione : per oleum nitor conscientiæ designatur, juxta quod legitur (*prudentes Virgines acceperunt oleum in vasis suis cum Lampadibus*) per balsamum odor famæ exprimitur, propter quod dicitur : *Sicut balsamum aromatizans odorem dedi. Cap. unic. de Sacra unctione.*

2dò. "Si quis de alio, chrysmate quàm „de illo novo, quod proprii Episcopi „largitione vel concessione acceperit, „baptizare, nisi præoccupante morte „tentaverit : pro temeritatis ausu ipse „in se suæ damnationis protulisse sen„tentiam manifestatur. *Can. si quis. 122. „Dist. 4. de Consecrat.*

Quæres *octavò*. Quot possunt esse Patrini ?

℟. Non

℟. Non plures ad ſuſcipiendum de baptiſmo infantem accedant quam unus ſive vir ſive mulier. Leo Papa. *In Can.* 101. *Diſt.* 4. *de Conſecrat.* Quod innovat *Trident. Seſſ.* 24. *de Reform. Cap.* 2. *Unus tantùm ſive vir ſive mulier, juxta Ss. Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant.*

Quæres *nonò.* Quinam non poſſint eſſe Patrini?

℟. *1mò.* In baptiſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum, qui non eſt ipſe baptizatus. *Can. in baptiſmate.* 102. *Diſt.* 4. *de Conſecrat.* *2dò.* Nec licet Abbati nec Monacho de baptiſmate ſuſcipere filios. *Can. non licet.* 103. *ibid.*

Quæres *decimò.* Penes quos eſt deſignare Patrinos?

℟. Penes parentes. "Parochus au-„tem, antequam ad baptiſmum confe-„rendum accedat, diligenter ab iis, ad „quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem vel „quos elegerint, ut baptizatum de Sa-„cro fonte ſuſcipiant, & cum vel eos „tantùm ad illum ſuſcipiendum admit-„tat, & in libro eorum nomina deſcri-„bat. *Trid. loc. cit.*

Quæres *undecimò.* An à deſignato Patrino conſtitutus Procurator ſit Patrinus?

℟. Procurator non contrahit cognationem Spiritualem ſibi, ſed mandanti. Hinc eſt, quod unus, qui ſit viri, & alter, qui ſit Procurator mulieris baptizatum de Sacro fonte ſuſcipere poſſint: Sed non duo viri, vel duæ mulieres: unusquiſque tamen proprio nomine; non item vir loco mulieris, vel mulier loco viri. S. Congregatio. *Concil. Trid. verb. baptizatum*, de baptiſmo ſuſcipiant.

Quæres *duodecimò.* Quid de cœremonia puerperam poſt partum benedicendi ſentiendum?

℟. *1mò.* Licet ſecundùm legem Moſaicam certi dies determinati fuerint, quibus mulieres poſt partum à templi ceſſarent ingreſſu: in lege tamen gratiæ, ſi mulieres poſt prolem enixam acturæ gratias Eccleſiam intrare voluerint, nullâ peccati mole gravantur, nec eſt Eccleſiarum aditus denegandus. *Ratio prima eſt*: quia lex per Moyſen data eſt: gratia & veritas per JESUM Chriſtum facta eſt: umbra legis evanuit, & illuxit veritas Evangelii. *Secunda Ratio eſt*: Ne pœna illis converti videatur in culpam: voluptas enim carnis, non dolor in culpa eſt. In prolis partu dolor & gemitus eſt. *Can. ſi mulier.* 2. *Diſt.* 5. *Cap. unic. de Purificat. poſt partum.*

2dò. Si ex veneratione voluerint aliquamdiu ab ingreſſu templi abſtinere, devotio puerperarum non eſt improbanda. *Cit. cap. unic.* Ex qua devotione originem trahit mulierum poſt partum cum certis precibus in Eccleſiam introductio.

TITULUS III.

DE

Sacramento Confirmationis.

QUæres *Primò*. An confirmatio sit Sacramentum ?

℟. Affirmative est definitum à *Trid. Sess. 7. Can. 1. de Confirmatione. Si quis dixerit confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum ; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesin quandam, quâ adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant : Anathema sit.* Ratio est : "quia Spiritus Sanctus, qui „ super aquas baptismi salutifero descen- „ dit illapsu, in fonte plenitudinem tri- „ buit ad innocentiam, in confirmatio- „ ne augmentum præstat ad gratiam. In „ baptismo regeneramur ad vitam, post „ baptismum confirmamur ad pugnam : „ in baptismo abluimur, post baptis- „ mum roboramur. Et quamvis conti- „ nuò transituris sufficiant regenerationis „ beneficia : victuris tamen necessaria „ sunt confirmationis auxilia. Regene- „ ratio per se salvat mox in pace beati „ sæculi recipiendos : Confirmatio ar- „ mat & instruit ad agones mundi hu- „ jus & prælia reservandos. *Can. Spiritus Sanctus. 2. Dist. 5. de Consecrat.*

Quæres *secundò*. An Confirmatio majus sit Sacramentum quam baptismus ? Ad hanc quæstionem : utrum majus sit Sacramentum manûs impositio Episcoporum, aut baptismus : respondet Melchiades Papa in *Can. de his. 3. Dist. 5. de Consecrat* "Scitote utrumque magnum „ esse Sacramentum : & sicut unum à „ majoribus fit, id est, à Summis Pon- „ tificibus, quod à minoribus fieri non „ potest, ita & majori veneratione ve- „ nerandum & tenendum est.

Quæres *tertiò*. Quomodo appellatur hoc Sacramentum ?

℟. *Vocatur 1mò Confirmatio.* Cujus est ratio : quia per illud Spiritus Sanctus ad robur datur & augmentum. *Cap. unic. de S. Unctione. §. per frontis. 2dò. Frontis chrysmatio. cit. Cap. Unic.* Quia in collatione hujus Sacramenti frons chrysmate signatur. De quo *Trident. Sess. 7. Can. 2. de Confirmat. Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui Sacro Confirmationis chrysmati virtutem aliquam tribuunt : Anathema sit. 3tiò manûs impositio.* Ratio est : quia per frontis chrysmationem manûs impositio designatur. De qua in actibus Apostolorum. "Cum audissent "Apostoli, qui erant Jerosolymis, quia „ recepisset Samaria verbum Dei, mise- „ runt ad eos Petrum & Joannem : qui „ cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut „ acciperent Spiritum Sanctum, nondum „ enim in quenquam illorum venerat, „ sed baptizati tantùm erant in nomine „ JESU. Tunc imponebant manus su- „ per illos, & accipiebant Spiritum San- „ ctum.

„ctum. 4tò *signaculum Spiritûs Sancti.* „Cujus adventus per ministerium un- „ctionis designatur: quia columba, in „qua Spiritus Sanctus super Christum „in baptismo descendit, ad vesperam „in cataclysmo, hoc est, in generali „diluvio, revertens ramum retulit vi- „rentis olivæ. Cujus utique Sacramen- „tum David propheta prænoscens ex- „hilarandam faciem in oleo prædica- „vit. *cit. cap. unico.*

Quæres *quartò.* Quando Christus hoc Sacramentum instituit?

Respondet *S. Thom. 3. p. q. 72. a. 1. ad 1.* " Christus instituit hoc Sacramen- „tum non exhibendo sed promittendo, „secundùm illud *Joan.* 16. Si non „abiero, Paracletus non veniet ad vos: „si autem abiero, mittam eum ad vos. „Et hoc ideo: quia in hoc Sacramento „datur plenitudo Spiritûs Sancti, quæ „non erat danda ante Christi resurre- „ctionem & ascensionem, secundùm „illud *Joan.* 7. Nondum erat spiritus „datus: quia JESUS nondum erat glo- „rificatus.

Quæres *quintò.* Quæ necessitas Confirmationis?

℟. 1mò. Non est necessarium hoc Sacramentum necessitate medii: ideo licet non sit à fidelibus contemnendum: tutius tamen est illud sine periculo omittere, quàm ab his, quibus illud conferre non licet, ex temeritate recipere. *cap. quantò. 4. de consuetud.* 2dò. Est tamen necessarium necessitate præcepti. Ratio est: „quia omnes fideles per „manûs impositionem Episcoporum „Spiritum Sanctum post baptismum de- „bent recipere, ut pleni Christiani in- „veniantur: quia cum Spiritus Sanctus „infunditur, cor fidele ad prudentiam „& constantiam dilatatur. *can. omnes. 1. dist. 5. de consecrat.* Hæc duo Sacramenta: baptismus & confirmatio ita conjuncta sunt, ut ab invicem, nisi morte præveniente, nullatenus possint segregari, & unum sinè altero ritè perfici non potest. *can. de his. 3. ibid.* Quapropter adhortatur Catechismus Romanus: quanquam hoc Sacramentum necessarium non sit: à nemine tamen præter mitti debet: sed potius est maximè cavendum, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam largè impertiuntur, aliqua negligentia committatur: quod enim omnibus communiter ad Sanctificationem DEUS proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est. 3tiò. Speciale est præceptum *Trident. sess. 23. de reform. cap. 4. Primâ tonsurâ non initientur, qui Sacramentum confirmationis non susceperunt.*

Quæres *sextò.* Quis hujus Sacramenti minister?

℟. 1mò. Ordinarius est solus Episcopus. *Trident. sess. 7. can. 3. de confirmat.* ita ut absque speciali summi Pontificis commissione perfici non possit, nisi à summis Sacerdotibus. Ratio est 1mò: quia enim nec tempore Apostolorum ab aliis, quàm ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse: non ab aliis quàm ab illis, qui eorum tenent locum, unquam perfici potest, aut fieri debet. *can. manus. 4. dist. 5. de consecrat.* ideoq; in *cit. cap. quantò de consuetud.*

damnatur consuetudo, quâ quidam simplices Sacerdotes, ad excusandas excusationes in peccatis, prætendebant præsumentes ea Sacramenta fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum tempore fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est Sacramentum Confirmationis, quod chrysmando renatos soli debent Episcopi per manûs impositionem conferre. Ratio est 2dò ex *S. Thom. 3. p. q. 72. a. 11. in O.* " quia in quolibet opere ul-„tima consummatio supremæ arti aut „virtuti reservatur: hoc autem confir-„mationis Sacramentum est quasi ulti-„ma consummatio Sacramenti baptis-„mi: & ideo collatio hujus Sacramen-„ti Episcopis reservatur, qui obtinent „summam potestatem in Ecclesia, sicut „& in primitiva Ecclesia per impositio-„nem manûs Apostolorum, quorum „vicem gerunt Episcopi, plenitudo „Spiritûs Sancti dabatur. Et juxta *Trident.* Episcopi Presbyteris sunt Superiores, ac Sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, & alia pleraque agere possunt, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.

2dò. Extraordinarius minister ex commissione Pontificis potest esse simplex Sacerdos: probatur ex *can. pervenit. 1. dist. 95.* in quo Gregorius Papa concedit, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos tangant. Ratio est, quam adfert *S. Thom. 3. p. q. 72. a. 11. ad 1. quia Papa in Ecclesia habet potestatis plenitudinem. ex qua potest quædam, quæ sunt Superiorum Ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam Presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem.*

Quæres *septimò.* Quænam materia confirmationis?

R. *1mò.* Materiam remotam esse chrysma. Constat ex juribus supra citatis. Chrysma est unguentum ex oleo & balsamo confectum, ab Episcopo consecratum, de quo in *can. literis. 18. dist. 3. de consecrat.* ubi Fabianus Papa mandat, ut per singulos annos in cœna Domini chrysma conficiatur; Rationem dat: " sicut enim ipsius diei solemni-„tas per singulos annos est celebranda: „ita ipsius Sacri chrysmatis per singulos „annos est agenda, & de anno in an-„num est revocanda, & fidelibus tra-„denda: quia novum Sacramentum est „per singulos annos & jam dicto die in-„novandum, & vetus in Sanctis Eccle-„siis cremandum. Ita à Sanctis Apo-„stolis eorumq; successoribus accepi-„mus. Ulteriorem congruentiam dat *Doctor Angelicus loc. cit. a. 12. ad 3.* quia illa dies congruit Sacramentorum materiis præparandis, quâ fuit Sacramentum Eucharistiæ institutum, ad quod omnia alia Sacramenta ordinantur.

2dò. Quamvis in *cap. Pastoralis. 1. de Sacrament. non iterandis.* Innocentius III. interrogatus: An confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrysmate sed oleo Sacro delinitus? respondeat in tali non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum: ex quo aliqui inferunt chrysma non esse de necessitate Sacramenti con-

confirmationis ; attamen dicendum , quod in proposito casu sub unctione chrysmatis , quæ suppletur , forma ad minus sub conditione sit iteranda : quia ante nullum ex defectu chrysmatis susceperant Sacramentum. Quod non contrariatur adductæ responsioni pontificiæ. Ratio est : quia non intelligitur iteratum , quod ambigitur esse factum, ut dicit idem Pontifex in *cap. veniens. de presbyt. non baptizato.*

3tiò. Licet legatur factum per Apostolicam dispensationem , ut simplex Presbyter confirmationem conferret : non tamen nisi in chrysmate ab Episcopo benedicto. Eugen. IV. in Concilio *Florent. in decret.* Ita etiam in *can. presbyteris.* 119. *dist.* 4. *de consecrat.* præcipitur, ut baptizantes baptizatos ungant non alio chrysmate, quam quod ab Episcopo consecratum : non tamen frontem ex eodem oleo signent, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum. Ergo benedictio Chrysmatis est de necessitate Sacramenti.

4tò. Materia proxima Confirmationis est impositio manûs , quâ ungitur chrysmate , & signatur signo crucis frons baptizati. *Ratio* 1*ma est*: " quia „ per impositionem manûs baptizato „ Paracletus traditur , ut roboretur per „ Spiritum Sanctum ad prædicandum „ aliis idem donum, quod ipse in bap„ tismate consecutus est , per gratiam „ vitæ donatus æternæ. *can. novissimè. 5.* „ *dist. 5. consecrat. Ratio* 2*da*: quia sig„ natur baptizatus cum chrysmate per „ Sacerdotem in capitis summitate : per „ Pontificem verò confirmantem in fron„ te , ut in priore unctione significetur „ Spiritûs S. super ipsum descensio ad „ habitationem DEO consecrandam : „ in 2da verò , ut ejusdem Spiritûs S. „ septiformis gratia cum omni plenitu„ dine Sanctitatis , scientiæ & virtutis „ in hominem venire declaretur. *cit. can.* „ *novissimè. Ratio* 3*tia* : signatur in fronte signo crucis , ut liberè confiteatur, quod credit : quia corde creditur ad justitiam , ore autem fit confessio ad salutem , memor ejus , quod ait Dominus : Qui me confessus fuerit coram hominibus. *cap. unic. de S. unctione.* §. *quia verò.* Addit *S. Thom. loc. cit. a.* 9. *in O.* Ideo in fronte signatur chrysmate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam, quorum utriusque signum maximè manifestatur in fronte, nomen Christi confiteri prætermittat.

Quæres *octavò.* Quæ forma confirmationis?

R. Eam tradit Pontificale Romanum: *signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis in nomine Patris & Filii , & Spiritûs Sancti.*

Quæres *nonò.* Quodnam subjectum Confirmationis?

R. 1*mò.* Omnes fideles, *can. omnes.* 1. *dist.* 5. *de consecrat.* nondum confirmati : quia nec confirmatio nec baptismus iterari debent. *Can. dictum.* 8. *dist.* 5. *de consecrat.* ubi bis , ter vel amplius confirmati damnantur, ut deinceps non sæculo sed Soli DEO sub habitu regulari vel clericali religiosissimè famulentur. Iteratò vel bis eundem confirmans non incurrit irregularitatem sicut rebapti-

baptizans. *arg. cap. is qui.* 18. *de Sentent. excomm. in 6.*

2dò. Minori septennio Confirmationis Sacramentum nemini præbeatur, inquit S. Carolus Borrom. *in Concil. 1. Mediolan.* Si ex justa causa, ut quia rarus Episcopi ad loca accessus, minoribus natu hoc Sacramentum detur: eorum parentes vel qui curam gerunt, Parochus moneat, & ætate procedente eâ de re certiores faciant, ne parentibus Curatoribusq; postea mortuis ipsi aliquando dubitent, an hoc Sacramentum, quod iterari nefas est, susceperint. *Idem Concil. Mediolan. 5to.*

3tiò. Confirmationem parvulis datam iisdem prodesse docet Gloss. in *can. ut jejuni. 6. dist. 5. de consecrat.* ubi ad quæstionem: An minorem gloriam in cœlis habeat parvulus non confirmatus, respondet affirmativè. *Ratio est*: quia in confirmatione datur augmentum gratiæ, *can. Spiritus S. 2. ibid.*

Quæres *decimo*. Quam dispositionem hoc Sacramentum requirit?

℟. Ex *cit. can. jejuni*. requiritur 1mò ut jejuni ad Confirmationem veniant: uti etiam Episcopus non nisi jejunus per Impositionem manuum Spiritum Sanctum tradere debet: exceptis infirmis & morte periclitantibus. *can. ut Episcopi. 7. dist. 5. de consecrat.* 2dò ut sint perfectæ ætatis, de quo supra. 3tiò ut moneantur confessionem prius facere, ut mundi donum Spiritûs S. valeant accipere.

Quæres *undecimò*. An tempore interdicti possit hoc Sacramentum administrari?

℟. Affirmativè, juxta expressum textum in *cap. quoniam. 19. de Sentent. excomm. in 6.* Quoniam in baptismo & confirmatione, quæ nedum pueris, sed & adultis propter moræ periculum exhiberi possunt, licitè tempore interdicti chrysmatis utimur unctione: posse (licèt terra interdicta sit) chrysma die cœnæ Domini confici, dubium non existit.

Quæres *duodecimò*. Quæ, & quid significant cœremoniæ confirmationis accidentales?

℟. 1mò. In baptismo & confirmatione unus patrinus fieri potest, si necessitas cogit. Non est tamen consuetudo Romana, sed pro singulis singuli suscipiunt, hoc est: in quolibet Sacramento diversus est patrinus. *can. in catechismo. 100. dist. 4. de consecrat.* Patrinus debet esse baptizatus & confirmatus. *can. in baptismate. 102. ibid.* „ In confirmatione quoque seu frontis chrys„matione spiritualis cognatio, iisdé modis contrahitur, quibus in baptismo, „ matrimonia similiter impediens con„trahenda, & dirimens post contracta. „*cap. nedum, de cognat. Spirit. in 6.* quæ „confirmantem & confirmatum, illiusq; patrem & matrem, ac tenentem non egreditur. *Trid. ss. 24. de reform. matrim. cap. 2.* Ratio hujus cœremoniæ ex *S. Thom.* est *3. p. q. 72. a. 10. in O. 1mò.* Sicut aliquis de novo natus indiget instructione in iis, quæ pertinent ad conservationem vitæ, secundùm illud *Hebr.* „12. Patres quidem carnis nostræ ha„buimus eruditores, & reverebamur „eos, ita illi, qui assumuntur ad pugnam,

„nam, indigent eruditoribus, à qui„bus instruantur de his, quæ pertinent „ad modum certaminis: ideo in bellis „materialibus constituuntur Duces & „Centuriones, per quos alii gubernen„tur. Et propter hoc etiam ille, qui „accipit hoc Sacramentum, ab alio te„netur, quasi per alium in pugna Spi„rituali erudiendus. „ *2dò.* Quia per hoc Sacramentum confertur homini perfectio Spiritualis ætatis: ideo ille, qui ad hoc Sacramentum accedit, sustentatur ab alio sive patrino, quasi adhuc Spiritualiter imbecillis & puer.

Secundò. Episcopus leviter in maxilla cædit, quem chrysmate confirmat. Rationem dat S. Carolus Borromæus. *1mò* Ut sciat homo Christianus se jam militem esse, cujus pugna & Victoria elucet in patiendis injuriis non in illis inferendis. *2dò.* Ut sciat se esse in Christiana militia constitutum, in qua non hujus vitæ commoditates & commoda quærat, sed incommoda potius, atque ad mala multa patienter ferat. *3tiò.* Demum, ut intelligat officii sui esse in acie stare, tela, quæ ab hoste veniunt, observare, ita ut quamvis illis telorum ictibus corpus, honor, opésque lædantur; anima tamen nullo pacto lædatur.

TITULUS IV.

DE

Sacramento Eucharistiæ.

DE Sacratissimo hoc Sacramento cùm Theologi Scholastici tùm Canonistæ tractant. Nos secundùm præscriptam operis præsentis methodum partim quid scholasticè, partim quid canonicè de eo delibabimus; acturi §. 1. De nomine Eucharistiæ. *2dò.* De ratione Sacramenti. *3tiò.* De transubstantiatione. *4tò.* De præsentia Christi. *5tò.* De susceptione tanti Sacramenti. *6tò.* De sacrificio Missæ. *7timò.* De auditione Missæ. Reliquos titulos Canonicos ad hanc materiam pertinentes, quales sunt titulus 40. de consecratione Ecclesiæ & Altaris; titulus 41. De celebratione Missæ & Sacramento Eucharistiæ; titulus 44. De custodia Eucharistiæ: Summæ Canonicæ reservantes, ad eamque benevolum Lectorem & Juris Canonici Candidatum remittentes.

§. Primus.

DE

Nominibus Eucharistiæ.

QUæres *Primò*. Quibus nominibus hoc Sacramentum appellatur ?

℟. Sequentibus : Dicitur enim *1mò* Eucharistia. *Can. multi.* 84. *caus.* 1. *q.* 1. *2dò* Panis & Calicis Sacramentum. *cit. Can. multi. 3tiò* Mysterium fidei. *In Canone Missæ.* Magnum & pavendum mysterium. *Can. quid sit.* 73. *de Consecrat. dist.* 2. *4tò* Mysterium unitatis. *Cap. firmiter.* 1. §. *una verò. de Sanctissima Trinit. 5tò* Communio, unitatis signum, vinculum charitatis, concordiæ symbolum, Panis supersubstantialis, animæ vita, perpetua sanitas mentis, Panis Angelorum. *Trident. Sess.* 13. *cap.* 8. *de Eucharistia. 6tò* Perpetua redemptionis oblatio. *Can. quia Corpus.* 35. *de Consecrat. dist.* 2. *7timò* Hostia saluraris. *Cap. sanè.* 10. *de Celebrat. Missar. 8vò* Sacrificium. *Cit. cap. firmiter. 9nò* Cœna. *Gloss. in cit. cap. firmiter. 10mò* Missa. *Cap. Presbyterum* 2. *de Clerico ægrotante. 11mò* Viaticum. *Cap. quod in te,* 11. *de Pœnit. & remiss.*

Quæres *secundò*. Unde vocatur Eucharistia ?

℟. Ab eu, quod est bonum : & charis, quod est gratia : hoc est : bona gratia. *Gloss. in Clement.* 1. *de Privileg.*

Quæres *tertiò*. Quare appellatur bona gratia ?

℟. Quia Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem in hoc Sacramento divitias divini sui erga homines amoris effudit. *Trident. Sess.* 13. *cap.* 2. Ut præcipuum & insigne memoriale sui amoris eximii, quo nos dilexit, esset nobis hoc præcelsum & venerabile Sacramentum : memoriale mirabile ac stupendum, delectabile, suave, tutissimum ac super omnia pretiosum. *Clement. unic. de Reliq. & Veneration. Sanct.*

Quæres *quartò*. Quare dicitur Panis ac Calicis Sacramentum ?

℟. "Quia Panis est in Altari usitatus „ante verba Sacramentorum : ubi ac„cessit consecratio de Pane fit caro Chri„sti. *Can. Panis.* 55. *dist.* 2. *de Consecrat.*

Quæres *quintò*. Quare est mysterium fidei ?

℟. Quia aliud videtur, aliud intelligitur : quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet Spiritualem. *Can. quid sit Sanguis.* 73. *de Consecrat. dist.* 2.

Quæres *sextò*. Quare mysterium unitatis nominatur ?

℟. *1mò*. Quia in hoc Sacramento accipimus nos ipsi de suo, quod accepit ipse Christus de nostro. *Cit. cap. firmiter. de S. Trinit.*

℟. *2dò*. Quia Christus in Ecclesia reliquit hoc Sacramentum tanquam symbolum ejus unitatis & charitatis, quâ Christianos omnes inter se conjunctos

& copulatos esse voluit. *Trid. Sess. 13. in proëm.*

Quæres *septimò*. Quare synaxis vel communio nuncupatur?

℟. Quia communicatione hujus Sacramenti copulamur in uno illo corpore, cujus Christus caput existit, cuique nos tanquam membra arctissimâ Fidei, Spei, & Charitatis, connexione adstrictos esse voluit. *Trident. cit. cap. 2.*

Quæres *octavò*. Quare Viaticum dicitur?

℟. Quia omnibus decedentibus ex hac vita ad iter æternitatis velut Viaticum conceditur. *Cap. quod in te. 11. de Pœnit. & remiss.*

Quæres *nonò*. Quare Hostia appellatur?

℟. Quia in una Ecclesia Catholica hoc Sacramentum vera Hostia redemptoris immolatur. *Can. quia. 22. caus. 24. q. 1.* de qua canit. *Gloss. in cap. sanè. 10. de Celebrat. Miss.*

Salve lux mundi, Verbum Patris,
Hostia vera,
Viva caro, Deitas integra, verus homo.

Quæres *decimò*. Quare nominatur Sacrificium?

℟. "Quia sicut se Christus pro nobis „ per passionem & mortem suam acce„ ptabile sacrificium Deo Patri obtulit, „ ut ipse esset Sacerdos, qui & sacrifi„ cium. *Can. Sacerdos. 89. de Consecrat. dist. 2.* Ita in confectione hujus Sacramenti idem ipse Sacerdos est & sacrificium. *Cit. cap. firmiter.*

Quæres *undecimò*. Cur cœna dicitur?

℟. Quia postquam in cœna ultima typicum Pascha fuit completum, & agni carnes Christus cum Apostolis comedit, assumpsit Panem, & ad verum Paschæ transgressus est Sacramentum. *Can. accipite. 88. de Consecrat. dist. 2.* In hac cœna fuit Dominus JESUS ipse Conviva & convivium, ipse comedens, & qui comeditur. *Can. nec Moyses. 87. de Consecrat. dist. 2. ubi Gloss.*

Rex sedet in cœna, turbâ unitus duodenâ,
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

Quæres *duodecimò*. Quare Missa vocatur?

℟. Quia in hoc Sacramento à Patre nobis mittitur Filius Dei, Missus cœlestis. De quo in *cit. Can. quid sit Sanguis. de Consecrat. dist. 2.* "Quis fidelium „ dubium habere possit in ipsa immola„ tionis hora ad Sacerdotis vocem cœ„ lum aperiri? In illo JESU Christi my„ sterio Angelorum choros adesse? sum„ ma & ima Sociari, terrena cœlestibus „ jungi, unum ex invisibilibus atque „ visibilibus fieri.

§. Secundus.

De Ratione Sacramenti.

Quæres *primò*. An Eucharistia Sacramentum?

℟. Commune hoc Sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis est, quod

sit Symbolum rei Sacræ, & invisibilis gratiæ forma visibilis. *Trident. Sess.* 13. *cap.* 3.

Quæres *secundò*. "In quo hoc Sacra„mentum reliquis est excellentius?

R. „Illud in ea excellens & singulare „reperitur, quod reliqua Sacramenta „tunc primum sanctificandi vim habe„ant, cum quis illis utitur; at in Eu„charistia ipse sanctitatis Author ante „usum est. *Trident. loc. cit.*

Quæres *tertiò*. An Eucharistiæ Sacramentum simpliciter dignissimum?

R. Nihil in Sacrificiis majus esse potest, quam Corpus & Sanguis Christi: nec ulla oblatio hac potior est, sed hæc omnes præcellit. Nullum ergo Sacramentum dignius est isto, quantùm in se ipso est. Quatuor enim modis unum Sacramentum est dignius altero, scilicet ratione efficaciæ, ut baptismus: Ratione Sanctitatis, ut Eucharistia: Ratione significationis ut conjugium: Ratione conferentis, ut confirmatio. *Can. nihil.* 8. *de Consecrat. dist.* 2. *junct. Gloss.*

Quæres *quartò*. Qualiter res Sacramenti & Sacramentum hìc distinguuntur?

R. Subtiliter distinguendum est inter tria, quæ sunt in hoc Sacramento discreta: videlicet formam visibilem, veritatem corporis, & virtutem Spiritualem; Forma est Panis & Vini; Veritas est Carnis & Sanguinis, virtus est unitatis & charitatis. Primum est Sacramentum, & non res. Secundum est Sacramentum & res. Tertium est res & non Sacramentum. *Cap. cum Martha.* 5. *de Celebrat. Miss.*

Quæres *quintò*. In quo formaliter consistit ratio Sacramenti?

R. Eucharistia formaliter consistit in duobus: visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri JESU Christi Carne & Sanguine. *Can. hoc est.* 48. *de Consecrat. dist.* 2. Species importantur in recto, corpus Christi respicitur in obliquo.

Quæres *sextò*. Quando incipit esse Sacramentum?

R. Dum Panis est; nullum est ibi Sacramentum: quia nihil significat: sed cum incipit transire in corpus Christi (non motu successivo sed instantaneo) statim Species Panis incipit significare corpus Christi & esse Sacramentum. *Gloss. in Can. Panis.* 55. *de Consecrat. dist.* 2.

Quæres *septimò*. Quæ materia hujus Sacramenti?

R. Materia Corporis Christi est Panis usitatus. *Cit. Can. Panis.* Panis triticeus. *Eugen. IV. in Decret. Armenor.* non Farina sola, aut Aqua sola: nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & Panis unius compage solidatum. Quod si melle vel alio liquore fuerit farina aspersa, nunquid transubstantiatur ille Panis corpore Christi? Non. *Can. sic in Sanctificando.* 2. *de Consecrat. dist.* 2. *junct. Gloss.* Sive in azimo, sive fermentato Pane triticeo Corpus veraciter conficitur. *Concil. Florent. in Decreto union. Græcor.* In Ecclesia Latina in azimo confici debet. *Cap. fin. de Celebr. Missar.* Materia Sanguinis est Vinum de vite. *Eugen. IV. in Decret. Armenor.* Vinum aquâ mixtum. *Cap. pernitiosus.* 13. *de Celebrat. Miss.*

Quæres

Quæres *octavò*. Quare vino calicis aqua necessariò miscenda?

℟. Calix Dominicus juxta Canonum præcepta vino & aqua permistus debet offerri: quia in aqua populus intelligitur, in vino ostenditur Sanguis Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur & jungitur. *Can. cum omne. 7. de consecr. Dist. 2.* Alias rationes hujus præcepti Ecclesiastici affert *Trident. Sess. 22. cap. 7.*

Quæres *nonò*. Quæ forma hujus Sacramenti?

℟. Forma panis est: *Hoc est corpus meum. Can. quia corpus. 35. De consecrat. dist. 2.* Forma vini: *Hic est calix Sanguinis mei novi & æterni Testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quamvis enim in Evangelio non legatur: *novi & æterni Testamenti, mysterium fidei*: credimus tamen quod formam verborum, sicut in canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab Apostolis eorum acceperint Successores. *cap. cum Martha. 6. de celebrat. Miss.*

Quæres *decimò*. Quis minister hujus Sacramenti?

℟. Nemo potest hoc Sacramentum conficere, nisi Sacerdos, qui rectè fuerit ordinatus secundùm claves Ecclesiæ, quas concessit Apostolis eorúmque Successoribus JESUS Christus. *cap. firmiter. De summ. Trinit.*

Quæres *undecimò*. An Eucharistia unum vel plura Sacramenta?

℟. Plura sunt Sacramenta propter specierum pluralitatem, & unum est Sacramentum, quia unus sub utraque specie Christus. *Gloss. in can. panis. 55. de consecrat. dist. 2.* Accidentia panis sunt tantùm Sacramentum corporis Christi, & accidentia vini sunt tantùm Sacramentum Sanguinis Christi: quamvis sub qualibet specie sit totus Christus. *Gloss. in can. comperimus. 12. de consecr. dist. 2.*

Quæres *duodecimò*. Quare cultu hoc Sacramentum est colendum?

℟. Cultu latriæ, qui vero DEO debetur. *Trid. Sess. 13. cap. 5.* ideo 1mò quod generaliter scribitur: ut in nomine JESU omne genu flectatur singuli singulariter in se ipsis implentes, præcipuè dum aguntur missarum Sacra mysteria, flectunt genua cordis sui. *Cap. decet. 2. de immunit. Eccles. in 6.* 2dò. Hoc Sacramentum in loco mundo & clauso cum omni reverentia est asservandum. *cap. 1. de custod. Euchar. Gloss. in can. semel. 52. de consecrat. dist. 2. ita canit:*

Clauditur hoc vase nostri pia victima Phase,
Viva, salutaris, semel in cruce, semper in aris.

3tiò. In processionibus reverenter & honorificè per vias & loca publica circumferendum. *Trident. l. c.* 4tò. Ad infirmos cum omni reverentia & timore, semper cum lumine, cum sit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur, à presbyteris ferendum est & referendum. *Cap. sanè. 10. de celebr. missar.*

§. Tertius.

DE
Transubstantiatione.

QUæres *primò*. An possibile, quod panis & vinum in corpus & Sanguinem Christi convertatur?

„ R. Affirmativè. Si tanta vis est in „ sermone Domini JESU, ut incipe„ rent esse quæ non erant: quantò ma„ gis operatorius est, ut sint, quæ „ erant, & in aliud commutentur. *Can.* „ *panis. 55. de consecrat. dist. 2.* Sermo „ igitur Christi, qui potuit ex nihilo „ facere, quod non erat, non potest „ ea, quæ sunt, in id mutare, quod „ non erant? non enim minus est no„ vas rebus dare, quàm mutare natu„ ras. *Can. reverà. 69. ibid.*

Quæres *secundò*. An panis & vinum in consecratione corpus & Sanguis Christi fiant?

„ R. Sermo Christi conficit hoc Sa„ cramentum, & sic quod erat panis „ ante consecrationem, jam corpus „ Christi est post consecrationem: & „ Vinum cum aqua in calice mistum fit „ Sanguis consecratione verbi cœlestis. „ *cit. can. panis.*

Quæres *tertiò*. An in Sacramento substantia panis & vini maneat?

R. Negativè. Licet figura panis & vini ibi sit, omninò nihil aliud quam caro Christi & Sanguis post consecrationem credenda sunt. *Can. omnia. 74. de consecrat. dist. 2.* Remanet sola species sive similitudo illarum rerum, quæ ante fuerunt, scilicet panis & vini. *Can. species. 34. ibid.*

Quæres *quartò*. Qualiter conversio panis & vini appellatur?

R. Jam ante quinque fere sæcula in Concil. Lateran. sub Innoc. III. ut refertur in *cap. firmiter. de sum. Trinit.* appellata fuit *Transubstantiatio.*

Quæres *quintò*. Quando fit Transubstantiatio?

R. Ad prolationem istius: *Hoc est corpus meum*, Transubstantiatur panis in corpus, & ad prolationem istius: *Hic est Sanguis meus* &c. Vinum convertitur in Sanguinem. *Gloss. in can. cum omne. 7. & can. quia corpus. 35. de consecrat. dist. 2.*

Quæres *sextò*. An non vinum etiam in corpus, & panis in Sanguinem Christi transubstantiantur?

R. Hæc propositio non est concedenda: *Vinum transubstantiatur in corpus Christi.* Quamvis enim ubicunque est caro, ibi est Sanguis: sed caro est ibi per Transubstantiationem, & Sanguis per commixtionem, sicut anima est ibi per unionem. *Gloss. in can. comperimus. 12. de consecr. dist. 2.*

Quæres *septimò*. Quot circa conversionem aquæ catholicæ sunt sententiæ?

R. Innoc. III. in *cap. cum Marthæ. 6.*

„ *de*

„ *de celebr. Miss.* refert tres: 1. Aliqui-
„ bus videtur, quod cum de latere
„ Christi duo præcipua fluxerint Sacra-
„ menta: redemptionis in Sanguine, ac
„ regenerationis in aqua, in illa duo
„ Vinum & aqua, quæ commiscentur
„ in calice, divinâ virtute mutantur,
„ ut in hoc Sacramento plenè sit veri-
„ tas & figura.

„ 2. Alii tenent, quod aqua cum vi-
„ no transubstantietur in Sanguinem,
„ cum in vinum transeat vino mixta:
„ licet physici contrarium asseverent,
„ qui aquam à vino per artificium pos-
„ se asserunt separari.

„ 3. Præterea dici potest, quod aqua
„ non transit in Sanguinem, sed rema-
„ net prioris vini accidentibus circum-
„ fusa.

Quæres *octavò*. Quænam ex his sententiis probabilior?

„ R. Inter opiniones prædictas illa
„ probabilior judicatur, quæ asserit
„ aquam cum vino in Sanguinem trans-
„ mutari, ut expressius eluceat propria-
„ tas Sacramenti. *cit. cap. cum Marthæ.*

Quæres *nonò*. An aqua mediatè vel immediatè in Sanguinem convertatur?

R. Mediatè; quia non transeunt duo in Sanguinem, sed vinum quod aquam sibi incorporavit. *Gloss. in cit. cap. cum Marthæ. Verb. cum vino.*

Quæres *decimò*. Si post consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, an illud in Sanguinem Christi convertatur?

R. Illud non transit in Sanguinem, nec illi commiscetur. sed accidentibus prioris vini commixtum, corpori, quod sub eis latet, undique circumfunditur, non madidans circumfusum. *cit. cap. cum Marthæ.*

Quæres *undecimò*. Si post consecrationem modicum aquæ affundatur, an illud in vinum convertatur?

R. Affirmative: quia sic aqua apposita vini Saporem amittit. *cit. cap. cum Marthæ.*

Quæres *duodecimò*. Si gutta vini consecrati alteri liquori commiscetur, an corpus & Sanguis Christi maneant?

R. Tamdiu est corpus Christi, quamdiu sunt accidentia vini. *Gloss. in can. si per ebrietatem. 28. de consecr. dist. 2.*

§. Quartus.

DE

Præsentia Christi.

QUæres *primò*. An error veram & realem Christi in Eucharistia præsentiam negans ante exortas nostri temporis hæreses condemnatus fuerit?

„ R. Prima hæresis in discipulis Chri-
„ sti velut à duritie ejus sermonis facta
„ est. Cum enim diceret: *nisi quis man-*
„ *ducaverit carnem meam, & biberit San-*
„ *guinem*

„*guinem meum, non habebit vitam aeter-*
„*nam*, illi non intelligentes (carnem
„quippe sic Intellexerunt, quomodo
„in cadavere venditur, aut macello
„dilaniatur) dixerunt ad invicem: Du-
„rus est hic sermo, quis potest eum
„audire? Et separaverunt se ab illo:
„discedentibus illis instruxit eos, qui
„remanserunt: Spiritus est, inquit,
„qui vivificat, caro nihil prodest, ver-
„ba quæ locutus sum ad vos, Spiritus
„& vita sunt. *Can. prima. 44. de con-*
„*secr. dist. 2.* Ex eo verbo: mysterium
„fidei, munimentum erroris quidam
„trahere putaverunt, dicentes in Sa-
„cramento Altaris non esse corporis
„Christi & Sanguinis veritatem, sed
„imaginem tantùm & speciem & figu-
„ram. *cap. cum Martha. 6. de celebr. Miss.*
„Hunc errorem Berengarius relapsus
„in secunda palidonia circa annum
„1059. revocavit, ut refertur in *can.*
„*Ego. 42. de consecr. dist. 2.*

Quæres *secundò*. An vera Christi caro & verus Sanguis sit præsens?

℟. Caro ejus est, quam forma panis opertam in Sacramento accipimus, & Sanguis ejus, quam sub vini specie & sapore potamus. *Can. hoc est. 48. de consecrat. dist. 2.*

Quæres *tertiò*. Quare Christus sub specie aliena præsens esse voluit?

℟. Quia Christum vorari dentibus fas non est, voluit Dominus hunc panem & vinum in mysterio verè carnem suam & Sanguinem suum consecratione Spiritûs S. potentialiter creari. *Can. utrum. 72. de consecr. dist. 2.*

Res occultatur? quare quia si videatur, Forsitan horreres, & manducare timeres.

Gloss. in can. semel. 51. de consecrat. dist. 2.

Quæres *quartò*. Quid vi verborum præsens est?

℟. Corpus est sub specie panis, & Sanguis sub specie vini ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & Sanguis sub specie panis, ac anima sub utraque specie vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes inter se copulantur, & demum divinitas propter admirabilem illam ejus cum corpore ac anima hypostaticam unionem. *Trident. sess. 13. cap. 3.*

Quæres *quintò*. An æquè sit præsens, sive bonus sive malus Sacerdos consecret?

℟. Nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote: quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris, & in virtute Spiritûs S. Si enim in merito esset Sacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret. Nunc autem sicut ipse est, qui baptizat, ita ipse est, qui per Spiritum S. hanc suam efficit carnem, & transit vinum in Sanguinem. *Can. utrum. cit.*

Quæres *sextò*. An omnes æquè multum in hoc Sacramento de corpore Christi accipiant?

℟. Sive plus sive minus quis inde percipiat, omnes æqualiter corpus Christi integerrimè sumunt, & generaliter omnes, & specialiter unusquisque. *Can. quid sit. 73. de consecrat. dist. 2.*

Quæres *septimò*. An idem corpus in omnibus hostiis?

℟. Sicut

℟. Sicut divinitas verbi DEI una est, quæ totum implet mundum, ita licet multis locis & innumerabilibus diebus illud consecretur corpus, non sunt tamen multa corpora Christi, neque multi calices: sed unum corpus Christi & unus Sanguis cum illo quod sumpsit in utero Virginis, & quod dedit Apostolis. *Cit. can. quid sit.*

Quæres *octavò*. An sit Christus semper integer?

℟. Quotidiè ipse comeditur & bibitur in veritate: sed integer & vivus, atque immaculatus manet. *Cit. can. quid sit.*

Quæres *nonò*. An Christus sit in loco?

℟. Corpus Christi non circumscribitur loco: quia non est tantus locus, quin in minori esse possit: sed ubicunque est pars, sive dicas pars speciei, totum corpus est, sive pars corporis Christi, id est pes, manus, totum corpus est. *Can. ubi pars. 78. de Consecrat. dist. 2. junct. Gloss.*

Quæres *decimò*. An omnia membra mixta sint, ut ubi est caput, ibi mixti pes & manus?

℟. Negativè sed ubi pars, ibi totum; quia non majorem occupat locum quam pars, & econverso, cum sit quasi Spirituale. *Gloss. in cit. Can. ubi. pars.*

Quæres *undecimò*. Annon Christus visibilis sit præsens?

℟. Est ipse visibilis præsens, & non est ipse, ipse invisibiliter, non ipse visibiliter. *Can. non hoc. 45. de Consecr. dist. 2.* Caro carnis, & Sanguis Sacramentum est Sanguinis: carne & Sanguine utroque invisibili, intelligibili, Spirituali, significatur visibile D. N. J. C. corpus palpabile, plenum gratiâ omnium virtutum, & Divinâ Majestate. *Can. hoc est. 48. de Consecr. dist. 2.*

Quæres *duodecimò*. Quomodo accidentia in Sacramento existunt?

℟. Manet ponderositas cum accidentibus aliis, & tamen nihil est ibi ponderosum. In his omnibus cedit natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur. *Gloss. in Can. si per negligentiam. 28. de Consecr. dist. 2.* Quid quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse partus ex Virgine. *Can. revera. 69. de Consecr. dist. 2.* Hinc *Glossa in cit. Can. semel.*

Ut sine subjecto dependet in aëre nubes,
Et centrum terræ pelagi sustentat abyssus,
Sic vini color, & sapor est, Panis quoque pondus.

§. Quintus.

De Susceptione Eucharistiæ.

QUæres *primò*. Quot modis Eucharistiâ sumi potest?

℟. Duobus modis manducatur Christus: uno modo Sacramentaliter, quod

bonis & malis competit, alio modo Spiritualiter, cum per fidem & dilectionem cooperantem accipitur. *Can. quid est. 46. de Consecr. dist. 2. junct. Gloss.*

Quæres *secundò*. Quæ inter dignè & indignè sumentem differentia ?

R. Quomodo de dignè sumente Christus dicit : Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo : ita de indignè sumente dicendum : quia non in me manet, nec ego in illo, & si accipit Sacramentum, acquirit magnum tormentum. *Cit. Can. quid est.* Sicut Judas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se Diabolo præbuit; sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut, quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit; corpus enim Domini & Sanguis Domini nihilominus erat in illis, quibus dicebat Apostolus : qui manducat indignè, judicium sibi manducat. *Can. sicut Judas. 68. de Consecr. dist. 2.*

Quæres *tertiò*. An sit præceptum sumendi Eucharistiam ?

R. 1*mò*. Non solùm est præceptum Ecclesiæ sed etiam Christi, quo omnes quantumcunque perfecti, tenentur sumere Christi corpus. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis. Gloss. in Clement. ad nostrum. de hæret.*

R. 2*dò*. Tempus Ecclesia determinat præcipiendo : ut omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, suscipiat reverentèr ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum. *Cap. omnis utriusque. 12. de Pœnit. & remiss.*

R. 3*tiò*. Qui recedunt de corpore, necessario vitæ suæ Viatico non sunt defraudandi. Et quamvis hoc Sacramentum non sit necessitatis, tamen concedendum est decedentibus etiam interdicti tempore. *Cap. quod in te. 11. de Pœnit. & remiss.* Quin & publicis peccatoribus, qui à Sacra communione detruduntur, Viaticum de sæculo transeuntibus, si dignè pœnituerint, non negatur. *Can. Virginibus. 14. caus. 27. q. 1.*

Quæres *quartò*. An consilii Eucharistiam sæpius sumere ?

R. S. August. in *Can. quotidie. 13. de Consecr. dist. 2.* ait : Quotidie Eucharistiæ Sacramentum percipere nec laudo, nec vitupero : omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo & hortor : si tamen mens sinè affectu peccandi sit. Interim iste Panis quotidianus est : accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit : sic vive, ut quotidie mereris accipere. *Can. non iste. 56. de Consecr. dist. 2.*

Quæres *quintò*. Quale ad communionem requiritur jejunium ?

R. Nullus post cibum & potum quemlibet minimum sumptum missas facere præsumat. *Can. nihil. 16. caus. 7. q. 1.* Sed Sacramenta Altaris nonnisi à jejunis celebrentur. *Can. Sacramenta. 49. de Consecr. dist. 1.* Et quamvis constet, quod quando primum Apostoli acceperunt Corpus & Sanguinem Domini, non eos

acce-

accepisse jejunos : non ideo calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod à jejunis semper accipitur ; ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. *Can. liquidò. 54. de Consecrat. dist. 2.* Dies autem more Romano à medietate noctis incipit, & in medio noctis desinit subsequentis. *Cap. consuluit. 24. de Offic. Judic. delegati.* Post communionem etiam non statim ad communes cibos accipiendos conveniatur. *Can. tribus. 23. de Consecr. dist. 2.*

Quæres *sextò*. Qualis ad communionem corporis puritas requiritur ?

R. A sordibus incontinentiæ. *1mò*. si ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio in mente dormientis, ita, ut quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens, propter talem pollutionem à Sacro Mysterio eâ die abstinere oportet. *Can. testamentum. 1. dist. 6. 2dò*. Si Panes propositionis non poterant ab iis, qui uxores suas tetigerant comedi, quantò magis Panis ille, qui de cœlo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulò ante hæserê complexibus, violari atque contingi ? Non quod nuptias condemnemus ; hoc enim non dicimus, sed quod eo tempore, quo carnes agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus. *Can. sciatis. 1. caus. 33. q. 4.*

Quæres *septimò*. Quæ animæ puritas ad communionem necessaria ?

R. Communicans debet esse immunis *1mò* à peccato mortali, ita, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissâ Sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat : quod si necessitate urgente Sacerdos peccati mortalis conscius, absque præviâ confessione, eò quod desit copia confessoris, celebraverit, quam primùm confiteatur. *Trident. Sess. 13. cap. 7. 2dò* Sit mens sinè affectu peccandi venialiter : nam habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico Eucharistiæ perceptione quam purificari. Et ideo quamvis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cœterò voluntatem, & communicaturus satisfaciat lachrymis & orationibus, & confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus : sed hoc de illo dico, qnem Capitalia & mortalia peccata non gravant. *Can. quotidie. 13. de Consecr. dist. 2.*

Quæres *octavò*. Qualis ad communionem requiritur devotio ?

R. Hæc tria habere debet, qui vult accipere corpus Christi : timorem filialem, fidem & dilectionem : timorem docet Apostolus : *Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit* : Fidem edocet nos sermo Domini dicens : *Hoc est Corpus meum.* Et cum anima fidem habet his dictis, & considerat magnificentiam gloriæ ipsius, & admiratur nimietatem humilitatis, quomodo talis ac tantus obediens fuit Patri usque ad mortem pro nostra vita, provocatur ad affectum & dilectionem ipsius & Dei Patris, qui unico Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus

tradidit illum. Talem affectum & fidem præparare debet in animo suo is, qui Panem & Calicem Domini percipit. *Can. timorem. 25. de Consecr. dist. 2.*

Quæres *nonò.* Quinam à S. Communione arcendi ?

R. *1mò.* Parvuli usu rationis carentes nulla obligantur necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem. Neque tamen ideo damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. *Trident. Sess. 21. cap. 4.*

2dò. Amentibus à nativitate non est dandum hoc Sacramentum : benè tamen in articulo mortis iis, in quibus, cum erant rationis compotes, apparuit devotio hujus Sacramenti.

3tiò. Nulli existenti in mortali crimine notorio & manifesto impertienda est Eucharistia. *Can. pro dilectione tua. 95. de Consecr. dist. 2.*

4tò. Non prohibeat dispensator manducare pingues terræ, hoc est, divites in peccatis, sive peccatores, & hoc si occulti sunt, sed exactorem moneat timere, id est, Deum, qui reverà exactor est, inquirendo merita singulorum. *Can. non prohibeat. 67. de Consecr. dist. 2.*

Quæres *decimò.* An Communio sub utraque specie danda ?

R. Licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie : tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, quod à conficientibus sub utraque specie, & à Laicis tantùm sub specie Panis accipiatur. Cum firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum integrum Christi corpus & Sanguinem tam sub specie Panis, quàm sub specie Vini contineri. *Concilium Constantiense. Sess. 13.* Ubi sub pœna excommunicationis prohibetur, ne ullus Presbyter populum sub utraque specie communicet. Hoc præceptum Ecclesiasticum non repugnare præcepto divino : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis*, probat *Trident. Sess. 21. cap. 1.*

Quæres *undecimò.* Cujus est Eucharistiam dispensare ?

R. *1mò.* In Sacramentali sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici à Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent. *Trident. Sess. 13. cap. 8. 2dò* Ordinarius Minister Eucharistiam dispensans est Presbyter Parochialis. Religiosi, qui Clericis aut Laicis Sacramentum Eucharistiæ non habitâ Parochialis Presbyteri licentiâ speciali, præterquam in casibus à jure expressis, vel Privilegiis à Sed. Apostolic. concessis eisdem, ministrare præsumpserint, ipso facto excommunicationis Sententiam incurrunt, per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendi. *Clement. 1. de Privileg.*

Quæres *duodecimò.* Quis Sacræ Communionis effectus ?

R. Illos expressit *Trident. Sess. 13. cap. 2.* Sumi autem voluit hoc Sacramentum tanquam Spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ illius, qui dicit : *Qui manducat me,*

&

& ipse vivet propter me, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit.

§. Sextus.

DE

Sacrificio Missæ.

QUæres *Primò*. An detur in Ecclesia Sacrificium?

℟. Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur, in qua idem ipse Sacerdos est Sacrificium JESUS Christus, cujus corpus & Sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus Panis & Vini veraciter continentur. *Cap. firmiter. 1. de Summ. Trinit.*

Quæres *secundò*. Qualiter in Missa vel consecratione est Sacrificium?

℟. Sicut cœlestis Panis, qui verè Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cum reverà sit Sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, palpabile, mortale in cruce est suspensum, vocatúrque ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio. *Can. hoc est. 48. de Consecr. dist. 2.*

Quæres *tertiò*. An idem sit Sacrificium cruentum in cruce, quod incruentum in Missa?

℟. Una est Hostia, & non multæ. Quomodo una, & non multæ? quia semel oblatus est Christus. Hoc autem sacrificium exemplum est illius, idipsum & semper idipsum. *Can. in Christo. 53. de Consecrat. dist. 2.* Hæc salutaris victima illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens à mortuis jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur: tamen in semetipso immortaliter & incorruptibiliter vivens pro nobis in hoc mysterio moritur. *Can. quid sit Panis. 73. de Consecrat. dist. 2.*

Quæres *quartò*. Cur iteratur toties idem Sacrificium?

℟. Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel passus in carne per unam eandemque mortis passionem semel salvaverit mundum: quia profectò Sapientia DEI Patris pro multis causis necessarium hoc providit. Primò quidem, quia quotidie peccamus: ideo quotidiè Christus pro nobis mysticè immolatur, & passio Christi in ministerio traditur, ut qui semel moriendo mortem vicerat, quotidie recidiva delictorum per hæc Sacramenta corporis & Sanguinis peccata relaxet. 2*dò* iteratur hoc mysterium ob commemorationem

passionis Christi, sicut ipse ait : *Hoc facite in meam commemorationem* &c. semper enim mors Christi pro sæculi vita posteris nuntianda est, ut discant, quâ charitate dilexit suos, qui pro eis mori dignatus est, cui omnes vicem debemus rependere charitatis : quia ad hoc nos prior dilexit, cum essemus gehennæ filii, ut diligeremus eum à morte jam liberati. *Can. iteratur. 71. de Consecrat. dist. 2.*

Quæres *quintò*. In qua parte Missæ essentia Sacrificii consistit ?

℟. In sola consecratione. Nam per reliqua omnia, quæ in Missa dicuntur laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris. Ubi venitur, ut conficiatur Venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. *Can. Panis. 55. de Consecr. dist. 2.* Sacerdos autem in persona Christi loquens conficit hoc mysterium. *Concil. Florent. in Decret. union.*

Quæres *sextò*. An unam speciem sinè alia consecrare liceat ?

℟. Negativè. Quia divisio unius ejusdémque mysterii sinè grandi Sacrilegio non potest provenire. *Can. comperimus. 12. de Consecr. dist. 2.*

Quæres *septimò*. An in singulis Sacrificiis communicandum ?

℟. Affirmativè. Nam quale erit illud Sacrificium, cujus nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur ? Ergo modis omnibus est tenendum, ut quotiescunque sacrificans corpus & Sanguinem Domini nostri JESU Christi in Altari immolat, toties perceptionis corporis & Sanguinis Christi participem se præbeat. *Can. Relatum. 11. de Consecr. dist. 2.*

Quæres *octavò*. An Sacrificium imperfectum per alium Sacerdotem suppleri debeat ?

℟. Cum à Sacerdotibus Missarum tempore Sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis acciderit quilibet eventus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum Presbytero alteri consecrationem exequi officii cœpti. *Can. nihil. 16. caus. 7. q. 1.*

Quæres *nonò*. Quo tempore, loco, quibus cœremoniis celebrandum ?

℟. Missæ ante horam diei tertiam non sunt celebrandæ : quia & eâdem horâ Dominus Crucifixus est, & Spiritus S. super Apostolos descendisse legitur. *Can. nocte. 48. de Consecr. dist. 1. Trident. Sess. 22. in Decret. de observ. in celebr. Miss.* Prohibet ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent.

2*dò*. Non est permittendum, ut in privatis domibus, atque omninò extra Ecclesiam, atque ad divinum tantùm cultùm dedicata oratoria ab Ordinariis designanda Sanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus aut Regularibus quibuscunque peragatur. *Trident. loc. cit.* Satius est Missam non cantare, aut non audire, quàm in illis locis, ubi fieri non oportet, nisi pro summa contingat necessitate. *Can. sicut. 11. de Consecr. dist. 1.*

3*tiò*. Non alios ritus aut alias cœremonias, & preces in celebratione Missarum adhibere debent Sacerdotes, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti & laudabili usu receptæ fuerint. *Trident. loc. cit.*

Quæ-

Quæres *decimò*. Quoties de die Sacrificandum?

℟. Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare: quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Nec modica res est unam missam facere, & valde felix est qui unam dignè celebrare potest. *Can. sufficit. 53. de Consecrat. dist. 1.* Excipitur Natalis Domini, quando tres Missæ celebrari possunt. *cap. consuluisti. 3. de celebr. Miss.* Cujus significationem dat *Gloss. in can. nocte. 48. de Consecr. dist. 1.*

Quæres *undecimò*. An licitum Sacerdoti accipere stipendium?

℟. Affirmativè. Dummodò moderatum. Cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunas, & illiberales eleëmosynarum exactiones potius quàm postulationes, aliáque hujusmodi, quæ à Simoniaca labe, vel certè à turpi questu non longè absunt, omninò ab Ordinariis prohiberi jubet *Trident. in decret. de observ. in celeb. Miss.*

Quæres *duodecimò*. An uno Sacrificio pluribus obligationibus satisfieri possit?

℟. Negativè. Si pro pluribus Missis plura stipendia quantumcunque incongrua & exigua collata fuerint, tot Missæ celebrandæ, quot ad rationem eleëmosynæ præscriptæ fuerint, etiamsi Ordinarius præscripserit eleëmosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum ac temporum: ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur. Urb. VIII. in *constit. innovata ab Innoc. XII.*

§. Septimus.

D E

Auditione Missæ.

QUæres *primò*. An præceptum audiendi missam?

℟. Missas die Dominico Sæcularibus totas audire speciali Ordine præcipimus. *Can. missas. 64. de consecr. dist. 1.* quod ad dies festivos extenditur. *Cap. licet. 3. de feriis. cap. ut Dominicis. 2. de Parochiis.*

Quæres *secundò*. Quinam hoc præcepto tenentur?

℟. Omnes fideles usu rationis capaces, quin & Episcopos sinè Missâ vel celebratâ vel auditâ non decet transire ullum diem absque causa rationabili. *Cap. fin. de privil. in 6.*

Quæres *tertiò*. Qualiter fideles ad Missam accedere debent?

℟. Sit ad Ecclesiam humilis & devotus ingressus, sit in eis quieta conversatio, DEO grata, inspicientibus placida, quia decet domum Domini Sanctitudo, decet, ut cujus in pace

factus est locus, ejus cultus sit cum debita veneratione pacificus. *Cap. decet. 2. de immunit. Eccles. in 6.*

Quæres *quartò*. Qualis in Missa requiritur attentio?

R. Requiritur attentio ad minus virtualis, & ut corporaliter missæ interessendo nihil exterius faciant; quod tali repugnat attentioni. De parte missæ loquitur *can. Apostolica, 68. de consecrat. dist. 1.* Dum Sancta Evangelia in Ecclesia recitantur, Sacerdotes & cæteri omnes præsentes non sedentes, sed Venerabiliter curvi in conspectu Evangelii stantes Dominica verba attentè audiant, & fideliter adorent.

Quæres *quintò*. An tota, missa audienda?

R. Tota, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat. Quod si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur. *Can. Missas. 64. de consecr. dist. 1.* Satisfacere præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit, damnatum est ab Innoc. XI. prop. 53.

Quæres *sextò*. Ubi missa audienda?

R. Jure cautum est diebus Dominicis & festivis Parochianos teneri audire missam in eorum Parochiali Ecclesia: nisi forsitan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent. *cit. cap. ut in Dominicis. de paroh. Extrav. vices. inter com. de treug. & pace. Trident. in cit. decret. de observ. in celebr. Miss.* Præcipit moneri populum, ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus Dominicis & majoribus festis accedat. Ideo S. August. in *Can. & hoc attendendum de consecr. dist. 2.* prohibet missas particulares, quæ per dies solemnes à Sacerdotibus fiunt, ita in publico fieri, ut propter eas populus à publicis missarum solennibus, quæ horâ tertiâ canonicè fiunt, abstrahatur.

Quæres *septimò*. An Parochianus in foro conscientiæ tutus, qui diebus Dominicis & festivis missam extra Parochialem audit Ecclesiam?

R. Suppositis privilegiis & Generali consuetudine, quæ vim privilegii habet, *cap. cum dilectus. 5. de consuetud.* nullam meretur censuram, qui docet, nullum in foro conscientiæ teneri parochiæ suæ interesse ad missam audiendam. Ita Alexand. VII. in speciali Decreto Anno 1659. die 30. Januar. emanato.

Quæres *octavò*. An præceptum audiendi Missam graviter obliget?

R. Affirmativè. Colligitur ex Verbo: *Præcipimus*, in *cit. Can. Missas.* Quod præcipitur, imperatur, quod imperatur, necesse est fieri, si non fiat, pœnam habet, ubi præceptum datur, necessitas est servientis. *Can. quisque. 3. caus. 14. q. 1.*

Quæres *nonò*. An per solam auditionem Missæ & feriationem ab operibus servilibus satisfiat præcepto de die festo Sanctificando?

R. Minimè gentium, sed die Dominico nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum, nulla operatio in illa die Sanctâ agatur, nisi tantùm Hymnis & Psalmis & Canticis Spiritualibus dies illa transigatur. *Can. jejunia. 16. de Consecr. dist. 3.*

diſt. 3. Aurea ſunt verba Imperatoris *in l fin. C. de feriis.* Dies feſtos Majeſtati altiſſimæ dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari, nec ullis exactionum vexationibus profanari. Dominicum itaque diem ita ſemper honorabilem decernimus & venerandum, ut à cunctis executionibus excuſetur, nulla quenquam urgeat admonitio &c. Nec hujus tamen Religioſi diei otia relaxantes obſcœnis quenquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die ſibi vendicet ſcena theatralis &c. amiſſionem militiæ, proſcriptionemque patrimonii ſuſtinebit, ſi quis unquam hoc die ſpectaculis intereſſe præſumpſerit. &c.

Quæres *decimò*. Quinam à Miſſa excludendi?

℟. *Trident. in cit. Decret. de obſerv. in celebr. Miſſ.* Præcipit: neminem, qui publicè & notoriè criminoſus ſit, aut Sancto Altari miniſtrare aut Sacris intereſſe permittant. *In cap. 2. de Paroch.* Mandatur, ut Dominicis & Feſtivis diebus Presbyteri, antequam Miſſam celebrent, plebem interrogent, ſi alterius parœcianus in Eccleſia ſit, qui proprio contempto Presbytero ibi velit Miſſam audire: quem ſi invenerint, ſtatim ab Eccleſia abjiciant, & ad ſuam Parochiam redire compellant. Idem repetit. *Can. in Dominicis. 4. cauſ. 9. q. 2.*

Quæres *undecimò*. An Parochus ſingulis diebus Dominicis & feſtivis Parochianis Miſſam applicare teneatur?

℟. Cum præcepto divino iis, quibus animarum cura commiſſa eſt, mandatum ſit pro ovibus ſuis ſacrificia offerre, *S. Congreg. Conc. Trident.* interpretum Anno 1681. declaravit: ſi reditus pingues, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, ſi verò tenues, ſaltem diebus feſtivis ſacrificium applicandum eſſe.

Quæres *duodecimò*. An famuli excuſentur, qui ex mandato Domini ab auditione Miſſæ impediuntur?

℟. Negativè. Conſtat ex *Can. an putatis. diſt. 86.* ubi Dominus die feſto ſervos fortaſſe magis ad Eccleſiam feſtinantes ſecum pertrahens, ad venationem dicitur voluptatibus ſuis peccata accumulare aliena, & reum ſe facere tam ſuo delicto quàm perditione ſervorum.

Cæterùm fidelem ab auditione Miſſæ diebus Dominicis & feſtivis impotentia phyſica vel moralis excuſat, ob quam ſinè magna difficultate Miſſæ intereſſe non poſſit. Huic tractatui finem imponentes cum *Gloſſ. in cit. Can. ſemel. 52. de Conſecr. diſt. 2.* Ita Euchariſtiæ Authorem precari placet:

Quos recreas JESU tam Sacri corporis eſu,
A vitiis munda ſacrati Sanguinis undâ.

TITULUS V.

DE

Sacramento Pœnitentiæ.

DE hac materia agitur in decreto *dist.* 50. item *caus* 26. *à* §. *Ecce quod. Can. ministrare* 3. *item caus.* 33. *q.* 2. *Can. de his.* 12. *& seqq. & q.* 3. *per septem distinctiones* de eadem tractatur. Demum in decretalibus. *lib.* 5. *tit.* 38. *de Pœnit. & Remiss.* qui repetitur *in* 6. *Decretal. & Clementinis.*

§. Primus.

DE

Virtute Pœnitentiæ.

QUæres *primò*. Quid est Pœnitentia?

R. Variæ sunt descriptiones virtutis Pœnitentiæ? 1*mà* est Sancti Augustini in *Can. Pœnitentia.* 4. *dist.* 3. *de Pœnitent. Pœnitere est pœnam tenere pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se, quòd dolet commisisse.* 2*dà* S. Ambrosii in *Can. Ecce.* 39. *dist.* 1. *de Pœnit.* Pœnitentia vera est dolor cordis & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit. Pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere: id est, ut ait *Gloss. in Can. falsas pœnitentias.* 6. *dist.* 5. *de Pœnit.* In nullo mortali perseverare, vel propositum non perpetrandi habere. Coincidit 3*tiâ* Innocent. III. *In cap. novimus.* 27. *de Verb. signif.* Ubi reum mandat in perpetuum carcerem includi Pane doloris & aquâ angustiæ sustentandum, ut commissa defleat, & deflenda ulterius non committat. 4*tà* est *S. Thom.* 3. *p. q.* 85. *a.* 3. O. Pœnitentia est virtus specialis, quâ pœnitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa DEI, cum emendationis proposito. Est pars justitiæ; quia pœnitentia recurrit ad DEUM cum emendationis proposito, sicut servus ad Dominum, ut per injuriam læso satisfaciat, juxta illud *Psalm.* 122. *sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum: ita oculi nostri ad Dominum* DEUM *nostrum donec misereatur nostri*: & sicut Filius ad Patrem, ut per obedientiam placet, secundùm illud *Luc.* 15. *Pater peccavi in cœlum & coram te*: & sicut ad virum, cui fidem non servavit, ut reconcilietur, recurrit mulier: secundùm illud *Jerem.* 3. *Fornicata es cum amatoribus*

toribus multis, tamen revertere ad me dicit Dominus. 5ta Theologorum Scholasticorum : Pœnitentia est virtus moralis infusa, pars potentialis justitiæ, inclinans voluntatem ad detestandum peccatum, ut reparetur injuria DEO per peccatum illata.

Quæres *secundò*. Quot sunt actus virtutis pœnitentiæ ?

℟. Tres 1. Contritio cordis, vel conversio. 2. Oris confessio. 3. Operis satisfactio. Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter perferre : in corde ejus contritio est, in ore confessio, in opere tota humilitas. Hæc est perfecta & fructifera pœnitentia, *Can. perfecta*, 8. *dist.* 3. *de Pœnit.*

Dicitur 1. Cordis conversio, quasi cordis undique versio, nam si cor nostrum undique à malo ad DEUM vertitur, mox suæ conversionis fructum meretur, ut DEUS ab ira sua ad misericordiam conversus peccati præstet indulgentiam, cujus imò præparabat vindictam. *Can. convertimini.* 34. *dist.* 1. *de Pœnitent.* §. *conversio.* Primum locum inter actus pœnitentis habet animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, quæ contritio non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continet, juxta illud : Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & Spiritum novum. *Trident. Sess.* 14. *cap.* 4. *de Pœnit.*

2dò. Oris confessio, quæ est pars exterioris satisfactionis. *Can. scindite.* 33. *dist.* 1. *de Pœnit.* Scindite corda vestra, & non vestimenta dicit Dominus, ostendens in contritione cordis, quæ in ejusdem scissione intelligitur, non in confessione oris, quæ pars est exterioris satisfactionis, quam scissuram vestium nominavit, à parte totum intelligens, peccata dimitti.

3tiò. Satisfactio operis. Satisfactio pœnitentiæ est causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere. *Can. Satisfactio.* 3. *dist.* 3. *de Pœnitent.* Sinè causa aliquis conatur ramos incidere, si radicem non contendit evellere : Radix autem malorum omnium est cupiditas. *Can. quia.* 13. *dist.* 2. *de Pœnit.*

Quæres *tertiò*. Quotuplex est pœnitentia ?

℟. Variæ sunt divisiones pœnitentiæ. Dividitur 1. in veram pœnitentiam, cui venia nunquam negatur, & in falsam, cui nunquam indulgentia promittitur. *Can. in tantùm.* 33. §. *sive autem. dist.* 3. *de Pœnit.* 2. In perfectam & imperfectam. Ratio est : Sicut enim charitas alia est incipiens alia proficiens, alia perfecta : sic & pœnitentia alia est incipientium, alia proficientium, alia perfectorum. *Can. quamvis.* 22. *ibid.* 3. Alia est pœnitentia solemnis & publica, alia privata. Solemnis semel tantùm in Ecclesia conceditur, de qua S. Ambrosius ait : sicut est unum baptisma, ita una est pœnitentia. *Can. si quis.* 61. §. *potest. dist.* 50. Et ratio est : ne medicina utilis nimìs vilis habeatur. Privata iterari potest, quia quotidiè peccantibus nunquam per pœnitentiam privatam venia

denegatur. *Can. quamvis. 62. ibid. junct. Gloss.* 4. Pœnitentia alia est exterior, alia interior. De interiori dicitur : In quacunque hora peccator conversus fuerit &c. de exteriori pœnitentia S. Ambros. ait super *Epist. ad Rom.* Gratia Dei in baptismate non quærit gemitum, vel planctum, non opus aliquod, sed solam cordis contritionem, & omnia gratis condonat. *Can. quis aliquando. 87. §. his authoritatibus. dist. 1. de Pœnit.*

Quæres *quartò*. Quæ est falsa pœnitentia ?

R. *1mò*. Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. *Can. si res. 1. caus. 14. q. 6.* *2dò*. Si peccata non deserantur, qui admissa plangit, nec tamen deserit, penè graviori culpæ se subjicit, quia ipsam, quam flendo impetrare potuit veniam, contemnit. *Can. qui admissa. 14. dist. 3. de pœnit.* Isaias peccatoribus dicit : Lavamini mundi estote : lavatur igitur & mundus est, qui & præterita plangit, & flenda iterum non committit : lavatur & non est mundus, qui plangit, quæ gessit, nec tamen deserit, sed post lachrymas ea, quæ fleverat, repetit. Undè dicitur irrisor non pœnitens, qui adhuc agit, quæ pœnitet. *Can. irrisor. 11. ibid.* Aptum est simile in *Can. ille. 9. ibid.* Qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quasi si quis lavet laterem erudum : quia quantò magis laverit, tantò magis lutum facit. Ratio est defectus efficacis voluntatis. Si pœnitens es, pœnitet te ; si non pœnitet, pœnitens non es : si ergo pœnitet cur facis, quod malè feciti ? si feciſſe pœnitet, noli facere : si adhuc facis, certè non es pœnitens. *Can. pœnitentes. 10. ibid.* *3tiò* Falsam pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus de uno solo pœnitentia agitur, aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio. Unde scriptum est : Qui totam legem observaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus, scilicet quantùm ad vitam æternam. *Can. Fratres. fin. dist. 5. de Pœnit.* *4tò*. Falsa fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio vel Curiali, vel negotiali non recedit, quod sinè peccato agi nullâ ratione prævalet : aut si odium in corde gestetur, aut si non offenso cuilibet satisfiat, aut si non indulgeat offendenti offensus, aut si arma quis contra justitiam gerat. *cit. Can. fratres.*

Quæres *quintò*. Quid pœnitentia publica ?

R. Vel est solemnis, quam propter majora crimina Episcopus in capite jejunii servatâ certâ rerum formâ & cœremoniâ delinquentibus imponit. Ritus & forma illius describuntur in *Can. in capite quadragesimæ. 64. dist. 50.* Vel est non solemnis, quæ publicè nullâ servatâ juris solemnitate peragenda injungitur, qualis est peregrinatio, certa habitûs delatio &c. & nonnisi ob manifesta crimina injungitur.

Quæres *sextò*. An pœnitentia necessaria ?

R. Fuit pœnitentia universis hominibus, qui se peccato aliquo mortali inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria : quia

fuit

fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum motus contritionis necessarius. *Trident. Sess.* 14. *cap.* 1. & 4.

Quæres *septimò*. Quoties pœnitentia necessaria ?

℟. 1*mò*. Pœnitentia novum hominem parturit, donec per baptisma salutare omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum : omnis enim, qui jam arbiter suæ voluntatis constitutus est, cum accedit ad Sacramenta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia, cum baptizantur, parvuli soli sunt immunes ; nondum enim uti possunt libero arbitrio. *Can. tres sunt.* 81. *dist.* 1. *de pœnitent.* Concordat *Trident. Sess.* 14. *cap.* 1. Etiam illis, qui Sacramento baptismi ablui petunt, necessaria est pœnitentia, ut perversitate abjectâ & emendatâ tantam Dei offensionem cum peccati odio & pio animi dolore detestentur.

2*dò*. Pœnitentia pro illis peccatis necessariò subeunda est, quæ legis decalogus continet, & de quibus Apostolus ait : quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. *cit. Can. tres sunt.* Ratio est : Quia motus contritionis hominem post baptismum lapsum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad suscipiendum ritè Sacramentum pœnitentiæ requiruntur. *Trident. Sess.* 14. *cap.* 4.

3*tiò*. Pœnitentia etiam fidelium bonorum & humilium pœna est quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes : Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in baptismo, sed illa utique, quæ humanæ fragilitati quamvis parva, tamen crebra obrepunt, atque ita humiliantes animas nostras quotidianam quodammodo agere pœnitentiam non cessamus. *Cit. Can. tres sunt.*

Quæres *octavò*. Quanto tempore agenda pœnitentia ?

℟. In agenda pœnitentia non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris : Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. *Can. in actione.* 84. *dist.* 1. *de Pœnit.* Apud Deum non tam valet mensura temporis, quàm doloris : nec abstinentia tantùm ciborum, quàm mortificatio vitiorum. *Can. mensuram.* 86. *ibid.* Hæc intelligenda sunt de pœnitentia actuali exteriori : aliàs pœnitentia interna semper habitu est agenda ; si enim pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia ? tamdiu gaudeat & speret de gratia, quamdiu sustentatur à pœnitentia ; dicit enim Dominus : Vade & jam noli amplius peccare : non dixit, ne pecces, sed nec voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo servabitur, nisi dolor continuè in pœnitentia custodiatur ? Hinc semper doleat, & de dolore gaudeat, & de doloris pœnitentia ; si contigerit, semper doleat, & non satis, quod doleat, sed ex fide doleat, & non semper doluisse doleat. S. August. relatus in *Can. si Apostolus.* 5. *dist.* 3. *de Pœnitent.*

Quæres *nonò*. An semper locus pœnitentiæ ?

R. Affirmativè. Probatur ex S. Hyeronim. in *Can. ſepties. 23. diſt. 3. de Pœnitent.* Septies cadit juſtus & reſurgit. Si cadit, quomodo juſtus ? ſi juſtus, quomodo cadit ? ſed juſti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam ſemper reſurgit, & non ſolùm ſepties, ſed ſeptuagies ſepties delinquenti, ſi convertatur ad pœnitentiam, peccata donantur. Cui plus dimittitur, plus diligit. Per pœnitentiam igitur non ſemel tantùm, ſed ſæpiſſimè peccata dimittuntur. Ratio eſt : Quia DEUS ad ſubveniendum paratiſſimus invitans ad pœnitentiam, ſic promittit peccatori inquiens : In quacunque die converſus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei. *Can. agnovimus. 13. cauſ. 26. q. 6.* Et ideò quamvis pœnitentia ſera non ſit ſemper vera, vera tamen eſſe poteſt, ut probatur exemplo latronis in cruce : perdidiſſet latro præmium in cruce ad dexteram pendens, ſi illum unius horæ pœnitentia non juviſſet. Cum eſſet in pœna, pœnituit, & per unius ſermonis profeſſionem habitaculum Paradiſi DEO promittente promeruit. *Cit. Can. aguovimus.*

Quæres *decimò.* An per virtutem pœnitentiæ vel actus virtutis pœnitentiæ extra Sacramentum peccata remittantur ?

R. Affirmativè, ut definivit *Concilium Trident. Seſſ. 14. cap. 4.* Contritio charitate perfecta hominem DEO reconciliat, priuſquam Sacramentum pœnitentiæ actu ſuſcipiatur. Id pluribus probat Gratianus in *Can. convertimini. 34. diſt. 1. de Pœnit.* Leproſi illi, quibus Dominus præcepit, ut oſtenderent ſe Sacerdotibus, in itinere, antequàm ad Sacerdotes venirent, mundati ſunt ; ex quo facto nimirum datur intelligi, quod antequam Sacerdotibus ora noſtra oſtendamus, id eſt : peccata noſtra confiteamus, à lepra peccati mundamur. Hinc etiam ut Dominus oſtenderet, quod non Sacerdotali judicio, ſed largitate Divinæ gratiæ, peccator emundatur, leproſum tangendo mundavit, & poſtea Sacerdoti ſacrificium ex lege offerri præcepit : leproſus enim tangitur, cum reſpectu Divinæ pietatis mens illuſtrata compungitur : leproſus ſemetipſum Sacerdoti repræſentat, dum peccatum ſuum Sacerdoti pœnitens confitetur ; Sacrificium ex lege offert, dum ſatisfactionem Eccleſiæ judicio ſibi impoſitam factis exequitur. Sed antequam ad Sacerdotem perveniat, emundatur, dum per contritionem cordis ante confeſſionem oris peccati venia indulgetur.

Contritionem vel pœnitentiam perfectam extra Sacramentum juſtificantem ita deſcribit Gratianus in *Can. quis aliquando. 87. §. his authoritatibus. diſt. 1. de Pœnitentia.* explicans illud : *In quacunque hora peccator converſus fuerit, &c. Converti dicitur, qui omninò vertitur, cujus opus, vox, & cogitatio ita mortificationi deſudat peccati, ſicut prius ſervierat iniquitati.* Ipſa nihilominus reconciliatio perfectæ contritioni ſinè Sacramenti voto, quod in illo includitur, non eſt aſcribenda. *Trident. loc. cit.*

Quæres *undecimò.* An quæcunque pœnitentia peccatum remittit ?

R. Negativè. Ut *Trident. loc. cit.* definit. Contritio imperfecta, quæ attritio

tio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, est quidem donum DEI, & Spiritûs S. impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat; attamen sinè Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequit, sed solùm ad DEI gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.

Quæres *duodecimò*. An homo per pœnitentiam interiorem sive extra sive intra Sacramentum justificatus debeat adhuc facere Pœnitentiam exteriorem?

℟. 1*mò*. Affirmativè. Ratio est: quia productior est pœna quàm culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna, ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ temporaliter hominem detinet pœna, quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa. *Can. productior. 7. dist. 3. de Pœnitent.*

℟. 2*dò*. Pœnitentia illa exterior debet correspondere & esse proportionata peccatis commissis, constat ex *Can. quis aliquando. 87. §. econtra. dist. 1. de Pœnitent.* Venientibus ad se turbis B. Joannes non ait simpliciter: Facite pœnitentiam, vel fructus pœnitentiæ, sed addidit: *dignos*, ut pro qualitate videlicet peccatorum qualitas offeratur bonorum operum: non enim par debet esse fructus boni operis ejus, qui nihil vel parùm deliquit, atque ejus, qui grandia commisit. Ille tanquam nullius criminis sibi conscius usum sibi in rebus licitis præbet: hunc tanquam multis gravatum etiam à licitis temperare oportet.

§. Secundus.

DE

Sacramento Pœnitentiæ.

QUæres *primò*. An Pœnitentia Sacramentum?

℟. Affirmativè. Quia si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga DEUM esset, ut justitiam in baptismo ipsius beneficio & gratiâ susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum; quoniam autem DEUS dives in misericordia cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem & dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur. *Trident. Sess. 14. cap. 1.*

Quæres

Quæres *secundò*. An Pœnitentia fuerit semper Sacramentum?

℟. Nec ante adventum Christi Pœnitentia erat Sacramentum, nec post adventum illius cuiquam ante baptismum est Sacramentum. *Trident. loc. cit.*

Quæres *tertiò*. Quando hoc Sacramentum institutum?

℟. Christus Dominus Sacramentum Pœnitentiæ præcipuè instituit, cum à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: *Accipite Spiritum S., quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos Apostolis & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. *Trident. loc. cit.*

Quæres *quartò*. Quæ materia Sacramenti pœnitentiæ?

℟. Quasi materia hujus Sacramenti sunt ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam & perfectam peccatorum remissionem ex DEI institutione requiruntur, hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur. *Trid. loc. cit. cap. 3.*

Quæres *quintò*. Quæ forma hujus Sacramenti?

℟. Sacramenti pœnitentiæ forma, in qua præcipuè ipsius vis est sita, in illis ministri verbis posita est: *Ego te absolvo &c.* Quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessaria. *Trident. loc. cit.*

Quæres *sextò*. Quis minister Sacramenti pœnitentiæ?

℟. Solus Sacerdos sive bonus sive malus, constat ex *Trident. loc. cit. cap. 6.* ubi *imò* Damnat eos, qui ad alios quosvis homines præter Episcopos & Sacerdotes clavium ministerium pernitiosè extendunt, putantes verba illa Domini: *quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata in cœlo, & quorum remiseritis peccata soluta sunt*, ad omnes Christi fideles indifferenter & promiscuè contra institutionem hujus Sacramenti ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit, secreta verò per spontaneam confessionem cuicunque factam. 2. Docet etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritûs S. in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere: eosque pravè sentire, qui in malis Sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. *Arg. can. secundùm. 7. dist. 19. can. non nocet. 89. cauſ. 1. q. 1.*

Quæres *septimò*. An Sacerdos absolvens peccata remittat?

℟. Affirmativè. Quamvis enim absolutio Sacerdotalis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata,

ta, sed adinstar actûs judicialis, quo ab ipso veluti Judice sententia pronuntiatur; atque ideo non debet pœnitens adeò sibi de sua fide blandiri ut etiamsi ibi nulla adsit contritio, aut Sacerdoti animus seriò agendi & verè absolvendi desit, putet tamen se, propter suam solam fidem, verè & coram Deo esse absolutum; nec enim fides sinè pœnitentia remissionem ullam peccatorum præstaret: nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem joco se absolventem cognosceret, & non alium seriò agentem sedulò requireret. *Trident. loc. cit.*

Quæres *octavò*. Quodnam est subjectum Sacramenti pœnitentiæ?

R. Omnis baptizatus post baptismum lapsus: quia si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari. *Cap. firmiter. §. una verò. 1. de Sum. Trinit.* Cum ii, qui ab accepta justificationis gratiâ per peccatum exciderunt, rursus justificari possint, cum excitante Deo per pœnitentiæ Sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Etenim pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus JESUS Sacramentum instituit pœnitentiæ, cum dixit: Accipite Spiritum Sanctum &c. *Trident. Sess. 6. cap. 14.*

Quæres *nonò*. Quis effectus pœnitentiæ?

R. Res & effectus hujus Sacramenti, quantùm ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum suscipientibus conscientiæ pax & serenitas cum vehementi Spiritûs consolatione consequi solet. *Trid. Sess. 14. cap. 3.*

Quæres *decimò*. Quænam analogia inter Sacramentum pœnitentiæ & baptismi?

R. Deus, cujus misericordiæ non est numerus, misericorditer semper agens ad salutem peccatorum. *Can. quia divinitatis. 73. Dist. 1. de pœnitentia.* Per hujus mundi pelagus periculosè navigantibus duas naves sive tabulas præparavit, prima navis est baptismus, in quo vetus homo exuitur & novus induitur, *Cap. quidam. 4. de Apostat.* 2da tabula sive navis est pœnitentia, quæ per mortale peccatum naufragium passis est necessaria. *Can. secunda. 72. Dist. 1. de pœnitent. Trident. Sess. 6. cap. 14.*

Quæres *undecimo*. Quæ differentia inter Sacramentum baptismi & pœnitentiæ?

R. Cum *Trident. Sess. 14. cap. 2.* Hoc Sacramentum multis rationibus à baptismo differre dignoscitur: *1mò* in materia & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissimè dissidet. *2dò*. Constat ministrum baptismi judicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus: quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis, qui foris sunt judicare? secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro baptismi sui corporis membra semel effecit: nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito ba-

ptiſmo ablui, cum id in Eccleſia Catholica nullâ ratione liceat, ſed ante hoc tribunal tanquam reos ſiſti voluit: ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſint liberari. *3tiò* Pœnitentia Chriſtiani hominis poſt lapſum multò aliâ eſt à baptiſmali; quia continet non modò ceſſationem à peccatis & eorum deteſtationem, aut cor contritum & humiliatum, verum etiam eorum Sacramentalem confeſſionem ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & Sacerdotalem abſolutionem, itemque ſatisfactionem per jejunia, eleëmoſynas, orationes & alia piâ Spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ ut Sacræ literæ docent, non tota ſemper, ut in baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contriſtaverunt, & templum Dei violare non ſunt veriti. *Trident. Seſſ. 6. cap. 14.* *4tò* Demum alius eſt baptiſmi, alius pœnitentiæ fructus; per baptiſmum enim Chriſtum induentes nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram omnium peccatorum remiſſionem conſequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ, ſinè magnis noſtris fletibus & laboribus, divinâ exigente juſtitiâ, pervenire nequaquam poſſumus, ut meritò pœnitentia laborioſus quidam baptiſmus à Sanctis Patribus dictus fuerit. *Trident. Seſſ. 14. cap. 2.* Quia in Sacramento pœnitentiæ pœna non tota ſemper, ut in baptiſmo fit, remittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contriſtaverunt, & templum Dei violare non ſunt veriti, ut ſupra ex *Trident.* dictum eſt.

Quæres *duodecimò*. Quanta neceſſitas Sacramenti pœnitentiæ?

℟. Ita eſt hoc Sacramentum pœnitentiæ lapſis poſt baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe baptiſmus.

§. Tertius.

DE

Confeſſione.

QUæres *primò*. Quid eſt confeſſio?

℟. Confeſſio dicitur, quaſi ſimul vel ex toto undique faſſio; nam ille confitetur, qui totum & certum fatetur. *L. certum ff. de Confeſſis.* Confeſſio tripliciter fit, aut in foro animæ interiùs coram Deo, aut in foro pœnitentiæ exterius coram Dei Vicario, aut in foro contentioſo coram judice. Confeſſionem ſecundò modo ſumptam definit Hoſtienſis. *tit. de Pœnitentiis & Remiſſ. n. 6.*

v. 6. Canonica coram Sacerdote peccatorum facta declaratio. De qua *Trident. Sess.* 14. *cap.* 5. Ex institutione Sacramenti pœnitentiæ universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam.

Quæres *secundò*. Quare instituta in Sacramento pœnitentiæ confessio ?

℟. Duæ hujus assignantur rationes : 1. Quia oportet infirmum per contraria atque adversa curari, id est per humilitatis exercitium. *Can. si quis*, 1. *dist.* 2. *de Pœnit.* In peccato autem tria attenduntur : impudentia, delectatio, & perpetratio. Contra hæc tria triplici remedio opus est ; contra impudentiam confessio, in qua est verecundia, delectationi opponitur amaritudo contritionis, perpetrationi opponitur operis satisfactio. *Gloss. in Can. perfecta*, 40. *dist.* 1. *de Pœnitent. verb. fructifera.* Erubescentia igitur partem habet remissionis : in hoc enim, quod peccator per se ipsum dicit Sacerdoti, & erubescentiam vincit timore offensi, fit venia criminis, & fit per confessionem veniale, hoc est, dignum veniâ, quod criminale erat in operatione. *Can. quem pœnitet.* 88. *dist.* 1. *de Pœnitent. junctâ Gloss.* Hæc confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus per absolutionem certissimè conferuntur. *Trident. Sess.* 14. *cap.* 5.

Secunda ratio : Quia Dominus noster JESUS Christus è terris ascensurus ad cœlos Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit tanquam Præsides ac Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles cecideriut, ut pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient ; constat enim Sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ, hoc est : non præmissâ confessione exercere non posse. *Trident. loc. cit.*

Quæres *tertiò*. Quæ peccata confitenda ?

℟. Oportet pœnitentes omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recensere, etiamsi occultissima illa sint ; Ratio est : Cum enim peccata mortalia, etiam cogitationes, homines iræ filios & DEI inimicos reddant, necessè est omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confessione à DEO quærere. *Trident. loc. cit.* 2*dò* Venialia, quibus à gratia DEI non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quanquam rectè & utiliter, citraquè omnem præsumptionem in confessione dicantur ; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. *Trident. loc. cit.*

Quæres *quartò*. An nulla peccata venialia necessariò confitenda ?

℟. Distinguendum est cum Apostolo, qui tria genera peccatorum venialium, quæ igne transitorio purgatorii purgantur, exprimit illis verbis : *Si quis super hoc fundamentum ædificaverit ligna, fœnum & stipulam.* 1*mò* per ligna majora venialia intelliguntur, quæ si nimis

sint inveterata, vel in consuetudinem deducta, ex ipsa frequentatione & contemptu per accidens, ut loquuntur Scholastici, fiunt mortalia, vel ex ipsis mortalia sequuntur; ut enim dicitur *in cap. etsi Christus. 26. de jurejurand. §. quædam.* Quædam prohibentur, quæ per se mala sunt, ut furtum, adulterium, & hujusmodi, quædam verò prohibentur ex causa, non quia per se mala, intellige mortaliter, sunt, sed quia, si fiant frequenter & multùm, ex his mala sequuntur: ut vinum per se malum non est: & tamen prohibet Apostolus dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*, quoniam ex frequenti & immoderata potatione vini generatur luxuria. Et hoc modo intelligendum est illud S. Augustini: Nullum peccatum adeo veniale, quod non fiat criminale, dum placet. Vitasti grandia: vide ne obruaris arenâ. Ut enim S. Augustinus in *can. tres sunt, 81. dist. 1. de Pœnitentia.* dicit: Quid interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu carina operiatur, & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam & per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem atque submergat? Hæc peccata de se quidem venialia, ab eo tamen, cui per accidens sunt mortalia, in confessione necessariò sunt exprimenda.

2*dò*. Per fœnum intelliguntur minora peccata venialia, de quibus in *Can. de quotidianis, 20. dist. 3. de Pœnit.* De quotidianis, brevioribus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit.

3*tiò*. Demum per stipulam intelliguntur minima peccata, quæ ad consensum non pervenerunt. De his duobus generibus inquit Hostiensis, quod multis aliis modis extra Sacramentum pœnitentiæ mundentur & deleantur.

Quæres *quintò*. Quid si peccatum mortale in confessione fuerit omissum?

℟. 1*mò*. Qui scienter aliqua mortalia in confessione retinent, vel omittunt, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt; Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. *Trident. Sess. 14. cap. 5.* Taciturnitas peccati ex superbia nascitur cordis; ideo enim peccatum suum quisque celare desiderat, ne iniquitas sua aliis manifesta fiat: ne talis reputetur apud homines foris, qualem se jam exhibuit divino conspectui intus. Nec ergo ubi est taciturnitas confessionis, venia est speranda criminis. *Can. quis aliquando. 87. §. econtra ea. dist. 1. de Pœnit.*

℟. 2*dò*. Peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eâdem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine. Non enim plus in Ecclesia à pœnitentibus exigitur, quàm ut, postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & DEUM suum mortaliter offendisse memimerit. *Trident. loc. cit.*

Quæres *sextò*. Quæ circumstantiæ pecca-

peccatorum in confessione explicandæ?

R. Eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, eò quod sinè iis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec Judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere: constat enim Sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ exercere non posse, si in genere duntaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua pœnitentes peccata declarent. *Trident. cit. Sess. 14. cap. 5.*

Quæres *septimò*. An circumstantiæ intra eandem speciem peccati malitiam notabiliter aggravantes in confessione necessariò à pœnitente explicandæ?

R. Affirmativè. Colligitur ex ratione in quæstione præcedenti à Tridentino allegata: & probatur 1mò *ex cap. sicut dignum. 6. de Homicidio.* Ubi Alexander III. Episcopo Oxoniensi interroganti, qualiter occisores Archiepiscopi Cantuariensis S. Thomæ absolvere, & qualem pœnitentiam iis injungere debeat, respondet: Cum vir discretus existas, pleniùs nosti, quod in excessibus singulorum non solùm quantitas & qualitas delicti, sed ætas, scientia, atque conditio pœnitentis sint attendenda, & non solùm secundùm prædicta, sed secundùm locum & tempus, quo delictum committitur, unicuique debet pœnitentia indici, cum idem excessus magis sit in uno, quam in alio puniendus. *Nec dicas*, quod Pontifex loquatur de pœnitentia fori externi: quia idem tenendum de Pœnitentia in foro Sacramentali, in quo similiter pœnitentia delicto proportionata esse debet: ideóque omnes circumstantiæ malitiam notabiliter vel augentes vel minuentes sunt ponderandæ.

2dò. In *cap. DEUS 8. de Pœnit. & remiss.* Innocent. III. Confessarios ita instruit: Cum pœnitentia non tam secundùm quantitatem excessûs, quàm pœnitentis contritionem, per discreti Sacerdotis arbitrium sit moderanda, pensatâ qualitate personarum, & consideratis circumstantiis omnibus competentem pœnitentiam delinquentibus imponatis, prout saluti eorum videritis expedire. Quomodo confessarii id exequentur, si pœnitens circumstantias notabiliter aggravantes in confessione taceat?

3tiò. *in cap. cum causam. 37. de Testibus.* Judici Ecclesiastico injungitur, ut in examine testium diligenter examinet, & de singulis circumstantiis prudenter inquirat; de causis videlicèt, personis, loco, tempore, visu, auditu, scientiâ, credulitate, famâ & certitudine. Quod Judex Ecclesiasticus debet facere in foro fori, dum examinat testes, idem incumbit Confessario in foro poli, in quo pœnitens est testis. Ita enim instruitur Confessarius *in cap. omnis utriusque sexûs. 12. de Pœnitent. & remissionib.* Sacerdos sit discretus & cautus, ut more periti medici super infundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei

præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum.

4tò. *In can. aut facta.* 19. *dist.* 1. *de Pœnitent.* ex *tit. ff. de pœnis* refertur, qualiter Judex Sæcularis delictis pœnam imponens, circumstantias ponderare debeat. Aut facta, inquit lex, puniuntur, ut furta, cædes: aut dicta ut convitia: aut scripta, ut falsa, & famosi libelli: aut consilia, ut conjurationes... Hæc quatuor genera considerandæ sunt septem modis: causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitato, eventu &c. Quæ circumstantiæ omnes, quamvis speciem physicam actûs non mutent, mutant tamen speciem moralem, ita, ut tam Judex Sæcularis in foro externo, quàm Judex pœnitentialis in foro interno pro diversitate harum circumstantiarum diversum judicium de pœna vel pœnitentia imponenda ferre debeat.

5tò. *In can. consideret.* 1. *dist.* 5. *de Pœnitent.* S. Augustinus instruit pœnitentem qualiter peccatum considerare debeat, ut illud confiteatur, & de illo doleat. Consideret, inquit, qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipsius vitii multiplici executione. Consideret, quantùm perseveraverit, & defleat, quod considerante peccaverit, & quanta virtus fuerit in pugnatione. Sunt enim, qui non solùm vincuntur, sed ultrò se peccato offerunt, nec exspectant tentationem, sed præveniunt voluptatem, & pertractant secum, quàm multiplici actione vitii delectabiliter peccent. Omnis ista varietas confitenda est & deflenda.

6tò. Denique tenetur pœnitens interrogatus à Confessario fateri consuetudinem, quæ solûm est circumstantia malitiam peccati intra eandem speciem notabiliter aggravans, ut constat ex damnata ab Innoc. XI. prop. 63. *Non tenemur confessario interroganti fateri alicujus peccati consuetudinem.*

Quæres *octavò*. An confessio dimidiari possit?

℟. Minimè: Sic enim S. Augustinus in *cit. can.* relatus, adhortatur pœnitentem: Cautus sit, ne verecundiâ ductus dividat apud se confessionem, ut diversa diversis velit Sacerdotibus manifestare quidam enim uni celant, quæ alii manifestanda reservant; quod est se laudare, & ad hypocrisin tendere, & semper veniâ carere, ad quam per frusta putat totam pervenire.

Quæres *nonò*. An confessio ore fieri debeat?

℟. Affirmativè. Præcepit enim Dominus mundandis *Luc.* 17. ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentiâ confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda. Dixit enim: ora monstrate: & omnes, non unus pro omnibus: non alium statuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus à Moyse statutum; sed qui per vos peccastis, per vos erubescatis. *Can. quem pœnitet.* 88. *dist.* 1. *de Pœnit.* Clemens VIII. Anno 1602. 20. Jun. damnavit hanc propositionem: *Licet per literas seu interpuntium Sacerdoti absenti*

absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.

Quæres *decimò*. An in articulo mortis, dum non potest confessio fieri verbis, sufficiat confiteri signis?

R. Affirmativè, quia talium necessitati auxiliandum est, ut nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensûs quærere comprobantur. Quod si ægritudine aliquâ ita fuerint gravati, ut quod paulò ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur. *Can. his qui.* 10. *caus.* 26. *q.* 6. Idem dicitur *in can. is qui. ibid.* Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesin versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, si continuò creditur moriturus, reconcilietur. Hoc extendunt quidam Theologi ad eum, qui nec pœnitentiam petiit, nec ob infirmitatem pœnitentiam modò petere potest, si adsint signa vitæ Christianæ.

Quæres *undecimò*. An pœnitens aliena peccata vel circumstantias peccati proprii alienum peccatum detegentis confiteri teneatur?

R. Distinguendo: Aut sinè alterius peccati detectione potest peccatum confitentis sufficienter confessario notificari, vel non: si potest; non est confitendum peccatum alienum: quia tunc est proditor criminis alterius. Unde super illud Psalm. *Dixi confitebor adversum me injustitiam Domino*, *Glossa ait*: peccata mea, non aliena, & hoc, nisi fortè notorium esset peccatum alienum. Aut non potest: & tunc aut per hoc imminet periculum aliquod illi, & tunc non est confitendum, sed sufficit peccatum dicere sinè tali circumstantia, aut non imminet periculum: & tunc debet confiteri. Ita etiam Hostiensis in *cap. Omnis utriusque sexûs. de Pœnit. & remiss.* Pœnitens se ipsum debet revelare & accusare non alium; nisi quis cognovit matrem suam vel filiam vel aliud quodcunque peccatum commisit, propter cujus circumstantias necesse sit alium nominare.

Quæres *duodecimò*. Quas conditiones debet habere confessio Sacramentalis?

R. A *S. Thom. in* 4. *Sentent. dist.* 17. numerantur sex decim his versibus:

Sit simplex, humilis confessio, pura fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, Secreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis & accusans, & sit parere parata.

Secundùm Hostiensem ex *cap. Omnis utriusque sexûs. cit.* colliguntur sex qualitates vel proprietates confessionis Sacramentalis: 1*mò* debet esse voluntaria, ut colligitur ex verbo: *studeat*, quasi non exspectet se compelli. 2*dò* debet esse discreta, quod tangitur verbis illis: *cum ad annos discretionis.* 3*tiò* debet esse secreta, quod notatur in verbo:

bo: *ſolus*, & conſtat ex *Can. quamvis. diſt. 1. de Pœnitent.* 4tò debet eſſe integra, quod inſinuatur verbo: *Omnia.* 5tò debet eſſe amara, & hoc notatur per verbum: *Fideliter*: non enim confitetur fideliter, qui contritionem non habet. 6tò debet eſſe obediens, ut colligitur ex verbis illis: *ſtudeat pœnitentiam injunctam propriis viribus implere.*

Marianus Socinus in *cit. cap. omnis utriuſque ſexûs à n.* 52. Tradit & explicat ſex conditiones confeſſionis: Debet eſſe, inquit, confeſſio voluntaria, amara, frequens, diſcreta, integra, & feſtina.

1mò. Debet eſſe *voluntaria*, ſicut fuit latronis pendentis in cruce ad latus dexterum. Et quamvis quis dolere debeat propter peccata, quæ commiſit, lætari tamen debet propter vitam quam recuperat, & ſic in eodem ſubjecto ſub diverſis reſpectibus ſunt dolor & lætitia juxta illud pſalmi: *ſecundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

2dò. *Amara* juxta illud pſalm. *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Amaritudinis ſigna ſunt verecundia, humilitas, lachrymæ, ſuſpiria, fortitudo, qualis fortitudo fuit in Magdalena, nec minor: quia timor Domini omnem pellit timorem. Promptitudo etiam obedientiæ ſignum eſt amaritudinis juxta illud: *factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem.* Obedientia illa deſcribitur in *can. conſideret. 1. diſt. 5. de Pœnit.* Ponat ſe omninò in poteſtate Judicis in judicio Sacerdotis, nihil ſibi reſervans ſui, ut omnia eo jubente paratus ſit facere pro reparanda animæ vita, quæcunque faceret pro vitanda corporis morte, & hoc cum deſiderio, quia vitam recuperat infinitam, ut DEUS. Cum gaudio enim debet facere immoralis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus.

3tiò. *Frequens*, ut quoties quis per peccatum cecidit, toties per pœnitentiam reſurgat. *Can. ſepties. 23. diſt. 3. de Pœnitentia.*

4tò. *Integra*: quia non ſolum peccata omnia, ſed omnes circumſtantiæ peccatum aggravantes ſunt exprimendæ, probatur per *cap. omnis utriuſque ſexûs. 12. de Pœnit. & remiſſ. junctâ Gloſſ. verb. circumſtantias.* Sunt ergo exprimenda qualitas, quantitas, perſona, locus, tempus, cauſa, & eventus, prout hujuſmodi circumſtantiæ aggravant peccatum.

5tò. *Diſcreta.* Quod erit 1. Si diſcretum quærat Confeſſarium, qui ſciat ſolvere & ligare. *Can. qui vult. 1. diſt. 6. de Pœnit.* 2. Si ſe non excuſat, & alium accuſat, niſi circumſtantia facti ſit talis, ut aliter non poſſit confiteri peccatum, niſi ſpecialiter alium accuſet, ut ſi peccatum fuit commiſſum cum patre, aut cum matre, ita ut qualitas, quæ aggravat, non ſit niſi in uno. 3. Si non fingit peccatum ſive circumſtantiam peccati; ſicut enim confitens non debet celare peccatum, quod fecit, ita nec dicere ſe commiſiſſe, ubi non commiſit, etiamſi hoc faceret ex humilitate. *Can. cum humilitatis. cauſ. 22. q. 2.* 4. Si confeſſio non fiat verbis aut nominibus

minibus palliatis. 5. Si peccatum secretum secretè, & publicum publicè confiteatur. 6. Si purâ intentione sine hypocrisi confiteatur.

6tò. *Festina.* Juxta illud *Ecclesiast.* 5. *Ne tardes converti ad Dominum.* Et S. Augustt. Nullus exspectet, quando jam non possit peccare. Arbitrii enim quærat libertatem, ut dolere possit commissa, non necessitatem. Qui prius à peccatis relinquitur, quàm ipsa relinquat, ea non liberè, sed quasi ex necessitate condemnat. *Can. nullus. 6. dist. 7. de Pœnitent.* Est autem festinandum post lapsum ad pœnitentiam propter multa: 1. Propter mortis incertitudinem. 2. Propter peccatorum accumulationem. 3. Propter peccatoris erga gratiam Dei inducentis & exspectantis eum ad pœnitentiam ingratitudinem. 4. Propter Dei elongationem. 5. Propter minorem ad conversionem habilitatem. 6. Propter periculosam finalem conversionem. 7. Propter Dei oblivionem & clamoris non exauditionem.

§. Quartus.

De
Contritione.

Quæres *primò*. Quid circa dolorem, qui est pars Sacramenti pœnitentiæ, Ecclesia definivit?

R. Duo velut certa ex definitione Ecclesiæ colligimus: 1*mùm*, Quod dolor debeat esse supernaturalis, 2*dùm*, Quod voluntatem peccandi excludere debeat. Primum colligitur ex damnatione propositionis 57. ab Innocentio XI. facta: *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.* Secundum colligitur ex *Trident. Sess.* 14. *cap.* 4. ibi: Contritio, quæ primum locum inter prædictos pœnitentis actus, qui sunt quasi materia Sacramenti pœnitentiæ, habet, est animi dolor & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero; & contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ.

Quæres *secundò*. Quæ circa dolorem, Sacramenti pœnitentiæ partem, in Ecclesia sunt & fuerunt controversiæ?

R. Illæ colliguntur ex historia Concilii Tridentini, è scriptis authenticis Cardinalis Pallavicini è Societate JESU collecta, qui *lib.* 12. *cap.* 10. refert Theologos Concilii Tridentini quoad præsentem materiam in tres partes fuisse divisos. 1*mò*. Aliqui iique plures volebant in Sacramento pœnitentiæ ex parte pœnitentis necessaria esse timorem, dilectionem, & contritionem. 2*dò*. Alii opus esse contritione perfectâ: nec tamen hinc argui per Sacramentum peccata non remitti, quippe quæ Sacramentum

jam inveniret remissa efficaciâ præeuntis contritionis : siquidem, ajebant, contritio id præstat virtute Sacramenti, cujus votum in illa continetur. *3tiò.* Alii demum negabant necessitatem amoris, quamvis in Patrum conventu pauci attigerint hujusmodi quæstionem : An timor pœnæ absque eo, quod ullus excitetur amor imperfectus, sufficiat ad peccatorum remissionem in Sacramento.

Quæres *tertiò.* An *Concilium Trident.* aliquid circa opiniones illas inter Theologos controversas definiverit ?

℟. Quamvis ex illis, quæ à Concilio definita sunt, in favorem unius alteriusvè sententiæ aliqua concludi possint, Patres tamen dicti Concilii contra unam vel alteram discordantium partem definitione strictè dictâ nihil definierunt. Rationem dat *cit.* Cardinalis *lib.* 4. *cap.* 2. *&* 10. Quia Synodus non collecta erat ad decidendas opiniones, sed ad errores recidendos, & sat negotii habebat in prohibendis hæresibus, Scholasticis quæstionibus dimissis.

Quæres *quartò.* Quid igitur inter Catholicos & hæreticos circa dolorem controversum erat ?

℟. Lutherum inter & Catholicos controversia non erat, utrum attritio ex metu absque benevolo Dei amore proximè cum Sacramento ad reconciliationem sufficeret ; sed an timor gehennæ esset bonus, ad veram pœnitentiam utilis, initium conversionis ; adeòque an attritio de peccatis ex motivo inferni sit actus honestus, dispositio ad salutarem animi contritionem, quod affirmabant Catholici contra Lutherum dicentem metum esse in sua substantia malum & peccaminosum, & propterea veræ pœnitentiæ initium esse non posse, sed quidquid ex illo fit, malum & vitiosum fore : ideoque etiam charitatem imperfectam, quia timorem adjunctum habet esse vitiosam : nec dari probatam pœnitentiam, nisi ex perfecto amore Dei perfectáque charitate, quæ foras mittit timorem : omnem autem illam, quæ à timore initium sumit, aut simul est cum timore, & ex imperfecta charitate, malam esse & peccaminosam, hominemque magis peccatorem constituere.

Quæres *quintò.* Quid circa hos errores definivit Ecclesia ?

℟. Sequentia : *Trident. Sess.* 6. *Can.* 8. *definit.* Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.

2dò. Sess. 14. *Can.* 5. *definit.* Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, demum illum esse dolorem coactum & non liberum ac voluntarium, anathema sit.

3tiò. Sess. 14. *cap.* 4. idem *Trident.* probat utilitatem timoris pœnarum : Hoc enim

enim timore utiliter percussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrârunt; quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia DEI docuit, nec sensit. Sed & falsò docent contritionem esse extortam & coactam, non liberam & voluntariam. Hucusque *Tridentinum.*

4tò. Contra Jansenistas errores Lutheri resuscitantes damnavit Alexand. VIII. propositiones: 14tam: *Timor Gehennæ non est supernaturalis.* 15tam: *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ* DEI *propter se, non est bonus motus & supernaturalis.* 16tam: *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad* DEUM *offensum respectu.*

Quæres *sextò.* An ex *Concilio Tridentino* inferri possit dolorem peccatorum ex metu pœnarum conceptum absque ullo DEI amore sufficientem esse ad Sacramentum pœnitentiæ?

℟. Videtur dicendum Negativè. Illud enim inferri non posset ex alio, quam ex *cap.* 4. *Sess.* 14. Ut autem refert Cardinalis Pallavicinus *lib.* 12. *cap.* 10. decretum illud. *Trident.* à quibusdam Theologis hoc modo conceptum erat. Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit, & solùm vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, qui servilis dicitur, concipiatur, si voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcunque de delictis commissis exprimat, statuit hæc sancta Synodus, & declarat, non solùm non facere hominem hypocritam, ut quidam blasphemare non verentur: verùm etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem, ac donum DEI esse ac Spiritûs S. impulsum verissimum, non quidem adhuc inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus (cum sinè aliquo dilectionis in DEUM motu vix esse queat) viam sibi ad justitiam munit, & per eum ad DEI gratiam facilius impetrandam disponitur. Verùm cum aliqui ex Patribus opponerent, falsum esse, quod hujusmodi dolor sine amore vix unquam concipi queat; deinde super eo, an attritio talis satis sit Sacramento constituendo, ita, ut homini attrito deleantur peccata absolutionis supervenientis vi, variare Authorum sententias: mutatum est decretum, & hoc modo propositum, & à Patribus approbatum. Illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex Gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat hæc S. Synodus non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum DEI esse, & Spiritûs Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam

parat. Ex quo decreto ita reformato nihil contra Sententiam, quæ ad dolorem, Sacramenti pœnitentiæ partem, amorem aliquem requirit, inferri potest.

Quæres *septimò*. An ex iis, quæ *Tridentinum* definivit, deduci possit, ad dolorem, qui est pars Sacramenti pœnitentiæ, aliquem DEI amorem requiri?

℟. Affirmativè. Quia *Tridentinum* definivit pœnitentiam ad baptismum prærequisitam exigere aliquem amorem, ex quo deducitur, etiam pœnitentiam ad Sacramentum pœnitentiæ prærequisitam exigere actum charitatis, cum non major requiratur pœnitentia ad baptismum, quàm ad Sacramentum pœnitentiæ, ut Theologi negantes necessitatem amoris in Sacramento pœnitentiæ facilè concedunt. Antecedens autem probatur.

1*mò*. Ex formalibus Trident. *Sess. 6. cap. 6.* Ubi describens ex professo dispositionem ad justificationem per baptismum obtinendam requisitam 1mo loco ponit fidem: *Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti fidem ex auditu concipientes liberè moventur in* DEUM *credentes vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt: atque illud imprimis à* DEO *justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo* JESU. Deinde interserit timorem servilem: *& dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore utiliter concutiuntur.* A quo timore velut à termino à quo peccatores assurgunt ad spem: *ad considerandam* DEI *misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes* DEUM *sibi propter Christum propitium fore.* Adjungit inchoatam DEI dilectionem: *illúmque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, non per amorem Spei, tui præcesserat, neque ut bonum nostrum, sed uti in se omnis justitiæ & bonitatis fons est, atque inde tandem Concilium oriri docet odium istud & detestationem adversus peccata, in quo consistit pœnitentia ad baptismum prærequisita: *ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet.* Demum sequitur propositum non peccandi de cætero: *dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.*

2*dò*. Dominicus Soto, qui Tridentino quà Theologus interfuit *in 4. dist. 14. q. 2. a. 5.* Testatur decretum illud Tridentini sumptum esse ex doctrina S. Thomæ, qui *3. p. q. 85. a. 5. in 0.* actus, quibus DEO operanti cooperamur in pœnitentia, eodem ordine, quo Tridentinum enumerat, horum actuum primum principium est DEI operatio convertentis cor secundùm illud *Thren. ult. Converte nos Domine ad te, & convertemur:* Secundus actus est motus fidei, tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur: quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi: quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundùm seip-

seipsum, & non jam propter supplicia: Sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam DEI aliquis emendam DEO voluntarius offert. Concludit Doctor noster: Sic igitur patet, quod actus pœnitentiæ à timore servili procedit, sicut à primo motu affectus ad hoc ordinato: à timore autem filiali, sicut ab immediato & proximo principio.

3tiò. Doctrinam Angelicam à Tridentino canonizatam de actibus pœnitentiam præcedentibus exprimit Catechismus Romanus juxta doctrinam Concilii Tridentini authoritate S. Pii V. formatus, *p. 2. cap. 5.* Ubi quærit: quibus velut gradibus ad divinam illam pœnitentiæ virtutem ascenditur? Et respondet hoc modo: Misericordia DEI nos prævenit, cordáque nostra ad se convertit, deinde hoc lumine illustrati per fidem ad DEUM animo tendimus, præterea motus timoris consequitur, & suppiciorum acerbitate propositâ animus à peccatis revocatur. Huc deinde procedit spes impetrandæ à DEO misericordiæ, quâ erecti vitam & mores emendare constituimus. Postremò charitate corda nostra accenduntur, ex qua liberalis ille timor probis & ingenuis filiis dignus oritur, atque ita unum illud veriti, ne qua in re DEI majestatem lædamus, peccandi consuetudinem deserimus. His igitur quasi gradibus ad hanc præstantissimam pœnitentiæ virtutem pervenitur.

4tò. Cum præcedentibus concordant Canones sequentes: sine charitate in nobis non potest esse vera pœnitentia. *Can. si quis. 49. dist. 1. de Pœnitent.* Non in solo timore vivit homo. Quem pœnitet, oportet non solùm timere DEUM Judicem, sed & justum diligere: non timeatur pro pœna, sed ametur pro gloria. *Can. nullus exspectet. 6. dist. 7. de Pœnitent.*

Quæres *octavò.* An Tridentinum intelligendum sit de actu charitatis Theologicæ, quâ DEUS diligitur super omnia, vel de actu amoris concupiscentiæ?

R. Quæ Tridentini mens fuerit, colligitur ex illis, quæ Cardinalis Pallavicinus refert *lib. 8. cap. 13. & 14.* ubi 1mò adducit rationem, quare definitum, quod ad justificationem per Sacramentum baptismi (idem est de Sacramento pœnitentiæ) dilectionis DEI actus prærequiratur: Ideo visum fuisse Concilio, cum fide & spe jungere aliquem dilectionis actum, quia si pœnitentia tota esset ex timore, sinè amore justitiæ, & dolor esset propter pœnam tantùm, & non propter DEI offensam, infructuosa esset pœnitentia. 2dò refert Cardinal, cum *cap. 7. ejusdem Sess. 6.* formam justificationis esse diceretur charitatem, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque iis inhæret: aliqui ex Patribus admonuerunt, quomodo id subsisteret, cum *cap. 6.* præcedenti charitas numeretur inter dispositiones, quæ præparant animam ad justitiam suscipiendam? quibus responsum est, quod in *cap. 6.* sermo sit de actu charitatis, in *capite* verò *7timò* significetur habitus charitatis.

Adde authoritatem *S. Thomæ* 3. *p. q.* 86. *a.* 3. ubi S. Doctor quærit, utrum unum peccatum mortale possit remitti sinè altero ? & respondet Negativè, probat autem hoc modo : sicut ostensum est (videlicèt, ut notatur à margine, *art. præced.* ubi agitur de pœnitentia etiam ad baptismum prærequisita) peccatum mortale non potest remitti sinè vera pœnitentia, ad quam pertinet deserere peccatum, in quantum est contra DEUM, quod quidem commune est omnibus peccatis mortalibus ; ubi autem est eadem ratio, est idem effectus. Unde non potest esse vere pœnitens, qui de uno peccato pœnitet, & non de alio. Si enim displiceret illi peccatum, quia est contra DEUM supra omnia dilectum, quod requiritur ad rationem pœnitentiæ, sequeretur, quod de omnibus peccatis doleret.

Quæres *nonò*. Quotuplex charitas seu amor DEI super omnia in actu pœnitentiæ intervenire potest ?

R. Vel perfecta, vel imperfecta. Actus charitatis perfectæ & imperfectæ diversa habent principia, & diversos effectus. Diversitas principii colligitur ex S. Thoma *in* 2. *Sentent. dist.* 3. *ad* 1. Actus charitatis potest dici dupliciter : vel qui est ex charitate, intellige habitu charitatis, & hoc non est nisi in habente charitatem ; vel qui non est à charitate, & hic actus non est meritorius, vel generativus, sed sicut præparatorius : & sic actus charitatis ante charitatem habitam haberi potest, sicut facere justa est ante habitum justitiæ. Et *dist.* 28. *q.* 1. *a.* 3. Sicut aliarum virtutum actus dupliciter considerari possunt, vel secundùm quod sunt à virtute, vel secundùm quod antecedunt virtutem, ita etiam est de charitate ; potest enim aliquis etiam charitatem non habens, intellige : quoad habitum, diligere proximum & DEUm : & hoc diligere intelligitur actus charitatis sub præcepto directè cadere, & non solùm secundum quod à charitate procedit, 2*dò*. Diversos habent effectus actus charitatis perfectæ & imperfectæ. Contritio ex charitate perfecta justificat extra Sacramentum. Ita *Trident. Sess.* 14. *cap.* 4. docet contritionem charitate perfectam, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, DEO reconciliare.

Damnatæ quoque sunt sequentes propositiones Bajanæ : 31*ma* : *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro conscientia bona & fide non ficta tam in catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* 32*da* : *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* 33*tia*. *Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata* DEI *observat, & legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in baptismi lavacro demum percipitur.* 70*ma* : *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* 71*ma* : *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam non remittitur crimen*

crimen extra earum martyrii, sine actuali Sacramenti susceptione.

Charitas imperfecta non extra, sed in & cum Sacramento justificat: ita enim Catechismus Romanus *p. 2. cap. 5. q. 32.* Quoniam pauci ad hunc gradum (contritionis charitate perfectæ) perveniunt, necessè fuit, ut Clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret, quod quidem admirabili consilio effecit; cum claves regni cœlestis Ecclesiæ tradidit. Etenim ex fidei catholicæ doctrina omnibus credendum & constanter affirmandum, si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque imposterum non peccare constituat, etsi hujusmodi dolore non afficiatur, ut ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum tamen peccata Sacerdoti ritè confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti ac condonari, & Ecclesiæ clavibus aditum in cœlum aperiri.

Quæres 1*omò*. In quo formaliter consistat distinctio illa charitatis perfectæ extra Sacramentum justificantis à charitate imperfecta in Sacramento tantùm justificante?

R. Id explicatu esse difficile. Præ reliquis tamen placet explicatio Cardinalis Bellarmini *Lib. 6. de grat. & liber. arbitr. cap. 7.* Dilectio DEI sive ut Authoris bonorum naturalium sive supernaturalium alia est perfecta, alia imperfecta: idque tribus modis.

1*mò*. Alia est perfecta, quæ est dilectio DEI super omnia, quæ videlicet DEUM rebus omnibus anteponit: alia imperfecta, quæ afficitur quidem ad DEUM, sed nondum illum rebus cæteris præfert. Talis imperfecta charitas non est charitas Theologica, de cujus perfectione essentiali est, quod DEUM super omnia diligat, ut constat ex *S. Th. 2. 2. q. 184. a. 3. ad 3.* Nec sufficit ad Sacramentum pœnitentiæ, cum non excludat voluntatem peccandi, utpote cum affectu ad peccatum compossibilis. Quis enim ex maximis peccatoribus, DEO proposito, non habet aliquem affectum ad eum?

2*dò*. Alia est perfecta, quæ DEUM non solùm rebus omnibus præfert, sed majore ardore & vehementiâ ad illum afficitur, quam in ullam rem creatam. Quæ dici solet dilectio super omnia tam appretiativè, quàm intensivè. Alia imperfecta; quoniam æstimat quidem super omnia DEUM, & mallet cætera omnia potius quàm illum perdere, tamen non ita vehementer, quod attinet ad intensionem, afficitur ad DEUM ac in res creatas. Hanc perfectionem Catechismus Romanus. *p. 2. cap. 5. q. 32.* Ad contritionem extra Sacramentum justificantem requirere videtur: ita enim ait: ut enim hoc concedamus contritione (videlicet extra Sacramentum) peccata deleri, quis ignorat illam adeò vehementem, acrem, intensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferríque possit. Sequuntur Theologi, qui docent in majori peccatore majorem & magis intensam debere esse charitatem & contritionem, ut extra Sacramentum justificetur.

3*tiò*.

3tiò. Alia est perfecta, quoniam non modò DEUM super omnia diligit unico actu voluntatis; dum eum cogitat summum & infinitum bonum esse; sed etiam perseverat in dilectione usque ad impletionem omnium mandatorum, quæ dicitur dilectio DEI super omnia, quoad affectum & effectum. Alia est imperfecta; quoniam afficitur quidem in DEUM super omnia, dum eum cogitat summum esse bonum, & nulla occurrit tentationis occasio; attamen occurrente aliquo objecto alliciente facilè deficit, & extinguitur. Hæc perfectio charitatis pulchrè describitur in *can. qui vult. 16. dist. 2. de Pœnit.* Ubi S. Augustinus dicit: Si quis habet voluntatem sustinendi omnia pro Christo, & tamen si immineat ei periculum, in rei veritate non sustineret, reverà iste habet charitatem, licet modicam, quæ postea augetur, quando cum effectu paratus est omnia sustinere. Verba Canonis sunt: qui vult facere DEI mandata (quodam motu bono scilicet non effectionis, *ut inquit Gloss.*) & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam; poterit autem, cum magnam habuerit & robustam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magnâ utique voluntate, id est magnâ charitate fecerunt, de qua charitate ipse Dominus ait: Majorem hâc charitatem nemo habet &c. Ipsam charitatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit: timor enim non est in charitate, sicut ait Joannes Evangelista in Epistola sua, sed perfecta charitas foras mittit timorem: Et tamen, quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat: Domine animam meam pro te ponam. Si quis tantam habuerit charitatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo charitas. Sed nunquid mox ut nascitur, jam prorsus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur, cum fuerit nata, nutritur, cum fuerit nutrita, roboratur, cum fuerit roborata, perficitur, cum ad perfectum venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Hanc Doctrinam S. Augustini *in cit. can.* Relatam applicat Doctor Angelicus ad pœnitentiam. **1. 2. q. 113. a. 10. in O.** „Est iste communis & consuetus cursus „justificationis, ut DEO movente interius animam hanc convertatur ad DEUM, primò quidem conversione imperfectâ, ut postmodum ad perfectam „deveniat, quia charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, sicut „Augustinus dicit. *Tr. 5. in Epist. Joan.* „loco videlicet in *Can. cit.* Quandoque „verò DEUS tam vehementer animam „movet, ut statim quandam perfectionem justitiæ assequatur, sicut fuit in „conversione S. Pauli.

Quæres *undecimò.* An habens charitatem imperfectam, Sacramentum baptismi vel pœnitentiæ suscipere nequeat, æternum pereat, ac ita is qui diligit DEUM super omnia damnetur?

℟. Theologi, qui docent attritionem ex charitate imperfecta in Sacramento, & non extra illud justificare, admittunt tamen, quod in casu necessitatis, quo Sacramentum suscipi nequit, attritio ex chari-

charitate Dei ſuper omnia ad juſtificationem ſufficiat, Deo perfectionis defectum ſupplente. Probant id primò ex *Can. quem pœnitet. 88. Diſt. 1. de Pœnit.* ubi ita *S. Auguſtinus*: "Sæpe contingit, „quod pœnitens non poteſt confiteri „coram Sacerdote, quem deſideranti „nec locus nec tempus offert, & ſi ille, „cui confitebitur, poteſtatem ſolvendi „non habet, fit tamen dignus venia ex „Sacerdotis deſiderio: mundati enim „ſunt leproſi, dum irent oſtendere ora „Sacerdotibus, antequam ad eos perve„nirent. Unde patet Dominum ad cor „reſpicere, dum ex neceſſitate prohi„bentur ad Sacerdotes pervenire. Probatur *2dò* ex *cap. Apoſtolicam. de Presbyt. non baptizato.* ubi Innocent. III. "Pres„byterum, quem ſinè unda baptiſmatis „extremum diem clauſiſſe ſignificaſti, „quia in S. Matris Eccleſiæ fide & Chri„ſti nominis confeſſione perſeveravit, „ab originali peccato ſolutum, & cœ„leſtis Patriæ gaudium eſſe adeptum aſ„ſerimus incunctanter." Probat aſſertum authoritate Ss. Auguſtini & Ambroſii. Auguſtinus *lib. 8. de civit.* Dei. dicit: Baptiſmus inviſibiliter miniſtratur, quem non contemptus religionis, ſed terminus neceſſitatis excludit. S. Ambroſius *lib. de obitu Valentiani* idem aſſerit.

Quæres *duodecimò*. Quid tandem in hac controverſia practicè tenendum?

℟. *1mò*. Id conſtat ex prop. primâ damnata ab Innoc. XI. *Non eſſe licitum in Sacramentis conficiendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relictâ tutiore.* Opinionem autem, quæ docet, quod ad valorem Sacramenti pœnitentiæ attritio ex amore Dei ſuper omnia imperfecto requiratur, tutiorem eſſe, nullus dubitabit.

℟. *2dò*. Sententia quæ aſſerit ad dolorem Sacramentalem ſufficere quodcunque motivum ſupernaturale abſque ullo actu charitatis Theologicæ, quamvis ſit probabilis, & à pluribus adhuc hodiedum teneatur, attamen videtur dici non poſſe, quod certa ſit, alias ſententia oppoſita actum charitatis requirens, foret improbabilis, & certò moraliter falſa, cum tamen Alexand. VII. Ann. 1667. 5. Maji in ſpeciali decreto ſuper hac controverſia dato ſub pœna excommunicationis prohibeat, ne quis alicujus Theologicæ cenſuræ alteriuſvè injuriæ aut contumeliæ notâ taxare audeat, ſive ſententiam negantem neceſſitatem alicujus dilectionis Dei in attritione ex metu gehennæ concepta, quæ, inquit Pontifex, hodie inter Scholaſticos communior videtur, ſive ſententiam aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitem, donec à Sede Apoſtolica fuerit aliquid hac in re definitum.

℟. *3tiò*. In praxi igitur non videtur recedendum à Doctrina Cleri Gallicani in Generali conventu Anno 1700. ſubſcribentibus omnibus Epiſcopis & Archi-Epiſcopis Galliæ definita, & Curatoribus animarum hunc in modum propoſita: "De dilectione Dei ſicut ad „Sacramentum baptiſmi in adultis, ita „ad Sacramentum pœnitentiæ, quæ eſt „laborioſus baptiſmus, requiſita, ne „neceſſariam Doctrinam omittamus, „hæc duo imprimis ex S. Synodo Tri-

„ dentina monenda & docenda duximus: „ imum, ne quis putet in utroque Sa„ cramento requiri prævíam contritio„ nem eam, quæ sit charitate perfecta, „ & quæ cum voto Sacramenti, ante„ quam actu suscipiatur, hominem Deo „ reconciliet: alterum, ne quis putet „ in utroque Sacramento securum se es„ se, si præter Fidei & Spei actus non „ incipiat diligere Deum tanquàm om„ nis justitiæ fontem: neque verò sa„ tis adimpleri potest utrique Sacramen„ to necessarium vitæ novæ inchoandæ „ ac servandi divina mandata propositum, si pœnitens primi & maximi „ mandati, quo Deus toto corde dili„ gitur, nullam curam gerat, nec sit „ saltem animo sic præparato, ut ad il„ lud exequendum divinâ opitulante „ gratiâ sese excitet, & provocet. Pla„ cet etiam caveri à Sacramenti pœniten„ tiæ, ministris, ne in hoc Sacramento „ aliisque conferendis sequantur opinio„ nem probabilem de valore Sacramen„ ti, relictâ tutiore, neve pœnitentes „ ipsorum fidei animam suam commit„ tentes admonere cessent, ut in pœni„ tendo inchoatæ saltem dilectionis Dei „ ineant viam, quæ sola secura sit, gra„ viter peccaturi in hoc salutis discri„ mine, vel eo solo, quod certis in„ certa præponant.

§. Quintus.

De

Satisfactione.

Quæres *primò*. Quid Satisfactio?

R. Pœnitentia hominis Christiani post lapsum continet satisfactionem per jejunia, eleëmosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento vel Sacramenti voto remittitur, sed pro pœna temporali. *Trident. Sess. 6. cap.* 14. cujus dat rationem *Sess.* 14. *cap.* 8. Quia divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum ignoranter deliquerunt, aliter verò, qui semel à peccati & Dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritûs S. dono scienter templum DEI violare, & Spiritum S. contristare non formidârunt. Divinam etiam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione acceptâ, peccata leviora putantes, velut injurii & contumelioſi Spiritui S. in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.

Quæres *secundò*. Quotuplex Satisfactio?

R. Publica & privata. Publica ab Episcopo publicè peccantibus in foro externo ad satisfaciendum publico imponitur. De quo *in cap. manifesta. 1. de Pœnit. & remiss.* Manifesta peccata non sunt

sunt occultâ correctione purganda; nam qui publicè peccant, etiam publicè puniendi sunt, ut tollatur Scandalum, & alii territi à similibus arceantur. Et *Tridentinum*: Apostolus monet publicè pœnitentes palam esse corripiendos; quando igitur ab aliquo publicè & in conspectu multorum crimen commissum fuit, unde alios Scandalo offensos commotósque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocent vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire. 2dò. Privata satisfactio fit soli Deo vel per pœnas à Deo inflictas patienter toleratas, vel per opera pœnalia sponte suscepta, aut à Confessario injuncta: ut enim ait *Trident. Sess.* 14. *cap.* 9. Tanta est divinæ munificentiæ largitas, ut non solùm pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam: quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per JESUM Christum satisfacere valeamus.

Quæres *tertiò*. Quæ satisfactio in Sacramento pœnitentiæ injungenda?

℟. Illam graphicè describit Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 8. Debent Sacerdotes Domini, quantùm Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere: ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem; procul dubio enim magnopere à peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioréſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt. Medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo JESU, qui pro peccatis nostris satisfacit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certiſſimam quoque inde arrham habentes: quod si compatimur, & conglorificabimur.

Quæres *quartò*. An sub mortali confessarius sit obligatus imponere pœnitentiam peccatis proportionatam?

℟. Affirmativè, & colligitur ex Trident. *loc. cit.* Ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera

pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

Quæres *quintò*. An eadem pro iiſdem peccatis omnibus injungenda pœnitentia?

℟. Negativè. Ne adinſtar imperiti medici uno collyrio omnium oculos velit curare. *Can. neceſſe. 3. Diſt. 29.* Sed pœna non tam ſecundùm quantitatem exceſsûs, quàm pœnitentis contritionem per diſcreti Sacerdotis arbitrium eſt moderanda, penſatâ qualitate perſonarum, ſuper fornicatione, adulterio, homicidio, perjurio, & aliis criminibus, conſideratis circumſtantiis omnibus, competens pœnitentia delinquenti eſt imponenda, prout ejus ſaluti Sacerdos viderit expedire. *Cap.* DEUS, *qui. 8. de Pœnit. & Remiſſ. Can. menſuram. 86. Diſt. 1. de Pœnitent.*

Quæres *ſextò*. Quæ ſeveritas antiquorum canonum in pœnitentiis imponendis?

℟. Pro uno peccato mortali canones antiqui pœnitentiam ſeptem annorum injungebant, conſtat ex *Can. hoc ipſum. 11. cauſ. 33. q. 2.* ubi id probatur exemplo Mariæ Sororis Aaronis, quæ propter murmurationem percuſſa eſt leprâ, à qua non eſt mundata, niſi poſt ſeptem dierum pœnitentiam extra caſtra factam: & exemplo Regis Davidis, qui propter adulterium & homicidium pro pœnitentia jejunavit ſeptem diebus. Rationem hanc dat *Gloſſ.* ut ſicut propter peccatum ſeptiformis Spiritûs gratiam amiſit, ita per pœnitentiam ſeptennem eam recuperet. In *Can. Presbyter. 5. diſt. 82.* Sacerdoti propter fornicationem graviſſima pœnitentia decem continuis annis peragenda imponitur.

Quæres *ſeptimò*. Cur rigor ille canonum non amplius ſervatur?

℟. Defectus noſtrorum temporum, quibus non ſolùm merita, ſed corpora ipſa hominum defecerunt, diſtrictionis illius non patitur in omnibus manere cenſuram. *Can. fraternitatis. 7. diſt. 34.*

Quæres *octavò*. An Confeſſarius in rigore pœnitentiarum excedere poſſit?

℟. Affirmativè. S. Chryſoſtomus in *Can. alligant. 12. cauſ. 26. q. 7.* rigoriſmum hunc ita exagitat. Alligant onera gravia & importabilia. Tales ſunt etiam nunc Sacerdotes, qui omnem juſtitiam populo mandant, & ipſi nec modicè ſervant, videlicèt, non ut facientes ſint juſti, ſed ut dicentes appareant juſti. Tales ſunt, & qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt: qui dicunt, & non faciunt, & ſic dum pœna præſentis pœnitentiæ fugitur, contemnitur peccati pœna futura. Sicut enim ſi faſcem ſuper humeros adoleſcentis, quem non poteſt bajulare, poſueris, neceſſe habet, ut aut faſcem rejiciat, aut ſub pondere confringatur: ſic & homini, cui grave pondus pœnitentiæ imponis, neceſſe eſt, ut aut pœnitentiam tuam rejiciat, aut ſuſcipiens dum ferre non poteſt, ſcandalizatus amplius peccet. Deinde, etſi erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonnè melius eſt propter miſericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim Paterfamilias largus eſt, diſpenſator non debet eſſe tenax. Si Deus benig-

nus

nus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? Vis apparere Sanctus circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.

Quæres *nonò*. An illi, qui in hac vita sufficientem pœnitentiam non egerunt, puniantur in altera vita?

R. Cum S. August. *in Can. nullus. 6. dist. 7. de Pœnit.* Affirmativè. Nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conversionis. Hic autem ignis licet æternus non sit, miro tamen modo est gravis: excellit enim omnem pœnam, quam unquam passus est aliquis in hac vita. Nunquam in carne tanta inventa est pœna, licet mirabilia passi sint Martyres tormenta, & multi nequiter iniqui tanta sustinuerunt supplicia. Studeat ergo quilibet sic delicta corrigere, ut post mortem non oporteat talem pœnam tolerare.

Quæres *decimò*. An per indulgentias pœna peccatorum remitti possit?

R. Affirmativè. Constat ex *Extrav. 2. de Pœnitent. & Remiss. inter commun.* Ubi indulgentiarum thesaurum ita explicat Clemens Papa VI. Christus Dominus infinitum thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit volens suis thesaurizare filiis pius Pater: ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, DEI amicitiæ participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum cœli Clavigerum ejúsque Successores, suos in terris Vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum: & propriis & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ tam generaliter quàm specialiter, prout cum DEO expedire cognoscerent, verè pœnitentibus & confessis misericorditer dispensandum. Ad cujus quidem thesauri cumulum Beatæ DEI genetricis omniumque electorum, à primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur: de cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tum ob infinita Christi merita, tam pro eo, quod quantò plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.

Quæres *undecimò*. Quæ conditiones requiruntur ad valorem indulgentiarum?

R. *Cum Gloss. in Extrav. 1. de Pœnit. & Remiss. verb. confitebuntur.* Ad hoc, ut indulgentiæ valeant, requiruntur quinque: Authoritas in concedente, idoneitas in recipiente, pietas in fine, utilitas in opere, & congruitas in tempore.

1mò. Authoritas in concedente. Imprimis in Summo Pontifice est plenitudo potestatis conferendi indulgentiam, *cap. cum ex eo. 14. de Pœnit. & Remiss.* Rationem dat *Gloss. in cit. extrav.* Sicut in corpore humano materiali est caput unum, in quo omnes sensus seu plenitudo sentiendi existit, sic in militante Ecclesia est unum caput, videlicet Romanus Pontifex, in quo est plenitudo potestatis & authoritatis, quam Christus contulit, quando B. Petro dixit: *Quodcunque ligaveris in terris, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris, erit solutum.* Hæc

authoritas deinde communicatur Archi-Episcopis, limitatè tamen, qui habent potestatem concedendi indulgentias in tota sua Provincia non solùm tempore visitationis, sed etiam extra illud, *cap. nostro.* 15. *de Pœnitent. & Remiss.* Item Episcopis, ut dicitur *in cit. cap. cum ex eo.* ibi : Quia per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur, potestas concedendi indulgentias restringitur, ne Episcopi in dedicatione Ecclesiæ ultra annum, & in anniversario dedicationis uti & in aliis casibus indulgentiam ultra 40. dies dare possint. Confirmantur hæc in *cap. indulgentiæ. 3. eod. tit. in 6.* Indulgentiæ autem ab Episcopo datæ valent pro solis subditis. *Cap. quod autem. 4. de Pœnitentiis & Remiss.* Sufficit verò, quod Episcopus sit confirmatus, quamvis non consecratus, nec in sacris constitutus ; quia dare indulgentiam est actus jurisdictionis & non Ordinis. Demum Prælati Episcopo inferiores nullam habent potestatem concedendi indulgentiam. *Cap. accedentibus. 12. de excess. Prælat.* Nisi per Privilegium, consuetudinem aut præscriptionem tale jus obtinuerint.

2dò. Idoneitas in recipiente. Nam thesaurus Ecclesiæ non applicatur primò nisi ei, qui est membrum Ecclesiæ. *Can. nihil. 33. caus. 11. q. 3. Can. Si quis à Catholica. 7. caus. 23. q. 4.* Secundò nisi justo : quia certum est, quod remanente culpâ non remittatur pœna, cum secundùm Augustinum non dimittat DEUS dedecus culpæ sinè decore justitiæ : Si autem manente culpâ remitteretur pœna, esset dedecus culpæ cum decore justitiæ. *Gloss. in cit. Extrav.* Oportet igitur, quod capax indulgentiæ sit purgatus à culpa. Ideo communiter in literis indulgentiarum exprimitur : *Verè pœnitentibus & confessis.*

3tiò. Nisi libero ab excommunicatione majore, per quam excommunicatus à communibus Ecclesiæ bonis excluditur. Demum vivis datur indulgentia per modum absolutionis exercendo in illos velut in subditos potestatem jurisdictionis, defunctis per modum suffragii, dum DEO exhibetur & offertur pro defunctis quondam concivibus & membris Ecclesiæ militantis satisfactio & quasi pretii solutio cum precibus, ut DEUS illam misericorditer accepter, & pœnam temporalem remittat.

3tiò. *Pietas in fine*, hoc est honor DEI & axaltatio Fidei ; in omni enim concessione indulgentiarum attendi debet, ut per talem dispensationem thesauri Ecclesiæ honoretur DEUS, & exaltetur Fides. *Gloss. in cit. Extrav.*

4tò. *Utilitas in opere*, hoc est quod opus pro indulgentia obtinenda impositum utile sit & ordinabile ad finem prædictum scilicet ad honorem DEI & fidei exaltationem. Circa quod avertit *cit. Gloss.* quod in concessione indulgentiæ non attendatur quantitas, sed genus operis : indulgentia enim principaliter respicit gratiam, non meritum, aliàs enim non diceretur indulgentia. Si enim quis offendisset Regem, ita ut propter offensam hujusmodi

modi secundùm patriæ legem manu vel pede truncari mereretur, ac ut liberaretur ab hac pœna Principi duo vel tria millia florenorum offerret, talis liberatio remissio dici non mereretur, sed potius redemptio & quædam commutatio: si autem condonaret pœnam hujusmodi liberaliter, & ei pro pœna vitanda leve quid imponeret, liberatio hæc remissio diceretur. Ergo indulgentiæ Ecclesiasticæ principaliter respiciunt gratiam, non meritum: meritum, inquam, non proprium, sed alienum, nempe meritum Christi, super quo fundantur, & ex quo sumuntur.

5tò. *Congruitas in tempore*; videlicet exigitur, ut diseretè pro exigentia loci, temporis & personarum concedantur: ideo *Trident. Sess. 25. in decreto de indulgentiis* agnoscens Ecclesiæ potestatem concedendi indulgentias à Christo divinitùs concessam præcipit in his concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi, ne nimiâ facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur, abusus verò, qui in his irrepserunt, quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendari, pravos questus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa profluxit, aboleri. Ad hunc finem idem Trident. *Sess.* 21. *cap.* 9. ordinavit, indulgentias aut alias speciales gratias deinceps per Ordinarios locorum esse publicandas, ex quo juxta declarationem S. Congregationis, quamvis Religiosi indulgentias olim à Pontificibus concessas publicare potuerint, attamen illas post *Trident.* datas absque Ordinarii licentia publicare nequeunt.

Quæres *duodecimò*. Quæ diversitas indulgentiarum?

℟. *1mò*. Ex parte remissionis alia est totalis alia partialis, colligitur *ex cit. Extrav. 2. de Pœnit. & remiss.* ibi: *nunc pro totali, nunc pro partiali remissione.* Per partialem remittitur pars pœnæ; & si remittatur pœna, pro qua aliàs per pœnitentiam 40. dierum juxta rigorem antiquorum canonum Satisfactio fieri debeat, vocatur quadragena. Totalis est per quam omnis pœna peccatis debita, dummodo subjectum sit dispositum, remittitur.

2dò. Ex parte illorum, quibus indulgentia conceditur, in personalem, localem, & realem dividitur. Personalis per se & directè personis, ut confratribus v. g. illius sodalitatis &c. sinè determinatione ad certum locum vel rem materialem conceditur. Localis est, quæ pro loco Sacro, visitantibus v. g. illam Ecclesiam datur. Realis, quæ certæ rei materiali est affixa, ut quæ datur habentibus tale numisma vel rosarium &c. Ex parte durationis alia est perpetua, alia temporalis: perpetua semper durat, usque dum revocetur, temporalis ad certum annorum numerum conceditur, eóque elapso expirat.

3tiò. Indulgentia totalis alia est in anno Jubilæo, alia per modum Jubilæi, alia tantùm simpliciter plenaria. Annus Jubilæus ortum habet ab anno Jubilæi legis veteris: ut enim dicitur *in cit. Extrav. 2. de Pœnitent. & remiss.* annus

annus quinquagesimus in lege Mosaica, quam non venit Dominus solvere, sed spiritualiter adimplere, jubilæus remissionis & gaudii, sacérque dierum numerus, quo lege fit remissio, censebatur, quia in illo, præterquam quòd ab agricultura cessaretur, omnia debita remittebantur, servi manumittebantur, possessiones antiquæ Dominis antiquis restituebantur, unde & annus remissionis appellabatur. Quia autem erat figura plenissimæ concessionis aliquando per Christum consequendæ Romani Pontifices in lege nova annum Jubilæum instituerunt, & imprimis Bonifacius VIII. *in extrav. Antiquorum. 1. de Pœnit. & remiß.* quolibet centesimo anno Romam ad Basilicas Ss. Apostolorum Petri & Pauli reverenter accedentibus verè pœnitentibus & confessis non solùm plenam & largiorem, imò plenissimam omnium suorum peccatorum sub his conditionibus concessit, indulgentiam ut qui voluerint hujusmodi indulgentiæ fieri participes, si fuerint Romani ad minùs XXX. diebus continuis, seu interpolatis, & saltem semel in die, si verò peregrini fuerint & forenses, simili modo diebus XV. ad easdem basilicas accedant. Addit Pontifex: Unusquisque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui basilicas ipsas amplius & devotiùs frequentabit.

Deinde Clemens VI. *in Extrav. unigenitus. 2. de Pœnit. & remiss.* quia quinquagenarius numerus in testamentis, veteri quidem ex legis datione, novo ex visibili Spiritûs S. in discipulos missione, per quem datur peccatorum remissio singulariter honoratur: Præterea cum pauci multorum respectu propter vitæ hominum brevitatem valeant ad annum centesimum pervenire, annum centesimum ad annum quinquagesimum reduxit, concedens plenissimam peccatorum veniam de quinquaginta in quinquaginta annos visitantibus B. B. Petri & Pauli & Lateranensem Ecclesias, adjiciendo, ut ii etiam, qui pro hac indulgentia consequenda accedunt, si post iter arreptum impediti legitimè, quominus ad urbem illo anno valeant pervenire, aut in via vel dierum præfixato numero non completo discesserint, verè pœnitentes & confessi eandem indulgentiam consequantur.

Paulus II. ut refertur in *Extrav. quemadmodum. 4. eod. tit.* annum Jubilæum ad brevius tempus, videlicet ad annum vigesimum quintum reduxit, & quolibet 25to anno basilicas B. B. Petri & Pauli, Lateranensem quoque & S. MARIÆ majoris visitantibus omnes & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones concessit, quas Prædecessores anno Jubilæo concesserunt.

Demum Sixtus IV. *in cit. extrav. quemadmodum.* Idem confirmavit, simul declarando: Ne propter alias indulgentias hoc sanctum opus ac remissionis & gratiæ annus Jubilæus intermittatur, omnes & singulas plenarias, aut etiam adinstar Jubilæi indulgentias, ac etiam commutandi vota, aut super eis, & malè ablatis incertis, aut per usurariam pravitatem, aut alium illicitum modum extortis dispensandi & com-

componendi, aut illa sub certo modo & forma remittendi, & deputandi confessarios cum potestate absolvendi etiam à Casibus Sedi Apostolicæ reservatis, facultates, concessiones, indulta quibuscunque Ecclesiis, Monasteriis, hospitalibus, piis locis, Universitatibus, Fraternitatibus quibuslibet tam in perpetuum, quàm ad certum tempus in vita seu mortis articulo quovis modo vel causâ concessa durante anno Jubilæi esse suspensa: quæ tamen elapso anno Jubilæi absque nova concessione vim suam recuperant. Excipiuntur indulgentiæ pro defunctis, quæ tempore anni Jubilæi in suo vigore manent. Indulgentia instar Jubilæi est, quando præter plenam peccatorum remissionem certa conceduntur privilegia, ut confitendi cuique confessario approbato, absolvendi à quocunque casu reservato, commutandi vota. Si hæc privilegia non adsint, est simpliciter indulgentia plenaria.

§. Sextus.

D E

Ministro Pœnitentiæ.

QUæres *primò*. Quis Minister Sacramenti Pœnitentiæ.

℟. Cum *Concil. Florentino in decreto Eugenii*: Minister hujus Sacramenti est Sacerdos habens authoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione Superioris, quod confirmat *Trident. Sess.* 14. *cap.* 7. declarans nullius momenti absolutionem eam esse; quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam vel delegatam non habet jurisdictionem.

Cui superaddit *Sess.* 23. *cap.* 15. Nullum etiam regularem posse confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem obtineat: privilegiis & consuetudine quacunque etiam immemoriali non obstantibus. Ex his colligitur in Ministro pœnitentiæ tria ad valorem absolutionis requiri: 1*mò*. Ordo Sacerdotalis, 2*dò*. Approbatio Episcopi, 3*tiò*. Jurisdictio in pœnitentem. Patet quoque jurisdictionem distingui ab approbatione, cum hæc sit nudum Episcopi Judicium de idoneitate: illa autem sit expedita in actu secundo Jus dicendi facultas.

Quæres *secundò*. An solus Sacerdos Minister Sacramenti Pœnitentiæ?

℟. Affirmativè. Quia Jus ligandi & solvendi solis permissum est Sacerdotibus. *Can. Verbum.* 51. *dist.* 1. *de Pœnitent.* Mediator enim DEI & hominum homo Christus JESUS hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus pœnitentiæ Satisfactionem

darent, & eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. *Can. multiplex.* 49. *dist.* 1. *de Pœnit.* Quod convenit soli Sacerdoti, qui ritè fuerit ordinatus juxta claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis eorumque Successoribus. *Cap.* 1. *de Sum. Trinit.* §. *una.* Ideo per *Trident. Sess.* 14. *cap.* 6. *& Can.* 10. damnantur, qui ad alios quosvis homines præter Episcopos & Sacerdotes clavium ministerium pernitiosè extendunt.

Nec objicias *cap.* 2. *de furtis*, ubi fur communione non privatur, si Presbytero vel Diacono fuerit confessus. Et quod in *Can. quem pœnitet.* 88. *dist.* 1. *de Pœnit.* dicitur, & simul repetitur *in Can.* 1. *dist.* 6. *de Pœnit.* Tanta est vis confessionis, ut si desit Sacerdos, confiteatur proximo; nam quamvis ad humiliationem quis in necessitate confiteri possit Laico vel non Presbytero, attamen à non Presbytero nullus Sacramentaliter absolvi potest. Ut enim in *cit. loc.* subjungitur: Et si ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habeat, sit tamen dignus veniâ ex Sacerdotis desiderio, qui Socio confitetur criminis turpitudinem. Potest igitur quis, ut ait *Gloss. in cap. Pastoralis.* 11. *de officio Ordinar.* §. *præterea. verb. articulo mortis.* confiteri Laico in necessitate, sed Laicus non potest ipsum absolvere vel ligare, quia non habet claves Ecclesiæ. *cap.* 1. *de Sum. Trinitate.*

Quæres *tertiò.* Qualiter in ministro Pœnitentiæ necessaria approbatio?

R. Nulli potest committi jurisdictio ad absolvendum aliquem sæcularem in foro pœnitentiali, nisi habeat vel Parochiale beneficium, vel approbationem Episcopi, quæ est hujus authenticum de idoneitate ministri testimonium ad Sacramentale munus obeundum, constat ex *cit. Trident. Sess.* 23. *cap.* 15. Circa quam approbationem singulariter notanda sunt sequentia:

1*mò.* Varia Ordines Regularium, maximè Mendicantes ob specialia merita & animarum fructum, quem in Ecclesia fecerunt, à Summis Pontificibus obtinuerunt Privilegia circa administrationem Sacramentorum, auditionem confessionum, sepulturam fidelium &c. Occasione horum Privilegiorum inter Episcopos & Rectores Ecclesiarum Parochialium ex una parte, & Ordines mendicantes ex altera, pacis æmulo satore zizaniorum procurante graves & periculosæ discordiæ sunt suscitatæ. Ad has sopiendas Bonifacius VIII. *in Extrav. super Cathedram.* 2. *de Sepulturis.* Circa auditionem confessionum sequentia ordinavit. 1*mò.* Ut in singulis Civitatibus & Diœcesibus, in quibus loca Fratrum Prædicatorum & Minorum consistere dignoscuntur, vel in Civitatibus & Diœcesibus locis ipsis vicinis, in quibus loca hujusmodi non habentur, superiores prædictorum Regularium ad præsentiam Prælatorum eorundem locorum se conferant, per se vel per Fratres, quos ad hoc idoneos putaverint, humiliter petituri, ut Fratres, qui ad hoc electi fuerint, in eorum Civitatibus & Diœcesibus confessiones subditorum suorum confiteri sibi volentium liberè

liberè audire valeant, & hujusmodi confitentibus, prout secundùm DEUM expedire cognoverint, pœnitentias imponere salutares, atque eisdem absolutionis beneficium impendere de licentia, gratia & beneplacito eorundem. *Deinde* ut superiores eligere studeant personas sufficientes, idoneas, vitâ probatas, discretas, modestas, atque peritas ad tam sublime ministerium, & officium exequendum: quas sic electas ab ipsis præsentent, vel faciant præsentari Prælatis, ut de eorum licentia, gratia, & beneplacito in Civitatibus & Diœcesibus confessiones audiant, extra civitates & Diœceses, in quibus fuerint deputatæ, confessiones nullatenus audituræ. Numerus autem personarum assumendarum ad hujusmodi officium exercendum esse debeat, prout Universitas Cleri & populi, ac multitudo & paucitas exigit eorundem. *3tiò.* Demum, si Prælati, id est Episcopi, quenquam ex dictis Fratribus præsentatis ad hoc officium nollent habere, vel non ducerent admittendum: eo amoto vel subtracto alius iisdem præsentandus deberet subrogari. Quod si autem Episcopi præfatis Fratribus ad confessiones audiendas electis hujusmodi licentiam exhibere recusarent, Pontifex ex tunc ipsis, ut confessiones sibi confiteri volentium liberè & licitè audire possint, concedit de plenitudine Apostolicæ potestatis.

Cum per hanc moderationem æmulationes inter Clerum Regularem & sæcularem nondum sublatæ essent, Benedictus XI. Bonifacium secutus magis propendens in favorem Regularium in *Extrav. Inter cunctas. 1. de Privileg.* Circa Sacramentum Pœnitentiæ sequentia ordinavit. Imprimis, ut electi Fratres à Superioribus suis ad audiendas confessiones liberè authoritate Apostolicâ, absque licentia Diœcesanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum exemptorum vel non exemptorum, quibus subsunt, qui ad confitendum accedunt, audiant eis peccata sua confiteri volentes: Nec confessi ipsis Fratribus peccata illa, de quibus confessi sunt eis & absoluti pœnitentes, de illis Sacerdotibus propriis iterum confiteri teneantur: non obstante constitutione Generalis Concilii *in cap. omnis utriusque sexûs*: sed Sacerdotes ipsis taliter confessis & absolutis adstricti sint ministrare Eucharistiæ & extremæ unctionis Sacramenta. Ut tamen Diœcesanis honor debitus servetur, præcipit Pontifex, ut superiores vel per se vel per alios verbo vel scripto illis significent, se Fratres ad hujusmodi confessionum audiendarum officium elegisse, & non nominando, aut coram ipsis sistendo eos, nec illorum numerum exprimendo, petant humiliter à Diœcesanis eisdem, quod electi Fratres de eorum beneplacito & licentia dictum possint in eorum Civitatibus & Diœcesibus intra eis determinatos fines officium exercere. Quod si Episcopi denegent, aut intra triduum non concedant, ex tunc eidem Fratres nihilominus authoritate Apostolica hujusmodi officium exequantur.

Hæc dispositio Benedicti XI. Zelum Pastorum sæcularium contra Religiosos non restrinxit sed magis exacuit. Ideo

Clemens V. in Concil. Viennenſi per *Clement. Dudum. 2. de Sepulturis* conſtitutionem Benedicti ad terminos conſtitutionis Bonifacianæ reduxit. Hæc omnia ceſſant poſt Trident. ut imprimis declaravit Pius V. apud Paxjord. *lib. 3. tit. 4. n. 119.* Declaramus decretum Concilii Trident. de approbatione Regularium pro audiendis confeſſionibus ſæcularium ab Epiſcopo facienda obſervari debere in omnibus Regularibus quorumcunque Ordinum etiam Mendicantium etiam ſub regulari diſciplina viventibus. *2dò.* Urbanus VIII. in ſpeciali conſtitutione, quæ incipit : *Cum ſicut accepimus.* Anno 1625. die 12. Septembr. idem declaravit. *3tiò.* Alexander VII. 1659. damnavit hanc propoſitionem : *Concilium Tridentinum non obligat Regulares ad obtinendas approbationes ab Epiſcopis, ut ſæcularium confeßiones audire poßint : neque de illius Concilii authoritate Privilegia Regularium reſtringi poſſunt, cum in Gallia receptum non ſit, præterquam in deciſionibus fidei, neque Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata.* Ann. 1665. damnavit hanc propoſitionem : *Satisfacit præcepto annuæ confeßionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.*

2dò. Hæc approbatio dari debet ab Epiſcopo jam confirmato & habente ſubditos, vel Vicario Generali, qui perſonam Epiſcopi ſuſtinet, ejuſque vices gerit, vel à Capitulo ſede vacante, quod ſuccedit in jurisdictionem Epiſcopi. *cap. cum olim. 14. de Majorit. & obedientia.* Nullus Epiſcopo inferior poteſt ſe ingerere in approbationem Sacerdotum ſacræ pœnitentiæ miniſtrorum. S. Congregatio apud Jordan. *loc. cit.* Valet tamen approbatio confeſſariorum etiam pro ſæcularibus tam ſubditis, quam confluentibus facta ab Abbate proprium & ſeparatum Territorium ac Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habente. Ita congregatio Epiſcoporum apud Baptiſtam Pittoni *tract. 1. n. 26.*

3tiò. Approbatio ab Ordinario illius Diœceſis fieri debet, in qua inſtituitur confeſſio ; ita ut Epiſcopus ſit Ordinarius confeſſarii vel ſtabiliter, ſi hic in ea Diœceſi ſtabile habeat domicilium, vel tranſeunter, ſi tantùm ad breve tempus ibidem moretur. Ita declaravit S. Congregatio apud *Jord. cit.* Approbatus ab alio Epiſcopo quàm ab Epiſcopo Valentino in Diœceſi valentina non cenſetur approbatus. Item apud Pittoni. *n.* 105. Confeſſarii extraordinarii ab Epiſcopo approbati, ſive ſint Regulares ſive Sæculares, nullo pacto poſſunt confeſſiones audire extra Diœceſin Epiſcopi approbantis, quamvis confitentes eidem Epiſcopo ſint ſubjecti. Item *n.* 152. Confeſſarii quamvis Romæ approbati etiam Regulares non poſſunt audire confeſſiones extra territorium approbantis. Ex quo ſequitur illud, quod declaravit Clemens X. in conſtitutione, quæ incipit : *Superna Patrisfamilias.* Regulares ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbati, non poſſunt eas in alia Diœceſi abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ejus Epiſcopi ſint, à quo ipſi Religioſi approbati fuerunt. Damnata eſt ab Alexand.

xand. VII. hæc propositio : *Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Diœcesi habentur approbati in aliis, nec nova indigent Episcoporum approbatione.* Habent quidem Patres Societat. JESU Privilegium Gregorii XIII. ut refertur in *Compendio Privilegiorum Verb. confessarius.* §. 2. Vi cujus confessarii ab aliquo Ordinario semel approbati, & à Superioribus suis ad hujusmodi munus semel deputati, quandocunque sive mari sive terrâ iter faciunt, possunt quorumcunque Christi fidelium confessiones audire ; attamen cum expressa limitatione : dummodo id non faciant in oppidis vel locis, in quibus Ordinarii existunt, nisi eorum licentiâ desuper obtentâ. Et Innocentius X. in causa Episcopi populi Angelorum in Indiis & Societat. JESU declaravit, Religiosos Societat. JESU non posse in Civitate & Diœcesi Anglopolitana personarum sæcularium confessiones excipere sine approbatione Episcopi Diœcesani. Et S. Congregatio in eadem causa congregata definivit, Regularem Societat. JESU in una Diœcesi ab Episcopo approbatum ad confessiones personarum sæcularium audiendas, nequaquam posse In alia Diœcesi hujusmodi confessiones audire sinè Episcopi Diœcesani approbatione.

4*tò*. Habens beneficium Curatum non solùm suorum subditorum confessiones excipere potest, ubicunque illi inveniantur, de quo quæstione sequenti, sed etiam eo ipso est approbatus, ut eidem Jurisdictio alios absolvendi committi possit, secundùm has tamen limitationes.

1*ma*. Parochus approbatus per concursum censetur idoneus ad audiendas confessiones etiam extra suam Parochiam, sed in ea tantùm civitate vel loco, ubi sita est Parochialis Ecclesia, non autem passim per Diœcesin. Congregatio Episcoporum apud Pettoni. *tract.* 1. *n.* 36.

2*da*. Parochus unius Diœcesis non potest audire confessiones in alia Diœcesi sine licentia Episcopi Diœcesani. Congregatio apud Pittoni. *n.* 122.

3*tia*. Parochus non est ampliùs approbatus, postquam beneficium Parochiale dimisit, nisi sit approbatus per examen.

5*tò*. Qui confessarium eligendi Privilegium habent, juxta *cap. fin. de Pœnit. & Remiss.* de quo quæst. seq. non alium, quam approbatum in illa Diœcesi, in qua confitentur, eligere possunt. Prima pars constat ex propositione damnata ab Alexand. VII. *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Secunda pars constat ex declarationibus sequentibus : Episcopus extra suam Diœcesin existens non potest sibi in confessarium eligere Sacerdotem non subditum, & à proprio Ordinario non approbatum declaravit Gregor. XIII. apud Pittoni. *tract.* 1. *n.* 30. Episcopus extra suam Diœcesin existens confiteri nequit, etiam Regulari à loci sui Ordinario non approbato, *Congregatio Episcoporum apud Pitton. num.* 104.

6*tò*. Ad audiendas confessiones virorum Regularium non requiritur approbatio Episcopi ; quia Tridentinum

epprobationem pro excipiendis confessionibus sæcularium solùm requirit, cui addit Clemens X. in constitutione, *superna Patrisfamilias.* In Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularum instituta vivitur, possunt tam Prælati Regulares, quam Confessores Regularium eorundem Monasteriorum vel Collegiorum audire confessiones eorum sæcularium, qui inibi sunt verè de familia & continui commensales: non tamen illorum, qui tantùm ipsis deserviunt.

7timò. Confessor sive Regularis sive sæcularis, quomodolibet exemptus, tam Ordinarius quàm extraordinarius ad confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari valent; nisi prius ab Episcopo Diœcesano idoneus judicetur, & approbationem quæ gratis concedenda, obtineant. Gregor. XV. in constitutione: *inscrutabili.* Quod magis declaravit Clemens X. in constitutione: *Superna Patrisfamilias.* Religiosus generaliter approbatus ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones excipiendas non censetur approbatus ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum: sed eget quoad hoc speciali Episcopi approbatione. Item approbatus pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii non potest audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Item confessor extra-ordinarius semel deputatus atque approbatus ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, non potest expletâ deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire: sed toties est approbandus ab Episcopo, quoties casus contigerit. Hæcce cum tanto rigore in nostris partibus non esse recepta constat ex praxi quotidiana.

8vò. Episcopus tam sæcularium quàm Regularium approbationes certis limitibus circumscribere, & ad certa loca, personas, & tempora restringere potest; constat ex propositione ab Alexand. VII. damnata: *Non possunt Episcopi limitare seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.*

9nò. Episcopus singulos Sacerdotes simpliciter & absolutè à se approbatos ab audiendis confessionibus emergente novâ causâ ad confessiones pertinente suspendere, ac etiam singulos Confessarios à suo Vicario Generali aut ab Antecessore approbatos ad novum examen vocare potest. Clemens X. in cit. constitut. *Superna Patrisfamilias.*

10mò. Regulares, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinariis eorúmque Examinatoribus reperti & probati fuerint, generaliter & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, locorum, aut generis personarum sunt admittendi in Diœcesi propria: in cæteris verò, qui non adeo idonei inveniuntur (si petierint se admitti) arbitrio Ordinarii relinquitur ipsos cum limitata facultate admittendi. *Clemens cit.*

11mò. Juxta decretum Innocentii XI. circa communionem quotidianam Anno 1679. editum, non est permittendum, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordi-

Ordinario. Si confessarii, etiam Regulares, aut quicunque alii secus egerint: sciant Deo ter Opt. Max. se reddituros esse rationem; neque defuturam Episcoporum & Ordinariorum justam & rigorosam animadversionem in contra facientes etiam Regulares, etiam Societatis JESU, facultate ipsis Episcopis & Ordinariis per hoc Decretum à Sede Apostolica specialiter attributâ.

Quæres *quartò*. Qualis requiritur in Confessario Jurisdictio?

R. *1mò*. Materia & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos tantùm feratur. *Trident. Sess.* 14. *cap.* 7. Sacramentum autem pœnitentiæ administratur per modum judicii. Hinc in Judice fori pœnitentialis jurisdictio sive potestas in pœnitentem tanquam subditum requiritur; cum à non suo Judice nullus ligari & absolvi valeat. *cap. quod autem.* 4. *de Pœnit. & Remiss. cap. etsi Clerici.* 4. *de Judiciis.*

2dò. Jurisdictio fori pœnitentialis duplex est: Ordinaria & delegata. Ut colligitur *ex cap. Omnis utriusque sexûs.* 12. *de Pœnit. & Remiss.* Ubi præcipitur, ut confessio fiat proprio Sacerdoti: qualis est respectu omnium fidelium Papa, respectu Diœcesanorum Episcopus, respectu parochianorum Parochus. Si quis autem alieno Sacerdoti justa de causa voluerit sua confiteri peccata; licentiam prius postulet & obtineat à proprio Sacerdote: cum aliter ille ipsum non possit absolvere vel ligare. Alienus Sacerdos, qui de licentia proprii Sacerdotis absolvit, Jurisdictionem habet delegatam.

3tiò. Omnis Sacerdos ex Ecclesiæ benignitate & generali consuetudine in tribus casibus fideles Sacramentaliter absolvendi jurisdictionem habet. *1mus*. Si confiteantur solùm venialia: *2dus*. Si fiat confessio mortalium quidem, sed à quibus jam semel legitimè & directè sunt absoluti: *3tius*. Instante articulo mortis ex infirmitate aut vi aliqua externa moraliter certò vel saltem probabiliter secuturæ. *Arg. cap. eos qui.* 22. *de Sententia excommunic. in* 6. Notanda tamen notabilis hujus limitatio.

4tò. Sacerdos excommunicatus vitandus, sive denuntiatus non habet in his tribus casibus jurisdictionem absolvendi. Quod in duobus primis omnes admittunt; cum per excommunicationem majorem denuntiatam excommunicatus careat usu jurisdictionis actualis. *Arg. cap. ad probandum.* 24. *de Sentent. & re judicata. & cap.* 1. *de offic. Vicar. in* 6. Quoad articulum mortis imprimis ab omnibus passim admittitur, quod præsente proprio, aut privilegiato, vel non excommunicato simplici Sacerdote, excommunicatus Sacerdos moribundum absolvere non possit; quia Ecclesia in necessitate concedens cuicunque Sacerdoti jurisdictionem, subvenire vult necessitati fidelium: is autem moribundus, qui vel proprium, vel delegatum, aut non censuratum Sacerdotem præsentem habet, non est in necessitate. nec caret remedio salutis. Gravior est difficultas; si in periculo mortis non adsit alius Sacerdos, quàm excommunicatus denuntiatus: an ille in hoc casu necessitatis absolvendi jurisdictionem habeat? Fagna-

Fagnano *in cap. non est vobis. de Sponsal.* contra communem sententiam respondet Negativè. Pro qua resolutione adfert responsionem S. Congregationis, quæ consulta ab Episcopo Valentino: utrum pœnitentes in articulo mortis constitutos à casibus reservatis absolvere possit quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus & denuntiatus?

Respondit non posse. Textum Tridentini *Sess. 14. cap. 7.* contrarium: *Piè admodum, ne aliquis pereat in Ecclesiâ DEI, custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ita omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis & censuris absolvere possunt.* Declarat S. Congregatio intelligendum esse de omnibus Sacerdotibus in unitate Ecclesiæ viventibus, & referendum ad eos Sacerdotes, de quibus eodem *cap. 7.* in prima & secunda parte agitur, videlicet, qui habent vel ordinariam, vel delegatam potestatem.

5tò. Potestas absolvendi vel jurisdictio delegata tribus potissimum modis confertur. 1*mus* modus est Juris dispositio. Ita cuivis Sacerdoti, saltem non excommunicato vitando, ex dispositione Juris potestas absolvendi in tribus casibus supra enumeratis committitur. Item Sacerdoti electo ab habentibus confessarium eligendi privilegium, per *cap. final. de Pœnit. & Remiss.* facultas absolvendi eligentem tribuitur. De quo quæst. sequenti. 2*dus* modus est commissio hominis sive expressa sive tacita illius, qui jurisdictionem ordinariam habet. Dicitur commissio tacita, hoc est: per factum aliquod, vel aliud signum de præsenti manifestata: quia non sufficit commissio præsumpta: eo quod si superior adesset, licentiam certò daret; quia absolutio dari ab eo debet, qui de præsenti, dum absolvit, vel ordinariam vel delegatam obtinet jurisdictionem: & absolutio absque actuali jurisdictione nulla est, nec secutâ ratihabitione Superioris convalescit, juxta regulam Jur. 18. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. De Reg. Juris. in 6.* Tertius modus est Privilegium: quale habent Religiosi. De qno

6tò. Summum Pontificem potuisse Religiosis dare per Privilegium potestatem absolvendi fideles à peccatis, etiam invitis propriis Pastoribus, constat ex propositionibus Joannis à Poliaco, *in Extrav. Vas electionis. 2. inter com. de hæreticis.* damnatis. 1*ma*: *Confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti.* 2da: *Stante edicto Generali: omnis utriusque sexûs. in Concil. Lateran. Romanus Pontifex non potest facere, quod Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, qui est Parochialis curatus; imò nec* DEUS *posset hoc facere: quia implicat contradictionem.* 3tia: *Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessiones; imò nec* DEUS, *quin confessus habenti licentiam, teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti, qui est proprius curatus.*

De facto Religiosos mendicantes, & cum iis in Privilegiis communicantes habere jurisdictionem delegatam à Papa per

per Clemeut. dudum. de sepult. fatetur *gloss. in cap. 2. de pœnit. & remiss. in 6.* Et colligitur ex *Extrav. Vices illius 2. de treug. & pace.* Ubi inhibetur quidem Mendicantibus prædicare: quòd Parochiani non sint obligati, saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti: quia de jure tenetur parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti: additur tamen, quòd per hoc ipsi Fratres Mendicantes non censeantur excluſi, quominus secundùm Juris communis & privilegiorum iisdem concessorum dispositionem confessiones audire & pœnitentias injungere valeant. Magis hæc constant ex Declarationibus S. Congregationis sequentibus apud Pittoni *tom. 1. num. 226.* Regulares semel simpliciter approbati possunt in Diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam paschali, & quorumcunque infirmorum confessiones audire sine licentia Parochi, quem tamen monere debent de confessione, saltem per scripturam apud infirmum relinquendam. Et *n. 217.* Qui Regularibus simpliciter approbatis paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, quæ incipit: *Omnis utriusque sexûs* quoad confessionem duntaxat satisfeciſſe censeantur. Item S. Congregatio apud Fagn. in *cap. Omnis. de pœnit. & remiss. n. 27.* Regulares intra diœcesin Episcopi approbantis possunt etiam absolvere pœnitentem alterius diœcesis, cùm habeant jurisdictionem à Papa, ex *Clement. dudum. de sepult.* Ante Tridentinum unicum erat impedimentum in simplici Sacerdote, ne confessiones extra necessitatem excipere posset; quia nemo alieno Sacerdoti sine proprii Sacerdotis licentia confiteri poterat, patet ex *cap. Omnis. 12. de pœnit. & remiss.* Hoc impedimentum sublatum erat in Regularibus per privilegium Apostolicum: Tridentinum superaddit alterum impedimentum: ut nullus jurisdictionis delegatæ capax sit, sive ut nullus de licentia proprii Sacerdotis, qualis est per totam Ecclesiam Papa, per diœcesin Episcopus, per Parochiam Parochus, confessiones audire valeat; nisi à proprio Episcopo loci illius, in quo confessio audienda, approbatus sit. Et quantùm ad hoc impedimentum Tridentinum privilegiis Regularium derogasse fatendum est.

7*timò*. Parochi alienorum Parochianorum confessiones excipere non possunt, etiam in propria parochia; nisi vel sint peregrini & itinerantes, vel expressam aut tacitam à proprio Parocho licentiam habentes. Ratio est: quamvis enim in Parocho eo ipso, quod parochiale beneficium obtineat, impedimento Tridentini, ne confessio non approbato fiat, sublatum sit: impedimentum tamen juris communis nondum sublatum est; cùm nec à Parocho jurisdictio ordinaria in alienum parochianum, nec delegata per proprii Sacerdotis licentiam habeatur.

8*vò*. Multò minus Presbyter sæcularis in illa diœcesi, in qua est approbatus, confluentium ex aliena diœcesi confessiones excipere potest; cùm enim jurisdictio, quam talis Presbyter habere censetur, ab Episcopo, qui eum

approbavit, sit delegata, non extenditur ad eos, qui Episcopo deleganti non subsunt : ac propterea nulla est absolutionis sententia, quam is Sacerdos profert in eum, in quem nec ordinariam nec delegatam jurisdictionem habere dignoscitur. Fagn. *in cap. fin. de pœnitent. & remiss.* ex declaratione S. Congregationis. Parochus potest suos parochianos, ad quos respectivè jurisdictionem habet, in quocunque loco, quacunque diœcesi totius orbis absolvere. Ratio est : quia actus absolutionis sacramentalis jurisdictionis voluntariæ actus est : Jurisdictio autem voluntaria circa proprium subditum in territorio alieno juxta universalem regulam glossæ *in cap. novit. 7. de officio legati.* exerceri potest.

9nò. Sacerdos sive regularis sive sæcularis, si non sit proprius Parochus, extra diœcesin, in qua approbatus est, confessiones etiam subditorum Episcopi approbantis audire nequit. Ratio est ; quia jurisdictio delegata, quam Regularis à summo Pontifice, Sacerdos sæcularis ab Episcopo approbante habet, finibus diœcesis, in qua approbatus est, circumscribitur. Ut sæpius declaravit S. Congregatio apud Fagn. *in cit. cap. fin. de pœnitent. & remiss.*

Quæres *septimò*. Qualiter per privilegium eligendi sibi confessarium habeatur Jurisdictio ?

R. *primò*. Tale privilegium conceditur in *cap. ne pro dilatione. fin. de pœnit. & remiss.* Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis & aliis Superioribus, nec non minoribus seu inferioribus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam providum & discretum sibi possint eligere confessorem.

2dò. Per illa verba : *Et aliis Superioribus* : intelligi quoque Parochos probat Fagnan. in *cit, cap. fin. Primò* ; quia beneficium Principis est latè interpretandum, *cap. olim de V. S.* 2dò. quia Parochi sunt Superiores ; cùm in *cap. Tuanos.* 4. *de Cleric. ægrot.* dicantur fungi prælationis officio : & *S. Thom.* 2. 2. *q.* 188. *a.* 4. vocat eos Prælatos inferiores : & 3. *p. q.* 6. *a.* 2. *ad* 2. Ecclesiarum minores Principes. 3tiò. Ratio, quare Episcopis aliisque Superioribus facultas detur eligendi confessarium, est : quia illis frequens celebratio, & quotidiana administratio Sacramentorum incumbit : ideoque in magno versarentur salutis periculo ; nisi facultatem eligendi confessarium haberent. Quæ ratio pariformiter in Parochis tenere videtur.

3tiò, Qui confessarium eligendi potestate gaudent, non alium, quàm ab Episcopo approbatum eligere possunt. Ratio est : quia de facto duo impediunt, quominus simplex Sacerdos confessiones excipere valeat. 1. quidem defectus jurisdictionis in pœnitentem, qui ex parte hujus per privilegium eligendi confessarium suppletur : deinde defectus approbationis, ob quem Sacerdos per privilegium, quo pœnitens gaudet, suscipiendi jurisdictionem incapax est.

4tò. Episcopus Sacerdotem sibi subditum, quamvis aliàs à se non approbatum eligere potest ; quia hoc ipso, quòd

quòd talem eligat, approbare censetur. Taliter autem electus Sacerdos Episcopi subditus eandem, quam Episcopus in subditos suos habet, in ipsum Episcopum habet potestatem: ideoque ipsum ubique terrarum absolvere potest, Fagn. in *cit. cap. fin. de pœnit. & remiss. n.* 15.

5tò. Episcopus Sacerdotem extraneum alterius diœcesis in aliena diœcesi, sed nonnisi approbatum ab Ordinario illius diœcesis, vel habentem in illa beneficium parochiale eligere potest.

6tò Confessarius extraneus in diœcesi aliena approbatus taliter ab Episcopo v g itinerante electus, per ipsam electionem quasi ordinariam à lege accipit jurisdictionem. Unde & Episcopi eligentis proprius & ordinarius Sacerdos esse censetur: ac proinde adinstar Parochi confessiones Episcopi tanquam suæ ordinariæ jurisdictioni subjecti in quacunque diœcesi habet audiendi facultatem Fagn *loc. cit. n.* 30.

7timò. Regularis tempore Jubilæi potest quidem eligere confessorem extraneum à suo Prælato non approbatum; attamen confessarius iste ab Ordinario illius loci, in quo confessionem excipit, approbatus esse debet, ut declaravit S Congregatio apud *cit. Fagn. n.* 19

8vò. Si Episcopus subdito suo potestatem eligendi sibi idoneum confessarium concesserit, electus ab illo in casibus Episcopo specialiter reservatis nullam penitus habet absolvendi potestatem, *cap. si Episcopus. 2. de pœnit. & remiss. in 6. Cùm in generali concessione illa non veniant, quæ non esset verisimiliter quis in specie concessurus.*

9nò. Nullâ potest consuetudine introduci; quòd aliquis præter sui Superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare: est expressus textus in *cit. cap. 2. de pœnit. & remiss.*

Quæres 8vò. Qualiter jurisdictio confessariorum per reservationem casuum restringatur?

℟. 1mò. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. docet: Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibuslibet, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde meritò Pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique diœcesi in ædificationem tamen, non in destructionem liceat. Ulteriores reservationum rationes dant Theologi sequentes: 1. Ut peccatorum reservatorum gravitas magis innotescat, dum quilibet ab illis absolvere nequit 2. Ut peccatis reservatis proportionata imponatur satisfactio. 3. Ut homines magis ab illis deterreantur tam ob cognitam eorum gravitatem, quàm ad vitandam Ecclesiasticam disciplinam.

℟. 2dò. Generales ad alicujus peccati reservationem conditiones requisitæ sunt: 1. debet esse peccatum mortale: quia licèt Ecclesia venialia absolutè re-

ſervare poſſit ; cùm juriſdictionem ad abſolvendum à venialibus ſicut dare, ita & aufferre & limitare valeat; de facto tamen nonniſi graviora & atrociora crimina, juxta textum *Tridentini* reſervantur. 2. Debet eſſe opus externum: in præſenti enim nulla merè interna peccata reſervantur ; ſed Eccleſia per reſervationem peccata perceptibilia ſolùm punire intendit : ita ut ſi quis faceret opus externum ad peccatum mortale ſecundùm ſe non ſufficiens, caſum reſervatum non incurreret. Pro exemplo ſit caſus reſervatus furtum in Eccleſia : Titius, qui furatus eſt rem levem ex Eccleſia ; quamvis aufferendi pretioſiora, ſi occaſio tuliſſet, animum habuerit ; peccavit peccato gravi ſacrilegii, non tamen caſum reſervatum incurrit. 3*tia*. Debet eſſe peccatum conſummatum. Quia, cùm reſervatio ſit odioſa, juxta proprietatem verborum ad actum perfectum reſtringenda eſt ; niſi verba reſervantis etiam operis attentationem exprimant. 4. Debet eſſe peccatum certum. Ideo peccata dubia, ut, quando dubitatur, an peccatum ſit commiſſum, vel quamvis ſciatur commiſſum , ſi dubitetur, an ſemel legitimè ſit clavibus ſubjectum , de facto ſub ſimplici & ordinaria reſervatione non comprehenditur. 5. Demum tot ſunt caſus reſervati ſummo Pontifici , quot illi cenſuræ reſervantur : quia de facto Papa ſibi peccata propter cenſuras annexas reſervat : ideo ſi Papa per privilegium abſolvendi à cenſuris ſibi reſervatis facultatem alicui concedat, etiam abſolvendi à caſibus ſibi reſervatis facultatem concedere cenſetur; & quandocunque propter ignorantiam cenſuræ annexæ, vel ex alia cauſa, non incurritur excommunicatio Pontifici reſervata , peccatum, cui excommunicatio annexa eſt, voluntariè committens caſum reſervatum non incurrit. Exemplum eſt : In Germania, ubi Hæretici mixti Catholicis : Aliquis non ſciens ſub excommunicatione prohibitum legere libros hæreticos ; quamvis id ſæpius illicitum eſſe audierit, ſi legat librum hæreticum, peccat quidem; quia tamen propter contumaciam & inobedientiam contra Eccleſiam excommunicationem non incurrit , non habet caſum ſummo Pontifici reſervatum.

3*tiò*. Per Bullam Cœnæ quotannis in Cœna Domini Romæ promulgari ſolitam excommunicantur excommunicatione majori ſummo Pontifici reſervatâ , & conſequenter caſum reſervatum incurrunt ſequentes : 1. Hæretici cujuſcunque ſectæ , eorundem fautores, libros hæreticos legentes , tenentes, imprimentes , & Schiſmatici. 2. Appellantes à Summo Pontifice ad futurum Concilium , eorûmque fautores. 3. Piratæ ac eorum fautores & receptores. 4. Naufragorum Chriſtianorum cujuſcunque generis bona etiam in littoribus inventa ſurripientes. 5 Imponentes nova pedagia & gabellas, vel eas augentes. 6. Falſarii Literarum Apoſtolicarum. 7. Deferentes arma & alia uſui bellico idonea ad Turcas vel alios Chriſtiani nominis inimicos, & proditores , qui ad Reipublicæ Chriſtianæ ſtatum pertinentia iisdem in

dam-

damnum Christianorum nuntiant. 8. Impedientes eos, qui victualia & alia necessaria Romam convehunt. 9. Qui ad Sedem Apostolicam venientes vel ab ea recedentes suâ vel aliorum operâ lædunt, & sine jurisdictione in Curia commorantes vexant. 10. Lædentes Romipetas, sive peregrinos ad Urbem devotionis causâ accedentes, vel ad hoc consilium, auxilium, & favorem dantes. 11. Offendentes S. R. E. Cardinales aliosve Prælatos. 12. Appellantes à gravamine vel futura executione literarum Apostolicarum ad Laicam potestatem. 13. Executionem literarum Apostolicarum impedientes, aut prohibentes eos, qui ad gratiam impetrandam Curiam Romanam accedunt. 14. Judices sæculares, qui Ecclesiasticas personas ad sua tribunalia trahunt, vel Ecclesiasticam libertatem tollunt, vel in aliquo lædunt, aut perturbant. 15. Impedientes Prælatos Ecclesiasticos ne suâ Jurisdictione utantur. Item qui judicia Ecclesiastica eludentes ad Curias sæculares recurrunt. 16. Qui jurisdictiones, fructus, reditus, & proventus ad Ecclesias vel personas ecclesiasticas ratione Ecclesiarum pertinentes usurpant, vel sequestrant. 17. Imponentes decimas & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, aut eorum fructibus. 18. Judices sæculares, qui se interponunt in causis capitalibus seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas. 19. Demum occupantes bona aut terras Ecclesiæ Romanæ, vel illius jurisdictionem usurpantes.

4tò. Præter casus in Bulla Cœnæ recensitos multi casus Summo Pontifici reservati sunt, quorum alii in corpore Juris, alii in Extravv. Juri insertis, alii in constitutionibus Apostolicis nondum in jus communè relatis continentur. Specialiter per declarationem S. Congregationis assentiente Clement. VIII. Anno 1602. 26. 9bris ablatâ potestate absolvendi in Italia omnibus Regularibus reservati sunt præter casus Bullæ Cœnæ sequentes: 1. Violatio immunitatis Ecclesiasticæ in terminis constitutionis Gregorii XIV. quæ incipit: *Cum aliàs nonnulli.* 2. Violatio clausuræ Monialium ad finem malum. 3. Provocatio & pugna in duello contra prohibitionem *Tridentin.* & constitutionem Greg. XIII. 4. Injectio violenta manuum in Clericum. *Can. si quis suadente. caus.* 12. *q.* 4. 5. Simonia realis scienter contracta, aut etiam confidentialis in beneficiis.

5tò. Casus Episcopis reservati alii sunt de jure, alii de consuetudine. *Extrav. inter cunctas, de Privileg.* Aliquos autem de facto sibi reservant, qui hodie casus Episcopales vel casus Episcopo reservati vocantur. De quibus S. Congregatio sub Clemente VIII. supra relata, Ne locorum Ordinarii, ad quos casuum reservatio spectat, ea in re modum excedant: Sacra Congregatio imprimis illos admonendos censet, ne passim, sed cum id videatur bono communi expedire, atrociorum tantùm & graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad Christianam disciplinam retinendam conferat, in ædificationem, non autem in destructionem cedat: ne alioquin Sacramenti

Pœnitentiæ Miniſtrorum coarctatâ poteſtate ſanctæ Matris Eccleſiæ piæ mentis contrarius effectus ſubſequatur. Deinde prohibet, ne ſibi ſuperfluè reſervent caſus in Bulla die Cœnæ Domini legi ſolita contentos, neque alios Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſervatos. Juxta agendam Colonienſem Archi-Epiſcopo Colonienſi reſervati ſunt caſus ſequentes : 1. Homicidium. 2. Sacrilegium. 3. Incendium Eccleſiæ deliberatâ voluntate procuratum. 4. Sodomia. 5. Adulterium manifeſtum. 6. Raptus Virginum. 7. Inceſtus cum conſanguinea in 1mo vel ſecundo Gradu, vel Sanctimoniali. 8. Injectio violenta manuum in parentes cum læſione. 9. Sortilegia & veneficia, & ligaturæ, & omne maleficium, quo impeditur actus matrimonialis in conjugibus. 10. Perjurium manifeſtum. 11. Apoſtaſia à fide. 12. Blaſphemiæ magnæ ſeriò prolatæ. In quibus caſibus hæc moderatio obſervanda, ut ſi occulti ſint, quilibet Sacerdos legitimè approbatus & inſtitutus in foro conſcientiæ abſolvere poſſit.

6tò. Ex conſtitutione Clement. VIII. de caſibus reſervatis Superiores Regularium ſibi reſervare poſſunt caſus ſequentes : 1. Veneficia, Sortilegia, incantationes. 2. Apoſtaſia à Religione ſive dimiſſo ſive retento habitu, quando eò pervenitur, ut extra ſepta Monaſterii vel Conventûs fiat egreſſio. 3. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. 4. Juramentum falſum in judicio regulari ſive legitimo. 5. Procuratio, auxilium, ſive conſilium ad faciendum abortum fœtûs animati, effectu etiam non ſæcuto. 6. Falſificatio manûs aut Sigilli Officialium Monaſterii aut Conventûs. 7. Furtum de rebus Monaſterii ſeu Conventûs in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale. 8. Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus, quo nomine non ſola copula, ſed voluntariæ etiam & ſolitariæ pollutiones juxta communem ſententiam intelliguntur. 9. Occiſio ſeu vulneratio, aut gravis cujuſcunque perſonæ percuſſio. 10. Malitioſum impedimentum ſeu retardatio aut apertio literarum à Superiori ad inferiores, vel ab inferiori ad Superiores. Si quid aliud pro religionis conſervatione aut conſcientiæ puritate ſuperioribus reſervandum videbitur, id non niſi ex declaratione & conſenſu Capituli Generalis pro toto Ordine, aut Provincialis pro Provincia fieri permittitur. Poſſunt tamen Prælati Confeſſariis injungere, ut pro quibuſdam peccatis etiam non reſervatis certas pœnitentias imponant.

7timò. Generalis circa abſolutionem à reſervatis regula eſt : quod ordinariam abſolvendi poteſtatem habeat reſervans, ejus Superior & Succeſſor : delegatam autem quilibet ex commiſſione & delegatione judicis reſervantis.

8vò. Circa caſus Pontifici reſervatos abſolvendi ab eis poteſtatem Epiſcopi obtinent in circumſtantiis ſequentibus : 1. Si peccatum occultum, per *Trident. Seſſ. 24. cap. 6.* ibi : Licet Epiſcopis in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad

forum contentiosum dispensare : & in quibuscunque casibus occultis , etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ salutari. Idem & in hæresis crimine, in eodem foro conscientiæ, eis tantùm, non eorum Vicariis, sit permissum. Hoc Decretum Tridentini ad casus in Bulla Cœnæ contentos non extenditur , nec ab illis vigore hujus Decreti Episcopus absolvere potest. Declaratum est à Gregorio XIV. & Clemente VIII. Item S. Congregatio apud Piacesium *in praxi Episcop. Par. 2. cap. 1. n. 4.* interrogata : An Episcopus hodie ex *cap. 6. Sess. 24.* Lapsos in hæresin , non obstante Bulla Cœnæ Domini absolvere possit ? censuit illam Bullam derogare Decreto capitis. *6. Sess. 24.* 2. Si quis legitimo impedimento detentus ad Sedem Apostolicam vel ejus Legatum accedere non possit. *cap. de cætero. cap. quamvis. cap. quod de his. cap. ea noscitur. de Sentent. excomm.* Causæ legitimè impedientes numerantur : paupertas, valetudo imbecillis, perpetua infirmitas, conditio sexûs muliebris, status servilis, impuberis, Rellgiosi. *cap. mulieres. 6. cap. cum illorum, 32. de Sentent. excomm.* 3. Demum à percussione levi Clerici absolvere potest Episcopus : *cap. pervenit. 17. de Sentent. excomm.* Quæ levitas ex qualitate personæ percussæ , percutientis , modo & loco percussionis, sive ex circumstantiis facti ponderanda est. Habens ab Episcopo generalem à casibus reservatis absolvendi licentiam ab his casibus absolvere nequit : quia, nisi aliter exprimatur , censetur tantùm concessa potestas circa peccata ab Episcopo per potestatem ordinariam reservata.

9nò. Ex pluribus Privilegiis, & signanter ex Privilegio Pauli III. ut refertur in compendio Privilegiorum Societ. JESU. *Verb. absolutio.* Possunt P. P. Societat. JESU & regulares cum illis in Privilegiis communicantes ab Ordinariis approbati, & à Superioribus Deputati absolvere à quibuscunque peccatis etiam Sedi Apostolicæ reservatis , & à quibuscunque censuris & pœnis Ecclesiasticis ex his resultantibus. Hæc & similia Privilegia Regularium limitata sunt per sequentia : Imprimis S. Congregatio , approbante Summo Pontifice, Anno 1628. declaravit : Regulares cujuscunque Ordinis & instituti , nec intra nec extra Italiam , in vim Privilegiorum vel confirmationum , quas hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, posse quenquam absolvere à casibus in Bulla Cœnæ aut Ordinario loci reservatis : ab aliis verò casibus & censuris Sedi Apostolicæ reservatis , si quidem Regulares habeant à Sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè esse sublatam.

Deinde Clemens X. in constitutione, quæ incipit : *Magna Patrisfamilias.* Declaravit ex facultatibus per mare magnum aliáve Privilegia Regularibus cujuscunque Ordinis , instituti , aut Societatis etiam JESU concessis , factam iis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo reservatis ; & per confirma-

firmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse Privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam decretis sublata atque extincta, si quæ habebant, absolvendi à casibus Episcopo reservatis. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo à casibus Episcopo reservatis posse absolvere: posse autem Regularem confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, in qua idem confessor approbatus est, absolvere; nisi eosdem pœnitentes in fraudem reservationis noverit ad alienam Diœcesin pro absolutione obtinenda exiisse.

10*mò*. Quando confessarius habet pœnitentem cum casu manifestè reservato, à quo eundem nec Jure ordinario nec delegato absolvere potest, eum vel ad superiorem remittere, vel ipse à superiore absolvendi facultatem petere debet. Constat ex illo *Trident. Sess.* 14. *cap.* 7. Cum Sacerdotes nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant. Et ratio est: quia ad integritatem confessionis pertinet, ut de omnibus mortalibus fiat coram legitimo Judice accusatio: qualis ille tantùm est, qui de integra causa cognoscendi habet potestatem, ut absolutio ab eodem legitimè obtineri possit.

11*mò*. Si aliqua necessitàs urgeat, ut si Sacerdos sacrificare, aut Laicus communicare debeat, & non sit facilis ad superiorem accessus, confessarius non habens potestatem in reservata pœnitentem absolvere potest: ita ut absolutio directè cadat in non reservata, indirectè verò in reservata, imposito simul pœnitenti onere superiori se præsentandi, ut à reservatis quoque directè absolvatur; nisi ipse confessarius absolvendi licentiam, personâ pœnitentis non nominatâ, à superiore impetrare malit.

12*mò*. Si Episcopus facultatem absolvendi à reservatis concedat; ex hoc facultatem absolvendi à censuris, aut dispensandi in votis, vel irregularitate dare non censetur. *cap. si Episcopus. de Pœnit. & Remiss. in 6.* Et quamvis dicat: Committimus tibi vices nostras: potestatem absolvendi in casibus specialiter reservatis tribuere non dicitur. *per cap. in Generali. de reg. Juris. in 6.* Aliud est in Papa: qui eo ipso quo dat potestatem absolvendi à reservatis, etiam facultatem absolvendi à censura, cùm censura casui Papali semper annexa sit, concedere dicendus est.

13*tiò*. In probabili mortis articulo omnis Sacerdos etiam non approbatus, nec expositus in absentia Sacerdotis ordinariam vel delegatam jurisdictionem habentis à quibuscunque reservatis Papæ vel Episcopo, & non tantùm à peccatis; sed etiam censuris, quæ Sacramentorum susceptioni & Ecclesiasticæ sepulturæ obstant, ut excommunicatio, interdictum locale &c. absolvendi habet potestatem. In articulo mortis

abso-

absolutus cessante periculo non est obligatus, ut se Superiori, cui jure Ordinario absolutio à talibus peccatis reservata est, coram sistat: quia juxta declarationem Trident. in morte nulla est reservatio. Si tamen peccato annexa censura superiori reservata; tunc absolutus, cessante mortis periculo, superiori, ad quem de Jure Ordinario pertinet absolutio, se sistat, necessè est: non quidem, ut iterum absolvatur: sed ut mandato ejus, cui contumaciter restitit, humiliter obtemperet.

14tò. Quicunque Confessarius sive Regularis sive sæcularis præsumit absolvere absque legitima facultate ab aliquo casu in Bulla Cœnæ Domini contento, ipso facto excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrit.

Quæres *nonò*. Quas qualitates confessarius habere debet?

℟. In confessario requiritur 1. *Scientia.* Caveat spiritualis Judex, ut non careat munere scientiæ: oportet enim, ut sciat cognoscere, quidquid debet judicare. Judiciaria enim potestas hoc expostulat, ut, quod debet judicare, discernat. *Can. qui vult.* 1. *de Pœnit. dist.* 6. Quare qui confiteri vult peccata, ut inveniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare & solvere: ne, cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet, & petit, ne ambo in foveam cadant, quam stultus evitare noluit. *Can. quem pœnitet.* 88. *de Pœnit. dist.* 1. 2. *Probitas.* Sacerdos, cui offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit judicandus, quæ in alio judicare est promptus. Judicans enim alium, qui est judicandus, condemnat se ipsum. *cit. Can. qui vult.* 3. *Prudentia.* Sit confessarius diligens Inquisitor, & subtilis investigator, sapienter & quasi astutè interroget à peccatore, quod forsitan ignorat, vel verecundiâ velit occultare. *cit. Can. qui vult.* 4. Demum *benignitas, & discretio.* Adsit benevolus, paratus erigere, & secum onus portare: Habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in vatietate: adjuvet confitentem orando, eleëmosynas dando, & cætera bona pro eo faciendo: semper eum juvet leniendo, consolando, spem promittendo, & cum opus fuerit, etiam increpando. *cit. Can. qui vult.*

Quæres *decimò*. Quanta obligatio Confessarii ad Sigillum?

℟. Obligatur confessarius ex jure naturali & divino peccata in confessione audita reticere. Sic enim loquitur *Can. Sacerdos.* 2 *de Pœnit. dist.* 6. Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur, peccata alicui recitet: non propinquis, non extraneis, neque, quod absit, pro aliquo scandalo. *Cap. omnis utriusque.* 12. *de Pœnit. & Remiss.* Caveat omninò, ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione cautè requirat. Nunquam igitur est revelanda confessio, nisi de consensu pœnitentis. *Gloss. in cit. Can. Sacerdos.* Quia illud, quod scit Sacerdos ex confessione, non ut Judex vel ut homo scit, sed ut Deus. *Cap. si Sacerdos.* 2. *de offic. Or-*

dinar. Et qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare ; non solùm à Sacerdotali officio est deponendus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium est detrudendus. *cit. cap. omnis utriusque.*

Quæres *undecimò.* An liceat Sacerdoti uti scientiâ confessionis.

R. Nullo modo in præjudicium pœnitentis. Anno 1682. 18. 9bris prohibita est hæc propositio: *Scientiâ ex confessione acquisitâ, modò fiat sine directa vel indirectâ revelatione & gravamine pœnitentis, uti licet, si aliud multò gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur.* Additâ deinde explicatione sive limitatione: quod intelligenda sit de usu scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis, seclusâ quacunque revelatione, atque in casu quo multò gravius gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur. Et Clemens VIII. Anno 1593. 26. Maji, in Decreto *de Reservatione casuum* pro Regularibus, in fine præcipit, ut tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui postmodum ad superioritatis gradum promoti fuerint, caveant diligentissimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur. Ratio est : quia pœnitentes si scirent, ex notitia peccati in confessione detecti aliquid sibi negari aut fieri circa se ullo modo posse, ab usu Sacramenti pœnitentiæ abstraherentur. Finaliter nota Doctrinam Fagnani in *cap. Officii. 9. de Pœnit. & Remiss.* Ubi quærit : an liceat contra sigillum revelare peccatum, quod in confessione auditum, sine directa vel indirecta manifestatione peccatoris ? & respondet imprimis id licitum consilii capiendi causâ, ut patet *ex cap. Omnis utriusque,* ibi: Si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ cautè requirat. Deinde extra hunc casum capiendi consilii dicit ex Jure Ecclesiastico prohibitum, peccata in confessione audita aliis manifestare vel de iis loqui propter periculum, quod sæpius subest. Unde malè faciunt, & ad minus contra Regulas prudentiæ peccant, qui in conferentiis & colloquiis sibi talem aut similem casum in confessione propositum esse dicunt vel fatentur.

Quæres *duodecimò.* Ad quem Judicem pertineat cognoscere de violatione Sigilli?

R. *1mò.* Si reus Sacerdos non exemptus, Judex est Ordinarius. Colligitur ex *cap. significasti. 5. de adulter.* Ubi Alexand. III. Episcopo injungit, ut Sacerdoti infamato, ne contra Apostolum infirmorum corda malâ ipsius famâ percutiantur, & ne vituperetur ministerium nostrum, neque securiores Presbyteri existentes in peccatum licentius prolabantur, canonicam purgationem imponat.

2dò. Sacerdos exemptus sive Regularis sive sæcularis, cui cura animarum non est commissa, nec ab Ordinario approbatus, si Sacramentorum administrationi se se ingessit, aut aliàs in Sacramentis administrandis erravit, ut fieret, si sigillum frangeret, jurisdictioni & cor-

correctioni Episcopi non subjicitur; sed à suo superiore vi juris communis & Tridentini, ut probat Fagnan. *in cap. cum capella. de Privil.* corrigendus est. Attamen per constitutionem Gregorianam *inscrutabili.* tam Regulares quam sæculares quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum sæcularium Monasteriis seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis vel beneficiis, sive regularibus, sive sæcularibus incumbentem exerceant, sive aliàs ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, præviâ Episcopi licentiâ & approbatione, sive quoquo modo in dictæ curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto absque ulla authoritate se ingerant, in his, quæ ejusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ Delegati plenè in omnibus subjiciuntur.

Clemens X. addidit in constitutione: *Superna.* Si Regulares cum scandalo aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à confessionibus suspendendi: in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse voluit; cum præcipua Ministri Sacramenti pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas ac morum honestas: utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbandos suspendere aut repellere à confessionibus audiendis: attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventûs Regularibus confessoribus adimi ab Episcopo, inconsultâ Sede Apostolicâ, nullatenus posse.



APPENDIX.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS.

§. Primus.

DE *Censuris in Communi.*

QUæres *primò*. Unde nomen Censura?

℟. Illud derivatur à Censore. Olim in Republ. Romana Judices constituti ad corrigendos mores Censores appellabantur, quorum correctio vel punitio dicebatur censura. Hac signlficatione utens Ecclesia pœnam, quam fidelibus injungit, censuram nuncupavit.

Quæres *secundò*. Quid est censura?

℟. Est pœna spiritualis & medicinalis ecclesiastica potestate inflicta, privans hominem baptizatum usu aliquorum bonorum spiritualium, ut à contumacia desistat.

Dicitur 1. *Pœna.* Quia est privatio bonorum. 2. *Spiritualis.* Quia primariò privat spiritualibus. 3. *Medicinalis.* Quia non tam vindicat peccatum præteritum, quàm continuationem peccati cohibet. 4. *Inflicta ab Ecclesiastica potestate* : Quia est pœna Ecclesiæ. 5. *Hominem baptizatum.* Nam soli fideles subjectum sunt. 6. *Demum*, ut à contumacia desistat. Finis enim censuræ est, ut homo resipiscat, neque sit ulterius inobediens Ecclesiæ.

Quæres *3tiò*. Quot species Censuræ?

℟. Tres. Excommunicatio, suspensio, & interdictum. Quia, ut dicitur in *cap. quærenti.* 20. de V. S. per censuram non solùm interdicti, sed suspensionis & excommunicationis sententia intelligitur. Idem habetur in *cap. Statutum. 13. de Sentent. excomm. in 6.* Non obstat, quod aliqui addant cessationem à divinis, & irregularitatem : quia cessatio à divinis vel comprehenditur sub interdicto, vel non est pœna fidelibus imposita, sed ipsa omissio divinorum officiorum in signum mœroris Ecclesiæ ob injuriam à subditis illatam, & tam pro innocentibus quam pro reis datur. Irregularitas, item depositio & degradatio non sunt pœnæ medicinales, sed sunt perpetuæ contra incorrigibiles, nec non absolutione, sicut censura, sed dispensatione tolluntur.

Quæres

Quæres *quartò*. Quot modis fertur Censura?

R. *primò*. Censura vel fertur à Jure, vel ab homine. Censura à Jure ferri dicitur, quæ mediante Lege aut Statuto lata est, & hæc mortuo Legislatore vim suam retinet. Censura ab homine est, quæ à Judice mediante sententiâ vel mandato fertur. Hæc nondum incursa mortuo Superiore cessat; quia authoritas & jurisdictio, à qua dependet, cum morte expirat.

2*dò*. Censura alia est generalis, alia specialis. Specialis ob speciale factum in determinatas personas: generalis in omnes vel plures fertur: ut si Episcopus excommunicet omnes, qui aliquod festum violabunt.

3*tiò*. Censura alia est latæ, alia ferendæ sententiæ. Latæ sententiæ est, quæ commisso delicto statim incurritur, & ante sententiam Judicis ligat: sive quæ secum trahit executionem, ùt dicitur in *cap. Pastoralis.* 53. §. *Verùm. de Appellat.* Solet exprimi his verbis: Ipso facto sit excommunicatus; Excommunicamus eum, qui tale delictum fecerit: subjaceat excommunicationi: excommunicationem incurrat: noverit se esse excommunicatum &c. Censura sententiæ ferendæ dicitur, quæ commisso delicto ante Judicis sententiam non incurritur. Solet exprimi: Præcipio sub pœna excommunicationis, Qui hoc fecerit, excommunicetur &c.

4*tò*. Censura alia est absoluta, alia conditionata. Absoluta est, quæ sinè aliqua conditione fertur: conditionata, quæ involvit conditionem, ut si Judex dicat: Nisi tali die solveris, te excommunico. Censura conditionata, quando conditio impletur, solùm vires habet. Si verò pendente conditione Judicem mori, aut jurisdictionem amittere contingat, conditione etiam impletâ censura caret effectu. Item si conditione pendente fiat appellatio, effectus censuræ, conditione etiam impletâ, impeditur. Constat ex *cap. præterea.* 40. *de appellat.* Quia si pendente conditione appelletur, idem est, ac si, antequam censura lata, appellaretur.

Quæres *quintò*. Penes quos potestas ferendi censuram?

R. 1*mò*. In Ecclesia est potestas ferendi censuras fundata in illo Matth. 16. & 18. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis. Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Quibus verbis Petro ejûsque Successoribus generaliter ligandi & solvendi non solùm in foro interno, sed etiam externo datur potestas. Hæc autem potestas probatur ex illo 1. *Cor.* 5. *Judicavi tradere hujusmodi Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus ejus salvus fiat.* Loquitur ibi Apostolus de homine incestuoso, qui uxorem Patris sui cognoverat, quæ traditio erat effectus excommunicationis latæ à S. Paulo, ut communiter interpretantur SS. Patres.

2*dò*. Potestas ordinaria ferendi censuras est 1*mò* in summo Pontifice: quia cujuslibet Reipublicæ benè ordinatæ supremus Princeps subditos non tantùm

per leges dirigendi, sed etiam inobedientes bonis communibus prvandi habet potestatem. Ergo eandem potestatem supremus Ecclesiæ Princeps obtinet. 2dò. Hæc potestas est penes Archi-Episcopos respactu subditorum suæ diœcesis, constat *ex cap. pernitiosa. 1. de offic. Ordinarii. Habeant Episcopi singularum urbium in suis diœcesibus liberam potestatem adulteria & scelera inquirere, ulcisci, & judicare, secundùm quod Canones censent, absque impedimento alicujus.* Non verò respectu subditorum Episcopis Suffráganeis, nisi in casu appellationis & visitationis; cùm nec excommunicantium nec excommunicatorum sint Judices. *cap. Venerabilibus 7. de sentent. excom. in 6.* 3tiò penes Cardinales respectu propriarum Ecclesiarum. *cap. his quæ. 11. de majorit. & obedient.* 4tò penes Legatos à latere respectu Provinciæ legationis suæ. *cap. Legatos. de offic. Legati. in 6.* 5tò penes Vicarium Episcopi, qui constituit cum Episcopo idem tribunal. *cap. non putamus. 2. de consuetud in 6.* 6tò demum penes Prælatos inferiores, quibus vel ex consuetudine, vel ex privilegio Pontificio potestas jurisdictionis in foro externo competit. *cap. Veniens, de eo, qui furtivè Ord. suscepit. cap. dudum, 54. de elect.*

3tiò. Potestas ferendi censuras delegata est penes omnes, quibus habentes ordinariam, hoc est: suo officio vel dignitati in perpetuum annexam, committunt: quia potestas ordinaria, eo ipso, quo ordinaria est, delegari potest. *cap. cum Episcopus. 7. de offic. Ordinar. in 6.* Fœmina jurisdictionis ecclesiasticæ incapax est. *cap. dilecta. 12. de majorit. & obedient. cap. nova. 10. de pœnit. & remission. Quia licet Beatissima Virgo MARIA dignior & excellentior fuerit Apostolis universis; non tamen illi, sed istis Dominus claves regni cœlorum commisit.* Quapropter fœminæ potestas ferendi censuras nec delegari potest.

Quæres *sextò*. Quæ conditiones requiruntur ex parte ferentis censuram, ut ligare dicatur?

℟. Sequentes. 1. Censura voluntariè & humano modo ferri debet. *cap. cum voluntate 54. de sentent. excomm.* 2. Ferens censuram in proprio territorio existere debet: ferre enim censuras est jurisdictionem contentiosam exercere, quod Judex extra proprium territorium nequit. *cap. novit. 7. de offic. Legati.* 3. Ferens censuram nec censurâ ipse ligatus, nec odii aut vindictæ affectu præoccupatus esse debet. 4. Præmittenda est monitio seu censuræ comminatio. Censura enim fertur in contumaces & inobedientes ad præveniendum peccato futuro, vel in satisfactionem præteriti. *cap. Statutum. 13. de sentent. excomm. in 6. cap. irreprehensibilis. 24. de appellat.* Ut feratur Censura per modum sententiæ, monitio trina, vel una virtualiter trina in scriptis causam, propter quam feratur, continentibus præmittenda, & coram testibus, aut si censurandus lateat, ad domum illius, vel in Ecclesia aliove loco publico, concesso ad deliberandum sufficienti temporis spatio, juxta circumstantias & qualitates negotii insinuanda aut affigenda est. 4. Demum censura die non feriato ferenda: quia

quia causæ cognitionem, à qua die feriato abstinendum, plerumque requirere dignoscitur.

Quæres *septimò*. Quæ conditiones ex parte subjecti requiruntur?

℟. Sequentes. 1. Debet esse homo vivus. *can. Legatus. 2. caus. 24. q. 2.* Quia Ecclesia in mortuos non exercet jurisdictionem. 2. Debet esse baptizatus; quia Ecclesia non punit extra Ecclesiam constitutos. 3. Debet esse rationis capax: Qui enim non est capax peccati, pœnæ quoque capax esse non potest. 4. Debet esse subditus censuram ferentis: quia Superior in non subditum jurisdictionis exercitium extendere nequit. *cap. cum inferior, 16. de majorit. & obedientia. cap. à nobis. 21. de sentent. excomm.* Ex quo summus Pontifex, cùm nullum Superiorem in terris agnoscat, censuræ periculum neque à Jure neque ab homine timendum habet.

Quæres *octavò*. An quis duplici censurâ ligari possit?

℟. Ob diversas causas idem homo duplici censurâ diversæ vel ejusdem speciei ligari potest; colligitur ex *Clement. Gravis. 2. de sentent. excomm. cap. cum pro causa cap. officii. eod. tit.* Ratio est: quia censura est vinculum morale bonorum spiritualium privationem causans: vinculum autem morale multiplicari potest, etsi privatio non multiplicetur.

Quæres *nonò*. Ob quas causas censura ferri potest?

℟. Ad Infligendam excommunicationem majorem, suspensionem vel interdictum requiritur 1. culpa mortalis; quia hæ pœnæ gravissimæ sunt: pœnam autem culpæ proportionari oportet. Unde si quis per ignorantiam aliamve causam à peccati mortalis reatu excusetur, ipse quoque à censura excusandus erit. 2. Actus externus; cùm de internis non judicet Ecclesia. 3. Actus prohibitus ab Ecclesia sub censuræ comminatione: censura enim absque præviâ monitione non fertur; ideoque ob peccatum merè præteritum censura ferri nequit, ut puniatur actus sine novo inobedientiæ peccato. 4. Debet esse peccatum in genere suo secundùm proprietatem verborum legis, per quam fertur, completum: Leges enim pœnales strictè & propriè sunt sumendæ. Unde quando censura lata contra aliquem delinquentē v.g. furantem: illa mandantes & consulentes non ligat; nisi id in lege specialiter exprimatur.

Quæres *decimò*. Quæ sunt causæ ab incursione censuræ excusantes?

℟. Sequentes: 1. Si incapax censuræ sit censuratus, quia v. g. non est baptizatus, carens usu rationis &c. 2. Si ferens censuram jurisdictione careat: ut si ante latam censuram legitima appellatio interposita fuerit. *cap. Pastoralis. de appellat. & cap. licet. de sentent. excomm. in 6.* Si appellans se gravatum esse judicet, Judex autem *à quo* appellationem frivolam judicans appellantem excommunicet: appellans, donec Judex *ad quem* pronuntiet legitimè esse appellatum, in foro externo pro excommunicato sese gerere debet. 3. Si sententia censuram ferens errorem contineat intolerabilem. *cap. per tuas. de sentent. excomm. cap. Venerabilibus. eod. in 6.*

ut

ut si sub excommunicatione impossibile, inhonestum, aut lege prohibitum præcipiatur. 4. Si consentiat ille, in cujus favorem censura lata est. Ut: Judex excommunicavit debitorem, si intra quindenam debitum non solvat: si creditor terminum solutionis ad trimestre proroget, præteritâ quindenâ debitor censuram non incurrit: si verò lapso trimestri non solvat, censurâ ligatur. Quia illa temporis determinatio facta à Judice non fuit ad obligationem finiendam, sed ne solutio ultra terminum illum absque creditoris consensu prorogaretur. 5. Per ignorantiam censuræ: imprimis invincibilem juris & facti antecedentem & concomitantem. Talis enim ignorantia à culpa excusat. Deinde per ignorantiam vincibilem. Quia censura ad coercendos inobedientes & rebelles fertur; ignorans autem vincibiliter, quamvis peccet, non tamen est rebellis Legi vel Superiori. Ignorantia affectata, crassa & supina juxta *cap. ut animarum. 2. de constitut. in 6.* non excusat; nisi censura sit lata contra eos, qui scienter, consultò, temerè, vel ex præsumptione cum dolo aut contemptu aliquid egerint. 6. Metus gravis in virum constantem cadens. Quia lex humana cum tanto damno vel periculo obligare non solet. 7. Innocentia. Verè enim innocens puniri non potest, & sententia lata contra innocentem manifestum continet & intolerabilem errorem. Si in aliquem censura feratur, qui coram DEO innocens, in foro tamen externo probatur nocens, reverà censuram non incurrit; ideoque in foro conscientiæ occultè celebrare potest, nec irregularitatem contrahit, quamvis in foro externo se velut excommunicatum gerere debeat.

Quæres *undecimò*. Quandonam tollitur censura?

R. Censura incursa non tollitur *1mò* morte eam ferentis: quia pœna ob violationem præcepti injuncta tamdiu durat, donec legitimè tollatur. *cap. Pastoralis. 11. § præterea. de offic. Ordinar.* Nec *2dò* morte ipsius censurati; nam fideles corpus in censura defuncti in loco sacro sepelire non obligantur: nec pro anima ejus communia suffragia & sacrificia offerre licet. *cap. à nobis. 28. cap. Sacris. 38. de sentent. excomm.* Nec *3tiò* per emendationem delinquentis, aut satisfactionem parti læsæ præstitam. *cap. cùm desideres 15. de sentent. excomm.* Quia quamvis censura imponatur, ut parti læsæ satisfiat, vel peccans se emendet, eo ipso tamen, quo se emendaverit, non cessat; sed exspectanda absolutio. Et licèt ille, qui violentas manus in Clericum injecit, ei, quem læsit, per compositionem & reconciliationem satisfeciisse videatur: Ecclesiæ tamen, quam offendit, ex hoc non satisfeciisse dignoscitur: & nisi forma Ecclesiæ, quæ pro absolutione talium introducta est, observetur, non est communicandum eidem, ùt loquitur *cit. cap. cum desideres.* *4tò*. Per solam ergo absolutionem censura semel incursa tollitur, concessâ Petro ligatos solvendi potestate.

Quæ-

Quæres *duodecimò*. Quot modis fieri potest absolutio?

R. Sequentibus. 1. Simpliciter & absolutè, ad quam determinata verba non requiruntur: sed voluntatem absolventis exprimi sufficit, nec causa, ob quam censura incursa, exprimi necesse est. Unicâ quoque absolutione à pluribus censuris quis absolvi potest, In utroque tamen foro verbo vel scripto absolutio danda est.

2*dò*. Absolutio sub conditione de præsenti, præterito, & futuro dari potest. Si conditio præsens aut præterita existat, valet absolutio; si non existat, non valet. Si conditio futura, suspensa manet, donec ponatur conditio. In quo patet differentia inter absolutionem sacramentalem, quæ cùm non pendeat immediatè à voluntate absolventis, sed remotè: quatenus ex illa voluntate materia & forma Sacramenti à Christo instituta oritur: ideo absolutio Sacramentalis sub conditione dari nequit: absolutio verò à censura cùm pendeat à voluntate absolventis exteriùs expressa, ideo sub conditione dari, & effectus ejusdem suspendi potest.

3*tiò*. Ad cautelam datur absolutio, ut nempe malum, quod aliàs tam reo, quàm aliis provenire posset, caveatur. Talis absolutio frequenter præmitti solet absolutioni à peccatis; quando videlicet ille, qui absolvitur, censuræ ignarus est, vel suspicionem de censura habet: & ideo ad vitandam Sacramenti irreverentiam petit absolvi ad cautelam.

4*tò*. Absolutio ad reincidentiam dari potest, qualis est, si quis pro aliquo tempore tantùm, vel pro aliquo tempore absolutè, & pro reliquo sub conditione alicujus operis præstandi, vel tantùm in ordine ad aliquem effectum absolvatur. Taliter debitores censurati ob non solutum debitum, impositio præcepto, ut nisi intra tale tempus solvant, in uensuram reincidant, sæpè absolvuntur.

Porrò potestatem absolvendi à censuris ab homine specialiter latis habet ille, qui censuram tulit, juxta regulam generalem: Res per quascunque causas nascitur, per easdem & dissolvitur. Item ille, qui Authori censuræ in officio & dignitate succedit: quia censetur eadem persona cum prædecessore. *Can. si Episcopus* 40. *caus.* 11. *q.* 3. Item, qui pleno jure illius, qui censuram tulit, Superior est, ac demum ab Authore censuræ cum causæ cognitione delegatus. A censura generaliter lata, & à censura Juris non reservata quilibet in foro externo jurisdictionem habens sibi subditos absolvere potest; ùt enim dicitur in *cap. nuper.* 29. *de sentent. excomm. Quando conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi.* A censura lata à Jure reservata solùm absolvere potest Author illius, vel ejus Successor, vel Superior, vel delegatus, aut demum privilegiatus. Sic Episcopi vigore Tridentini *sess.* 24, *cap.* 6. *de reform.* ab omnibus censuris Sedi Apostolicæ reservatis, modò nec publicæ, nec ad forum contentiosum sint deductæ, & juxta *cap. ea*

noscitur. 3. & cap. quamvis. 58. de Sentent. excomm. Quoslibet Summum Pontificem ex quacunque causa adire impeditos absolvere possunt. Similiter & Regulares mendicantium ordinum, ac cum iis in Privilegiis communicantes ab omnibus censuris Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis iis, quæ continentur in Bulla Cœnæ, absolvendi habent potestatem.

§. Secundus.

DE

Excommunicatione.

QUæres *primò*. Unde nomen excommunicatio?

℟. Dicitur excommunicatio, quia à communione separat; In principio enim Ecclesiæ excommunicati dicebantur, qui à communione corporis Christi separabantur. Dicitur quoque anathema, quod maledictionem & execrationem significat, ut *Marci* 14. *Cœpit anathematizare*, eò quod excommunicatus tanquam aliquod execrabile & maledictum vitetur.

Quæres *secundò*. Quid est excommunicatio?

℟. Est censura Ecclesiastica separans excommunicatum à communione fidelium, hoc est à communicatione in colloquiis, contractibus, commerciis, Sacramentis, orationibus Ecclesiæ, aliisque officiis. Quamvis autem cæteræ censuræ etiam aliquibus ex his bonis privent, ab excommunicatione tamen distinguuntur, quia excommunicatio directè & per se his, in quantum in illis est communicatio aliqua cum fidelibus, privati: cæteræ autem privant Sacramentis & officiis divinis, in quantùm Sacramenta & officia divina sunt, aut in eorum officio est Ecclesiastica jurisdictio.

Quæres *tertiò*. Quotuplex est excommunicatio?

℟. Duplex: major & minor. Colligitur ex *cap. si quem. 59. de Sentent. excomm.* Excommunicatio major dicitur, quæ administratione activâ & receptione passivâ Sacramentorum, Ecclesiæ suffragiis, & fidelium communione privat. Excommunicatio minor directè solùm privat receptione passiva Sacramentorum: & hæc est solùm excommunicatio secundùm quid. Incurri potest ob peccatum veniale, & facile à quolibet Sacerdote tolli potest. Excommunicatio absolutè prolata semper intelligenda est major; ut definitum est in *cit. cap. si quem.* Si quem sub hac forma verborum: illum excommunico, vel simili à Judice suo excommunicari contingat: dicendum est, eum non tantùm minori, quæ à perceptione Sacramentorum, sed etiam majori excommunicatione quæ à communione fidelium separat, esse ligatum.

Quæ-

Quæres *quartò*. Quid ad hoc, ut excommunicatio valida sit, requiritur?

R. Requiritur, ut excommunicantis non sit impedita potestas: eò quod potestas impedita ita se habeat, ac si non esset. Ex quo sequitur.

1*mò*. Invalidam esse excommunicationem latam à Prælato ebrio, mente capto aut non advertente, quid agat: quia ista impediunt jurisdictionis exercitium.

2*dò*. Invalida est lata à Judice prius justè accusato. *Can. quoties. caus.* 2. *q.* 6. Lata contra eum, qui legitimè ante appellavit; cum per appellationem sit suspensa judicis *à quo* jurisdictio. *cap. si Judice.* 10. *de Appellat. in* 6. Lata ab inferiori contra præceptum superioris irritantis. *Cap. quia plerique de offic. Ordin. in* 6. Lata à Vicario Episcopi dum Episcopus tenetur captivus. Cum in eo casu ad Capitulum devolvatur jurisdictio, ac si sedes per mortem vacaret illius. *cap. si Episcopus.* 3. *de Suppl. negl. Prælator. in* 6. Demum lata ab excommunicato, aut publico Clerici percussore. *cap. ad probandum.* 24. *de Sentent. & re judicata.*

3*tiò*. Invalida est excommunicatio lata à Prælato in propria causa ad puniendam culpam contra se commissam. *Can. inter querelas.* 27. *caus.* 23. *q.* 4. Si tamen Prælatus ad præcavenda sibi à subdito imminentia mala excommunicationem ferat, ea valida est. Tunc enim non tam per modum judicii, quàm per modum defensionis cuilibet licitæ fertur. *cap. dilecto.* 4. *de Sentent. excomm.*

Quæres *quintò*. Qui sunt effectus excommunicationis majoris?

R. Primus effectus excommunicationis majoris est administrationis activæ Sacramentorum & Missæ celebrationis privatio. Colligitur *ex cap. Apostolica, & cap. si celebrat. de Cleric. excommun.* Huc facit *Canon. si Episcopus.* 7. *caus.* 11. *q.* 3. Si quis Episcopus in Concilio excommunicatus fuerit, sive Presbyter aut Diaconus à suo Episcopo, & post excommunicationem præsumpserit sive Episcopus ille, aut Presbyter, aut Diaconus facere oblationem, vel Matutinum aut Vespertinum officium quasi in officio suo agere sicut prius; non liceat ei in alio Concilio spem reconciliationis habere, sed nec ultra recolligi, in *cap. Latores.* 4. *de Cleric. excommunicato.* Ab officio Sacerdotali deponi jubentur, qui divina officia ex in excommunicatione peragere præsumpserant.

2*dus*. Receptionis Sacramentorum privatio. Colligitur ex *cap. cum illorum, de Sentent. excomm. cap. illud. cap. si celebrat. de Cleric. excomm.* Quia rebellis & contumax Ecclesiæ præceptis meritò à participatione bonorum illius repellitur. Cum autem hæc materia gravis sit, excommunicatus Sacramenta recipiens extra casum necessitatis peccat mortaliter, quanquam Sacramenta validè, excepto Sacramento pœnitentiæ recipiantur. Quia qui sciens & volens petit absolvi non præmissâ absolutione ab excommunicatione, dispositionem ad valorem pœnitentiæ requisitam non habere convincitur.

3*tius*. Est privatio suffragiorum Ecclesiæ. Colligitur *ex cap. à nobis.* 28. *cap. Sacris.* 38. *de Sentent. excomm.* Salus fide-

lium triplici subsidio in Ecclesia promoveri potest. *Primum* provenit à Christo, qui in Sacrificio Missæ mediante Sacerdote se Patri suo cœlesti offert. *Secundum* est ab Ecclesia, quæ mediantibus Ministris suis orationes publicas fundit, sacrificat, & satisfactionem ex thesauro Christi & Sanctorum dispensat. *Tertium* profluit ex operatione unius cujusque fidelis, ut est persona particularis. Ecclesia igitur ex his subsidiis excommunicatum non primo & tertio, sed secundo tantùm privat: ideoque à Sacerdote Sacrificium Missæ quantùm ad fructum Sacerdoti offerenti correspondentem excommunicato applicari, deinde pro illo in *Memento* orare potest; imò si etiam pro excommunicato existente in gratia Sacrificium nomine Christi offerret, illi quoad fructum ex opere operato provenientem prodesset.

4*tus.* Privatio communicationis cum aliis fidelibus in officiis divinis. Omnis enim Christianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur, Sathanæ traditur; scilicet quia extra Ecclesiam Diabolus est, in Ecclesia Christus: ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur. *Can. Omnis Christianus 32. cauſ. 11. q. 3.* Quapropter qui merito facinorum suorum ab Ecclesia pulsi sunt, si ab aliquo Episcopo, Presbytero, vel Clerico fuerint in communione suscepti, etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius. *Can. qui merito. 29. loc. cit.* Idem dicitur *cap. significavit. 18. de Sentent. excomm.* Imò in *cap. alma Mater. eod. in 6.* Excommunicati ipsis etiam diebus, quibus admittuntur Interdicti, ab officiis divinis excluduntur.

Variis autem modis communicatio ista in divinis fieri potest. Ut *1mò* quando ipse excommunicatus per se ipsum divina facit: & tunc alii fideles assistere nequeunt. *2dò.* Quando alii fideles divina faciunt, & tunc excommunicatus assistere non debet. *3tiò.* Excommunicatus cum non excommunicato divinis assistere nequit, ac proinde Sacerdos, qui immemor excommunicationis Missam inchoavit, & ante inchoatam consecrationem excommunicationis recordatur, sacrificium relinquere tenetur, si absque scandalo & gravi infamia id fieri possit, ut docet Doctor Angelicus.

5*tus.* Privatio usus jurisdictionis ecclesiasticæ. Colligitur *ex cap. Romana. 1. de Offic. Vicarii.* Quia usus jurisdictionis Ecclesiasticæ præcipua communicatio cum fidelibus est: hæc autem communicatio prohibita esse non dubitatur.

6*tus.* Inhabilitas ad beneficia, officia & dignitates ecclesiasticas. *cap. postulastis. 7. de Cleric. excomm.* Ubi declaratur non solùm excommunicationis vinculo innodatis ecclesiastica beneficia conferri non posse; sed etiam illi, qui scienter illa beneficia talibus contulerunt, condemnantur, ut tamdiu à beneficiorum collatione suspendantur, donec super hoc veniam consequi mereantur, ut puniantur in hoc, in quo delinquere præsumpserunt. *cap. cum bonæ memoriæ. 8. de ætat. & qualit. præficiend.* Quia enim excommunicato officium Ecclesiasticum exercere prohibitum est, beneficium quo-

quoque obtinere nequit ; eo quod beneficium detur propter officium.

7timus. Privatio fructuum & proventuum beneficiorum obtentorum. Quamvis enim excommunicatus ante excommunicationem obtento eo ipso jure non privetur ; fructibus tamen beneficii obtenti privatur. Ut enim dicitur in *cap. Pastoralis. §. Verum. 53. de Appellat.* Illi proventus Ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur. Imò excommunicatus ipso beneficio privari potest, si in excommunicatione insordescat, *cap. bona memoriæ. sup. cit.*

8vus. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. *cap. Sacris. 12. de Sepult.* Ubi hæc datur ratio : Æquum est & Sacris Canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis. Si excommunicatus ante mortem signa pœnitentiæ dederit, & à contumacia recesserit, potest, & debet ei Ecclesiæ beneficio subveniri, ut si de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. Nec obstat, quod non communicetur mortuo, cui non est communicatum & vivo : cum etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus Religionis, sed necessitatis articulus impedivit. Sic ergo absolutus in loco Sacro & more fidelium tumulandus est, & si ante absolutionem tumulatus fuerit, exhumari debet, & quidem si impenitens in cœmiterio Ecclesiastico per aliquorum violentiam, ut contingit interdum, vel alio casu tumulatus fuerit, si ab aliorum corporibus discerni possit, ex humari debet, & procul ab Ecclesiastica sepultura jactari. Quod si discerni non posset, non expedit, ut cum excommunicatorum ossibus corpora extumulentur fidellum : cum licet non obsit justis sepultura nulla vel vilis, impiis tamen celebris & speciosa non prosit. *cit. cap. Sacris de Sepult.* Locus tamen sacer, qui per talem sepulturam pollutus fuit reconciliandus erit aspersione aquæ Solemniter benedictæ. Sicut in Dedicationibus Ecclesiarum fieri consuevit. *cap. consuluisti. 7. de Consecr. Eccles.*

9nus. Privatio communicationis forensis, hoc est privatio omnis actûs pertinentis ad judicium : ideoque excommunicatus non potest esse judex, arbiter, Actor, Advocatus, Testis, constat ex *cap. decernimus. 8. de Sentent. excomm. in 6.* Et exceptio majoris excommunicationis, in quacunque parte judiciorum opposita, lites differt, & repellit agentes : ut ex hoc magis censura Ecclesiastica timeatur, communionis periculum evitetur, contumaciæ vitium reprimatur, & excommunicati, dum à communibus actibus excluduntur, rubore suffusi, ad humilitatis gratiam & reconciliationis affectum facilius inclinentur. *cap. piâ considerationc. 2. de Except. in 6.* Unde si dictæ personæ interveniant, mortaliter peccant, & per exceptionem majoris excommunicationis repelli possunt. Qualiter & quando hæc exceptio opponenda, docet, & videri potest. *cit. cap. piâ considerationc.*

10mus. Privatio communicationis

politicæ & civilis. Excommunicatos quoscunque à Sacerdotibus nullus recipiat, nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, nec ave eis dicat : quia quicunque in his aut aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, juxta Apostolorum institutionem & ipse simili excommunicationi subjacebit. Ita Calistus Papa. in *Can. excommunicatos.* 17. *caus.* 11. *q.* 3. Idem dicitur in *cap. nuper. de Sentent. excomm.* Actiones hujus communionis hoc versu comprehenduntur :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per *Os* intelligitur osculum pacis, complexus, missio & receptio munerum, locutio tam secreta quam publica per verba, per literas, per signa, per internuntium.

Per *Orare* intelligitur quælibet participatio cum excommunicato in Sactamentis, sacrificio divino, sacris officiis, precibus &c. Per *vale*, quælibet honorifica salutatio, assurrectio &c. Demum per communionem & mensam significatur quælibet Societas & communicatio in negotiis, habitatione, convictu, contractibus. Nihilominus contractus ab excommunicato initi validi sunt. Constat de matrimonio. *ex cap. significasti. de eo qui duxit. &c. cap. inter dilectos. de donation.*

Quæres *sextò*. An fideles cum nullo excommunicato communicare possint ?

℟. Distinguendum esse inter excommunicatum vitandum & non vitandum, sive toleratum & non toleratum. Ex *constitut.* Martini V. quæ incipit : *Ad evitanda scandala.* edita in *Concil. Constantiensi*, Anno 1414. tenentur fideles solùm vitare & non communicare cum excommunicato denuntiato, hoc est : proprio nomine expresso, & signis, quis sit, sufficienter declarantibus, & notorio Clerici percussore. Post hanc constitutionem quilibet cum quolibet excommunicato ante denuntiationem censuræ factam in Ecclesia vel loco publico juxta consuetudinem loci communicare potest ; nisi sit notorius Clerici percussor. Ea autem percussio dicitur notoria, quæ coram majore parte populi vicini vel communitatis, quam ad minus decem personæ constituunt, commissa fuit. Si simul notoreitas Juris per confessionem in judicio vel per sententiam Judicis accedat ; tunc censetur percussio nullâ tergiversatione celari, aut alio suffragio excusari posse : prout à constitutione ad vitandum talem percussorem illa exigitur.

Quæres *septimò*. Qualem communicantes cum excommunicato non tolerato pœnam incurrunt ?

℟. Communicantes cum excommunicato non tolerato excommunicationem solùm minorem incurrunt extra casus sequentes :

1*mus*. Quando excommunicatio contra participantes lata est : quia tunc post trinam monitionem specialem, aut unam æquivalentem trinæ, communicans eandem incurrit excommunicationem. *Cap. quod in dubiis.* 30. *de Sentent. excommunicat. cap. Statuimus.* 3. *eod. in 6.*

2*dus*.

2*dus.* Quando excommunicatus est à Papa nominatim per sententiam particularem, tunc Clericus communicans in divinis admittendo excommunicatum spontè & liberè excommunicationem majorem Papæ reservatam incurrit. *cap. significavit.* 18. *de sentent. excom.*

3*tius.* Quando quis excommunicato in crimine, ob quod excommunicatus fuit, communicavit, videlicet consilium, auxilium, favorem &c. præstando, ne excommunicatus denuntiatus ab illo crimine desistat. *cap. si concubinæ.* 55. *de sentent. excom.*

Quæres *octavò.* In quibus casibus cum eocommunicato denuntiato communicatio licita est?

R. Casus illi comprehenduntur hoc versu:

Utile, lex, humile, res ignorata, necessè.

1. *Per utile* intelligitur utilitas spiritualis & temporalis tam ipsius excommunicati, quàm fidelis communicantis. Ideo potest excommunicatus dare & recipere consilium, eleëmosynam, debitam solutionem &c.

2. Per *lex* lex matrimonialis intelligitur, ob quam conjux à marito excommunicato debitum petere & reddere potest. Item communicare cum illo in mensa, gubernatione domûs, colloquiis, aliisque domesticis obsequiis. *cap. inter alia.* 21. *de sentent. excom.*

3. Per *humile* excipiuntur omnes, qui jure subjectionis obedire tenentur: quales sunt filii, nepotes, pronepotes, affines, pupilli, & minores respectu tutorum, servi & ancillæ, & tota familia excommunicati.

4. *Res ignorata.* His vocibus excipiuntur laborantes ignorantiâ invincibili juris & facti: imò juxta quosdam etiam laborantes ignorantiâ vincibili; modò non sit crassa aut affectata.

5. Demum *necessè.* Per quod significatur necessitas, quæ excusat, sive sit ipsius excommunicati, sive aliorum, sive temporalis sive spiritualis sit. *cit. cap inter alia.*

Quæres *nonò.* Quos effectus habet in excommunicatione majori perseverantia?

R. *Primus* effectus est suspicio de hæresi; si nempe excommunicatus per annum in excommunicatione specialiter lata ab homine animo obdurato inscordescat, *Trid. sess.* 25. *cap.* 3. *de reform.* quia talis de potestate Ecclesiæ malè sentire præsumitur. 2*dus* integra probatio delicti, ob quod excommunicatio lata est, si integro anno in excommunicatione perseverat. *can. quicunque. caus.* 11. *q.* 3. Illa enim contumacia per fictionem juris censetur confessio. 3*tius* privatio beneficiorum per sententiam Judicis, si excommunicatus per triennium animo obdurato in excommunicatione persistat. *cit. cap. cum bonæ memoriæ. de ætat. & qualit.*

Quæres *decimò.* An omnis actus jurisdictionis ab excommunicato tolerato exercitus sit licitus & validus?

R. Si excommunicatus toleratus ad fidelium requisitionem ut Judex vel Parochus jurisdictionem exercet, & licitè & validè agit; econtra verò si irrequisitus exerceat, actus quidem validus, (nisi fideles contra eum excipiant, & excom-

excommunicationis speciem objcientes eam authoremque illius intra octo dies manifestè probent) sed illicitus est. Probatur ex supra *cit. constitut. Ad evitanda.* in qua fit favor fidelibus,ut cum excommunicatis non denuntiatis communicare possint : nullus tamen ipsis excommunicatis favor fit ; ideoque si semetipsos ingerant , mortaliter peccant , quamvis actus in favorem fidelium validus ; nisi excpiant. Juxta *cap. exceptionem.* 12. *de except.* & *cap. piâ consideratione.* 1. *eod. in* 6.

Quæres *undecimò.* Quis effectus excommunicationis minoris ?

R. Hæc duplicem effectum habet. Proprius & directus est passivæ participationis Sacramentorum privatio. Constat ex *cap. si celebrat.* 10. *de Cleric. excomm. cap. ff quem* 59. *de sentent. excomm.* Effectus indirectus excommunicationis minoris est privatio electionis (idem est de præsentatione & collatione ad beneficia. Quia ùt dicitur in *cit. cap. si celebrat.* si talis electus fuerit , ejus electio est irritanda , pro eo , quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à Sanctis Patribus est privatus.

Cùm ergo remotus sit à susceptione Sacramentorum, consequenter à susceptione beneficiorum removetur ; eo quod beneficium conferatur beneficiato , ut sacros Ordines suscipiat,Missam celeqret &c. Unde tam eligentes, præsentantes , conferentes beneficium tali excommunicato , quàm ipse excommunicatus illud acceptans graviter peccant , quamvis actus ipso jure non sit irritus, sed per Superiorem , si scienter fuerit factus , irritandus. *cit. cap. si celebrat.* Porrò licèt talis excommunicatus celebrans Missam graviter peccet , nullius tamen notam irregularitatis incurrit. Præterea peccat conferendo Ecclesiastica Sacramenta : sed ab eo collata virtutis non carent effectu , cùm non videatur à collatione , sed participatione Sacramentorum , quæ in sola consistit perceptione, remotus ; dummodo non in contemptum ecclesiasticæ disciplinæ, videlicet contra prohibitionem Superioris , communioni excommunicatorum pertinaciter se ingesserit , in quo casu anathemate est ferieudus. *cit. cap. si celebrat.*

Quæres *duodecimò.* Quis ab excommunicatione minori absolvere potest ?

R. Episcopus & quilibet Sacerdos proprius. Colligitur ex *cap. nuper.* 29. *de sent. excomm.* nomine proprii Sacerdotis quilibet habens jurisdictionem ordinariam vel delegatam intelligitur. Et generalis regula est , quod qui habet potestatem absolvendi à peccatis, propter quæ hæc excommunicatio incurritur , censendus sit etiam habere facultatem absolvendi à censura vel excommunicatione propter talia peccata incursa ; cùm absolutio ab excommunicatione absolutioni à deccatis præmittenda sit , & concesso uno concessum quoque censetur alterum , sine quo illud unum commodè præstari nequit. Sic etiam dum alicui dat Ecclesia facultatem absolvendi à peccatis morsalibus, dat consequenter facultatem absolvendi à censuris non reservatis , & dum dat facul-

facultatem absolvendi à peccatis reservatis, dat etiam facultatem à censuris reservatis. Cùm igitur excommunicatio minor quandoque ob peccatum veniale incurratur, habens potestatem ab illo veniali absolvendi, à censura quoque annexa absolvere poterit.

§. Tertius.

DE

Suspensione.

QUæres *primò*. Quid Suspensio?

R. Est Censura Ecclesiastica, quâ Clericus, ne functiones Ecclesiasticas exerceat, impeditur. Per ultimas particulas ab aliis censuris differt: ut ab excommunicatione, quæ Sacramentorum administratione, non ut est exercitium quoddam muneris Eccsesiastici, sed ut est quædam cum fidelibus communicatio, privat: deinde ab excommunicatione minori, quæ non privat activâ administratione Sacramentorum: ab irregularitate, quæ non directè functionem Ordinis suscepti, sed ejus susceptionem impedit: demum ab aliis suspensionibus, ut à suspensione ab officio Advocationis, Notarii &c. quæ sunt officia temporalia, & non Ecclesiastica.

Quæres *secundò*. Quotuplex Suspensio?

R. Triplex: Suspensio ab officio. De qua in *cap. sanè quia. 9. de officio Judicis delegati.* & *cap. quia 2. eod. in 6.* Suspensio à beneficio. De qua in *cap. cum in cunctis. 7. cap. nihil est. 44. de elect.* Suspensio ab officio & beneficio. De qua in *Clement. Religiosi. 1. de decimis.*

R. D. *Schnorrenberg Instit. J. Can.*

Suspensio absolutè lata suspensionem ab officio & beneficio simul comprehendit; quia non est ratio, ob quam potiùs pro suspensione ab officio, quàm à beneficio accipienda videatur.

Quæres *tertiò*. Quisnam suspendi potest?

R. Omnes Clerici, quin & communitas Clericorum non solùm quoad singulares personas, ut in *cap. quia sæpè. 40. de elect. in 6.* sed etiam quatenus communitas est, hoc est: quatenus est unum corpus politicum, habens actiones proprias & officia & beneficia conferendi, sacros Ordines per suum Vicarium impertiendi &c. ab officio & beneficio suspendi potest. Ratio est: quia communitas talis capax est culpæ in actionibus, quas ut corpus unum exercet. Cui non obstat, quòd communitas talis excommunicari nequeat, juxta *cap. Romana. 5. de sentent. excomm. in 6.* Nam excommunicatio animam quoad bona interiora afficit, quæ ad bonum proprium animæ pertinent; & sic censura personalis est: suspensio autem his bonis non privat, sed ministeriis eccle-

siasticis, quæ à communitate exerceri possunt. Porrò suspensio simpliciter & absolutè lata contra Communitatem non extenditur distributivè ad singulas personas, quantùm ad proprias & particulares earum actiones, sed ligat solùm ipsam Communitatem, ut unum corpus politicum constituit; Capitulum enim non singulas personas de Capitulo seorsim, sed ipsam universitatem significat.

Quæres *quartò*. Quis effectus suspensionis ab officio?

℟. Suspensio ab officio vel est simpliciter lata, vel tantùm determinatè ad aliquam materiam. *Primò*. Si lata simpliciter & absolutè, quantùm est de se omni usu Ordinis & Jurisdictionis, ac alterius simplicis administrationis ecclesiasticæ privat: ideoque suspenso absolutè ab officio etiam tolerato, sive non denuntiato, nec validè nec licitè beneficium conferri potest: non licitè; quia beneficium datur propter officium. *cap. fin de rescript. in 6.* non validè; quia in *cap. cum bonæ memoriæ. 8. de ætat. & qualit. profic.* ait Pontifex, quòd suspensis non liceat retinere beneficia illa, quæ in suspensione adepti sunt, sed jubet, ut eis quamprimùm spolientur. Si suspensio ab officio sit determinata ad certam materiam v. g. ordinis aut jurisdictionis, extra illam extendi non debet; pœnæ enim ultra verborum proprietatem extendendæ non sunt. Ideo imprimis suspensus ab Ordine absolutè usu cujuscunque Ordinis, non tamen jurisdictio is exercitio privatus est; quia inter Ordinem & jurisdictionem necessaria connexio non est. Suspensus ab Ordine aliquo speciali directè, ut ab officio Sacerdotali, indirectè suspensus est ab illo Ordine, qui ad usum officii Sacerdotalis requiritur, ut ab Ordine Subdiaconatûs vel Diaconatûs in Missa exercendo. Suspensus áb Ordine inferiori ab Ordine superiori suspensus non est, nec suspensus à collatione Ordinis inferioris à collatione Ordinis superioris suspensus est. Colligitur ex *cap. fin. de temp. ordinat. in 6.* Item suspensus ab exercitio jurisdictionis vel administrationis in spiritualibus & temporalibus non est suspensus ab usu Ordinum. Item suspensus ab usu jurisdictionis determinatæ non est suspensus ratione aliorum actuum.

Quæres *quintò*. Quis effectus suspensionis à beneficio?

℟. Privatio omnium fructuum beneficii, retento jure radicali eos percipiendi. Colligitur ex *cap. cupientes. 16. de elect. in 6.* Hæc tamen suspensio beneficii usum non impedit, sed suspensus oneribus beneficii satisfacere, frequentando chorum, celebrando &c. obligatur; cùm enim suspensio sit pœna, ab onere relevare non debet. Nomine autem fructuum intelliguntur decimæ, pensiones ædium locatarum, & reliqua emolumenta, quæ ratione beneficii obveniunt, ut distributiones quotidianæ, administratio bonorum Ecclesiæ; unde suspensus à beneficio bona ejus aut fructus per se vel alium elocare aut vendere nequit; imò nec potest beneficium permutare aut resignare in favorem: quia permutatio & resignatio est quædam beneficii administratio.

Quæ-

Quæres *sextò*. Quis effectus suspensionis latæ sub disjunctione ab officio vel beneficio ?

℟. Talem suspensionem nullum effectum de jure producere : quia juxta *L. 3. & 4. de sentent. quæ sine cert. quant. profert.* sententia incerta & indeterminata est nulla, hæc autem suspensio sub disjunctione est incerta & indeterminata ; ergo nullam esse oportet.

Quæres *septimò*. Violator suspensionis incursæ quas pœnas contrahit ?

℟. *primò*. Suspensus ab officio vel beneficio transgrediens suspensionem ex genere suo peccat mortaliter : quia in re gravi Ecclesiæ præceptum contemnit. Si tamen suspensus ab officio non denuntiatus officium ad requisitionem fidelium exerceat, juxta sæpe *cit. constitut. ad evitanda.* non peccat. 2*dò*. Suspensus ab Ordine sacro transgrediens suspensionem exercendo solemniter exercitium Ordinis sacri irregularitatem incurrit. Colligitur ex *cap. cum æterni. 1. de sentent. & re judic. in 6.* & *cap. medicinalis. 1. de sentent. excomm. in 6.* Nulla alia suspensionis violatio irregularitatem inducit : ideoque si suspensus à jurisdictione beneficia conferat, Prælatum eligat, sententiam proferat, non fit irregularis. Item si suspensus à beneficio fructus percipiat, beneficium administret, non fit irregularis. Privatur tamen ipso jure beneficiorum, ùt innuit *cap. Statuimus. 1. de elect. in 6.* Et, si sit suspensus denuntiatus, jurisdictionem invalidè exercet, actusque ab eo facti nullam obtinent roboris firmitatem.

Quæres *octavò*. Qualiter effectus suspensionis suspenditur.

℟. *primò*. Ante incursam suspensionem ejusdem effectus per appellationem legitimè interpositam suspendi potest. *cap. Pastoralis. de appellat.* Et ratio est, quia natura appellationis legitimæ est ligare potestatem Judicis à quo, ne pendente causâ ulteriùs procedere possit. *cap. si à Judice. 10. de appell. in 6.*

2*dò*. Appellatio post incursam suspensionem non habet effectum suspensivum in suspensione ab officio & ingressu Ecclesiæ. *cap. Is cui. 20. de sentent. excomm. in 6.* ubi solùm de suspensione ab officio & ingressu Ecclesiæ dicitur, quòd per appellationem sequentem minimè suspendatur. Ex quo inferunt alii suspensionem ab officio suspendi per appellationem, per regulam generalem : Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.

Quæres *nonò*. Quomodo tollitur suspensio ?

℟. Variis modis pro diversitate suspensionum. Nam *primò* suspensio lata pro determinato tempore, vel sub conditione, vel conditionis cessatione lapso tempore, & impletâ vel cessante conditione sine absolutione tollitur. Ratio est : quia talis suspensio dependenter ab intentione ferentis durat. *Gloss. in cap. quia sæpe. 40. de elect. in 6.*

2*dò*. Suspensio lata sub expressa conditione, ut in perpetuum duret, ab inferiori tolli nequit ; inferior enim Superioris legem relaxare non potest.

3*tiò*. Suspensio lata à Jure absolutè ad corrigendam contumaciam cessante

contumaciâ per absolutionem ab Episcopo vel ejus Vicario tolli potest: nisi Pontifex absolutionem sibi reservaverit. Patet ex *cap. nuper. de sentent. excom.* & *cap. ex literis. de constitut.*

4tò. Suspensio specialiter ab homine lata per illum solum vel ejus successorem in dignitate relaxari potest; vel etiam per ejus Superiorem, si inferior sententiam absque legitimâ solemnitate tulerit. *cap. cum medicinalis. de sentent. excomm. in 6.* vel si per appellationem causa ad ipsum devolvatur. *cap. per tuas. 40. de sentent. excomm. cap. Venerabilibus. 7. eod. in 6.*

5tò. Quamvis nulla forma absolutionis ad valorem sit determinata; hæc tamen est usitatior: *Ego te absolvo à vinculo suspensionis, quam incurristi ob talem causam, & restituo te executioni Ordinis, officio vel beneficio, in nomine Patris &c.* si dubia suspensio, additur conditio: *si tenearis vinculo suspensionis.*

Quæres *decimò*. Quid est depositio?

℟. Est pœna Ecclesiastica privans Clericum officio & beneficio in perpetuum ac irremissibiliter. Differt à simplici suspensione ab officio vel beneficio, quod illa jure ordinario non sit irremissibilis: à suspensione, quæ fertur in perpetuum, solo differt nomine.

Quæres *undecimò*. Quid est degradatio?

℟. Est pœna Ecclesiastica, per quam Clericus non solùm fructibus, sed etiam titulo beneficii privatur.

Quæres *duodecimò*. Quotuplex degradatio?

℟. Verbalis & realis. Verbalis est pœna ecclesiastica, quâ Clericus omni beneficio ac officio clericali, retento solo Privilegio Canonis & fori in perpetuum privatur. Differt à depositione, quod depositio ipso facto non privet titulo, quamvis depositus per sententiam privandus sit, eo quod æquum sit, ut privatus in perpetuum officio, etiam beneficio, quod datur propter officium, privetur. Degradatio realis est, quando Clericus verbaliter degradatus certâ solemnitate adhibitâ omnibus vestibus & insignibus Clericalibus, omnique Privilegio Clericali exspoliatur. Hæ sunt differentiæ inter degradationem realem & verbalem, de qua jura loquuntur, quoties exprimunt degradationem sine addito. 1*mò*. Quod degradatio verbalis sit jurisdictionis actus; est enim sententia contra reum lata: ac proinde ab Episcopo suspenso ferri nequit, benè tamen à nondum consecrato, aut à Capitulo vel Vicario *ejus* sede vacante. Degradatio realis non solùm est actus jurisdictionis, sed etiam Ordinis ex Ecclesiæ institutione consecrationi Episcopali annexus, qui non nisi ab Episcopo Pontificalibus induto exerceri potest.

2*dò*. Degradatio verbalis ipso facto non privat Canonis & fori Privilegio *cap. cum non ab homine. 10. de judiciis.* Quamvis persistens in contumacia privandus sit. Degradatio realis privat utroque, ita ut Clericus à potestate sæculari capi, incarcerari, & ut Laicus puniri possit.

§. Quar-

§. Quartus.

DE

Interdicto.

QUæres *primò*. Quid est interdictum?

R. Est censura Ecclesiastica prohibens usum divinorum, intellige tam activum quam passivum: non quatenus à potestate spirituali procedunt; sed quatenus sunt bona quædam spiritualia à fidelibus communicanda. Per quod differt à suspensione, quæ privat usu activo divinorum, prout est usus potestatis spiritualis, & fertur solùm in Clericos: interdictum autem etiam Laicos afficit. Ab excommunicatione differt, quod illa fideles removeat à Sacramentis, officiis divinis, suffragiis Ecclesiæ &c. quatenus sunt aliqua bona, in quibus cum cæteris fidelibus fit communio: interdictum verò solùm removet à Sacramentis & officiis divinis, quatenus bona aliqua sunt à fidelibus habenda.

Quæres *secundò*. Quotuplex interdictum?

R. 1*mò*. Dividitur in purè personale, locale, & mixtum. Colligitur ex *cap. præsenti*. 10. *cap. si Sententia*. 16. *cap. si civitas*. 17. *de Sentent. excomm. in 6*. Interdictum personale est, quod personas immediatè afficit, illásque concomitatur, ubicunque locorum existant. Locale est, quod immediatè locum respicit, prohibens, ne in tali loco sive ab incolis sive ab extraneis celebretur; aut Missa audiatur. Interdictum mixtum est, quando & locus & personæ simul interdicuntur.

2*dò*. Interdictum tam locale, quàm personale in generale & speciale dividitur. Generale locale est, quod plura sub se continet loca, ut quod fertur in Regnum, Provinciam, Diœcesin, Civitatem. Speciale locale est, quod in locum determinatum fertur: ut si una vel plures alicujus civitatis Ecclesiæ sub interdicto ponantur. Et tunc in aliis Ecclesiis aut Oratoriis privatis divina officia interdicta non sunt. Interdictum personale generale est, quod in corpus quoddam politicum potens propriis gubernari Superioribus fertur, ut quando incolæ alicujus Provinciæ, Civitatis, Collegii vel Parochiæ interdicuntur. Speciale est, quod in personas particulares fertur vel expresso proprio nomine, vel sub nomine generali personæ certum delictum committentes interdicuntur.

Quæres *tertiò*. Quænam loca sub interdicto generali comprehenduntur?

R. *primò*. Sub interdicto generali Civitatis non tantùm locus directè interdictus, sed etiam illius suburbia & ædificia continentia comprehenduntur.

cap. si civitas. 17. *de sentent. excomm. in 6.* Per suburbia intelliguntur ædificia extra muros civitatis interdictæ contigua: per ædificia continentia significantur ædificia à muris civitatis quidem separata, ita tamen propinqua, ut incolæ civitatis pro audiendis Divinis illuc se facilè conferre possint. *Et in his, ne vilipendi valeat sententia interdicti, expedit interpretationem fieri latiorem*: inquit Pontifex *cap. cit.* 2*dò.* Interdictâ Civitate vel Diœcesi interdicta sunt etiam Ecclesia Cathedralis, & omnia loca Civitatis vel Diœcesis. 3*tiò.* Interdictâ aliquâ Ecclesiâ specialiter sunt etiam sub illius interdicto ejus Capellæ & Cœmeterium contiguum, non tamen è contra; quia accessorium sequitur principale, & pars totum: Capellæ autem & cœmeteria sunt accessoria Ecclesiæ. *cit. cap. si Civitas.* 4*tò.* Si interdictum hoc modo feratur: Interdicimus omnes terras illius Domini; in quas habet dominium; interdicta sunt omnia loca, in quæ actu, dum fertur interdicti sententia, plenum habet dominium, non autem quorum est Usufructuarius, Vasallus, Emphyteuta, vel Hypothecarius: nisi in sententia, *quæ habet & possidet*, adderetur.

Quæres *quartò.* Quæ personæ sub interdicto comprehendantur?

R. *primò.* Quando interdictum personale est generale, omnes personæ, quæ sunt membra illius communitatis, censentur interdictæ, sive præsentes, sive absentes, sive nocentes, sive innocentes sint. *cap. si sententia. de sentent. excom. in 6.* 2*dò.* Interdicto populo non interdicitur Clerus, nec econtra. *cit. cap. si sententia.* nomine enim populi soli sæculares intelliguntur, & nomine Cleri non veniunt Laici. 3*tiò.* Interdicto Clero non comprehenduntur Religiosi; quia licèt sub nomine Cleri intelligantur Religiosi in favorabilibus, non tamen in pœnalibus & odiosis. 4*tò.* Interdicto generali personali eximuntur 1*mò* Episcopi, nisi specialiter exprimantur. *cap. quia periculosum.* 4. *de sentent. excomm. in 6.* Deinde infantes nondum doli capaces. 3*tiò* illi, qui à populo interdicto recedunt alibi fixuri domicilium. 4*tò* exteri, ùt Scholares, Mercatores, qui etsi legibus populi astringantur, non tamen illis, quæ singulares personas, ut sunt pars illius populi, afficiunt.

Quæres *quintò.* Qui sunt effectus interdicti?

R. Quatuor. 1. est privatio activa & passiva Sacramentorum. 2. privatio activa divinorum officiorum. 3. privatio activa & passiva sepulturæ ecclesiasticæ. 4. privatio ingressûs Ecclesiæ. Hi effectus cuilibet interdicto annexi non sunt, sed pro voluntate imponentis plures vel pauciores effectus interdictum comprehendere potest. *arg. cap. Non est vobis.* 11. *de Sponsal.*

Quæres *sextò.* Quibus Sacramentis privat interdictum?

R. Omnibus, exceptis illis, quæ in jure exprimuntur. *cap. Responso.* 43. *de sentent. excomm.* Tria autem in jure excepta sunt Sacramenta, videlicet: Baptismus, Confirmatio, & Pœnitentia. *cap. Alma mater.* 14. *de sentent. excomm. in 6. cit. cap. Responso.* Unde

Primò.

Primò. Baptiſmus tempore Interdicti, etiam ſolemniter in Eccleſia januis apertis, propter ejus neceſſitatem adminiſtrari poteſt: perſona etiam generaliter interdicta hujuſmodi ſolemnem baptiſmum celebrare poteſt: interdictum enim generale perſonale fortiùs, quàm locale, non ligat. Perſona tamen ſpecialiter interdicta, & propter quam interdictum generale poſitum eſt, extra caſum neceſſitatis, etiam privatim baptizare nequit.

2dò Quod dictum eſt de Pabtiſmo, etiam in Sacramento Confirmationis tenet, quod quamvis non ſit neceſſarium, eſt tamen Baptiſmo acceſſorium,& quaſi complementum illius. *cap. quoniam. 19. de ſentent. excom. in 6.*

3tiò. Idem de Sacramento Pœnitentiæ ob magnam illius neceſſitatem tenendum eſt: cùm homines faciles ſint ad lapſum, difficiles ad contritionem perfectam. Excipiuntur illi, quorum dolo, culpâ, fraude latum eſt interdictum, vel qui conſilium, auxilium, aut favorem præſtiterunt ad delictum: hi enim, niſi priùs ſatisfactionem præſtent Eccleſiæ, nequaquam abſolvendi ſunt.

4tò. Matrimonium quoque tempore interdicti à perſonis interdictis contrahi poteſt, colligitur ex *cap. Capellanus. 4. de feriis.* ubi dicitur matrimonium poſſe quocunque tempore contrahi. Et ratio eſt: quia matrimonium per ſe primò conſideratum contractus eſt, & ratio Sacramenti contractui acceſſoria.

5tò Sacramentum Euchariſtiæ tempore interdicti ipſis interdictis etiam infirmis extra mortis periculum conſtitutis adminiſtrari non poteſt, uti neque Sacramentum extremæ Unctionis, nec Sacramentum Ordinis. Ratio eſt; quia hæc Sacramenta nec neceſſitatis, nec complementum alicujus neceſſarii ad ſalutem ſunt. Hoc autem advertendum, quòd Euchariſtia tempore interdicti moribundis concedatur, non tamen extrema Unctio. Cujus ratio eſt: quòd receptio Euchariſtiæ in periculo vel articulo mortis jure divino præcepta ſit, non tamen extrema Unctio: & dum infirmus inungitur, Sacramentum conficitur, non autem, quando Euchariſtia miniſtratur.

Quæres *ſeptimò.* Qualiter divinis officiis interdictum privat?

R. *primò.* In privatione divinorum officiorum intelliguntur omnia iſta exercitia, quæ ex intentione Chriſti & Eccleſiæ à ſolis Clericis publicè exercentur: ut ſunt Sacrificium Miſſæ, recitatio Horarum Canonicarum, benedictio ſolemnis nuptiarum, fontis baptiſmalis, Olei ſacri, Chrytmatis &c.

2dò. De jnre antiquo in loco interdicto & perſonis ſive generaliter ſive ſpecialiter interdictis omnia officia divina prohibita erant. *cap. Permittimus. 57. de ſentent. excomm. cap. ſi ſentent. 14. eod. in 6.*

3tiò. Modò per *cap. Alma mater. de ſentent. excomm. in 6.* tempore interdicti generalis celebrari poſſunt Sacrificium Miſſæ & cætera officia divina ſervatis his conditionibus: 1. ſi fiat januis clauſis. 2. ſubmiſſâ voce 3. excluſis excommunicatis & ſpecialiter interdictis. 4. non pulſatis campanis. Ratio hujus miti-

mitigationis hæc datur: *Quia ex districtione hujusmodi Statutorum excrescit indevotio populi, pullulant hæreses, & infinita animarum pericula insurgunt, ac Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur.*

4tò. Post *cap. Alma mater.* soli Clerici, quo nomine intelliguntur omnes, qui gaudent privilegio fori & canonis sive sæculares sive Regulares, sive fœminæ sive viri; omnes enim sunt Clerici in favorabilibus; soli, inquam, Clerici in Ecclesiis authoritate Episcopi ad Divina deputatis Divina exercere & iisdem interesse possunt, non autem Laici, nisi in sequentibus casibus: 1. Si amentes & pueri, quia hi moraliter non intersunt. 2. Si Sacerdos celebrans nonnisi ministrum laicum habeat: concesso enim privilegio censentur concessa, quæ ad usum ejus sunt necessaria. 3. Si privilegium Laici habeant. Talia privilegia sunt: 1. Omnes Regulares in Ecclesiis suis & Monasteriis non solùm in quatuor primoribus Solemnitatibus, sed etiam in Festis suorum Sanctorum, Patroni Ecclesiæ, Sanctissimæ Trinitatis, S. Joannis Baptistæ, S. Marci & Lucæ, & omnium Sanctorum, & in commemoratione omnium Fidelium defunctorum, quamdiu Missa & Processio durat, interdictum suspendere possunt. Deinde iidem Religiosi singulis diebus famulos suos, Procuratores & Monasterii Officiales ad Divina admittere possunt, quamvis multi hæc privilegia omnia à *Trid. sess. 25. cap. 12. de Regular.* sublata esse sustineant.

Quæres *octavò.* Quomodo interdictum privat sepulturâ Ecclesiasticâ?

R. Tempore interdicti nemo in loco interdicto, in Ecclesia, cœmeterio, aut aut alio quolibet loco ecclesiasticæ sepulturæ per benedictionem aut assignationem Episcopi deputato sepeliri potest, sive tale interdictum sit generale, ùt habetur in *cap. quod in te. 11. de pœnit. & remiss.* sive sit speciale, innuitur in *cap. si civitas. 17. de sentent. excom. in 6.* Ex gratia tamen conceditur Clericis, ut decedentes in cœmeterio Ecclesiæ sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus cum silentio tumulentur, si tamen interdictum servaverint. *cit. cap. quod in te.* vel interdicto causam non dederint, nec specialiter interdicti denuntiati fuerint.

Quæres *nonò.* Quomodo interdictum privat ingressu Ecclesiæ?

R. Si in sententia interdicti hoc specialiter exprimatur, interdictus ingressu Ecclesiæ privatur. *cap. is cui, de sentent. excom. in 6.* Et taliter interdictus privatur imprimis exercitio Ordinis sacri in Ecclesia, deinde sepulturâ ecclesiasticâ in illa ejusque cœmeterio, demum ab auditione divinorum officiorum in eadem Ecclesia excluditur. Sic tamen interdictus in cœmeterio divina celebrare & audire potest, quamvis non sepeliri: Ecclesiam quoque eo tempore, quo divina non celebrantur, ingredi, & ibidem orare valet. Templa enim principaliter deputata sunt, ut in iis sacra officia solemniter peragantur, & populus ad ea audienda congregetur: ideo qui ingreditur, quando nec sacra peraguntur, nec ea audire potest, templum formaliter ingredi haud dicendus est.

Quæ-

Quæres *decimò*. Quantum est peccatum interdicti violatio ?

℟. Tam Clericus quàm Laicus interdictum violans peccat mortaliter, quia præceptum Ecclesiæ in re gravi transgreditur. Clerici autem tam sæculares quàm Regulares specialiter interdicti celebrantes, vel quemcunque actum Ordinis sacri in loco interdicto exercentes irregulares efficiuntur. *cap. medicinalis. cap. is cui. de sentent. excom. in 6.* quam pœnam etiam incurrunt, si in loco interdicto non servatis conditionibus *cap. alma mater.* eos celebrare contigerit: Si in loco non interdicto Clericus non interdictus Laicum interdictum ad divina officia admittat, non fit irregularis, sed ipso facto ab ingressu est interdictus, donec de transgressione hujusmodi ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserit, satisfecerit competenter. *cap. Episcoporum. de sent. excomm. in 6.* Præterea Clerici violantes interdictum fiunt inhabiles ad votum activum & passivum in electionibus. *cap. ad hæc. 1. de postulat.* Religiosi demum excommunicationem præterea incurrunt per *Clement. ex frequentibus. 1. de sent. excomm.*

Quæres *undecimò*. Quomodo tollitur interdictum ?

℟. *primò*. Interdictum appositum tempore limitato, vel sub æliqua conditione, tempore finito & conditione adimpletâ cessat; si absque limitatione in puram pœnam appositum sit, vel ante tempus finitum vel conditionis adimpletionem, per absolutionem aut dispensationem tollitur. Hanc autem præstare nequit alius, quàm is, qui interdictum posuit, aut Successor vel Superior illius. Ex facultate *Trident. sess. 24. cap. 6. de reform.* potest Episcopus personali interdicto absolvere, si delictum, ob quod positum fuit, occultum sit.

2dò. Destructo interdicti subjecto ipsum interdictum etiam absque aliâ absolutione destruitur; uti destructâ Ecclesiâ interdictâ cessat interdictum.

3tiò. Interdictum locale ob delictum Domini positum solâ alienatione loci illius non tollitur. Ratio est; quia tale interdictum onus est loco inhærens, & cum ipso loco ad quemcunque transiens. *arg. cap. Pastoralis. 28. de decimis.*

4tò. Interdictum deambulatorium, quando quicunque locus interdicitur, ubi talis persona sedem fixerit, cujus exemplum est in *cap. non est vobis. 11. de Sponsal* eo ipso tollitur, quo persona illa locum mutat, sine ulla alia relaxatione; sicut econtra ille alius locus, ad quem transit, sine nova sententia incipit esse interdictus.

5tò. Interdictum in favorem alicujus latum, si ab illo non observetur, eo ipso sublatum censetur: non autem, si ille, ob cujus delictum latum est, interdictum non servet. *cap. petistis. 20. de privileg.*

6tò. Demum Parochus vel alius Confessarius tollere nequit interdictum locale, sive generale, sive speciale: nec interdictum personale generale, benè tamen personale particulare non reservatum, sive à jure sive ab homine latum, servatis conditionibus requisitis

in *cap. Alma mater. de sentent. excom. in 6.* Cùm enim hoc interdictum usum Sacramenti Pœnitentiæ impediat, ejus absolutio absolutionem à peccatis præcedere debet; ideoque ei commissa censetur, qui sacramentaliter à peccatis absolvere potest; sicut eidem ab excommunicatione non reservata absolutio à Jure committitur.

Quæres *duodecimò*. Quid est cessatio à Divinis?

℟. Est prohibitio ecclesiastica Clericis imposita ab officiis divinis in certo loco abstinendi. Quæ prohibitio etsi ob gravissimam alicujus culpam fiat; censura tamen non est; sed quædam divinorum Officiorum negatio, tam inquàm nocentes afficiens, ab Ecclesia in signum doloris ob gravissimam Honori Divino vel Ecclesiæ illatam injuriam sub præcepto Clericis imposita, ut hoc modo delinquens ab injuria desistere, & satisfactionem præstare teneatur. Colligitur ex *Clement. ex frequentibus. 1. de sent. excom.* Quamvis autem cessatio à Divinis eosdem ferè effectus habeat, quos habet interdictum, ut privationem officiorum divinorum, Sacramentorum non necessariorum, & ecclesiasticæ sepulturæ; ab eo tamen in sequentibus. *Primò.* Interdictum locale semper afficit aliquam personam determinatam, eam videlicet, ob cujus culpam positum est: cessatio autem nullam personam determinatam afficit, sed omnes à Divinis in illo loco, in quo fertur, æqualiter arcentur. 2. Ob violationem cessationis à Divinis per exercitium Ordinis sacri nulla irregularitas, sicuti violatione interdicti incurritur. 3. Cessatio non est censura, cùm inter censuras in *cap. Quærenti. 20. de V. S.* non numeretur. 4. Privilegia tempore interdicti concessa non sunt extendenda ad Cessationem. 5. Cessatio nunquam ipso jure, ut interdictum, imponitur.

§. Ultimus.

DE

Irregularitate.

QUæres *primò*. Quid est Irregularitas?

℟. Est impedimentum Canonicum directè & per se Ordinum susceptionem, secundariò verò illorum exercitium impediens. Colligitur ex *cap. Significasti, 16. de homicid.* Irregularitas non est censura, sed tantùm canonicum impedimentum: absolutè enim loquendo pœna non est; quamvis aliquando ùt pœna ob delictum incurratur: nec medicinalis pœna est, quæ recedente contumaciâ tollenda est; sed est de se perpetua.

Quæ-

Quæres 2*dò*. Quotuplex Irregularitas?

R. *primò*, Irregularitas alia est, quæ ex delicto vel defectu culpabili, alia, quæ ex defectu non culpabili ortum habet. 2*dò*. Alia totalis, alia partialis est. Totalis susceptione quorumcunque Ordinum privat: partialis susceptorum Ordinum usu vel in toto, vel in parte privat. Sic homicidium ab Ordinato commissum privat illum susceptione Ordinum nondum susceptorum, & omni usu Ordinis jam suscepti, Defectus verò manûs vel oculi illorum Ordinum usum solùm impedit, qui cum tali defectu sunt incompatibiles. 3*tiò*. Irregularitas alia perpetua, alia temporalis est: perpetuâ solâ dispensatione tollitur: temporalis lapsu temporis cessat, qualis est irregularitas ex defectu ætatis orta, quæ adeptâ legitimâ ætate per se cessat.

Quæres *tertiò*. Quæ causa efficiens irregularitatis?

R. Solus summus Pontifex irregularitatem ferre potest. Ratio est; quia irregularitas non ad delicta punienda, sed ad vitandam indecentiam per se inducitur; hæc autem in Ecclesia oriretur, si irregularis ad statum ecclesiasticum & Ordines assumeretur: statuere verò ea & decernere, quæ ad universalem Ecclesiam spectant, solius Summi Pontificis esse dignoscitur.

Quæres *quartò*. Quodnam subjectum irregularitatis?

R. Omnis ille, qui Sacramenti Ordinis capax est. Omnis igitur & solus homo masculus, baptizatus, excepto Summo Pontifice, fieri potest irregularis.

Dicitur 1. *Baptizatus*. Quia etsi non baptizatus Ordinis suscipiendi vel exercendi, uti & fœmina incapax sit: hæc tamen incapacitas non canonici, sed divini Juris est, colligitur ex *cap. si quis Presbyter. & cap. Veniens. 3. de Presbytero non baptizato.* Cui non obstat, quòd is, qui ante baptismum duplex matrimonium contraxit, baptismo suscepto sit irregularis; non enim fit irregularis ob ante baptismum contractam irregularitatem; sed suscepto baptismo irregularis est ob indecentiam ex duplici matrimonio relictam, post baptismum perseverantem.

Dicitur 2*dò*: *Excepto Summo Pontifice*. Hic siquidem Legibus canonicis quoad vim coactivam minimè subditur: ideoque si de facto bigamus, illegitimus, aut homicida in Summum Pontificem eligeretur; quamvis electores graviter delinquerent, personam indignam eligendo, electio nihilominus valida, & propter commune bonum & ad vitandum schisma firma foret. Itaque factâ irregularis electione ab electo tollitur irregularitas. Porrò idem homo plures irregularitates contrahere potest: quia multiplicatis causis effectus multiplicantur; unde multiplicatâ causâ irregularitatis, sive secundùm speciem, sive secundùm numerum in eodem homine etiam irregularitates multiplicantur: quantumvis enim privatio totalis ex parte formæ, quam tollit, majus & minus non suscipiat, ex parte tamen causæ majus & minus suscipit, ita ut propter

plures causas expellentes formam fiat major privatio.

Quæres *quintò*. Qui effectus irregularitatis ?

R. *1mus.* Est recipiendi Ordinis privatio. Licet autem prima tonsura juxta Theologos Ordo non sit ; quia tamen ad Ordines dispositio est , & hominem in gradu Clericali constituit, à quo Ecclesia per irregularitatem excludere intendit, mortaliter peccant tam ille, qui irregulari primam tonsuram confert , quàm irregularis primam tonsuram suscipiens. Ea tamen sic collata & suscepta valida est.

2dus. Illius Ordinis, in quo Clericus est constitutus privatio. Constat ex *cap. fin. de temp. Ordinat.* & *cap. inquisitionis. 21. de accusat.* Mortaliter ergo irregularis peccat, si actum Ordinis Sacri exerceat ; novam tamen irregularitatem, uti in censuris, nec aliam pœnam incurrit : cum nullam in jure expressam inveniamus.

3tius. Ad beneficia obtinenda incapacitas. *cap. Henricus. 2. de Cleric. pugnant. in duello. Trid. Sess. 14. de Reform. cap. 7.* Et quidem si irregularitas absoluta & totalis est, irregularem de statu & ordine Clericali dejicit, ac iis omnibus privat, quæ Clericalem Ordinem requirunt. Dixi : *absoluta & totalis.* Quia si irregularitas partialis est , ex defectu non culpabili ordinato superveniens (cujus exemplum est in *cap. Presbyterum. 2. de Cleric. ægrotante.*) validè & licitè tali beneficium usum repugnantem defectui non requirens conferri potest. An collatio beneficii irregulari facta ipso jure nulla sit, gravis est quæstio : probabile est esse non ipso jure invalidam, sed irritandam.

4tus. Beneficiorum ante obtentorum privatio. Est autem irregularis ex delicto per sententiam Judicis beneficiis obtentis privandus.Probatur ex *cap. ex literis. 10. de exceß. Prælat.* Ubi Episcopus propter homicidium irregularis monetur, ut Episcopatui cedat, & si non cesserit, privetur. in *cap. Clericis. 5. ne Clerici vel Monachi.* de irregulari dicitur ; *Honore privetur & loco.* Quæ formalia non latam sententiam sed ferendam significare videntur.

Quæres *sextò*. Quænam ex delicto oriuntur irregularitates ?

R. *1mò.* Ex homicidio injusto directè voluntario maxima oritur irregularitas. Constat ex plurimis canonibus. *Dist. 50. & cap. 1. de Homicid.* & *Trident. Sess. 14. de Reform. cap. 7.* Ut autem homicidium directè sit voluntarium duo requiruntur : 1. Ut per directam , expressam, & spontaneam occidendi voluntatem committatur, *cap. sicut dignum. 6. de homicid.* & *Trident. loc. cit.* 2. Ut causa cum morte inseparabiliter conjuncta directè intendatur , ut si propinetur venenum. Hanc irregularitatem quoque mandantes & consulentes mortem ac cooperantes ad illam incurrunt, *Can. si quis viduam. 8. dist. 50. cap. sicut dignum. cit. cap. fin. de homicid. in 6.* 3. Fit irregularis ex mutilatione injusta directè volita : ad quam mutilatio alicujus membri reqniritur : membrum autem illud pars corporis esse debet, quæ actionem ab aliis distinctam habeat , qualis est

auris,

auris, pes, manus &c. Colligitur ex *cit. cap. Presbyt. de Cleric. Ægrotante.* Ubi Sacerdos carens duobus digitis cum dimidietate palmæ non mutilatus aut truncatus, sed debilitatus & deformatus dicitur. 4. Qui in excommunicatione majore, suspensione, aut interdicto actum majoris Ordinis exercet solemniter, irregularis est, quamvis denuntiatus non sit. Constat ex *Can. si quis Episcopus. cauf. 11. q. 3. & cap. Apostolicæ. 9. de Cleric. excomm.* 5. Clericus scienter & solemniter ministrans in Ordine Sacro, quem non suscepit, fit irregularis, liquet ex *cap. 1. & 2. de Cleric. non Ordinat ministrante.* 6. Omnes infames irregulares sunt, sive infamia juris sive facti fuerit. Patet ex *Can. testes. cauf. 2. q. 7. Can. infames. cauf. 6. q. 1.* Et ratio sumitur ex regula Juris : *Infamibus dignitatum portæ patere non debent.* Infamia est publica nominis boni rectæque existimationis diminutio. Alia est juris alia facti : infamia facti ex ipso facto seclusâ omni lege oritur ; quia cum fama sit status illæsus moribus & legibus probatus, illa per grave delictum legibus contrarium diminuitur. Hæc delicta & ob ea infames plurima ex parte enumerat. *cit. Canon. infames.* Infames esse eas personas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamiâ, id est, qui Christianæ legis normam abjiciunt : similiter fures, sacrilegos & omnes capitalibus criminibus irretitos : sepulchrorum quoque violatores, & Apostolorum atque Successorum eorum reliquorumque Patrum statuta libenter violantes, & omnes, qui adversus Patres armantur, qui in omni mundo infamiâ notantur ; similiter & incestuosos, homicidas, perjuros, maleficos, veneficos, adulteros, de bellis publicis fugientes, & qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates Ecclesiæ abstrahunt injustè, & qui fratres calumniantur, & accusant, & non probant, vel qui contra innocentes Principum animos ad iracundiam provocant, & omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos, & omnes quos ecclesiasticæ vel sæculi leges infames pronuntiant ... Hi omnes ad Sacros Ordines non debent provehi. Ita Stephanus Papa. *loc. cit.* Hæc ergo peccata infamiam inducunt, ex qua irregularitas nascitur, quæ attento cujuscunque statu & communitate, in qua vivit, apud pios & prudentes vilis & abjectæ existimationis reddunt, qualia respectu Clericorum sunt perjurium, homicidium, hæresis, Sodomia &c. Debent autem delicta sive facta esse notoria, ut irregularitas incurratur, quæ ipsâ infamiâ sublatâ eo ipso cessat, ideoque si infamia facti per emendationem & sufficientem pœnitentiam tollitur, hæc quoque irregularitas auffertur. Infamia juris illa est, quæ vel per Jus Canonicum, vel per Jus Civile inducitur, & duplex est: alia ex delicto proprio, cui ipso jure statuente infamia annexa est, & hæc requirit sententiam definitivam Judicis, quæ in rem judicatam transiit, qualis est ex crimine læsæ Majestatis, adulterii, proditionis, rapinæ, vel si ob criminis notoreitatem ad pœnam publicam v. g. Flagellationis, triremium, perpetui car-

ceris damnatus sit; tales enim pœnæ infamiam juris inducunt. Alia ex delicto proprio proveniens infamia est, quæ ipsi delicto tantùm annectitur, & oritur ex crimine, cui jus ipso facto infamiam annectit, & sententiam definitivam aut condemnatoriam non requirit, sed solùm criminis declaratoriam. Exempla sunt in *cap. Statutum.* 14. *de hæreticis, in* 6. & *cap. felicis.* 5. *de pœnis, in* 6. Ex exercitio quoque histrionum infamia oritur: illi enim ob turpes & obscœnas repræsentationes infames declarantur in *Can. definimus.* 1. *caus.* 4. *q.* 1. Infamia facti per baptismum & facti emendationem: infamia autem juris per solam dispensationem tollitur; hæc enim per legem & sententiam perpetuam inducta est. Potest autem dispensare Summus Pontifex, & alii privilegiati, sicut Prælati Regularium respectu suorum subditorum dispensant.

Quæres *septimò*. Quale peccatum ad irregularitatem ex delicto requiritur?

R. Requiritur 1*mò* culpa externa, consummata, & secundùm proprietatem verborum canonis irregularitatem inducentis, perfecta, sive sit publica, sive occulta. Colligitur ex *Tridentino Sess.* 24. *de Reform. cap.* 6. Ubi Episcopis facultas datur dispensandi super omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus. 2*dò*. Culpa, per quam irregularitas incurritur non solùm ex objecto & materia sua, sed etiam hìc & nunc respectu delinquentis gravis esse debet; quia irregularitas, utpote pœna gravis, in delinquente culpam gravem præsupponit.

Quæres *octavò*. Quid faciendum in dubio, an quis irregularitatem incurrerit?

R. 1*mò*. In quocunque dubio, sive illud juris, sive facti fuerit, diligentia ad vincendum dubium adhibenda est: ac intereà dubius absque gravi peccato ea, quæ irregulari prohibita sunt, præstare nequit. Probatur ex *cap. illud Dominus.* 5. *de Cleric. excomm. ministrante.* Ubi Episcopus de sua excommunicatione dubitans & celebrans graviter reprehenditur; talis enim etsi de lata sententia dubitaret, debuerat tamen potius abstinere, quam Sacramenta ecclesiastica pertractare; quia in dubio via est eligenda tutior.

2*dò*. In dubio juris dubitans post diligentem inquisitionem irregularis censendus non est. *Cap. is qui.* 18. *de Sentent. excomm. in* 6. Ubi nunquam irregularitas contrahi dicitur, nisi sit *in jure* expressum: in dubio autem *Juris* irregularitas expressa non est.

3*tiò*. In dubio facti homicidii, id est, si quis dubitet, an homicidium perpetraverit, vel suâ actione, consilio, vel favore illud adjuverit, dubius in foro externo se pro irregulari habere debet, non quidem absolutè, sed quoad effectum abstinendi à celebratione Missæ, & quærendi dispensationem, est expressum in *cap. ad audientiam.* 12. *cap. significasti.* 18. *cap. petitio.* 24. *de homicid. Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, & in hoc casu cessare ab officio Sacerdotali sit tutius, quam temerè celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur*, uti loquitur

quitur Pontifex locis citatis. Hanc Juris disposition aliqui extra casum homicidii extendere nolunt ; quia, inquiunt, in irregularitate homicidii ob specialem indecentiam jura Clericum dubium à celebratione abstinere voluerunt, lex autem pœnalis ad casum juxta proprietatem verborum non comprehensum non est extendenda.

Quæres *nonò*. Quæ sunt irregularitates ex defectu ortæ ?

R. Sunt sequentes : *1mò* ex defectu Sacramenti irregularitas bigamiæ oritur colligitur ex *cap. debitum. 5. de bigamis.* Hæc irregularitas ab ipsis Apostolis dimanavit, ut innuit Apostolus. 1. *ad Timot.* 3. Vocatur ex defectu Sacramenti, quia in matrimonio bigami conjunctio Christi cum Ecclesia non significatur : vel enim non est conjunctio unica unici, vel unus non est unius ; ideoque deficit signaculum Sacramenti. Bigamia dividitur in veram, interpretativam, & similitudinariam. Vera est, quando quis cum duabus successivè reverà contraxit, & matrimonium consummavit : interpretativa fictione juris est in quatuor casibus : 1. Quando quis duo matrimonia contrahit & consummat, quorum unum validum, alterum de facto nullum. 2. Quando duo matrimonia de facto invalida contrahuntur. 3. Quando matrimonium quis contrahit cum vidua vel corrupta. 4. Quando vir uxorem contracto matrimonio adulteram post commissum adulterium cognoscit. Bigamia similitudinaria est, quando Religiosus professus, vel in majoribus ordinibus constitutus contrahere matrimonium attentat, quod quidem in se nullum est, ob intentionem tamen & affectum pravum irregularitatem inducit, *Can. Monacho. Can. quotquot. caus. 27. q. 1.*

2dò. Ex defectu lenitatis. De qua in *cap. Clericis. 5. & cap. Sententiam. 9. ne Clerici vel Monach.* Hæc irregularitas per justam occisionem vel mutilationem authoritate publicâ factam incurritur : ideò imprimis in Judicio sanguinis Judex, Assessor, Promotor, Fiscalis, Procurator, Satelles, Comprehensor, Accusator, Denuntiator, si vi accusationis vel denuntiationis reus occidatur, sunt irregulares, *Cit. cap. Sententiam.* Hanc tamen irregularitatem non incurrit, qui reum accusat, ut sua bona recipiat, qui supplicio ut merus spectator assistit, qui inadvertenter & indeliberatè reum hortando, ut scalas ascendat, mortem accelerat, &c. Nec Prælatus, qui jurisdictionem temporalem habens in foro contentioso aliis Laicis vel specialiter, vel generaliter causam sanguinis committit. *Cap. fin. ne Clerici vel Monach. in 6.* Pugnantes in bello justo offensivo sunt irregulares, si aliquem propriis manibus occiderint, vel mutilaverint, *Cap. petitio. 24. de homicid.* Dicitur *in bello justo.* Si enim bellum injustum est, omnes mandantes, cooperantes ad tale bellum irregulares sunt. Dicitur *2dò. Offensivo.* quia in bello defensivo cum moderamine inculpatæ tutelæ occidentes, vel mutilantes, irregulares non sunt ; cum justa defensio sit juris naturalis.

3tiò. Ex defectu natalium. De qua in *Cap. per Venerabilem. 13. qui filii sint legitimi, & cap. 1. & 2. de filiis Presbyter. in 6.*

in 6. Defectum natalium patitur, qui natus est ex thoro illegitimo, sive sit naturalis, sive spurius, incestuosus vel sacrilegus. Hanc irregularitatem non habent expositi, quorum parentes ignorantur; cùm sæpe parentes legitimi proles exponant; item nec filii nati ex matrimonio invalido, bonâ tamen fide ab uno saltem ex parentibus contracto. Patet ex *cap. cum inter. 2.* & *cap. ex tenore. 14. Qui filii sint legitimi.*

4tò. Ex defectu mentis, qui duplex est: ignorantia & amentia. Propter ignorantiam irregularis est, qui non habet tantam scientiam, ut ministerium Ordinis exercere possit: literis enim carens sacris non potest esse aptus officiis. *can. illiteratos. 1. dist. 36.* Propter amentiam irregularis est, qui non transeunter ex febri, sed habitualiter & ex naturali complexione vel propriâ organorum læsione amens est. *can. maritum. 2. dist. 33.*

5tò. Ex defectu corporis. Tales sunt hermaphroditi. 2. Patientes defectum ætatis pro Ordinibus requisitæ. 3. Non habentes aliquod membrum ad congruentem Ordinis usum necessarium, vel qui talem deformitatem habent, ut horrorem incutiant, sive illa culpabiliter, sive inculpabiliter sit causata. *cap. cùm de tua. 2. cap. fin. de corp. vitiatis &c. cap. Presbyterum. 2. de Clerico ægrotante.* Sic irregulares sunt, qui carent pollice vel indice, vel his ita debiles sunt, ut hostiam frangere nequeant. *cap. exposuisti. 5.* & *cap. de Presbytero. 1.* & *cap. fin. de corpore vitiatis.* 4tò Cæci, & taliter claudi, ut absque baculo vel pede ligneo se movere non possint. Surdi utraque aure, qui Ministri responsum percipere nequeunt: si tamen surditas Ordinato superveniat, ut celebret, permitti potest. Ob horrorem & deformitatem irregulares sunt, quibus nares deficiunt. qui leprâ, paralysi, morbo caduco, aliâque infirmitate laborant, per quam notabiliter deformantur. Episcopi autem judicio relinquitur, utrùm defectus horroris vel deformitatis tantus sit, ut usum Ordinis impediat.

Ad irregularitatem ex defectu corporis reducitur ea, quam contrahit, qui partem sui corporis etiam usum Ordinis non impedientem ex indignatione vel zelo indiscreto sibi abscindit, aut abscindi permittit. *can. qui partem. 6. dist. ff. cap. ex parte. 3.* & *cap. significavit. 4. de corp. vitiatis.*

Ultima ex defectu libertatis. Ex qua irregulares sunt servi propriè dicti, ut statuitur in pluribus canonibus *dist. 54.* & toto *titulo de servis non ordinand.* Ratio est: quia ecclesiasticum statum ejusque decorem servitutis humilitas dedecet. Si servus sciente & non contradicente Domino Ordines vel primam tonsuram suscipiat, liber & ingenuus erit. *can. si servus. 20. dist. 54.* si verò ignorante & non contradicente Domino ordinetur, & Minores susceperit, manet servus, & ad Dominum redire tenetur. *cap. de servorum. 2. de servis non ordinand.* si autem Majores susceperit, ipso in Clericatûs officio permanente, Episcopus, qui eum scienter ordinavit, illum Domino duplici satisfactione compensare tenetur. *can. si servus. 19. dist. 54.* Ad irregularitatem

tatem ex defectu libertatis reducitur ea, quam habent obligati ad ratiocinia, sive qui debent reddere rationem alicujus administrationis sive à Republ. sive à privato, non tamen miserabili personæ susceptæ: ut Thesaurarii, Depositarii, Procuratores: Actores, Advocati, Magistratus, Judices, Tutores &c. Dum enim ista munia exercent, ab Ordinibus arcentur, partim in honorem Statûs Clericalis, quem tales administrationes dedecent, partim ne Ecclesia dolo favere præsumatur; tales enim non amore divini obsequii, sed fugiendo ratiocinia Ordinibus initiari velle creduntur. Colligitur ex *Can.* 1. & 3. *dist.* 51. & *cap. unic. de obligat. ad ratiocinia.*

Quæres *decimò*. Quot modis tollitur irregularitas?

R. Sequentibus: 1*mus* modus generalis, quo irregularitas tollitur, est causæ cessatio: omnis enim irregularitas ex defectu proveniens cessante causâ, ob quam introducta est, absque ulla dispensatione auffertur; cum enim Ecclesia tales irregularitates induxerit ob indecentiam apparentem in eo, qui ad ministerium Ecclesiasticum admittitur, cessante indecentiâ cessat irregularitas. Si verò causa irregularitatis sit indecentia perpetua nunquam tollibilis, ut in bigamia & illegitimitate, &c. irregularitas nonnisi dispensatione aut juris dispositione aufferri potest.

2*dus*. Modus Baptismus. Omnis irregularitas ex delicto proveniens nonnisi post baptismum contrahitur, post quem delictum, ut irregularitatem inducat, commissum esse debet. Aliàs ex defectu post baptismum fundamentum & causa, propter quam suscepto baptismo irregularitas contrahatur, remanere potest, ut patet in bigamia.

3*tius* modus. Professio religiosa irregularitatem ex defectu natalium ortam in ordine ad suscipiendos Ordines sacros tollit, *Cap. ut filii.* 1. *de filiis Presbyt.* non autem quoad Prælaturas; cum in *cit. cap.* addatur: *Prælationes verò nullatenus habeant.* Prælati tamen Regulares plura privilegia habent, vi quorum cum suis Religiosis subditis in omnibus irregularitatibus etiam bigamia & homicidio voluntario dispensare possunt.

4*tus* modus. Dispensatio. Quia in omnibus irregularitatibus dispensatio fieri potest; cum enim irregularitas jure ecclesiastico introducta sit, cui dispensandi in jure, ei quoque in irregularitate dispensandi competit facultas.

Quæres *undecimò*. Quinam in irregularitate dispensare valent?

R. 1*mò*. Summus Pontifex in omnibus & quibuscunque irregularitatibus validè absque causa, licitè cum causa dispensare potest. Delegatus Summi Pontificis nullâ interveniente causâ nec validè nec licitè dispensat. Difficultet tamen in bigamia à temporibus Apostolorum introductâ, & adhuc difficilius in irregularitate ex homicidio injusto orta, ob indecentiam gravissimam, quam statui Clericali contrariam affert, hodiedum dispensatur.

2*dò*. Episcopi in irregularitatibus etiam non reservatis dispensare non possunt; quia Episcopi Jus vel Canones innovandi potestatem non habent. Nisi

specialiter id eis concedatur, uti conceditur à *Trident. Sess. 24. cap. 6. de Reform.* Facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto provenientibus ad forum contentiosum non deductis cum suis subditis, exceptâ irregularitate ex homicidio voluntario causatâ. Quibus verbis quatuor conditiones exprimuntur. 1. Ut dispensatio cum subditis fiat. 2. In Diœcesi propria. 3. In irregularitate ex delicto occulto. 4. Solùm in foro conscientiæ.

Quæres *duodecimò*. Quâ formâ fit dispensatio?

R. Nulla determinata in jure assignatur, adeóque quæcunque verba mentem superioris de danda dispensatione exprimentia sufficiunt, imò si Prælatus habens facultatem dispensandi super irregularitate scienter ad Ordinem vel beneficium admitteret irregularem, cum eo, saltem in foro conscientiæ dispensare velle censeretur: quia quod admittendo peccare velit, non præsumitur. Aliàs congruentior forma est hæc: *Dispenso tecum in irregularitate, quam ob talem causam incurristi.* Si aliquis plures irregularitates diversæ speciei contraxisset; omnes illæ in forma dispensationis exprimi deberent: secus dicendum, si ejusdem essent rationis, ut quia multoties excommunicatus ministravit, non requiritur, ut exprimatur, quoties celebrasset.

TITULUS VI.

DE

Sacramento Extremæ Unctionis.

QUæres *primò*. Unde nomen extremæ unctionis?

R. Dicitur extrema unctio 1*mò* quia datur hominibus in extremis existentibus. 2*dò* Quia inter cæteras unctiones, quas Christus Ecclesiæ suæ commendavit, hæc extrema ultimò est ministranda: siquidem baptizatus in vertice à baptizante: confirmatus in fronte ab Episcopo confirmante: Sacerdos in manibus ab Episcopo ordinante: Episcopus dum consecratur, in capite & in manibus ab Episcopo consecrante inungitur: & ab his sactis unctionibus, quæ fiunt in vita, distinguitur hoc Sacramentum, quod datur in morte, sive ejus articulo. Dicitur etiam Sacramentum unctionis infirmorum; quia ipso infirmi unguntur; vel Sacramentum exeuntium; quia constitutis in periculo mortis sive exeuntibus ex hoc mundo ministratur. *Catechism. Roman. p. 2. cap. 5. q. 6.*

Quæres *secundò*. An extrema unctio Sacramentum?

R. Instituta est S. unctio infirmorum, tanquam verum & propriè Sacramentum novi testamenti, à Christo Domino

nostro

noſtro apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum & Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum. Infirmatur, inquit, quis in vobis ? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. *Trident. Seſſ. 24. cap. 1. de extr. unct.*

Quæres *tertiò*. Quæ congruentia inſtitutionis hujus Sacramenti?

℟. Homini lapſo viatori quinque Sacramenta neceſſaria ſunt, duo particulari homini voluntaria. Ad ingreſſum neceſſarius eſt baptiſmus, ad progreſſum confirmatio, pœnitentia, Euchariſtia, ad egreſſum extrema unctio: Ordo & matrimonium nulli in particulari ſunt præcepta, ideoque Sacramenta voluntaria.

Quæres *quartò*. Qualiter definiendum hoc Sacramentum ?

℟. Extrema unctio eſt : Sacramentum novæ legis à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, ut Sacrâ unctione & oratione Sacerdotis in certis partibus corporis infirmi probabiliter periclitantis de vita, corpore & anima efficiatur ſalvus.

Quæres *quintò*. Quæ materia remota hujus Sacramenti ?

℟. Eſt oleum ab Epiſcopo benedictum. *Trident. loc. cit.* Liquor ſcilicet, non ex quavis pingui materia & craſſa, ſed ex olearum baccis tantummodo expreſſus. *Catechiſm. Rom. cit. cap. 5.* De neceſſitate Sacramenti eſt, quod ſit benedictum ab Epiſcopo, benedictione ſpeciali : ideoque ſi quis inunctus chryſmate eſſet, Sacramentum reiterari deberet. *Gloſſ. in Can. Presbyteros. 2. diſt. 45.* Si oleum conſecratum deficiat, non negamus, quin oleum non conſecratum conſecrato poſſit immiſceri. *Cap. quod in dubiis. 3. de Conſecrat. Eccleſ. vel alt.*

Quæres *ſextò*. Quæ materia proxima hujus Sacramenti ?

℟. Eſt unctio facta infirmo oleo ſacro : nam unctio aptiſſimè Spiritûs Sancti gratiam, quâ inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat. *Trid. cit. cap. 1.* Quæ unctio ſive fiat per modum crucis, ſive alio modo, non intereſt ; tutius tamen eſt & magìs pium, ſi fiat per modum crucis.

Quæres *ſeptimò*. In quibus partibus unctio fieri debet ?

℟. In locis & organis quinque ſenſuum, ſcilicet in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter olfactum, in ore propter guſtum, in manibus propter tactum. Inunguntur autem à quibuſdam renes aut ſcapulæ ob vim appetitivam, & pedes ob vim motivam ; ſed hæc poſtrema de neceſſitate non ſunt, ſed ſervanda conſuetudo Eccleſiarum.

Quæres *octavò*. Quæ forma hujus Sacramenti ?

℟. Forma ſunt iſta verba : *Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccaſti per viſum. Trident. loc. cit.*

Quæres *nonò*. Quis miniſter hujus Sacramenti ?

℟. Proprii hujus Sacramenti ministri sunt Ecclesiæ Presbyteri, quo nomine eo loco non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinati. *Trident. cit. cap. 3.* Religiosi, qui Clericis aut Laicis Sacramentum extremæ unctionis ministrare, non habitâ super hoc Parochialis Presbyteri licentiâ speciali, præsumpserint, excommunicationis incurrunt sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendi. *Clement. 1. de Privileg. & excess. privilegiat.*

Quæres *decimò*. Quibus hoc Sacramentum conferendum?

℟. Illis, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. *Trident. cit. cap. 3.* Omnes qui rationis usu carent, ad hoc Sacramentum suscipiendum apti non sunt, & pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias sanare hujus Sacramenti remedio opus non sit.

Quæres *undecimò*. Quis effectus hujus Sacramenti?

℟. Est gratia Spiritûs Sancti, cujus unctio delet, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus sublevatus & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur: *Trident. cit. cap. 2.* Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, Domino dicente languido, quem sanaverat: *Vade, & amplius noli peccata, ne deterius aliquid tibi contingat*, & cessante causâ cesset effectus. *Cap. cum infirmitas. 13. de Pœnit. & Remiss.* In hoc Sacramento, sicut in cæteris, tria sunt: unum est Sacramentum tantùm, scilicet unctio extrema: aliud est res tantùm, scilicet effectus duplicis sanitatis: tertium est Sacramentum & res, scilicet quædam unctio spiritualis interior, id est mentis jucunditas & solatium, quia per hoc venialia delentur, de quo in *cap. unic. de S. unct. §. 1.* Unctio visibilis & exterior signum est interioris & invisibilis unctionis: unctio verò visibilis & interior non solùm est signum sed etiam Sacramentum: quia si dignè sumitur, vel agit, vel auget absque dubio, quod designat.

Quæres *duodecimò*. Quæ obligatio ad hoc Sacramentum?

℟. Obligatio gravis ad hoc Sacramentum ex fine, ob quem est institutum, probari videtur. De quo *Trident. cit.* in principio: Clementissimus Redemptor noster extremæ unctionis Sacramento finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat & capter, ut devorare animas nostras quoque modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos

nervos intendat, ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quàm cum impendere nobis exitum vitæ perspicit. Ideo in fine ita concludit Concilium. *cap.* 3. Nec tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & ipsius Spiritûs Sancti injuria esse potest.

TITULUS VII.

DE

Sacramento Ordinis.

QUinque Sacramenta, de quibus in præcedentibus, sunt necessitatis: duo sequentia videlicet Ordo & matrimonium respectu privatorum voluntatis sunt. De excellentia Sacramenti Ordinis ita Gratianus: Cætera Sacramenta unicuique propter se dantur, & unicuique talia fiunt, quali corde & conscientiâ accipiuntur; istud verò non propter se solùm, sed propter alios datur: & ideo necesse est, ut vero corde mundâque conscientiâ, quantùm ad se sumatur, quantùm ad alios autem non solùm sine omni macula, sed etiam sine omni infamia propter scandalum fratrum, ad quorum utilitatem non solùm ut præsint, sed etiam ut prosint, Sacerdotium datur.

§. Primus.

Essentialia Sacramenti Ordinis.

QUæres *primò*. An Ordo Sacramentum?

R. Affirmativè. Cùm Scripturæ testimonio, Apostolicâ traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè unum ex septem S. Ecclesiæ Sacramentis. *Trident. sess* 23. *cap.* 3.

Quæres *secundò*. Quomodo definitur Ordo?

R. Magister sententiarum *lib.* 4. *dist.* 24. ita definit: Ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur Ordinato. Quam definitionem approbat Doctor Angelicus in

suppl. q. 34. a. 2. in O. Definitio, inquit, quam Magister ponit de Ordine, convenit Ordini, in quantum est Ecclesiæ Sacramentum, & ideo duo ponit, videlicet signum exterius, & effectum interiorem, potestatem videlicet spiritualem, qui est proprius effectus hujus Sacramenti.

Quæres *tertiò*. Qualis spiritualis potestas in susceptione Ordinum vel Ordinatione confertur?

℟. Duplex, Ordinis & Jurisdictionis. Potestas Ordinis ad verum Christi Domini corpus in sanctissima Eucharistia confertur: potestas jurisdictionis verò tota in Christi corpore mystico versatur. Ad eam enim spectat Christianum populum gubernare, moderari, & ad æternam cœlestemque beatitudinem dirigere. *Catechism. Rom. p. 2. cap. 7. q. 7.*

Quæres *quartò*. Quot sunt Ordines?

℟. Cum *Catechism. Rom.* contra communem Canonistarum sententiam docendum erit omnes hosce Ordines septenario numero contineri, semperque ita à Catholica Ecclesia traditum esse; quorum nomina hæc sunt: Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Sacerdos. Ex his alii majores, qui etiam sacri, alii minores dicuntur. Majores vel sacri sunt Ordo Sacerdotalis, Diaconatûs & Subdiaconatûs: ad minores Acolythi, Exorcistæ, Lectores, Ostiarii referuntur.

Quæres *quintò*. An prima Tonsura sit Ordo?

℟. negativè. Sed Clericalis Tonsura quædam præparatio est ad Ordines suscipiendos. Uti enim homines ad baptismum exorcismis, ad matrimonium sponsalibus præparari solent, ita cum tonso capillo Deo dedicantur, tanquam aditus ad Sacramentum Ordinis reperitur. *Catechism. cit. q. 13.*

Quæres *sextò*. An Episcopatus Ordo sit?

℟. Tametsi unus est Ordo Sacerdotalis, varios tamen dignitatis & potestatis gradus habet. Primus est eorum, qui Sacerdotes simpliciter vocantur; 2dus est Episcoporum, qui singulis Episcopatibus præpositi sunt, ut non solùm cæteros Ecclesiæ ministros, sed & fidelem populum regant, & eorum saluti summa cum vigilantia & cura prospiciant. *Catech. Rom. cit. q. 24.*

Quæres *septimò*. Quis legitimus Sacramenti Ordinis minister?

℟. Constat ad Episcopum eam administrationem pertinere. Quamvis autem nonnullis Abbatibus permissum sit, ut minores & non sacros Ordines interdum administrent, tamen hoc proprium Episcopi munus esse nemo dubitat. *Catech. cit. q. 5.* Abbatibus aurem ac aliis quibuscunque exemptis non licet intra fines cujuscunque Diœcesis existentibus, etiamsi nullius Diœcesis vel exempti dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores Ordines conferre. *Tridentin. sess. 23. cap. 10. de reform.*

Quæres *octavò*. Quodnam subjectum Ordinis?

℟. Masculus baptizatus. Pueris quidem & furiosis vel amentibus, quòd usu rationis careant, hoc Sacramentum dan-

dandum non est, quamvis si iis quoque administretur, Sacramenti characterem in eorum anima imprimi certò credendum sit. *Catech. cit. q.* 27.

Quæres *nonò*. Quæ officia singulorum Ordinum?

R. *primò*. Ostiarii munus est templi claves & januam custodire, aditu templi arcere eos, quibus ingredi interdictum, sancto Missæ Sacrificio assistere, & curare, ne quis propiùs quàm par est, ad sacram aram accedat, & Sacerdotem rem divinam facientem interpellet. *Catech. q.* 15. *2dò*. Ad Lectoris munus pertinet in Ecclesia novi & veteris Testamenti libros clarâ voce & distinctè recitare, præsertim eos, qui inter nocturnam psalmodiam legi solent, & prima Christianæ Religionis rudimenta fidelibus tradere, *Catech. q.* 16. *3tiò*. Exorcistis potestas data est nomen Domini invocandi super eos, qui ab immundis spiritibus obsidentur. *Catech. q.* 17. *4tò*. Acolythorum munus est ministris majoribus Sub- & Diacono in Altari ministrare, luminaria deferre, & asservare, & cùm Missæ Sacrificium celebratur, præcipuè dum Evangelium legitur. *Catech. q.* 18. *5tò*. Subdiaconi munus est Diacono in Altari servire, sacra linteamina, vasa, panem & vinum ad Sacrificii usum necessaria parare, Epistolam legere, & tanquam testis ad Sacrificium assistere. *Catech. q.* 18. *6tò* Diaconi officium est Episcopo & Sacerdoti sacra facienti vel alia Sacramenta administranti assistere, in Missæ Sacrificio Evangelium legere, bona ecclesiastica inter pauperes distribuere, tanquam oculus Episcopi investigare, quinam in urbe piè & religiosè, quive secus vitam traducant, eosque privatim adhortari, publicè corrigere & redarguere, & ad Episcopum deferre, in absentia Episcopi & Sacerdotis Evangelium annuntiare & explanare. *Catechism. q.* 20. *7timò*. Sacerdotis est DEO Sacrificium offerre, & Ecclesiasti ca Sacramenta fidelibus administrare. *Catech. q.* 21. Exoptat autem Synodus Tridentina *sess.* 23. *cap.* 17. *de reform.* ut sanctorum Ordinum à Diaconatu ad Ostiariatum functiones, ab Apostolorum temporibus ab Ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquamdiu intermissæ in usum juxta S. Canones revocentur, ne ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur.

Quæres *decimò*. Quæ materia & forma hujus Sacramenti?

R. cum Bellarm. *cap.* 9. *de Sacramento Ordinis*. Credibile est Dominum instituisse materias Ordinum, non quidem in particulari, sed generaliter, monendo Apostolos, ut Ordines conferrent per cæremoniam instrumentorum, quibus significaretur coram potestas speciatim. De materia & forma cujuslibet Ordinis videri possunt Canones in *dist.* 23.

Quæres *undecimò*. An ad validitatem hujus Sacramenti requiratur, ut Ordinandus verè & realiter tangat instrumenta, quæ sunt materia remota Ordinis, quem suscipit?

R. Cum Doct. Angel. in *suppl. q.* 34. *a.* 5. *ad* 3. Ipsa verba formæ videntur ostendere, quòd tactus materiæ sit de essentia Sacramenti, quia dicitur: *Accipe hoc vel illud &c.*

Quæ-

Quæres *duodecimò*. Quis effectus Sacramenti Ordinis?

R. cum *Catech. Rom. q.* 28. Quamvis Ordinis Sacramentum maximè ad utilitatem & pulchritudinem Ecclesiæ spectet, tamen in ejus quoque anima, qui sacris initiatur, sanctificationis gratiam efficit, quâ idoneus habilisque ad rectè munere suo fungendum Sacramentaque administranda reddatur. Aliam quoque gratiam hoc Sacramentum tribuit, videlicet potestatem, quæ ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum refertur; in Sacerdote quidem plena & perfecta, ut qui Domini nostri corpus & sanguinem unus conficere potest; in aliis verò inferiorum Ordinum ministris minorem majoremve, quo quis ministerio suo magis minusve ad Altaris Sacramenta accedit. Atque hæc potestas etiam character spiritualis dicitur: ad quem Apostolus videtur spectasse, cùm ad *Timoth.* ait: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Et alibi: *Admoneo te, ut resuscites gratiam* DEI, *quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

§. Secundus.

DE

Ordinandis.

OMnia ferè accidentalia Ordinationis explicavimus in *Lib.* 1. *de Clericis in sacris & non sacris constitutis*, quæ in compendio hîc repetimus.

Quæres *primò*. Quæ requiruntur, ut quis licitè ordinetur?

R. *primò*. Primam tonsuram & quatuor minores Ordines suscipere desiderans, sacro Chrysmate confirmatus esse debet: *Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 4. ex legitimo Matrimonio procreatus, *cap. ut filii.* 1. *de filiis Presbyt. cap. is qui.* 1. *eod. in* 6. aut natalibus restitutus: origine, vel domicilio, vel beneficio Diœcesanus. *cap. nullus.* 4. *de temp. ordinat. in* 6. aut à suo Episcopo dimissus.

2*dò*. Ad primam tonsuram septennium completum requiritur. Eos, qui minores Ordines suscepturi sunt, expedit non pauciores habere quàm annos duodecim. Nullus ad Subdiaconatûs Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatûs ante vigesimum tertium, ad Presbyteratûs ante vigesimum quintum (intellige, inchoatum) ætatis suæ annum promoveatur. *Trid. sess.* 23. *cap.* 12. *de reform.*

3*tiò*. Præterea requiritur, ut Ordinandi sint liberi. *cap. instruendi.* 1. & *cap. consuluit.* 5. *de servis non ordin.* mente & corpore integri, nullam notabilem deformitatem patientes. *can. maritum.* 2. *dist.* 33. & *dist.* 55. *per totum.* Ac toto titulo: *De corpore vitiatis non ordinandis.* Ma-

Matrimonii vinculo non obstricti. *cap. conjugatus. 5. de conversi. conjugat.* non excommunicati. *cap. cum illorum, 32. de sentent. excomm.* competenter docti. *can. illiteratos. 1. dist. 36. cap. fin. de qualit. & etat. Ordinand.* Vitæ probatæ. *Trident. sess. 23. de reform. cap. 5.* Titulum sufficientis beneficii habentes &c.

Quæres *secundò*. Quo tempore Ordines conferendi?

R. Prima Tosura quocunque die & horâ conferri potest. *Pontifical. Rom. de Ordin.* 2*dò*. Quatuor Minores non tantùm in Ordinationibus generalibus, sed quocunque die Dominico & festo fori dari possunt. *Pontifical. Rom.* 3*tiò*. Ordines majores tantùm conferri possunt temporibus à Jure constitutis: quæ sunt Sabbatha quatuor temporum, Quadragesimæ, Pentecostes, Septembris post festum S. Crucis, Decembris post festum S. Luciæ, item Sabbathum ante Dominicam Passionis, & ante diem Resurrectionis Dominicæ. Ordinatus extra hæc tempora sine privilegio & facultate speciali Summi Pontificis peccat mortaliter & suspensionem incurrit, ac in Ordine taliter suscepto ministrando, antequam absolvatur à suspensione, fit irregularis, in qua irregularitate solus Summus Pontifex dispensat. *cap. cum quidam. 8. de temp. ordinat.* 4*tò*. Ante *Concilium Trident.* diversi Religiosorum Ordines diversa habebant privilegia extra tempora Ordines suscipiendi, quæ per dictum Concil. revocata sunt. Patres Societatis JESU adhuc hodie gaudent privilegio Gregorii XIII. in quo alii Religiosi, Pontifice ita disponente, non communicant.

Quæres *tertiò*. An unâ die plures Ordines conferri & suscipi possint?

R. *primò*. Nequidem Ordines minores absolutè & regulariter eodem die suscipi possunt, nisi aliud Episcopo visum fuerit. *Trid. sess. 23. cap. 11.*

2*dò*. Quatuor minores cum Subdiaconatu eadem die vel eadem ordinatione conferri non debent, & eorum executio, si ita conferantur, suspenditur. *cap. literas 13. de temp. Ordinat. cap. innotuit. 3. de eo qui furtivè Ord. suscepit. Tridentin. sess. 23. cap. 13. de reform.* nisi vigeat consuetudo, & ubi hæc fuerit, ut Subdiaconatus cum quatuor minoribus conferri possit, suscipientes non sunt suspensi, declaravit *S. Congregatio ad cap. 13. Trident. sess. 23.*

3*tiò*. Multò minus potest Episcopus unâ eademque die plures majores eidem conferre. *cit. cap. literas. cap. dilectus. de temp. Ordinat.*

Quæres *quartò*. Quæ insterstitia inter quemlibet Ordinem intercedere debent?

R. Non solùm temporum interstitia in majoribus, verùm etiam juxta rigorem Canonum in minoribus Ordinibus suscipiendis servanda sunt. Videatur *Trident. sess. 23. cap. 11. 13. & 14.*

Quæres *quintò*. Quis in interstitiis dispensare potest?

R. *primò*. Solus Episcopus. Et quidem ad dispensandum in interstitiis minorum Ordinum à Trid. solùm Episcopi arbitrio permittitur; in interstitiis inter mino-

res & majores Ordines utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ exigit disjunctivè ; in interstitiis inter Diaconatum & Presbyteratum postulat utilitatem & necessitatem Ecclesiæ copulativè.

2dò Ex declaratione S. Congregationis Superiores Regularium super interstitiis Ordinandorum Regularium dispensare non possunt ; sed id pertinet ad Episcopum ordinantem, qui tamen quoad causam dispensationis ex attestatione Superiorum Regularium judicium facere debet

3tiò. Episcopus ordinans cum iis, qui à propriis Episcopis dimissoriales habent, super interstitiis dispensare nequit, nisi hoc expressè in dimissoriis contineatur.

Quæres *sextò.* Qualis in Ordinando requiritur libertas?

R. Nullus invitus ordinari debet, & invitum ordinans per annum ab officio suspenditur. *can. Episcopus. 1. dist. 74.* & taliter invitus ordinatus reclamare, & continentiæ voto liberari potest ; nisi postmodum metu liberatus ordinationem ratificaverit. *cap. perlatum. 1. de his, quæ vi metusque causâ. cap. veniens. de Sponsal.* Ex causa tamen ad suscipiendos Ordines invitus quis cogi potest : ita si quis beneficium certum Ordinem requirens obtineat, subtractione fructuum & privatione beneficii ad suscipiendum Ordinem beneficio annexum cogi potest. *cap. licet canon. 14. de elect. in 6. Clement. ut ii. 2. de ætat. & qualit.*

Quæres *septimò.* Quâ intentione ad Ordines accedendum?

R. Id Trident. *sess. 23. cap. 4.* exprimit, ubi vetat primâ tonsurâ initiari eos, de quibus non est probabilis conjectura, illos non sæcularis judicii fugiendi causâ, sed ut DEO fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse. Siniſtras & huic contrarias intentiones deplorat *Catechism. Rom. p. 2. q. 7. cap. 4.* Alii eo consilio ad hanc vivendi rationem se convertunt, ut, quæ ad victum vestitumque necessaria sunt, parent, ita ut præter quæstum nihil aliud in Sacerdotio, quemadmodum vulgò cæteri omnes in quovis sordidi artificii genere spectare videantur. Quamvis enim ex Apostoli sententia Natura & Lex Divina jubeat, ut, qui Altari inservit, ex Altari vivat ; tamen quæstûs & lucri causâ ad Altare accedere maximum sacrilegium est. Alios honorum cupiditas & ambitio ad Sacerdotalem Ordinem ducit. Alii verò ut divitiis affluant, initiari volunt. Cujus quidem rei argumentum est, quod nisi opulentum allquod Ecclesiasticum Beneficium eis conferatur, nullam sacri Ordinis cogitationem habent. Hi verò sunt, quos Salvator mercenarios appellat, & quos Ezechiel dicebat semetipsos & non oves pascere : quorum turpitudo & improbitas efficit, ut ipsi nihil amplius ex Sacerdotio consequantur, quàm Judas ex Apostolatûs munere, quod illi sempiternum exitium attulit.

Quæres *octavò.* Quales Ordinati esse debent?

R. Id exprimunt Canones. *can. Clericus, caus. 12. q. 1.* Clericus, qui Christi servit

servit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolatâ nitatur esse quod dicitur: KLEROS Græcè, sors Latinè appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors illorum, id est, pars Clericorum est. Quia autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. *Can. cui portio. 6. ibid.* Cui portio DEUS est, nihil debet curare, nisi DEUM: ne alterius impediatur necessitatis munere: quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur.

Quæres *nonò*. Qui promovendi ad Sacerdotium?

℟. Cum *Trident. Sess. 23. cap. 14.* Qui ad Presbyteratûs Ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium: & hi sint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint, sed etiam ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad administranda Sacramenta diligenti examine præcedente, idonei comprobentur, atque ita pietate & castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum & vitæ monita possint ab eis exspectari.

Quæres *decimò*. Quanta dignitas Sacerdotalis?

℟. Sacerdos nomen habet compositum ex Græco & Latino, quasi sacrum dans: sicut enim Rex à regendo, ita Sacerdos à Sacrificando vocatus est: consecrat enim & sacrificat. *Can. Cleros. 1. dist. 21. §. Sacerdos.* Sacerdotes B. Petrus sal terræ & mundi lumen docens præcipit, in splendore bonum operum glorificare DEUM. *Can. Sacerdotes. 7. dist. 93.* Mauritium Imperatorem Greg. Mag. in *Can. Sacerdotibus. 41. caus. 11. q. 1.* Ita adhortatur: Sacerdotibus non ex terrena potestate citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cujus servi sunt, ita eis dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat. Nam in divinis eloquiis Sacerdotes aliquando Dii, aliquando Angeli vocantur. Nam & per Moysen de eo, qui ad Juramentum deducendus est, dicitur: Applica illum ad DEOS, id est ad Sacerdotes. Et rursus scriptum est: Diis non detrahes, scilicet Sacerdotibus.

Quæres *undecimò*. An omnes Ordines characterem imprimant?

℟. Cum S. Thom. *in Suppl. q. 35. art. 2.* Cum per quemlibet Ordinem aliquis constituatur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatæ ad Sacramentorum dispensationem, oportet, quod in omnibus Ordinibus character imprimatur. Et *ad 1.* Quilibet Ordo vel habet actum circa ipsum Sacramentum, vel ordinatum ad Sacramentorum dispensationem: sicut ostiarii habent actum admittendi homines ad divinorum Sacramentorum inspectionem, & sic de aliis: & ideo in omnibus requiritur spiritualis potestas.

Quæres *duodecimò*. An in Statu peccati mortalis ſuſcipere quemlibet Ordinem & miniſtrare in quolibet Ordine ſit peccatum mortale?

℟. Iterum cum *Doct. noſtro Angelico. in Suppl. q. 36. art. 5. in O.* Lex præcipit, ut homo juſtè ea, quæ juſta ſunt, exequatur, & ideo, quicunque hoc, quod ſibi competit ex Ordine, facit indignè, quod juſtum eſt, injuſtè exequitur, & contra præceptum legis facit, ac per hoc mortaliter peccat: quicunque autem cum peccato mortali aliquod ſacrum officium pertractat, non eſt dubium, quin indignè illud faciat, unde patet, quod mortaliter peccet. Sanctitas vitæ requiritur in ſuſcipiente Ordinem, ut ſit idoneus ad exequendum: ſed peccat mortaliter, qui cum peccato mortali ad Ordines accedit: Ergo multò fortius in quavis Ordinis executione mortaliter peccabit.



TITU-

TITULUS VIII.

DE

Sacramento Matrimonii.

INitiatur Matrimonium sponsione, consensu ratificatur, & copula consummatur. *Gloss. in cap. licet. de translat. Episcop.*

§. Primus.

DE

Sponsalibus.

QUæres *primò*. Quid sunt Sponsalia?

R. Sunt futurarum nuptiarum promissa. *Can. nostrates. 3. caus. 30. q. 5.* Sive sunt mentio & repromissio nuptiarum futurarum. *L. 1. ff. de Sponsal.* Dicta sunt à spondendo, nam moris fuit veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras. *L. 2. ibid.* Unde & sponsi sponsæque appellatio nata est. *L 3. ibid.*

Quæres *secundò*. Quæ sunt essentialia sponsalium?

R. Mutuus consensus exterius expressus: quia sufficit nudus consensus ad constituenda sponsalia. *L. sufficit. 4. ff. de Sponsal.*

Quæres *tertiò*. Quotuplex consensus?

R. Contrahuntur sponsalia aut purè, aut adjectâ die, aut sub conditione. §. *rursus. Instit. Jur. Canon. de Sponsal.* 1*mò*. Purè contrahunt, qui de matrimonio contrahendo purè & sine omni conditione dant fidem. *Cap. 2. de Sponsal.* 2*dò*. Dies adjicitur sponsalibus, cum quis intra certum temporis spatium aliquam se ducturum in uxorem convenit, in qua specie si per eum non steterit, quominus intra præfixum terminum cum eadem matrimonium contraheret, liberè ad nuptias alterius transire poterit. §. *Dies institut. Canonic. de Sponsal.* 3*tiò*. Sub conditione celebrat sponsalia, qui sub conditionis nomine aliquam sibi desponsat. *Cap. 1. de Conditionib. appos.* Ea quæ sub conditione promittuntur, vel jurantur, non obligant, nisi à conditione recedatur, uti recceditur, si consensus de præsenti, aut carnalis inter eos sit commixtio subsecuta. *Cap. de illis. 3. de condit. appositus.*

Quæres *quartò*. Quibus modis consensus exprimitur ?

℟. Variis modis : re, verbis, & literis. In sponsalibus constituendis parvi refert, per se & coram, an per internuntium vel per Epistolam, an per alium hoc factum sit. *L. in Sponsalibus. fin. ff. de Sponsalib. 1mò re* : Si quis desponsaverit uxorem, vel subarrhaverit. *Can. si quis. 15. caus. 27. q. 2. cap. fin. de desponsat. impub. 2dò verbis* : Si inter ipsos intercesserit tantummodo promissio de futuro, utroque dicente alteri : Ego te accipiam in meam, & ego te in meum, sive verba similia. *Cap. si inter. 31. de Sponsal.* Si alter non intellexerit, quod alter proposuit, ad communem verbi intelligentiam recurratur, & cogatur uterque verba prolata in eo sensu retinere, quem solent rectè intelligentibus generare. *Cap. ex literis. 7. de Sponsal. 3tiò literis* : Ut cum absentes inter se de futuris nuptiis per Epistolam paciscuntur, quod ipsum per nnntium vel Procuratorem fieri poterit. §. *Contrahuntur. instit. Canon. de Sponsalib. 4tò.* Consensu per alium expresso : quia ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerúmque contrahunt, ipsi filii, si expressè consenserint, vel tacitè, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, & ex eis oritur justitia publicæ honestatis. Idem est, si filii tempore sponsalium absentes & etiam ignorantes eadem sponsalia post scientes ratificaverint tacitè vel expressè. *Cap. unic. §. porrò. de desponsat. impub. in 6.*

Quæres *quintò*. Quodnam objectum sponsalium ?

℟. Matrimonium futurum licitum & validum. Nam juxta legitimas sanctiones pactum turpe vel rei turpis, aut impossibilis de jure vel de facto nullam obligationem inducit. *Cap. fin. de pactis.* Ideo qui votum castitatis emittens juravit se quandam ducturum postea in uxorem, jubetur pro eo, quod juravit temerè, pœnitentiam agere, & votum, quod Deo fecit, observare. *Cap. rursus. 6. qui Cleric. vel voventes.*

Quæres *sextò*. Quæ ætas ad sponsalia requiritur ?

℟. In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimonio, quapropter & à primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modò id fieri ab utraque persona intelligatur, id est, si non sint minores, quam septem annis. *L. in Sponsalibus. 14. ff. de Sponsalib.*

Si infantes ad invicem, vel unus major septennio, & alter minor sponsalia contraxerint, ipsi vel parentes pro eis, nisi per cohabitationem eorum mutuam, seu aliàs verbo vel facto ipsorum liquidò appareat eosdem in eadem voluntate factos majores septennio perdurare, sponsalia ejusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minimè convalescunt. *cit. cap. unic. de desponsat. impub. in 6.*

Quæres *septimò*. An matrimonium ex defecto ætatis nullum vim sponsalium habeat ?

℟. Affirmativè. Si pubes & impubes vel duo impuberes non proximi pubertati, & in quibus ætatem malitia non supplebat, per verba contraxerint de præ-

præsenti, juris interpretatione tantùm sunt sponsalia de futuro, & licet verba consensum exprimentia de præsenti haberent, & matrimonium contrahere intenderent, attamen contractus valuit, ut potuit, non sicut agebatur, *Cit. cap. unic. §. idem.*

Quæres *octavò*. Quæ obligatio ex sponsalibus nascitur?

℟. Qui de matrimonio contrahendo purè & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent. *cap. præterea. 2. de Sponsal.* Renuentes censurâ ecclesiasticâ compelli possunt. *Cap. ex literis. 10. de Sponsal.* Quia tamen libera debent esse matrimonia, monendi potius sunt quàm cogendi: cum coactiones difficiles soleant exitus frequentes habere. *Cap. requisivit. 17. de Sponsal.*

Quæres *nonò*. Quod impedimentum matrimonii ex sponsalibus oritur?

℟. Ex sponsalibus puris & certis oritur efficax ad impediendum & dirimendum sequentia sponsalia vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum impedimentum justitiæ publicæ honestatis. *Cap. 1. de Sponsal. in 6.* Hoc impedimentum *Trident. Sess. 24. de Reform. matrim. cap. 3.* Sustulit, ubi sponsalia quâcunque ratione invalida sunt; ubi autem valida fuerunt, primum gradum excedere non vult.

Quæres *decimò*. An sponsi sponsalia dissolvere possint?

℟. *1mò*. Si sponsi se ad invicem admittere noluerint, ne fortè deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat, quam odio habet, adinstar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, hoc potest in patientia tolerari. *cap. præterea. 2. de Sponsal.* Nec obest, si pœna à sponsalibus apposita fuerit, à resilientibus solvenda. Cum enim libera matrimonia esse debeant, inanis est omnis pœnarum adjectio. *Cap. gemma. 29. de Sponsal.*

2dò. Qui infra annos matrimonio aptos sponsalia conrrahunt, sive uterque sive alter reclamet, antequam ad annos matrimonio aptos pervenerint, & separari postulent, non sunt audiendi. *Cap. de illis. 7. de desponsat. impub.* Sed usque ad legitimam ætatem exspectare tenentur, & tum, si simul esse noluerint, separentur, nisi carnalis commixtio antea intervenerit. *Cap. à nobis. 8. ibid.*

3tiò. Mulier, quæ, postquam annos nubiles attigit, ei qui nondum ad annos aptos matrimoniis venerat, nupsit, cum in eum semel consenserit, amplius non poterit dissentire; nisi ipse, cui nupsit, postquam ad legitimam ætatem pervenit, in eam suum negaverit præstare consensum. *Cit. cap. de illis.* Si tamen non tam sponte suâ quàm à parentibus coacta cum impubere contraxerit, & puerum usque ad annum 14. minimè exspectandum duxerit, liberam habet facultatem alium virum accipiendi. *Cap. ex literis. 11. de desponsat. impuber.*

Quæres *undecimò*. Quando sponsalia jure dissolvuntur?

℟. Tunc sponsalia jure ipso dissolvuntur,

vuntur, quando nullâ habitâ ratione voluntatis & consensûs partium ex certa superveniente causa dissolvuntur. §. *Dissolvuntur. instit. Canon. de Sponsal.* Ut fit in sequentibus casibus:

1*mò*. Per matrimonium, ut si quis post promissum matrimonium alteram per verba de præsenti sibi desponset, etiamsi inter ipsum & primum Juramentum intervenerit, non tamen potest separari à secunda. *Cap. si inter. 31. de Sponsal.* Quia si quis mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere: si aliam duxerit, pœnitentiam debet agere de fide mentita; maneat tamen cum illa, quam duxit. Non enim rescindi debet tantum Sacramentum. Si autem fecerit fidem consensûs, non licet ei aliam ducere: si autem duxerit, dimittet ipsam, & adhærebit priori. *S. Augustin. in cap. 1. de Sponsa duor.*

2*dò*. Si quis S. Ordinibus fuerit insignitus, aut religionem ingressus ac professus, solvuntur sponsalia. §. *item ex contrario. instituit. Canonic.* Æquiparantur Sacri Ordines professioni religiosæ quantùm ad dirimenda sponsalia contracta de futuro, non tamen de præsenti. *Extrav. antiquæ.* Joannis XXII. *de voto.* & *Gloss. in cap. unic. de voto. in 6. verb. Sacri Ordinis.*

3*tiò*. Affinitas (idem est de alio quolibet impedimento dirimente) sponsalibus superveniens illa dirimit, ad quod sola fama sufficit. *Arg. cap. super eo. 2. de Consanguinit. & Affinit.*

Quæres *duodecimò*. Quando de facto sponsalia dirimuntur?

R. Cum legitima emergente causa alterius voluntati dissolutio permittitur. §. *facto. instit. Canon.* de quo Innocent. III. in *cap. quemadmodum. 25. de jurejurand.* Si quis juraverit se aliquam in uxorem ducturum, non potest ei fornicationem opponere præcedentem sed subsequentem, ne illam ducat in conjugem; quia in illo juramento talis intelligi debet conditio; si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit. Sed quid si post juramentum mulier fieret leprosa vel paralytica, vel oculos, vel nasum amitteret, vel quicquam ei turpius eveniret, nunquid vir teneretur eam ducere in uxorem? Profectò ductam non posset dimittere, sponsam autem de futuro admittere non teneretur: quia multa impediunt matrimonium contrahendum, quæ non dirimunt jam contractum.

§. Secun-

§. Secundus.

DE

Matrimonio, ut est Contractus.

QUæres *primò*. Unde origo nominis Matrimonium?

R. Dicitur matrimonium quasi matris munium, id est: Officium, potius à Matre, quàm à Patre, qui est Author generationis. *Gloss. in princip. causa. 27. q. 1.* Quia enim puer ante partum onerosus, doloroſus in partu, & post partum laborioſus Matri esse noscitur, ex hoc legitima conjunctio matris & fœminæ magis matrimonium quàm patrimonium nuncupatur. *cap. ex literis. 2. de Conversi. infidel.*

Quæres *secundò*. Quæ definitio matrimonii?

R. Nuptiæ sive matrimonium est maris & fœminæ conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens. *Cap. illud. 11. de præsumpt.* Quamvis autem hæc omnia in perfecto matrimonio requirantur, consensus videlicet interior, pactio exterior verbis expressa, obligatio & vinculum, quod ex tali pactione efficitur, & conjugum copulatio, quâ matrimonium consummatur, nihil tamen vim & rationem matrimonii habet, quam obligatio & nexus, qui conjunctionis nomine significatur. *Catechism. Rom. p. 2. cap. 8. q. 3.*

Quæres *tertiò*. Qualis ad matrimonium consensus requiritur?

R. Debet esse *1mò* verus. *Arg. cap. tua nos. 26. de Sponsal.* Ubi de fictè contrahente, ut obtineret copulam, ita deciditur: Si ille eam non proposuit ducere, nec unquam consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto conjugium judicari: cum in eo nec substantia contractûs conjugalis, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri.

2dò. Legitimus. Matrimonium enim in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum. *cap. tuæ. 25. de Sponsal.*

3tiò. Liber. Cum enim locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necessè est, ut ubi assensus cujusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, & ubi de ipso quæritur, plena debet securitate ille gaudere, cujus est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire. *cap. cum locum. 14. de Sponsal.*

4tò. Exteriùs verbis expressus. Necessaria sunt quantùm ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de præsenti, nam surdi & muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum

sine verbis. *Cit. cap. tua.* Cum quod verbis non possunt, signis valeant declarare. *Cap. cum apud. 23. de Sponsal.*

Quæres *quintò.* An contrahentes matrimonium in copulam consentiant?

℟. Consentiunt implicitè; quia consensus cohabitandi, & individuam vitæ consuetudinem retinendi interveniens eos conjuges facit: individua verò vitæ consuetudo est talem se in omnibus exhibere viro, qualis ipsa sibi est, & econverso. Ad individuam itaque consuetudinem pertinet, absque legitimo consensu viri & orationi aliquando non posse vacare, nec continentiam profiteri. *Can. beata. 3. caus. 27. q. 2.*

Quæres *quintò.* Qualiter inter B. Virginem & S. Josephum verum matrimonium esse potuerit?

℟. Cum S. Augustino in *cit. Can. beata.* Beata Virgo proposuit se servaturam votum castitatis in corde, sed ipsum votum Virginitatis non expressit ore. Subjecit se divinæ dispositioni, dum proposuit se perseveraturam Virginem, nisi DEUS aliter ei revelaret. Committens ergo Virginitatem suam divinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinæ inspirationi in utroque obediendo. Hæc S. Pater.

Quæres *sextò.* An consensus in matrimonio conditionatus esse possit?

℟. Matrimonium sub conditione contrahi potest, non tamen tenet, nisi conditio extiterit, vel per contrarium factum à conditione recessum fuerit. *Arg. cap. super eo. 5. de condit. appositis.* Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honoribus & facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus quantumcunque favorabilis caret effectu. Licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter favorem ejus pro non adjectis haberi. *Cap. fin. de condit. apposit.*

Quæres *septimò.* Quando matrimonium institutum?

℟. Cum Gratiano §. *his ita caus. 32. q. 2.* Prima institutio conjugii in Paradiso facta est, ut esset Immaculatus thorus & honorabiles nuptiæ, ex quibus sine ardore conciperent, & sine dolore parerent. Secunda propter illicitum motum eliminandum extra Paradisum facta est, ut infirmitas prona in ruinam turpitudinis honestate excipieretur conjugii. Matrimonium igitur naturæ humanæ coævum in triplici naturæ statu triplicem statum habuit: in statu innocentiæ institutum fuit in officium naturæ, in statu legis naturæ & Mosaicæ fuit remedium concupiscentiæ: in statu legis gratiæ ad statum Sacramenti fuit elevatum, & in tribus ab authore gratiæ reformatum: in uxorum pluralitate, in libello repudii, & in prælatione statûs matrimonialis ad statum virginalem.

Quæres *octavò.* An matrimonium sit indissolubile?

℟. Matrimonii perpetuum indissolubilémque nexum primus humani generis

neris parens divini Spiritûs instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo Patrem suum & Matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. *Trident. Sess. 24. de Matrim.* Ita ut matrimonii vinculum ab ipso Ecclesiæ capite rerum omnium conditore ipsum in Paradiso & in statu innocentiæ instituente unionem & indissolubilitatem acceperit. *cap. unic. de Voto. in 6.*

Quæres *nonò.* In quibus casibus matrimonium dissolvitur?

R. Præter casum mortis sunt sequentes: 1*mò* Matrimonium non consummatum per professionem Religiosam dissolvitur. *Trident. Sess. 24. de Matrim. Can. 6. Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugis non dirimi, anathema sit.* Sanè quod Dominus in Evangelio dicit, non licere viro, nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum est secundùm interpretationem Sacri eloquii de his, quorum matrimonium carnali copulâ consummatum. *Cap. ex publico. 7. de Convers. conjug.* Ubi *Gloss. verb. consummatum.* infert, quod Papa per dispensationem matrimonium non consummatum dissolvere possit, quod tenent omnes Canonistæ, & plures Theologi.

2*dò.* Matrimonium consummatum dissolvitur, si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, & alter vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum ad peccatum pertrahat, ei cohabitare voluerit. Tunc qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transire potest. Et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: si infidelis discedit discedat. Frater enim vel Soror non est servituti in hujusmodi subjectus. Et canonem etiam, in quo dicitur: Contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur. *Cap. quantò. 7. de divort.*

3*tiò.* Matrimonium quoad thorum & cohabitationem perpetuò dissolvitur præcipuè in duobus casibus, de quibus. *Gloss. in Can. Agathosa. 21. caus. 27. quæst. q. 2.* Duæ sunt causæ, ex quibus post carnalem copulam vir potest separari ab uxore quantùm ad reddendum debitum & cohabitationem: scilicet fornicationem (attamen post separationem factam ab Ecclesia, & non ante. *Can. sæculares. 1. caus. 33. q. 2. can. multorum. 20. caus. 27. q. 2.*) Et votum conversionis: tunc autem exigitur, ut illa consentiat, & similiter convertatur, & profiteatur, si est juvenis; si est vetula, saltem profiteatur perpetuam continentiam. *Cap. cum sis præditus. 4. de convers. conjug.*

Quæres *decimò.* An matrimonium unius cum una necessariò esse debeat?

R. Hoc vinculo duos tantummodo copulari & conjungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba tanquam à DEO prolata referens dixit: *Itaquè jam non sunt duo, sed una caro. Trident. sess. 24. de Matrim.* Non dixit tres vel plures, sed duo: non dixit, adhærebit uxoribus, sed uxori. Et ab initio una costa in unam fœminam

est conversa. Sanè veridica hæc sententia probatur etiam testimonio veritatis testantis in Evangelio : Quicunque dimiserit uxorem suam ob fornicationem , & aliam duxerit , mœchatur. Si ergo uxore dimissâ duci alia de jure non potest , fortiùs & ipsâ retentâ. Per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque sexu , cum non ad imparia judicentur , circa matrimonium reprobandam. *Cap. gaudemus. 8. de divort.*

Quæres *undecimò*. An in pluralitate aliquando dispensatum ?

℟. Nulli unquam licuit insimul plures uxores habere , nisi cui fuit divinâ revelatione concessum , quæ mos quandoquè interdum etiam fas censetur : per quam sicut Jacob à mendacio , Israëlitæ à furto , & Samson ab homicidio , sic & Patriarchæ & alii viri justi , qui plures leguntur simul habuisse uxores , ab adulterio excusantur. *Cit. cap. gaudemus.*

Quæres *duodecimò*. Quot sunt bona matrimonii ?

℟. Tria : proles , fides , Sacramentum. *Can. omne. 10. caus. 27. q. 2. Proles* non solùm procreanda , sed etiam educanda , & ad pietatem instituenda. *Catechism. Roman. p. 2. cap. 8. q. 21. fides.* Quia vir uxori , & econverso debet mutuam servitutem & castitatem. *Gloss. in Can. conjuges. 6. caus. 27. q. 2. Sacramentum* , sive inseparabilis animorum conjunctio. Omne hoc triplex bonum nuptiarum impletum esse in matrimonio B. Virginis cum S. Josepho credimus , dum *Prolem* cognoscimus ipsum Dominum JESUM : *Fidem* quia nullum adulterium ; *Sacramentum* , quia nullum divortium. Solus ibi nuptiarum concubitus non fuit , quia in carne peccati fieri non poterat sine illa pudenda carnis concupiscentia , quæ accidit ex peccato , sine qua concipi voluit , qui futurus erat sine peccato.

(o)

§. Ter-

§. Tertius.

DE

Matrimonio ùt Sacramento.

QUæres *primò*. An Matrimonium sit Sacramentum?

R. Cùm Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratiâ præstet, meritò inter novæ Legis Sacramenta annumerandum Sancti Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt. *Trident. sess. 24. de matrim.*

Quæres *secundò*. Quam gratiam Sacramentum matrimonii causet?

R. Gratiam, quæ naturalem conjugum amorem perficit, & indissolubilem unitatem confirmat, conjugesque sanctificat, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector suâ nobis passione promeruit. *Trident. loc. cit.*

Quæres *tertiò*. An inter solos fideles Matrimonium sit Sacramentum?

R. affirmativè. Quia etsi Matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum & ratum existit. *cap. quantò. 7. de divortiis.*

Quæres *quartò*. An ratio Sacramenti in matrimonio fidelium à ratione contractûs separari possit?

R. negativè. Quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret. *cit. cap. quantò.*

Quæres *quintò*. In quo cæteris Sacramentis præeminet matrimonium?

R. In sequentibus: 1. ratione loci, cùm substratum Sacramenti matrimonii in paradiso institutum sit. 2dò ratione temporis, quia ante peccatum extitit, 3tiò ratione amplitudinis, quia est commune cum infidelibus. 4tò ratione mysterii.

Quæres *sextò*. Quod mysterium continet matrimonium?

R. Duo sunt in conjugio, videlicet consensus animorum, & commixtio corporum, quorum alterum significat charitatem, quæ consistit in spiritu inter DEUM & justam animam, ad quod pertinet illud, quod dicit Apostolus: Qui adhæret DEO, unus spiritus est cum illo. Reliquum verò designat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum & Ecclesiam, ad quod pertinet illud, quod Evangelista testatur: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Profectò conjugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum & Ecclesiam per incar-

nationis mysterium est contractum. *cap. debitum. 5. de bigamis.* Quod Paulus innuit dicendo : *Viri diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea*, mox subjungens : *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Trident. cit. sess. 24. de matrim.*

Quæres *septimò*. An Parochus minister Sacramenti matrimonii ?

℟. negativè. Quamvis enim *Trident. sess. 24. de reform. matrim. cap. 1.* disponat, ut Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto dicat : Ego vos in matrimonio conjungo in nomine Patris &c. vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum : attamen S. Congreg. ad *cit. cap. Trident. n. 5. & 6.* declarat, etsi Parochus nihil dicat, constat tamen matrimonium, modò partes contrahant. Nec pertinet ad substantiam matrimonii, ut Parochus aliqua verba proferat.

Quæres *octavò*. An contrahentes sint ministri hujus Sacramenti ?

℟. affirmativè. Eugen. IV. in Decreto pro instructione Armenorum : Causa efficiens necessaria regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti, qui consensus absque dubio à contrahentibus exprimitur. Unde *S. Thom. in 4. dist. 24. q. 1. a. 3. in O.* Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale.

Quæres *nonò*. Quæ accidentales matrimonii solemnitates ?

℟. Sequentes : 1. Antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia ante Missarum solemnia publicè denuntientur, inter quos matrimonium contrahendum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes : tunc vel una tantùm denuntiatio fieri potest, vel matrimonium celebrari, & ante illius consummationem denuntiationes fieri ; nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod ipsius prudentiæ & judicio S. Tridentina Synodus reliquit, *sess. 24. de reform. matrim. cap. 1.* 2*dò*. Matrimonio contracto conjuges ante benedictionem Sacerdotalem in eadem domo cohabitare non debent. Et hæc benedictio ab ipso Parocho fieri debet, non ab alio, nisi ab illo, vel ab Ordinario licentiam habuerit. *Trident. loc. cit.* 3*tiò*. Parochus librum habere debet, in quo conjugum & testium nomina, diem & locum contracti matrimonii describat.

Quæres *decimò*. Quæ solemnitas substantialis ?

℟. Illa à *Trident. loc. cit.* ita exprimitur : Qui aliter quàm præsente Parocho (intellige proprio) vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentant, eos S. Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit

& an-

& annullat : quod decretum in unaquaque Parochia robur post triginta dies habere incipit à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.

Quæres *undecimò*. Quâ dispositione ad Sacramentum matrimonii accedendum ?

R. Episcopis vel animarum Curatoribus incumbit curare, ut matrimonium eâ, quâ decet modestiâ & honestate celebretur. Sancta enim res est matrimonium, & sanctè tractandum. *Trid. sess.* 24. *cap.* 10. Ideo conjuges antequam matrimonium contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter debent confiteri, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum accedere. *Tridentin. cit. cap.* 1.

Quæres *duodecimò*. Quæ pœnæ absque solemnitate copulantium ?

R. Parochus vel alius Sacerdos, qui cum minore testium numero, & testes, qui sine Parocho vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non & ipsi contrahentes graviter arbitrio Ordinarii sunt puniendi. *Trid. cit. cap.* 1.

§. Quartus.

DE

Impedimentis Matrimonii.

QUæres *primò*. Penes quos potestas ponendi impedimentum ?

R. Est penes Ecclesiam, Quapropter si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis erasse, anathema sit. *Trident. sess.* 24. *de matrim. can.* 4. Imò sola Ecclesia constituit impedimenta, quia matrimonia hodiè reguntur jure poli, non jure fori, inquit Gratianus in *can. Euphemium.* 7. *caus.* 2. *q.* 3. ideoque explodunter à *Trident. cit. sess. cap.* 1. *de reform. matrim.* qui matrimonia à filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, vel parentes ea rata vel irrita facere posse falsò affirmant.

Quæres *secundò*. Quæ impedimenta matrimonium impedientia ?

R. Ea hodie reducuntur ad quatuor. *Primum*, interdictum Ecclesiæ, contra quod sponsi ad vota matrimonialia transire non debent. Non est tamen conveniens, ut ob id solum Sacramentum conjugii dissolvatur : alia tamen pœnitentia eis debet imponi, qui contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt. *cap. ex literis.* 2. *de matrim. contract. contra interd.* 2*dum*, Tempus feriatum. Ita enim jubet *Trident. sess.* 24. *de reform. matrim. cap.* 10. ab Adventu Domini nostri JESU Christi usque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum usque in octavam Paschatis inclu-

cluſivè antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones ab omnibus obſervari. *3tium.* Votum continentiæ ſimplex etſi matrimonium impediat contrahendum, matrimonium tamen poſt contractum reſcindere non poteſt. *cap. unic. de Voto. in 6.* *4tum.* Si quis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere. *cap. duobus. 1. de ſponſa duorum.*

Quæres *tertiò.* Quæ impedimenta ex Jure naturali matrimonium dirimentia?

℟. Quatuor. Primum *Error.* Non omnis error conſenſum excludit, ſed alius eſt error perſonæ, alius fortunæ: alius conditionis, alius qualitatis. Error fortunæ & qualitatis conſenſum non excludit: ſed ſicut in venditione error materiæ excludit conſenſum, ſic & in conjugio error perſonæ. Gratianus in *cauſ. 29. q. 1.*

Secundum *Vis.* Sed cùm inter vim & vim ſit differentia, nec conſtet ſæpe, an poſt violentiam conſenſus intervenerit: *cap. de muliere. 6. de ſponſal.* videndum eſt, an tanta vis illata fuerit, ut coactus & non ſponte conſenſerit, nec poſt præſtitum coactè conſenſum ſponſam carnaliter cognoverit. *cap. ſignificavit. 2. de eo, qui duxit in matrim.* An metus gravis juſtè incuſſus ut in *cap. ex literis. 10. de ſponſal.* an injuſtè ad extorquendum conſenſum in matrimonium incuſſus: & tunc dirimit matrimonium potiùs ex Jure poſitivo, congruentiâ ſumptâ ex Jure naturali, cùm maximè nefarium ſit matrimonii libertatem violare. Ob quam cauſam *Trident. ſeſſ. 24. de reform. matrim. cap. 9.* præcipit omnibus, cujuscunque gradûs, dignitatis & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrant, ne quovis modo directè vel indirectè ſubditos ſuos vel quoscunque alios cogant, quominus liberè matrimonia contrahant.

Tertium *Ligamen.* Poſtquam inter perſonas legitimas conſenſus legitimus intervenerit de præſenti, ſi perſonæ junctæ legitimè cum aliis poſtea de facto contrahant, quod prius de Jure factum fuerat, non poterit irritari. *cap. fin. de ſponſ. duor* ideoque mulieres, à quibus Viri diſceſſerunt, non poſſunt ad aliorum conſortium canonicè convolare, donec certum nuntium de morte Virorum recipiant, quantocunque annorum numero ita remaneant viventibus Viris ſuis. *cap. in præſentia. 19. de ſponſal.*

Quartum *Impotentia* Qui impotentes ſunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur. *cap. 2. de frigid. & maleſic.* Quod intelligitur, ſi vitium illud ex natura contraxerint, nec ope medicorum poſſit adjuvari. *cap. ex literis, eod. tit.* aut ad minus antecedens matrimonium, & perpetuum, ut præter divinum miraculum per opus humanum abſque corporali periculo non poſſit removeri. *cap. fraternitatis. 6. eod. tit.*

Quæres *quartò.* Quæ impedimenta ex Jure antiquo adhuc dirimunt matrimonium?

℟. Tria. *Primum.* Conditio ſervilis. Si liber ignoranter contraxit cum ancilla, ita quod poſtquam intellexit conditionem ipſius, nec facto nec verbo con-

consenserit in eandem, contrahendi cum alia liberam habet facultatem. *cap. ad nostram 4. de conjug. servorum.*

2*dum. Votum solemne.* Illud votum debet dici votũ solemne, quantùm ad post contractum matrimonium dirimendũ, quod solemnizatum fuerit in susceptione sacri Ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. *cap. unic. de voto. in 6.* Ex constitutione Gregor. XIII. quæ incipit: *Ascendente Domino.* Vota simplicia Scholasticorum in Societate JESU dirimunt matrimonium contrahendum.

3*tium. Crimen*, videlicet conjugicidii, & adulterii, quod in tribus casibus matrimonium dirimit. *Primus*, si quis uxore vivente fide datâ promisit aliam se ducturum, vel cum ipsa contraxit, si prius vel postea, dum vixit uxor ipsius, illam adulterio polluerit, matrimonium, quod cum ea contraxit post uxoris obitum tolerari non debet. *cap. si quis. fin. de eo, qui duxit in matrimon.* 2*dus.* Si adultera est in mortem uxoris aliquid machinata cum effectu, sive fidem dedit sive non, quod eâ defunctâ hanc esset ducturus, secundùm Canones ab ejus consortio prohibetur. *cap. super hoc. 3. de eo, qui duxit in matrim.* 3*tius.* Quidam Saraceni Viros Christianos occiderunt, qui cùm ad fidem conversi occisorum uxores ducere vellent, respondit Pontifex in *cap. 1. de convers. infidel.* Quod si mulieres in mortem Virorum fuerint machinatæ, nec iis adhærere debeant, nec etiamsi adhæserint, sint tolerandi.

Additur 4*tum* impedimentum, cognatio carnalis & affinitas, quæ antiquitus se longiùs extendebat, modò prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum non excedit. *cap. non debet. 8. de consanguinit. &c.*

5*tum* à Jure civili primitus introductum, cognatio legalis. Inter eos, qui naturâ, & eos qui adoptione filii, venerandæ Romanæ Leges matrimonia contrahi non permittunt.

6*tum* impedimentum publicæ honestatis. Nam ex Sponsalibus puris & certis, etiamsi consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, aut aliâ quâvis ratione nullis, dummodo non sint nulla ex defectu consensûs, oritur efficax ad impediendum & dirimendum sequentia sponsalia vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum, impedimentum justitiæ publicæ honestatis. *cap. unic. de sponsal. in 6.*

Quæres *quintò*. Quæ impedimenta reformavit Tridentinum?

R. *primò*. Cognationem spiritualem ex baptismo & Confirmatione, ut confirmantem sive baptizantem & confirmatum sive baptizatum, & illius patrem & matrem, ac tenentem in confirmatione sive duos tenentes in baptismo non egrediatur. *Trident. sess. 24. de reform. matrim. cap. 2.* 2*dò*. Justitiæ publicæ honestatis impedimentum ex sponsalibus de futuro natum, ubi sponsalia valida non fuerint quacunque ratione sustulit: ubi valida fuerint, ad primum gradum restrinxit. *Trident. cit. cap. 3.* 3*tiò* affinitatem ex fornicatione

natam ad eos tantùm, qui in primo & secundo gradu conjunguntur, restrinxit *cap.* 4. Ex quo de mente Sacræ Congregationis etiam affinitas matrimonio superveniens maritum, ne ab uxore debitum petere possit, impediens ad secundum gradum est reductum.

Quæres *sextò*. Quæ impedimenta de novo per Tridentinum introducta?

℟. Duo. *Primò*. Raptus inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in raptoris potestate manserit, nullum potest consistere matrimonium. Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, nihilominus est infamis & excommunicatus, ac obligatus raptam dotare, sive eam uxorem duxerit, sive non. *Trident. cit. cap. 6.* *Secundum* impedimentum est *clandestinitas*. De qua suprà.

Quæres *septimò*. Quod impedimentum consuetudine introductum?

℟. *Cultûs disparitas*. Quamvis enim Apostolus 2. *Cor. 6.* reprobet matrimonium fidelis cum infideli, dicendo: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, etiam Canones talia matrimonia reprehendant, ut *can. cave. can. non oportet. can. Judæi. can. si quis judaica. caus. 28. q. 1.* nullum tamen textum talia matrimonia irritantem habemus, & in historiis sunt exempla, quòd ejusmodi matrimonia pro validis agnita fuerint, ut matrimonium S. Cæciliæ cum Terentiano infideli, ante consummationem tamen per visionem Angelicam converso, matrimonium S. Monicæ cum Patritio adhuc infideli, ex quo ortus est S. Augustinus. Ideo dicendum est, quod per usum Ecclesiæ posterioribus temporibus impedimentum hoc inductum fuerit.

Quæres *octavò*. Si cum impedimento matrimonium sit contractum, an proles inde secuta sit illegitima?

℟. *primò*. Qui inter gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere & consummare ausi fuerint, separandi sunt, & spe consequendæ dispensationis carent. *Trident. sess. 24. de reformat. matrim. cap. 5.* & proles illegitima censetur.

Secundò. Si ignoraverint impedimentum, sed non cum solemnitatibus Ecclesiæ, ut absque denuntiationibus, vel legitima in eis dispensatione matrimonium contraxerint, proles censetur illegitima. *Trident. loc. cit.* & *cap. fin. de clandest. desponſ.*

Tertiò. Si in facie Ecclesiæ contraxerint, & unus ex contrahentibus fuerit in bona fide, ac impedimentum ignoraverit, proles est legitima. *arg. cit. cap. fin. de clandest. desponſ.*

Quæres *nonò*. Qualiter in impedimentis dispensandum?

℟. Si solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo & gratis dispensari poterit, in contrahendis autem matrimoniis vel nulla omninò detur dispensatio, vel rarò, idque ex causa & gratis concedatur, in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam. *Tridentin. cit. sess. 24. de reform. matrimon. cap. 5.* Rigor tamen ille

ille *Tridentini* hodie non servatur.

Quæres *decimò*. An matrimonium ob impedimentum invalidum impedimento sublato coram Parocho & testibus revalidandum?

Respondet S. Congregatio: Non tenentur iterum contrahere coram Parocho & testibus, qui jam semel coram ipsis contraxêre, invalidè tamen, vel ob defectum consensûs, vel ob occultum impedimentum dirimens, sed satis erit, quod rursus secretè de novo consentiant, impetratâ priùs dispensatione in conscientia tantùm. Quod si in utroque foro dispensationem obtinuerint, debent rursus publicè contrahere coram Parocho & testibus. Indigent autem in utroque foro dispensatione, si impedimentum, quod secretum fuerat, innotuerit.

Quæres *undecimò*. Si contrahentes ex loco, ubi Tridentinum promulgatum, exeunt, & in loco, in quo non est promulgatum contrahant absque præsentia Parochi & testium, an validè contrahunt?

℟. Ex Declaratione S. Congregationis confirmata ab Urbano VIII. & in Brevi Apostolico insinuata Archi-Episcopo Colonienſi anno 1622. Si ad locum, ubi non est receptum Tridentinum, iverint eâ intentione, ut ibidem absque solemnitate contrahant, matrimonium est invalidum.

Quæres *duodecimò*. An valeant matrimonia, quæ cum impedimento juris ecclesiastici inter hæreticos contrahuntur?

Respondit S. Congregatio Episcopo Tricarienſi apud Belgas Legato Apostolico anno 1605. 19. Januarii, quod ubi talia Decreta sunt promulgata, teneantur talem formam servare etiam hæretici, ac propterea eorum matrimonia absque forma *Concilii Trident.*, quamvis coram Ministro hæretico vel loci Magistratu contracta, nulla atque irrita esse. Attamen plures Theologi & Canonistæ Germani talia matrimonia ex tacito Ecclesiæ consensu ac dissimulatione valida esse asserunt ac defendunt.

§. Quintus.

DE

Obligationibus Conjugum.

QUæres *primò*. Quid ſibi invicem debent conjuges ?

℟. Ex S. Auguſtino relato in *Can. quidquid. 3. cauſ. 32. q. 2.* Debent ſibi conjugati non ſolùm ipſius ſexûs ſui commiſcendi fidem, liberorum procreandorum causâ, quæ prima eſt humani generis in iſta mortalitate ſocietas, verùm etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos mutuam quodammodo ſervitutem.

Quæres *ſecundò*. An conjuges ad debitum ſub peccato mortali obligentur ?

℟. Affirmativè. Si tu abſtines, inquit *Canon. ſi tu. 24. cauſ. 27. q. 2.* Sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abſtinentiæ.

Quæres *tertiò*. An propter inceſtum conjux debitum petere non poſſit ?

℟. Affirmativè. Nec propriæ uxori ſibi licet reddere debitum, quam ſibi reddidit illicitam Sororem ejus cognoſcendo. Gratian. ad *Can. qui dormierit. 30. cauſ. 27. q. 2.*

Quæres *quartò*. Quæ obligatio educandi proles in conjugibus ?

℟. Puer adhuc infans magis materno quàm paterno indiget ſolatio, poſt triennium apud Patrem non ſuſpectum ali debet. Unde verſus :

Mater alit puerum trimum, trimóque minorem,
Majorem verò paſcere Patris erit.

Cap. 2. de converſ. infidel. junct. Gloſſ.

Quæres *quintò*. An una conjux alterâ invitâ ad religionem tranſire poſſit?

℟. Si nondum fuerint una caro ſimul effecti, poteſt unus ad DEUM tranſire, & alter in ſæculo remanere. *cap. verum. 2. de converſ. conjugat.*

Quæres *ſextò*. Intra quod tempus conjux matrimonio nondum conſummato alterâ parte invitâ ad religionem tranſire poteſt ?

℟. Intra duorum menſium ſpatium debet vel matrimonium conſummare, vel ad religionem tranſire. *cap. ex publico. 7. de converſ. conjugat.*

Quæres *ſeptimò*. An matrimonio conſummato uterque ad religionem tranſire poſſit ?

℟. Affirmativè, ex mutuo conſenſu. Licet enim ſcriptum ſit : quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet, DEUS tamen & non homo ſeparat, quando divini amoris intuitu ex conſenſu utriuſque conjugis matrimonia diſſolvuntur. *Can. ſcripſit. 26. cauſ. 27. q. 2.*

Quæres *octavò*. An una conjux ſine altera in ſæculo remanente ad religionem tranſire de licentia alterius poſſit ? Eadem eſt quæſtio, an vir de conſenſu

sensu mulieris Ordinem sacrum suscipere valeat ?

R. Si ita uxor senex est & sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulari potest, ut eâ in sæculo remanente & castitatem promittente ad religionem transeat vir ejusdem. *cap. cum sis præditus. 4. de convers. conjug.*

Quæres *nonò*. An vir de licentia uxoris religionem professus, si illa nec ad religionem transire, nec votum continentiæ emittere velit, revocari possit ?

R. Nisi uxor ad Religionem transierit, aut perpetuò castitatem servare promiserit, vir potest & debet de monasterio revocari. *cap. 1. de convers. conjugat.* Si tamen talis ætatis fuerit, de qua suspicio haberi non possit, ipsa votum continentiæ observans monasterium intrare non compellitur. *Cap. significavit. 18. de convers. conjug.*

Quæres *decimò*. An maritus taliter revocatus uxore mortuâ ad monasterium redire teneatur ?

R. Mortuâ uxore debet ad monasterium reverti sub regulari habitu Domino serviturus. *Cap. ex parte. 9. de convers. conjug.*

Quæres *undecimò*. An conjux, quæ ignorante altero est professa, ad minus voto continentiæ obstringatur ?

R. Licet votum ejus usquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus se poterat obligare, promisit enim intrando monasterium se non tractaturum carnis debitum, quod erat in potestate ipsius, redire verò ad sæculum in ejus non erat potestate, sed in potestate mariti : & ideo quantùm ad ipsam tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desiit, cum ad eum casum, à quo poterat efficax habere principium perveniisse noscatur. *Cap. placet. 12. de convers. conjug.*

Quid si altera conjux sciverit & dissimulaverit professionem ?

R. Non potest habitum abjicere, quem assumpsit, nec uxore suâ, postquàm ad domum transierat regularem, de præsenti vitâ sublatâ aliam sibi matrimonio copulare : quod si contraxerit, matrimonium ipsum est irritum.

Quæres *duodecimò*. An post matrimonium consummatum conjux innocens adulterâ in vitâ ad religionem transire possit ?

R. Affirmativè est expressus textus in *cap. constitutus. 15. & cap. veniens. 16. de convers. conjug.* Idem est de adulterio spirituali, si videlicet una conjux facta sit infidelis, altera, postquam authoritate ecclesiasticâ divortium declaratum, in vitâ nocente ad religionem liberè convolare potest, & est casus in *cap. mulier fin. de convers. conjug.*

* * * * *
* * * *
* *
*

TITULUS IX.

DE

Rebus Ecclesiæ non alienandis.

QUia temporalia Ecclesiarum bona ad cultum divinum & Ecclesiæ Ministrorum subsistentiam, sine qua cultus divinus intertineri nequit, ordinata esse noscuntur, meritò Ecclesiæ Præsides bona & reditus prædictos, nisi justâ subsistente causâ, & servatâ præscriptâ juris solemnitate alienari prohibuerunt, ita ut alienatio aliter facta sit nulla, & tam alienans quàm hujusmodi alienata recipiens juris pœnas incurrat. Unde

Quæres *primò*. Quænam temporales res Ecclesiæ alienari nequeunt?

R. Res Ecclesiæ immobiles, & mobiles pretiosæ absque debita juris solemnitate alienari non possunt. *1mò*. Nomine rerum immobilium non solùm prædia, domus, vineæ, &c. quæ physicè loco moveri nequeunt, sed etiam jura & actiones ad res immobiles significantur. *Cap. 2. de rebus Eccl. non alien. in 6.* Hoc quoque nomine veniunt servitutes prædiorum, jura lignandi, piscandi, venandi &c. *Clement. 1. de rebus Eccles. non alienand.* Census & annui reditus. *Clem. exivi. 1. de Verb. signif.* Capitale ad rem immobilem emendam deputatum, ut capitale, quo emendus fuit census post reluitionem censûs. *2dò*. Bona mobilia pretiosa sunt, quæ propter pretium, artem, antiquitatem conferunt ad singularem Ecclesiæ splendorem, ut ornamenta, vasa pretiosa, imagines, reliquiæ, &c.

Quæres *secundò*. Qualis hic prohibetur alienatio?

R. Nomen alienationis in præsenti non tantum continet contractus donationis, venditionis, permutationis &c. per quas rei transfertur Dominium, sed etiam contractus, vi quorum ad alium abit rei utilitas, ut conductio ad longum tempus, Emphyteusis, feudum: imò & contractus hypothecarius, *per* quem mediatè Dominium confertur, aut ad minus ad Dominium acquirendum, si debitor dans hypothecam non solvat, via aperitur. *Cap. nulli. 5. de rebus Ecclesiæ non alienand.*

Quæres *tertiò*. Quæ ad alienationem causa sufficere dicitur?

R. Aut justa necessitas, cui aliter subveniri non possit. *cit. Clement. 1. de rebus Eccles. non alien. cap. 1. de pignor.* Aut manifesta utilitas intervenire debet. *Can. sine exceptione. 52. caus. 12. q. 2.* Sine exceptione decernimus, ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ quidquam donare, vel commutare, vel vendere aude-

audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ. *Can. terrulas. 53. ibid.* Huc reducitur pietas, ut si ad redimendos captivos, pauperes tempore famis alendos res Ecclesiæ alienentur. *Can. aurum. 70. cauſ. 12. q. 2.*

Quæres *quartò*. Quænam ad rei Ecclesiasticæ alienationem requiruntur solemnitates?

R. Solemnitas ad rerum Ecclesiasticarum alienationem requisita in quatuor consistit punctis. 1. Tractatus præcedere, hoc est: Prælatus cum Capitulo, an necessarium vel conducens sit Ecclesiæ. quod talis res Ecclesiæ alienetur, maturè deliberare debet. *cit. Can. Si exceptione. cap. tua nuper. 8. de his quæ fiunt à Prælato. cap. 1. de rebus Eccles. non alienandis.* 2. Majoris & Sanioris partis Capituli requiritur consensus. *Cap. ea noscitur. 6. de his. quæ fiunt. à Prælat.* 3. Subscriptio Capituli, quod tamen maximè ab usu & more Ecclesiæ pendet. *Cap. 1. cap. tua nuper. 8. de his, quæ fiunt à Prælat.* 4. Legitimi Superioris consensus & licentia, Summi scilicet Pontificis. *Cap. 2. de rebus Eccl. non alienand. in 6. Extrav. ambitiosæ. cod. inter com.* Quod tamen ubique consuetudine receptum non est in locis, in quibus de more Episcopi sufficit consensus, aut in Collegiis Regularium, in quibus sufficit consensus Prælati immediati cum mediato Provincialis aut Generalis consensu, conformiter cujuscunque Religionis constitutionibus.

Quæres *quintò*. Cujus Capituli requiritur consensus?

R. *1mò*. Quando Episcopus alienationis est author, Capituli Cathedralis requiritur consensus. *2dò*. Si inferioris Ecclesiæ Collegiatæ Rector alienationem facere intendit, præter Episcopi licentiam illius inferioris Capituli consensus requiritur. *3tiò*. Quando Rector Ecclesiæ inferioris non Collegiatæ alienat, Episcopi sufficit consensus. *Arg. Can. placuit. 51. cauſ. 12. q. 2.*

Quæres *sextò*. An expressum Capituli consensum in ipso alienationis contractu intervenire necessè sit?

R. In alienatione solùm temporali, v. g. conductione ad breve tempus Capituli scientis & non contradicentis tacitus sufficit consensus. *cap. continebatur. 2. de his, quæ fiunt à Prælat.* In alienatione verò perpetua consensus expressus intervenire debet, *Gloss. in cit. cap. continebatur. Verb. contradicente.*

Quæres *septimò*. In quibus casibus absque juris solemnitatibus licita est rei Ecclesiasticæ alienatio?

R. In sequentibus. *1mus*. Si res sint exiguæ, minúsque Ecclesiæ utiles. *Can. terrulas. 53. cauſ. 12. q. 2. cap. ad aures. 7. de rebus Ecclesiæ non alienand.* *2dus*. Res immobiles antiquitùs in feudum vel emphyteusin dari solitæ feudo vel emphyteusi exspirante iterum in feudum vel emphyteusin dari possunt. *cit. Extrav. ambitiosæ. 3tius.* Res immobiles absque solemnitatibus ad triennium elocari possunt. *4tus*. Fructus quoque aliáque bona, quæ servando servari nequeunt. *cit. Extrav. ambitiosæ.*

Porrò

Porrò ſolemnitates Juris, etiam dum una Eccleſia in aliam bona ſua temporalia transfert, ſunt ſervandæ. *cap.* 1. *de reb. Eccleſiæ non alienand.* Ubi diſponitur, quod non liceat Epiſcopo vel Abbate terram unius Eccleſiæ vertere ad aliam, quamvis ambæ ſint in ejus poteſtate. *cap. tua nuper.* 8. *de his, quæ fiunt à Præl.* Ubi Epiſcopus Eccleſias aliis Eccleſiis ſine ſolemnitate & juris ordine donare prohibetur. Demùm in *cap.* 1. *de rebus Eccleſ. non alien. in* 6. Alienatio decimarum facta ab una Eccleſia in aliam ob ſolemnitatis defectum irrita declaratur.

Quæres *octavò*. An & qualiter alienatio abſque ſolemnitatibus facta ſit nulla?

℟. Eſt nulla ipſo jure. *Can. Apoſtolicos.* 13. *cauſ.* 12 *q.* 2. Qui emerit aut perceperit aliquid ex Eccleſiæ cimeliis vel ſalariis, & non reſtituerit Eccleſiæ iterum, quæ Eccleſiæ ſunt, ſit Anathema, uſque dum fecerit. *Can. quiſquis.* 13. *ibid.* Quod ſi à Clerico emerit Princeps agrum, irrita ſit venditio, & reſtituatur Epiſcopis vel Monaſterio. *Can. quidquid.* 36. *ibid.* Quidquid parochiarum Presbyter de Eccleſiaſtici Juris poſſeſſione detraxerit, inane habeatur & vacuum vindicatione comparantis, & actione vendentis. *cap. ſi quis Presbyterorum.* 6. *de rebus Eccl. non alien. junct. Gloſſ. verb. nullas. cap.* 2. *cod. in* 6. Contractus omnes, etiam juramenti, pœnæ, vel alterius cujuslibet firmitatis adjectione vallatos, quos de talibus alienationibus, ſine hujuſmodi licentia & conſenſu contigerit celebrari, & quidquid ex eis ſecutum fuerit, decernimus adeò viribus omninò carere, ut nec jus aliquod tribuant, nec præſcribendi etiam cauſam parent. *Clement.* 1. *eod. tit.* Nec ex conceſſione ipſius recipienti aliquod jus acquiratur. *cit. Extrav. ambitioſæ.* Si quis contra hujus noſtræ prohibitionis ſeriem de bonis & rebus ejuſdem quicquam alienare præſumpſerit: alienatio, hypotheca, conceſſiò, locatiò, conductio, & infeudatio hujuſmodi nullius omninò ſunt roboris vel momenti ... & nihilominus alienatæ res & bona ad Eccleſias, Monaſteria, & loca pia, ad quæ ante alienationem hujuſmodi pertinebant, liberè revertantur. Quamvis in foro conſcientiæ, ſi alienatio facta abſque dolo ex cauſa neceſſitatis vel utilitatis authoritate Superioris & eorum, quorum intereſt, à pluribus Canoniſtis, donec per ſententiam Judicis reſcindatur, valida eſſe defendatur.

Quæres *nonò*. An Laicus, qui alienationem abſque juris ſolemnitate factâm acceptavit, contra illam agere poſſit?

℟. Si per alienationem læſa non fuit Eccleſia, rem abſque ſolemnitatibus alienatam recipere non tenetur, ſi pars altera cum Eccleſia contrahens ob defectum ſolemnitatum contractûs velit reſciſſionem. Ut eſt ſimile in pupillo vel minore, qui per contractum abſque authoritate tutoris vel Curatoris initum læſus non eſt. Fagn. in *cap. nulli. de reb. Eccl. non alienand. n.* 46. Docet, quod contractum nullum, ſi aliàs Eccleſiæ ſit utilis, & nullitas proveniat ex defectu ſolemnitatis, Eccleſia approbare & ratificare

tificare valeat, nec ab eo, nisi Ecclesiâ volente recedatur.

Quæres *decimò*. Qualiter Ecclesiæ per alienationem læsæ succurrendum?

℟. 1*mò*. Si læsio per alienationem solemnizatam facta, restitutio in integrum est petenda. Nam si Ecclesia læsa est, & manifestè apparet detrimentum ipsius, cum Episcopo aliove Prælato ejus conditionem facere deteriorem non liceat, & Ecclesia jure minoris debeat semper illæsa servari, quæ in damnum ejus data constiterit, ad ipsius convenit jus & proprietatem redire. *Cap. 1. de in integrum. restitut. cap. ad nostram. 11. de reb. Eccles. non alienand.* Ratio est; quia cum contractus solemnizatus ob Ecclesiæ læsionem non sit nullus, soli locus est restitutioni in integrum, quæ est remedium extraordinarium, & non datur nisi in subsidium, videlicet, ubi remedium ordinarium seu alia actio non competit.

2*dò*. Si Ecclesia læsa per alienationem sine juris solemnitatibus celebratam, petendum est, ut Judex contractum nullum fuisse declaret, quod non solùm à Successore in beneficio, *cap. de precariis. 2. de precariis.* Sed etiam ab ipsomet Rectore invalidè alienante peti potest. *Cap. si quis. 6. de reb. Eccl. non alien.* Quamvis non revocaturum se alienationem juraſſet. *Gloss. in cit. cap. si quis. Verb. alienator. Arg. cap. intellecto. 33. de jurejur.* Imò in defectu Prælati malè alienantis nec revocantis quilibet Clericus ad restitutionem agendi habet facultatem. *Cit. cap. si quis.* Licet quibuscunque ecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre, ut & cum fructibus possint alienata reposcere, & ecclesiasticâ authoritate fulciri.

Quæres *undecimò*. Quotuplex Ecclesiæ per alienationem illegitimam læsæ competit actio?

℟. Duplex: 1*mò*. Actio personalis contra Prælatum malè alienantem pro damni reparatione, quæ actio transit ad hæredes illius. 2*dò*. Actio in rem contra possessorem, ut rem malè alienatam cum omnibus fructibus restituat. *Cit. cap. si quis.*

Quæres *duodecimò*, Quæ malè alienantium pœnæ?

℟. Ex gravitate pœnarum, quibus alienationes illegitimas rerum ecclesiasticarum Ecclesia persequitur, earum enormitas apparet. Sunt autem hæ pœnæ diversæ simul ac graves. In *Can. Apostolicos. 13. cauſ. 12. q. 2.* Prælatus malè alienans tanquam prævaricator divinarum legum & præceptorum deponi jubetur: ei autem, qui talia emerit vel perceperit aliquid, & non restituerit Ecclesiæ, anathema dicitur. In *Can. quisquis. 19. ibid.* Episcopus vel Abbas alienans ab Episcopatu vel Monasterio, tanquam qui dispergit, quæ non collegit, abjiciendus est. In *Can. indignè. 21. ibid.* Accipientes, dantes, & possidentes anathematizantur. Idem repetitur in *cit. cap. si quis. 6. de rebus Eccles. non alien.* In *cap. 2. cod. in 6.* Prælati malè alienantes ipso facto ab officio & administratione, Clerici etiam, qui scientes contra inhibitionem Ecclesiæ aliquid esse præsumptum, id Superiori denuntiare neglexerint, à

perceptione beneficiorum, quæ in Ecclesia obtinent sic gravata, triennio suspensi : Laici qui Prælatos vel personas Ecclesiasticas ad similes alienationes compellunt, aut alienata sic detinent, ipso facto excommunicati existunt. Demùm sic loquitur Paulus II. in *cit. Extrav. ambitioſæ.* Tam qui alienat, quàm is, qui alienatas res & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat : aiienanti verò, si Pontificali vel Abbatiali dignitate præfulgeat, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus. Et si per sex menses immediatè sequentes sub interdicto hujusmodi animo perseveraverit indurato, lapsis mensibus eisdem è regimine & administratione suæ Ecclesiæ vel Monasterii, cui præsidet, in spiritualibus & temporalibus sit eo ipso suspensus. Inferiores verò Prælati, Commendatarii, vel aliarum Ecclesiarum Rectores beneficia vel administrationem quomodolibet obtinentes Prioratibus, Præposituris, Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, Officiis, Canonicatibus, Præbendis, aliisque ecclesiasticis cum cura & sine curâ, sæcularibus & regularibus beneficiis, quorum res & bona alienarunt duntaxat, ipso facto privati existant.

TITULUS X.

DE

Peculio Clericorum.

QUæres *primò*. Unde dicitur peculium Clericorum ?

℟. Peculium juxta *L. depoſiti. 5. §. 3. ff. de peculio.* Dictum est quasi pusilla pecunia, sive patrimonium pusillum. Sic bona, quæ servi & filii familias à Domini vel Patris substantia obtinent separata, servorum aut filiorum familias peculium nuncupantur. Eadem quoque ratione bona, quæ Clerici beneficiati à bonis ad Ecclesiam immediatè spectantibus discreta possident, Clericorum dicuntur peculium.

Quæres *secundò*. Quotuplex Clericorum peculium ?

℟. Secundùm bonorum diversitatem peculium Clerici ad modum peculii Filiifamilias peculium castrense, quasi castrense, adventitium & profectitium habentis quadruplex esse dignoscitur. 1. Clericus bonorum patrimonialium, hoc est eorum, quæ ex hæreditate, donatione, arte, industriâ, aut aliâ causa profana eidem obveniunt, habet peculium. 2. Quasi patrimonialium, quæ ex functione quidem Ecclesiastica, utpote

pote celebratione Missarum, prædicatione, officio Vicarii &c. absque respectu tamen ad aliquod beneficium acquirit. *3tiò.* Bonorum Ecclesiasticorum, & sunt illa, quæ Clerico intuitu Ecclesiæ sive beneficii Ecclesiastici, ut canonicatûs, Parochiæ obveniunt. *4tò.* Bonorum parsimonialium, quæ ex reditibus Ecclesiæ ad congruam sustentationem pertinentibus parciùs vivendo sibi subtraxit, ac reservavit.

Quæres *tertiò.* An bona, quæ beneficiatus habet ex juribus, ut vocant, stolæ, aut distributionibus quotidianis, veniant nomine bonorum Ecclesiasticorum?

R. *1mò.* Bona à Pastoribus ex spiritualibus functionibus, Sacramentorum administratione, nuptiarum benedictione, fidelium sepulturâ &c. acquisita, dicenda sunt bona Ecclesiastica, eò quod intuitu beneficii obveniant, nec ea Pastor acquireret, si beneficium Parochiale non haberet, harum siquidem functionum exercitium ita beneficio & officio Pastorali est annexum, ut absque læsione justitiæ intermitti non possint.

2dò. Distributiones quotidianæ de bonis Ecclesiasticis sive de reditibus præbendarum ordinariè sumuntur, & sunt tertia pars eorundem redituum. *Trident. de Reform. sess. 21. cap. 3. & sess. 22. cap. 3.* Unde ad peculium bonorum Ecclesiasticorum meritò reducuntur.

Quæres *quartò.* Qualiter Clericus de bonis patrimonialibus disponere potest?

R. Clerici de bonis patrimonialibus liberam habent disponendi facultatem. Firmum ab hinc & perpetuò mansurum decernimus, ut Episcopus rebus sui juris, quas aut ante Episcopatum, aut certè in Episcopatu hæreditariâ successione acquisivit, secundùm authoritatem Canonicam quidquid vult faciat, & cui vult conferat. *Can. firmum. 4. caus. 12. q. 4.* Idem est de quolibet Clerico beneficiato. Probatur deinde *ex cap. quia nos. 9. testamenti.* Ubi disponitur, quod Clerici de his, quæ paternæ successionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, liberè disponere valeant. Idem repetitur in *cap. relatum. 12. de testament.* ibi: quæ ex hæreditate aut artificio, aut Doctrina proveniunt, distribuentur pro arbitrio decedentis. Quod dicitur de bonis patrimonialibus, ad quasi patrimonialia quoque extendendum est. Illa enim à fidelibus absque respectu ad beneficium, & sine omni tacito & expresso pacto vel onere stipendium illud in pias causas erogandi, Clericis conferuntur.

Quæres *quintò.* Quam de bonis parsimonialibus disponendi Clerici habent facultatem?

R. Quamvis Clericus avaritiâ & cumulandarum opum siti stimulatus honestam sibi sustentationem subtrahens culpandus sit, nec à noxa immunis existat; de parsimoniali tamen hoc peculio liberè ad quoscunque usus disponere potest: eò quod pars redituum beneficii ad honestam sustentationem beneficiati necessaria sit vera ac propria

merces justúmque stipendium pro officio & obsequio Ecclesiæ præstito necessarium, *cap. cum secundùm. 16. de præbend.* Quilibet autem de laboris sui mercede pro arbitrio suo disponendi habet facultatem.

Quæres *sextò.* An beneficiati bonorum Ecclesiasticorum: quantùm ad partem, quæ ad honestam sustentationem necessaria non est, Dominium acquirant?

℟. Beneficiati non solùm peculii patrimonialis & quasi patrimonialis, sed etiam profectitii, sive quorumcunque Ecclesiasticorum redituum ex beneficiis suis perceptorum veri sunt Domini. Jura enim, ut *cap. unic. de Cleric. non resident. in 6. Trident. sess. 22. cap. 3.* Dicunt Clericos non residentes non acquirere Dominium fructuum, ergo econtrariò residentes Dominium acquirunt. Idem *Trident. sess. 23. de Reform. cap. 1.* & *Sess. 24. de Reform. cap. 12.* Disponit beneficiatos non residentes fructus non facere suos, amittere, non lucrari: lucrari autem & facere suum est acquirere Dominium.

Quæres *septimò.* An beneficiati de fructibus honestam sustentationem excedentibus testamentum condere valeant?

℟. Est fundamentalis quasi Juris Canonici sanctio, quod beneficiati de bonis Ecclesiæ aut beneficii acquisitis testandi careant facultate. Ita enim statuitur *cit. Can. firmum. 4. caus. 12. q. 4.* Episcopus (idem est de quolibet alio beneficiato) quascunque res de facultatibus Ecclesiæ, aut suo, aut alterius nomine qualibet conditione comparaverit, non in propinquorum suorum, sed in Ecclesiæ, cui præest, jura deveniant. Idem decernitur *cap. 1. cap. cum in Officiis. 7. cap. ad hæc. 5. cap. relatum. 12. de testament.* Rationem dat *cit. cap. cum in Officiis.* Quia in officiis charitatis primo loco illis tenemur obnoxii, à quibus beneficium nos cognoscimus recepisse. Unde cum bona acquisita per Ecclesiam immediatè proveniant Clerico intuitu ipsius Ecclesiæ, nullus Clerico hæres videtur proximior, quàm Ecclesia, quæ ipsum Domino sociavit, ut dicitur in *cap. Presbyteri. 2. de pœnis.* Ubi notandum, quod, ut inquit *Gloss. in cap. præsenti. de Offic. Ordinar. in 6. Verb. reservari.* Beneficiatus comparetur usufructuario, dum vivit, ita ut moderatas donationes in causas pias facere possit: dum autem infirmari incipit, comparetur usuario, ita ut nihil habeat, nisi usum tantùm. Eleëmosynam tamen facere potest, colligitur ex *cap. ad hæc de testament.* Viventes & sui compotes moderatè valent aliqua de bonis ipsis non ratione testamenti, sed eleëmosynæ intuitu erogare in ægritudine constituti. & *cap. relatum. cit.* ibi: Licet mobilia per Ecclesiam acquisita de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint: consuetudinis tamen non est improbandæ, ut de his pauperibus & religiosis locis, & illis, qui viventi servierant, sive sint consanguinei, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur. Porrò in partibus nostris, si beneficiatus decedat intestatus, ejus relicta cedunt Fisco Ordinarii.

Quæ-

Quæres *octavò*. An beneficiati reditus honestæ sustentationi superfluos in quoscunque usus applicare possint ?

℟. Est communis cùm Theologorum tùm Canonistarum sententia, quod beneficiati bona Ecclesiastica, sive reditus honestam sustentationem excedentes adeóque superfluos ad pias causas tempore vitæ suæ applicare teneantur. Hinc *Trident. sess. 25. de Reform. cap. 1.* omninò Episcopis aliisque beneficia Ecclesiastica tam Regularia quàm Sæcularia obtinentibus interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant; cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ DEI sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant : eas autem non distrahant nec dissipent illorum causâ: sed omnem humanum hunc erga Fratres, nepotes, propinquósque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia Seminarium extat, penitùs deponant. In hoc Decreto Concilium antiquos canones renovare voluit : Sic enim statuitur *Can. quisquis. 19. caus. 12. q. 2.* Omnium Ecclesiasticarum rerum Episcopus habeat sollicitudinem, & dispenset eas, tanquam DEO contemplante. Non liceat autem ei defraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare, quæ DEI sunt. Quod si pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur : sed non sub horum occasione, quæ sunt Ecclesiæ, defraudentur. *Can. indignè. 21. ibid.* Valde iniquum & ingens Sacrilegium est, ut quæcunque vel pro remedio peccatorum, vel salute, vel requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, in aliud transferre, vel converti permittatur. Nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui à religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta, contra fas, sine aliqua pietatis consideratione dispergit. *Can. fin. caus. 16. q. 1.* ibi : Quoniam quidquid habent Clerici, pauperum est, & domus illorum omnibus debent esse communes, susceptioni peregrinorum & hospitum invigilare debent, maximè curandum est illis, ut de decimis & oblationibus Cœnobiis & Zenodochiis, qualem voluerint, & potuerint, sustentationem impendant. Qui bonis parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, Sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium judicium sibi manducant & bibunt. Unde bona Ecclesiastica dicuntur patrimonium Christi, *cap. cum secundùm. 16. de præbend. cap. cum ex eo. 34. de elect. in 6.* Quapropter communiter tradunt Doctores, quod fideles Fundatores, qui bona illa Ecclesiis locisque piis pro sustentatione ministrorum Ecclesiasticorum ad cultum divinum, in remedium suarum animarum primitùs obtulerunt, id cum tacito vel expresso pacto fecerint, ut quod decenti sustentationi Clericorum supereſt, ad cultûs divini augmentum, in usus causásque pias convertatur : ideóque beneficiati, bona prædicta in profanas causas expendentes, aut alienantes, contra justitiam peccare videntur, non satisfaciendo fundatorum intentioni;

tioni : nec ullâ consuetudine aut statuto sunt excusandi.

Quæres *nonò*. An hæredes, Legatarii, Donatarii & similes, qui à Beneficiatis bona ecclesiastica acceperunt, ad restitutionem obligentur?

R. Probabilius videtur, quod non. Quantumvis enim beneficiati obligationem justitiæ habeant, præfata bona in usus pios expendendi ; hæc tamen obligatio personalis potiùs quàm realis esse videtur : nec præcisè ipsa bona, quorum verum dominium ipse Clericus, sicut usufructuarius fructuum, nactus est, illo affecta sunt onere ; ùt patet in simili, quo debitor bona illa, quibus creditori ex justitia satisfacere tenetur, alienando peccat contra justitiam ; in quem tamen per alienationem dominium transtulit, ea restituere minimè obligatur.

Quæres *decimò*, Ad quod peculium pertinent bona ab Ecclesiastico acquisita ?

R. Si Rector Ecclesiæ aliusque Beneficiatus tempore promotionis nihil aut parùm patrimonii habuit, prædia sive bona ab ipso postea empta ex ecclesiasticis reditibus acquisita præsumuntur. Unde ad Ecclesiam, utpote inter bona ecclesiastica numeranda, spectare extra dubium est, *cap. 1. cap. ut unusquisque. 3. cap. inquirendum. 4. de pecul. Cleric.* & hæredibus hæc bona alio honesto titulo acquisita esse probatio incumbit.

Quæres *undecimò*. Quis in bonis à Beneficiato relictis succedit ?

R. Si bona à Beneficiato relicta, vel honestæ artis exercitio acquisita, eidem donata, aut ratione personæ obvenisse constat, non Ecclesia, sed consanguinei ab intestato succedunt : si hi non existant, hæreditas ad Ecclesiam, in qua fuit beneficiatus, devolvitur. *can. fin. caus. 12. q. 5.* Quod si in diversis Ecclesiis beneficia possederit, per æstimationem congruam inter ipsas hæreditas est dividenda. *cap. relatum. 12. de testament.* De consuetudine tamen, ut supradictum, bona ecclesiastica Beneficiati, si intestatus decesserit, Fiscum sibi arrogare videmus.

Quæres *duodecimò*. Ad quem melioramenta, quæ Prælatus aut Beneficiatus in bonis Ecclesiæ fecit, pertinent?

R. Quamvis Prælatus aut alius Beneficiatus tempore vitæ illis melioratioribus à se factis frui possit ; post mortem tamen, nisi aliter cum Ecclesia contraxerit, apud Ecclesiam manere debent. *cap. si quis. 5. de pecul. Cleric.* ita quidem ut hæredes factas in meliorationes expensas repetere nequeant, eò quod ex superfluis beneficii fructibus factæ, vel Ecclesiæ donatæ censeantur.

TITU-

TITULUS XI.

DE

Sepulturis.

QUæres *primò*. An fideles in loco ſacro ſint ſepeliendi?

R. Licèt non obſit juſtis ſepultura nulla vel vilis, nec impiis celebris & ſpecioſa proſit, ùt dicitur in *cap. ſacris.* 12. §. *unde ſi. de ſepult.* ex ordinatione tamen matris Eccleſiæ fideles in communione ejus defuncti in loco ſacro ſepeliendi ſunt, tum propter patrocinium Sanctorum, qui in eo coluntur, tum propter Miniſtrorum Eccleſiæ aliorumque fidelium preces, qui ad commendandas defunctorum animas ibi conveniunt. Nam, ùt inquit Gregor. in *can. cum gravia. cauſ.* 13. *q.* 2. cum gravia peccata non deprimunt, hoc prodeſt mortuis, ſi in Eccleſia ſepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem loca ſacra veniunt, ſuorum, quorum ſepulchra aſpiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundent.

Quæres *ſecundò*. In quo loco ſacro defunctus eſt ſepeliendus?

R. Si defunctus ſepulturam non elegerit, in ſepulchro Majorum ſuorum ſepeliendus eſt. *can. Ebron.* 2. *can. unaquæque.* 3 *cauſ.* 13. *q.* 2. *cap. cum quis.* 2. *de ſepult. in 6.* Si quis autem nec ſepulturam elegerit, nec proprium ſepulchrum habet, in ſua parochia eſt ſepeliendus. *cap. ex parte* 5. *eap. cum liberum. 6. cap. in noſtra.* 10. *de ſepult.*

Quæres *tertiò*. An quilibet relictâ propriâ parochiâ & Majorum ſepulturâ in quolibet loco religioſo ſepulturam ſibi eligere valeat?

R. Si aliquod Monaſterium Apoſtolicum habeat privilegium, ut ibidem fideles ſibi ſepulturam eligere valeant, quilibet aliàs ſepulturam eligendi capax, relicto Majorum aut Parochiali ſepulchro ſepulturam in eo ſibi eligendi obtinet facultatem. *cap. fraternitatem.* 3. *cap. in noſtra.* 10. *de ſepult. cap. cum quis.* 2. *eod. in 6.* Hæc privilegia mendicantes Ordines habent, ita ut in Eccleſis vel locis ſuis ubilibet conſtitutis liberam habeant ſepulturam, videlicet quod omnes ad eam recipere valeant, qui ſepeliri elegerint in locis & Eccleſiis eorundem. *Clement. dudum.* 2. *de ſepult. Extrav. ſuper cathedram. cod. inter com.* Hoc ſpecialiter eſt advertendum, quod ſi Regulares in civitatem vel Parochiam admiſſi ſingularia cum Rectoribus Parochialium Eccleſiarum pacta fecerint, ne ullos aut certos fideles etiam apud ipſos ſepulturam eligentes ſepelirent, hujuſmodi pacta, quibus ſuis privilegiis renuntiârunt, ſunt ſervanda, ùt

ùt habet textus expreſſus in *cap.* 1. *de pactis. in 6.*

Quæres *quartò*. Quinam ſepulturam ſibi eligendi habent libertatem?

℟. Quilibet legitimam adeptus ætatem, ſive ſit vir ſive mulier, ſepulturam ſibi eligere poteſt, dummodò ſpecialiter à Jure non prohibeatur; electio enim ſepulturæ eſt ultimæ pars voluntatis. *cap. cum liberum. 6. de ſepult. can. ultima. 4. cauſ. 13. q. 2.* Hinc *primò* mulier conjugata ſepulturam ſibi eligere poteſt, quamvis ad tempus vitæ ſub viri poteſtate ſit conſtituta, *cap. de uxore. 7. de ſepult.* Si tamen abſque electione diſcedat, cum viro ultimo ſepelienda eſt. *cap. is qui. 3. §. mulier. de ſepult. in 6. Secundò* filiusfamilias pubes, quamvis ſub patria ſit poteſtate, ſepulturam ſibi eligit, infra annos pubertatis pater de conſuetudine filio impuberi ſepulturam aſſignat. *cap. licet. 4. de ſepult. in 6. Tertiò.* Licèt Religioſi ſepulturam ſibi eligendi careant poteſtate, ſed apud ſua Monaſteria ſint tumulandi, *cap. fin. de ſepult. in 6.* ſi tamen Religioſus in loco à Monaſterio remoto moriatur aut infirmetur, ita ut ad Monaſterium commodè non valeat deportari, ſepulturam ſibi eligere, vel in loco propinquiori ſepeliri poteſt. *cit. cap. fin. cap. nimis. 16. de exceſſ. Prælat.*

Quæres *quintò*. Quid Parochianæ debetur Eccleſiæ, ſi Parochianus alibi ſepulturam elegerit?

℟. Si Parochianus extra propriam Parochiam eligat ſepulturam, parochiali Eccleſiæ portio debetur canonica de reditibus Eccleſiæ, in qua defunctus ſepelitur. *cap. 1. cap. certificari. 9. cap. in noſtra. 10. de ſepult. cap. cum quis. 2. eod. in 6. Clement. dudum. 2. eod. Extrav. inter cunctas. 1. de privileg. inter com.* De quantitate iſtius portionis canonicæ ſtandum eſt locorum conſuetudini. *cit. cap. certificari.* quia aliquando media pars, ùt in *cap. relatum. 2. de ſepult.* aliquando tertia, aliquando quarta pars dicitur eſſe perſolvenda. Hæc canonica portio ex omnibus illis rebus, quæ Eccleſiæ, in qua ſepelitur, ratione funeris obveniunt, ut de cereis, oblationibus, ornamentis &c. in die ſepulturæ adhibitis, eſt deducenda. Solvitur autem Parocho ideo, quia qui fuerunt ſocii paſſionum, debent eſſe & conſolationum, *2. Cor. 1.* Parochi autem ſuſtinent onera divina officia celebrandi, parochianis, dum vivunt, Sacramenta adminiſtrandi, eos inſtruendi &c quare juſtum eſt, ut per electionem ſepulturæ in alia Eccleſia debitis non defraudentur obſequiis; cùm ille, qui Altari ſervit, de Altari vivere debeat. *cap. cum ſecundùm. 16. de præbend.* Excipe, niſi Religioſi, apud quos ſepultura eligitur, Eccleſiæ parochiali portionem canonicam de funeralibus non ſolvendi privilegium habere noſcantur. De quo *Trident. ſeſſ. 25. de reform. cap. 13.*

Quæres *ſextò*. Quid ſi quis alienum parochianum, qui proprium ſepulchrum non habet, ſepeliverit?

℟. Qui alienum parochianum, qui nec proprium ſepulchrum habet, nec alibi ſepulturam elegit, ſepelivit, Eccleſiæ parochiali corpus tumulatum cum omnibus iis, quæ occaſione ſepulturæ rece-

recepit, restituere debet. *cap. ex parte. 5. cap. cum liberum. 6. cap. in nostra. 10. de sepult.*

Quæres *septimò*. An aliquem ad eligendam sepulturam inducere licitum sit?

R. Ad tollenda scandala, & commotiones inter Parochos & alios Clericos sive sæculares sive regulares fedandas, in *cap. animarum. 1. de sepult. in 6.* in virtute S. obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ, districtissimè prohibetur, ne per Religiosos vel Clericos sæculares aliquis ad vovendum, jurandum, vel fide interpositâ promittendum inducatur, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligat, vel jam electam non immutet: Electio sic facta, declaratur invalida, & taliter eligentes non obstante juratâ promissione, sepeliendi sunt apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si aliàs sepulturâ non electâ forsitan decessissent. Quod si facta sepultura in Ecclesia per inductionem electa, cadaver tumulatum cum omnibus, quæ ratione sepulturæ obvenerunt, est restituendum. Hæc constitutio Bonifacii VIII, renovata est in *Clement. cupientes. 3. de pœnis.* adjectâ excommunicatione Papæ reservatâ.

Quæres *octavò*, An Religiosi defunctos, qui apud ipsos sepulturam elegerunt, propriâ authoritate ad suas Ecclesias deferre possint?

R. Ex constitutione speciali Leonis X. in *Concil. Lateran. Primò* Religiosi cum cruce ad levanda funera eorum, qui in suis Ecclesiis sepulturam elegerunt, nisi prænonito & requisito Parocho, parochiam intrare non possunt. *2dò.* Quod si requisitus Parochus consentire nolit, aut præsens esse recuset, Regulares corpus defuncti ad suam Ecclesiam deferre possunt. *3tiò.* Præsens in die sepulturæ Parochus funus antequam efferatur, in domo benedicere, & usque ad Ecclesiam sepulturæ conducere debet. *4tò.* Postquam funus ad Ecclesiam sepulchralem deductum, officia divina facere pertinet ad Rectores illius Ecclesiæ, in qua corpus tumulatur.

Quæres *nonò*. An pro sepultura aliquid exigi possit?

R. Pro sepultura in Ecclesia præstanda nihil exigi debet. *cap. abolendæ. 13. de sepult. cap. plerique. 7. de pactis. cap. non satis. 8. cap. cum in Ecclesiæ. 9. de simon.* Ratio est: quia ipsa benedictio sepulturæ adhærens emi censetur. Aliàs laudabiles consuetudines, juxta quas fideles Ecclesiæ, in qua sepeliuntur, oblationes faciunt, sunt servandæ. Quamvis enim pravæ exactiones prohibeantur, pias tamen consuetudines observari præcipitur. *cap. ad Apostolicam. 42. de simon.*

Quæres *decimò*. Quinam ecclesiasticâ privantur sepulturâ?

R. Omnes fideles, nisi specialiter prohibeantur, ecclesiasticâ sunt honorandi sepulturâ. Specialiter autem prohibentur *primò* omnes non baptizati. *can. Ecclesiam. 27. & 28. de consecrat. dist. 1. 2dò* hæretici eorumque fautores. *cap. sicut air. 8. cap. excommunicamus. 13. §. credentes de hæretic. cap. quicunque. 2. eod. in 6. 3tiò.* Qui per integrum annum non

non confessi, & tempore paschali Eucharistiam non sumpserunt. *cap. omnis utriusque* 12. *de pœnitent. & remiss.* 4tò. Qui in torneamentis vel in duello occumbunt. De quo *Tridentin. sess.* 25. *de reform. cap.* 19. si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant ecclesiasticâ sepulturâ. 5tò. Manifesti usurarii. *cap. quia in omnibus.* 3. *de usur. cap. quanquàm* 2, *eod. in* 6. 6tò. Religiosi inventi proprietarii in sterquilinio sunt sepeliendi. *cap. Monachi.* 2. *cap. super quodam.* 4. *cap. cum ad monasterium.* 6. *de statu Monach.* 7timò. Qui decimas ad Ecclesiam pertinentes non restituit. *cap. prohibemus.* 19. *de decimis.* 8vò. Nominatim excommunicati aut interdicti. *Clement.* 1. *de sepult. cap. sacris.* 12. *eod.* nisi ante mortem pœnitentiam egerint. *cap. sicut.* 20. *de sentent. excom. in* 6. 9nó. Notoriè excommunicati. Quamvis enim de facto per *Extrav.* Martini V. *ad evitanda.* Fideles cum excommunicatis nondum denuntiatis tam vivis, quàm mortuis communicare possint: quia autem illud solùm in favorem fidelium statutum est; ideò si aliquem excommunicatum in excommunicatione pertinaciter defunctum esse constat, quantumvis nondum denuntiatus sit, ab ecclesiastica sepultura arceri potest. Colligitur ex *cit. cap. sacris.* 12. *de sepult.* Aliud est, si ante mortem petiverit, & à quocunque Sacerdote absolutionem acceperit. *cap. fin. de sepult.* 10mò Qui violentas manus sibi inferendo seipsos occiderunt, & manifestum sit, id ex tædio vitæ aut desperatione factum. *can. placuit,* 12. *caus.* 23. *q.* 5. 11mò. Qui in notorio & certo peccato impœnitentes decedunt *cap. ex parte.* 11. *de sepult. junct. gloss. verb. communicabatur.*

Quæres *undecimò.* Quid faciendum, si indignus sepulturâ ecclesiasticâ in loco sacro sepeliatur?

℟. Si excommunicatus denuntiatus, aut notorius Clerici percussor, aut infidelis, in loco sacro sepeliatur, Ecclesia vel cœmiterium polluitur, & corpus sepulti, si ossa ab aliis ossibus fidelium discerni possint, exhumari, & procul ab ecclesiastica sepultura jactari debent. *cit. cap. sacris,* 12. *de sepult.* & antequam ibidem alii sepeliantur, cœmiterium aut Ecclesia polluta priùs est reconcilianda. *cap. consuluisti.* 7. *de consecr. Eccles. cap. unic. eod. in* 6. Quod juxta sententiam probabilem non est extendendum, si alii indigni hic non specificati in loco sacro sepulti fuerint; quia pœnæ ad casus non expressos haud sunt extendendæ.

Quæres *duodecimò.* Quæ indignos in loco sacro sepelientium pœnæ?

℟. Omnes sive exempti sive non exempti, qui in casibus à Jure non concessis indignos sepulturâ ecclesiasticâ, ut tempore interdicti, vel publicè excommunicatos, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos &c. scienter in loco sacro sepelire præsumunt, pœnam excommunicationis incurrunt. *Clement.* 1. *de sepultur.*

* *
*

TITU-

TITULUS XII.

DE

Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

QUæres *primò*. Quid ſunt Decimæ, Primitiæ, & Oblationes?

℟. Decimæ ſunt decima pars fructuum aut proventuum, DEO in recognitionem univerſalis dominii debita, ipſius Miniſtris ob ſpirituale miniſterium ſolvenda. Dividuntur decimæ in prædiales, & perſonales. Prædiales ſolvuntur de fructibus agrorum, vinearum, pratorum, &c. & ſunt vel majores, ex frumento, vino &c. vel minores ex fœtibus animalium, & vocantur decimæ ſanguinis, ex lana, ovis, rapis, leguminibus hortorum &c. Decimæ perſonales ſunt, quæ ex lucro, induſtria perſonarum acquiſito deductis expenſis ſolvuntur.

2dò. Primitiæ ſunt primorum pars certa fructuum, qui ex agris & animalibus DEO in ſignum gratitudinis offeruntur. De his agitur in *can. revertimini. 65. cauſ. 16. q. 1.* Primitiarum origo à S. Hyeron. in *cap. 1. de decimis* deſcribitur.

3tiò. Oblationes ſunt largitiones gratuitæ, quas fideles pro peccatis in Eccleſia vel Altari, vel diebus liberis, vel certis anni temporibus, ùt circa Paſcha, Paſtoribus offerunt. De quibus *can. quia Sacerdotes. 13. cauſ. 10. q. 1.* Sunt quidem oblationes arbitrariæ à libera offerentium voluntate dependentes: attamen ſi Parochiani ex conſuetudine tempore paſchali aut anniverſaria feſtorum celebriorum die, defunctorum ſepulturis, anniverſariis, aliisque de requiem Sacrificiis inter Miſſarum ſolemnia oblationes facere conſueverint, juſtè ad laudabilis conſuetudinis obſervantiam compelli poſſunt, ùt loquitur *cap. ad Apoſtolicam. 42. de ſimon.*

Quæres *ſecundò*. Quo jure decimæ Miniſtris Eccleſiæ debentur?

℟. Quoad ſubſtentiam decimæ debentur jure divino: DEO enim in recognitionem ſupremi debentur dominii. *cap. tua nobis. 26. cap. cum non. 33. de decimis.* Ex jure naturali & divino pro alimentis Miniſtrorum Eccleſiæ ſolvendæ ſunt. *cap. cum ſecundùm. 16. de præbend.* Hinc meritò dicit *Tridentin. ſeſſ. 25. de reform. cap. 12.* Decimarum ſolutio debita eſt DEO: attamen quoad formam videlicet, quod in tali quantitate, de talibus agris, ex talibus fructibus, tali modo numerando, ex uno agro in alium, vel non, eſt ex mero jure eccleſiaſtico, vel conſuetudinario, quod contrario ſtatuto, privilegio, aut aliâ conſuetudine tolli aut minui poteſt. *cap. dilecti. 8. cap. ad audientiam. 12. de decimis.*

Quæres *tertiò*. Quinam decimas solvere obligantur?

℟. Omnes cujuscunque Ordinis & dignitatis, nisi specialem exemptionem allegare valeant, solvere decimas tenentur. *cap. ex transmissa. 23. cap. à nobis. 24. de decimis.* in specie *primò* omnes Parochiani. *cap. parochianos. 14. cap. tua nobis. 26. cap. in aliquibus. 32. de decimis.* 2*dò*. Etiam Judæi & Pagani de prædiis, quæ à Christianis possessoribus ad illos emptione aliove titulo devenerunt, decimas solvere debent. *cap. de terris. 16. de decimis. cap. quantò. 18. de usur.* Ratio est: quia à tempore, quo parochiæ distinctæ, prædia intra fines parochiæ existentia onus solvendi decimas annexum habent: quod onus, quia reale, ad quemcunque transit possessorem. 3*tiò*. Clerici in aliena parochia prædia titulo patrimoniali possidentes absque dubio ad decimas obligantur. *can. si quis laicus. 42. caus. 16. q. 1.* quin & de bonis beneficialibus in aliena parochia sitis, aut bonis dotalibus alicujus Ecclesiæ in aliena parochia existentibus solvendæ sunt decimæ: quia, ùt dicitur in *can. quicunque. 44. caus. 16. q. 1.* omninò providendum, ut aliæ Ecclesiæ antiquiores propter novas suam justitiam, aut decimam non perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvatur. *cap. novum. 2. de decimis.* ubi dicitur, novum esse exactionis genus, quod Clerici Clericis decimas dare compellantur, intelligendum est, quòd Clerici ex suis decimis decimas dare non obligentur. 4*tò*. Religiosi sive exempti, sive non exempti, de prædiis, quæ conducunt, decimas dare tenentur. *cit. cap. dilecti. 8. de decimis.* Item de prædiis noviter acquisitis, si illa antea ad decimas obligata fuerunt. *cap. commissum. 4. cap. nuper. 34. de decimis.* & *cap. 2. §. caterùm. eod. in 6.* Quamvis Regulares à decimis ex hortis, nutrimentis animalium, & novalibus, quæ propriis manibus aut sumptibus faciunt, de jure communi sint immunes. *cap. ex parte. 10. de decimis.*

Quæres *quartò*. Qualiter à solutione decimarum fieri potest exemptio?

℟. A solutione decimarum quis eximi potest modis sequentibus: *primò* per privilegium, quod tamen Princeps sæcularis impertiri nequit. Imperialis concessio, quantumcunque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ divinâ constitutione debentur. *cap. tua. 25. de decimis.* neque Episcopus, sed solus Papa. *cit. cap. ex parte.* Privilegium exemptionis à decimis, quia odiosum, & parochiale continet præjudicium, strictè est interpretandum, & ideò ad novalia non extendendum; quinimò si Ecclesiæ parochiali valde damnosum, est revocandum. *cap. suggestum. 9. de decimis.* & *cap. 2. eod. in 6.* etiam per non usum, aut contrarium 30. vel 40. annorum usum amittitur. *cap. si de terra, 6. cap. accedentibus 15. de privileg.* sicut etiam per compositionem. *cap. dilecti. 8. cap. suggestum. 9. cap. nuper. 34. de decimis.*

2*dò*.

2dò. Per consuetudinem, quæ si sit circa modum, quantitatem, certos fructus, modum numerandi &c. sufficit consuetudo decennalis : decimæ enim juxta approbatam loci consuetudinem solvendæ sunt. *Cap. commissum.* 4. *cap. dilecti.* 8. *cap. cum sint homines.* 18. *cap. in aliquibus.* 32. *de decimis.* Qui decimatori contrariam opponit consuetudinem, eam probare tenetur. *Cap. fin. de consuetudine. cap. cum Ecclesia.* 3. *de caus. possess. & propriet.*

3tiò. Per præscriptionem cum titulo : quia est contra Ecclesiam ; immemorialem sine titulo : *Cap.* 1. *de præscript. in 6.* Etiam Laicus exemptionem à decimis præscribere potest : quamvis enim jus activum decimandi habere non possit, juris tamen exemptionis à decimis incapax non est.

4tò. Per cessionem : ita Parochus monasterio pro jure alio speciali jus decimandi cedere potest. *Cap. ex multiplici.* 3. *de decimis.* Attamen ad talem transactionem, compositionem, vel cessionem, ut sit perpetua, Superioris Ecclesiastici consensus requiritur & authoritas. Pecuniâ aut alio temporali jus solvendi decimas redimi non posse, constat ex *cap. fin. de rerum permutatione.*

Quæres *quintò.* Quibus decimæ sunt solvendæ ?

R. 1mò. Regulariter Parocho soli debentur decimæ, & hic habet intentionem fundatam decimas ex omnibus agris intra limites suæ Parochiæ situatis percipiendi. *Can. si quis Laicus.* 42. *Can. statuimus.* 55. *caus.* 16. *q.* 1. *cap. cum contingat.* 29. *cap. cum in tua.* 30. *de decimis.* Etiam contra Episcopum, *cap. fin. de Paroch.* exceptis decimis, quæ sunt intra fines Ecclesiæ Cathedralis. *Cap. dudum.* 21. *de decimis.* Aut quæ sunt in nullius Parochia. *Cap. quoniam.* 13. *ibid.*

2dò. Spoliatus à Parocho decimis intra parochiam existentibus, quamvis possessionem probaverit, restituendus non est, donec titulum quoque probet, est textus notabilis in *cap. ad decimas.* 2. *de restitut. spoliat. in 6.*

3tiò. Decimæ prædicales Ecclesiæ Parochiali, intra cujus fines prædia existunt, sunt persolvendæ. *Cap. fin. de Parochiis.* Nisi aliud habeat consuetudo. *cap. ad Apostolicæ.* 20. *de decimis.* Decimæ personales solvendæ sunt Ecclesiæ, in qua audiuntur divina, & Ecclesiastica percipiuntur Sacramenta.

4tò. Ex agris novalibus (Novalia dicuntur, si ex terra nunquam vel ab immemoriali tempore non culta fiat ager, *cap.* 1. *cap. quid per novale.* 21. *de Verb. signif.*) decimæ Parocho solvi debent, intra cujus parochiæ fines novale existit. *Cap. cum contingat.* 29. *de decimis.* Quamvis alius in Parochia jus decimandi præscripserit, aut ex Privilegio jus decimandi habeat. Dixi : *Si ex terra nunquam culta ager fiat* : Si enim sola terræ cultura mutetur, ut pratum convertitur in agrum, eodem modo, sicut antea, decimæ solvi debent. *Cap. commissum.* 4. *de decimis.*

5tò. Propter malitiam Clericorum, vel Parochorum, aut eorum abundantiam decimæ ipsis justè denegari non possunt. *Cap. tua nobis.* 26. *de decimis.*

Quæres *sextò.* Quomodo alter à Pa-

rocho jus decimandi intra Parochiam acquirere poteſt ?

℟. Eccleſia vel perſona Eccleſiaſtica intra fines alterius Parochiæ jus decimandi acquirere poteſt modis ſequentibus. *1mò.* Conceſſione Summi Pontificis. *Cap. 2. de decim. in 6.* *2dò.* Si Laicus cum conſenſu Epiſcopi Monaſterio vel alteri Eccleſiæ à Parochiali diſtinctæ decimas Eccleſiaſticas donet. Colligitur ex *cap. dudum. 31. de decimis.* *3tiò.* Per compromiſſum aut compoſitionem amicabilem partibus de jure decimandi inter ſe controverſis. Idem eſt de tranſactione. *4tò.* Permutatione, cum perſona eccleſiaſtica vel Eccleſialiâ ejuſdem conditionis decimas commutare poſſit. *5tò.* Unione Eccleſiæ Parochialis cum Collegio, Monaſterio, vel dignitate. *6tò.* Præſcriptione quadragenariâ. *Cap. de quarta. 4. cap. ad aures. 6. de præſcript. cap. 1. eod. in 6.*

Quæres *ſeptimò.* Quomodo Laici decimas habere poſſunt ?

℟. *1mò.* Laici juris decimandi, utpote juris ſpiritualis, ſunt incapaces, ita ut nec eas retinere, nec obtentas in alios transferre poſſint. *Can. pervenit. 13. cauſ. 1. q. 3. Can. decimas. 1. cauſ. 16. q. 7. cap. ad hæc. 15. cap. prohibemus. 19. de decimis. cap. 2. eod. in 6.* Ex quo ſequitur, quod cum Laici decimas poſſidere non valeant, nec eaſdem, quocunque tandem tempore illas tenuerint, præſcribere poſſint. *Cit cap. prohibemus.*

2dò. Ante Concilium Lateranenſ. ſub Alexand. III. Anno 1179. celebratum Epiſcopi aliique Prælati Eccleſiarum ad remuneranda Principum Sæcularium Eccleſiæ præſtita obſequia, & pro potenti Eccleſiarum ſuarum protectione Laicis decimas Eccleſiaſticas in feudum dare ſolebant : ſed cum hoc modo præcipua redituum Eccleſiæ portio paulatim ex manibus Patronorum devolveretur, ac per Succeſſionem in manus adverſariorum & luporum deveniret, in præfato Concilio Generali Statutum fuit, ut nullus Epiſcopus aut inferior Prælatus jus decimandi in manus Laicas ſub quocunque titulo impoſterum dare vel transferre poſſit. *Cap. quamvis. 17. cap. prohibemus. 19. de decimis. cap. 2. §. ſanè. eod. in 6. cap. Apoſtolica. 7. de his, quæ fiunt à Prælato.*

3tiò. Si Laici de facto decimas poſſideant, illas ante dictum Concilium Lateran. in feudum habuiſſe præſumuntur, dummodò poſſeſſionem. quæ hominum memoriam excedat, probare poſſint. *Gloſſ. in cap. 1. de præſcript. in 6. Verb. memoria.*

4tò. Decimæ, quas Laici ante Concilium Lateranenſe ab Eccleſiis in feudum habuerunt, poſt dictum Concilium in alios Laicos, etiam conſentientibus Eccleſiæ Prælatis, transferri nequeunt, juxta expreſſum textum in *cap. prohibemus. 19. de decimis.* Quamvis tales decimæ cum conſenſu Epiſcopi è manibus Laicalibus ad aliam Eccleſiam tranſire valeant. *Can. in Sacris. 56. cauſ. 16. q. 1. cap. cum & plantare. 3. de Privileg. cap. 2. §. ſane. de decimis. in 6.* Et hac occaſione Collegia & Monaſteria tam amplas decimas à fundatoribus vel dotis augmentatoribus obtinuerunt. An autem Eccleſia decimas ante Concilium

in

in feudum datas, si feudum Ecclesiæ per extinctionem familiæ aperiatur, eas iterum alteri Laico in feudum conferrè possit, magna est controversia. Legistæ ex *cap.* 2. *de feudis.* tuentur affirmativam; addunt in Germania esse consuetudinem, quod decimæ Laicales, hoc est: illæ, quæ ante Concilium Lateran. à Laicis acquisitæ, sicut cætera bona sæcularia, valeant alienari.

Quæres *octavò*. De quibus rebus & fructibus solvendæ sunt decimæ?

R. 1*mò*. Decimæ personales solvuntur de omni lucro justo, ex mercimonio, arte, scientia, & qualibet industria acquisito. *Can. quicunque.* 4. *caus.* 16. *q.* 7. *cap. ad Apostolicæ.* 20. *de decimis.* Verùm hæ personales decimæ in hisce partibus extra usum sunt, ac per oblationes, quæ vel annuatim, vel in administratione Sacramentorum fiunt, supplentur. 2*dò*. Decimæ prædiales de omnibus terræ fructibus, & animalium fœtibus solvendæ sunt. *Cap. nuntios.* 6. *cap. ex parte.* 12. *de decim.* De facto tamen fructus, qui in specie sint decimandi, docet consuetudo. *Cap. dilecti.* 8. *cap. ad Apostolic.* 20. *cap. in aliquibus.* 32. *de decimis.*

Quæres *nonò*. Quomodo decimæ sunt solvendæ?

R. De jure communi 1*mò* de decem partibus una est decimatori præstanda. *Cap. cum homines.* 7. *de decimis.* 2*dò*. Decimæ prædiales statim, postquam fruges collectæ, solvi debent. *Cit. cap. cum homines.* Decimæ personales in fine anni præstantur. 3*tiò*. Decimæ prædiales ad horreum Parochiale Parochianorum sumptibus sunt devehendæ. *Can. revertimini* 65. *caus.* 16. *q.* 1. De consuetudine contrarium practicatur. 4*tò*. Decimæ prædiales solvendæ in manipulis jam collectis in natura, nullâ factâ deductione expensarum, seminis, sumptuum, tributorum, censuum. *Cap. tua nobis.* 26. *cap. Pastoralis.* 28. *de decimis.* Personales decimæ deductis solvuntur expensis: solvuntur enim de lucro ex industria obtento, quale nullum est, nisi deductis expensis: 5*tò*. Decimæ solvendæ sunt fideliter, ita ut nec optima, nec pars pejor pro decima obtrudatur.

Quæres *decimò*. Quæ decimas defraudantium pœnæ?

R. De his ita loquitur *Trident. Sess.* 25. *cap.* 12, Non sunt ferendi, qui variis artibus decimas Ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis solvendas temerè occupant, & in rem suam vertunt, cum decimarum solutio debita sit DEO, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Qui eas aut subtrahunt aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plenâ restitutione secutâ, absolvantur. Concordat *cap. ex parte.* 21. & *cap. in aliquibus.* 32. *de decimis.*

Quæres *undecimò*. Quas pœnas Regulares, qui sunt causa, quod debitæ Ecclesiis decimæ non solvantur, specialiter incurrunt?

R. Vel Religiosi ipsimet decimas non solvunt, aut defraudant, ut novalia, aliásque decimas ex suis bonis Ecclesiæ debitas sibi appropriando, vel suis

ſuis animalibus à decimis liberis aliorum animalia immiſcendo, aut non permittendo, vel prohibendo, ne coloni ex agris, quos excolendos eis dederunt, decimas ſolvant, ſi ſint in officiis, ab eiſdem ſuſpenduntur : aliàs ſunt excommunicati.

2*dò*. Sunt cauſa moralis, quod alii decimas non ſolvant, ſi vel in concionibus aliquid dicant, unde audientes à decimarum ſolutione rerrahuntur: & tunc excommunicationem de facto incurrunt : aut ſi confitentibus ſibi de ſolvendis decimis conſcientiam non faciant : & tunc ab officio prædicationis ſuſpenſi manent, donec confitentibus conſcientiam fecerint, excommunicationis ſententiam incurſuri, ſi prædictâ negligentiâ non purgatâ prædicare præſumpſerint. Quæ pœnæ continentur in *Clement.* 1. *de decimis.* & *Clement. cupientes. de pœnis.*

Quæres *duodecimò*. Ad quem ſpectant oblationes?

R. Oblationis nomine intelligitur, quidquid in Eccleſia quocunque modo ſive intra ſive extra Miſſarûm ſolemnia, ſive intra ſive extra Eccleſiam offertur. *Cap. cum inter.* 29. *de V. S.* Hæ oblationes, quas fideles ex propriis & licitis rebus faciunt, ad Eccleſiam, intellige Parochialem pertinent, niſi conſtet de alia offerentium voluntate, nec à Laicis abſque Sacrilegio ſibi appropriari poſſunt. Can. quia Sacerdotes. 13. Can. Sanctor. 14. cauſ. 10. q. 1. cap. cauſa. 13. de V. S. Trid. Seſſ. 25. de Refor. cap. 12. Hortatur omnes & ſingulos pro Chriſtiana charitate, debitóque erga Paſtores ſuos munere, ut de bonis ſibi à DEO collatis Epiſcopis & Paſtoribus, qui tenuioribus præſunt Eccleſiis, largè ſubvenire (intellige per oblationes pingues) ad DEI laudem, atque ad Paſtorum ſuorum qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam, non graventur.



TITU-

TITULUS XIII.

DE

Religiosis domibus, & Capellis Monachorum.

REligiosa domus est quilibet locus pius authoritate Episcopi erectus, sive sit consecratus, ut Ecclesiæ & Oratoria, sive non, ut hospitalia. Locus pius vocatur, in quo opera pietatis & charitatis exercentur, ut Xenodochia, in quibus peregrini pauperes suscipiuntur, Nosocomia, in quibus infirmis servitur, Orphanotrophia, in quibus pueri orphani educantur &c. Capellæ Monachorum sunt Ecclesiæ à Monasteriorum Ecclesiis separatæ, in quibus Regulares Sacramenta administrant.

QUæres *primò*. Cui Religiosæ domus sunt subjectæ?

℟. Omnes Religiosæ domus Episcopo intra cujus Diœcesin existunt, sunt subjectæ, ita ut Episcopus, si constet, vel domum Religiosam in sua Diœcesi situatum esse probari possit, super omnibus juribus Episcopalibus fundatam habeat intentionem; nisi locum illum speciali præscriptionis jure, aut Privilegio Apostolico exemptum esse ostendatur. *Can. omnes Basilicæ.* 10. *caus.* 16. *q.* 7. *cap. cum olim.* 18. *de præscript. cap. constitutus.* 6. *cap. cum Venerabilis,* 7. *cap. cum dilectus.* 8. *de Religios. domib.* Si dubitetur de aliqua Ecclesia, in cujus Diœcesi sita sit, tunc ea illi subjecta est Episcopo, qui antequam Ecclesia illa ædificaretur, incolis illius loci Sacramenta baptismi & confirmationis administravit. *Cap.* 1. *de Religios. domib.*

Quæres *secundò*. Cui Episcopo subjecta est Ecclesia, quæ Ecclesiæ alterius Diœcesis unita fuit?

℟. Talis Ecclesia manet subjecta Episcopo, in cujus Diœcesi existit. *Cap. quia Monasterium.* 2. *de Religios. domib.* Papa enim per Privilegium aut gratiæ concessionem alterius Episcopi juribus derogare non intendit: ideóque Monasterium vel Ecclesia, cui incorporatio facta, jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi Ecclesia unita existit, respectivè tantum in iis, quæ ad Ecclesiam alterius Diœcesis Episcopo subjectam pertinent, subjicitur.

Quæres *tertiò*. An Episcopus Regularem suæ Diœcesis Ecclesiam in sæcularem mutare valeat?

℟. Nulli Prælato Papâ inferiori Monasteria in quibus Religiosi vivunt, ad statum sæcularem reducendi competit facultas. *Cap. inter quatuor.* 5. *de Religios. domib.* Ratio est: ne in via DEI,

in qua de virtute in virtutem ascendendum est, descensus fiat, uti fieret, si Monasterium aliquod sæcularizetur: ideóque si Monasterium desolatum restaurandum sit, aut reformandum, id hoc ordine fieri debet. *1mò.* Reformatio per Religiosos ejusdem Monasterii est instituenda. *2dò.* In eorum defectu ex aliis ejusdem Ordinis Monasteriis Religiosi Strictioris observantiæ sunt evocandi. *3tiò.* Si nec illi haberi possint, reformatio per Religiosos alterius Ordinis fieri debet. *Cap. relatum. 7. ne Clerici vel Monach.* *4tò.* Si reformatio per Regulares institui nequit, sæculares Clerici in locum Regularium sunt collocandi. *Gloss. in cit. cap. inter quatuor. Verb. Regulares.*

Quæres *quartò.* An hospitalia sint beneficia?

℟. Hospitalia non sunt beneficia, quapropter eorum administratio tam Clericis sæcularibus, quàm etiam Laicis committi potest, nisi Ecclesiæ vel beneficio Ecclesiastico accessoriè unita forent. Si tamen hospitalia & similia loca pia authoritate Episcopi fuerint erecta, eorum Administratores Episcopo quotannis suæ administrationis rationem reddere tenentur, ac ab Ordinariis visitari possunt. *Trident. Sess. 22. de Reform. cap. 8. & 9.*

Quæres *quintò.* An loca pia absque authoritate Episcopi erecta eidem nihilominus sint subjecta?

℟. Quamvis talia loca domus Religiosæ non sint: ideóque Episcopi Jurisdictioni directè non subjiciantur; quia tamen Episcopus omnium piarum fundationum est Executor, prædicta loca Ordinarius inquirere & visitare potest, an juxta piam fundatorum intentionem bona deputata debitè administrentur, & applicentur, quia juxta *cap. tua nobis. 17. de testam.* In omnibus piis voluntatibus per locorum Episcopos providendum, ut secundùm defuncti voluntatem universa procedant. In *cap. de Xenodochiis. 3. de Relig. dom.* Mandatur, ut per sollicitudinem Episcoporum, in quorum Diœcesi existunt, ad easdem utilitates, quibus constituta sunt, ordinentur, sive applicentur. His conformiter *Trident. Sess. 25. de Reform. cap. 8.* Ordinat, ut si hospitalia ad certum peregrinorum aut infirmorum usum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes personæ, aut perpaucæ reperiantur, ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum intentioni proximior sit, ac pro loco aut tempore utilior, convertantur.

Quæres *sextò.* An Episcopus permittere possit, ut in sua Diœcesi novus Ordo Religiosus, aut nova Congregatio Religiosa instituatur?

℟. Antiquitùs Ordines primò ab Episcopis, in cujus Diœcesi habebant Monasteria, approbabantur: modò nulli Religiosi Ordines absque Summi Pontificis authoritate institui possunt, ex Decreto Concilii Lateranensis in *cap. fin. de Relig. dom.* & Concil. Lugdunens. in *cap. unic. eod. in 6.*

Quæres *septimò.* Quot modis Capella vel Ecclesia Monasterio subjecta esse potest? ℟. Qua-

R. Quatuor modis sequentibus: 1. Tantùm quoad jus Patronatûs, quod Monasterium vel ex fundatione, vel ex collatione Patroni habet: & tunc Prælato Monasterii Clericum sive Regularem sive sæcularem tantùm jus competit præsentandi, pro beneficii qualitate. Illud enim ex hoc, quod jus Patronatûs penes Monasterium sit, beneficium regulare non est. 2. Capella vel Ecclesia Monasterio solùm quoad temporalia subjicitur, quando videlicet decimæ aliique reditus temporales Monasterio sunt assignati, jure instituendi penes Episcopum, & præsentandi penes Superiorem Regularem remanente. De quo in *Can. sanè. 6. caus.* 16. *q.* 2. 3*tiò*. Capella Monasterio pleno jure est subjecta, quando præter jus percipiendi reditus temporales, etiam administratio Spiritualium, seu cura animarum in Monasterium est translata. 4*tò*. Ecclesia Parochialis Monasterio plenissimo jure est subjecta, quando Prælatus etiam jurisdictionem quasi Episcopalem in Parochianos exercet. De quo *Trident. Sess.* 25. *de Regular. cap.* 11. *in fine.*

Quæres *octavò*. Ex quibus causis Capella seu Ecclesia Monasterio subjici potest?

R. Ex quatuor causis. 1*mò*. Ex fundatione, quando interveniente Episcopi authoritate eâ lege Capella est fundata, ut per viros Religiosos talis cœnobii illi deserviatur. *Arg. Can. quæ semel.* 4. *caus.* 19. *q.* 3. 2*dò*. Ex Privilegio, cujus tenor & forma diligenter inspicienda. *Cap. porrò.* 7. *de Privileg.* 3*tiò*. Unione, quia Ecclesia Monasterio per Episcopum vel Papam est unita. *Cap. Sicut unire.* 8. *de excess. Prælat. Clement. si una.* 2. *de reb. Eccles. non alien.* 4*tò*. Præscriptione quadragenariâ cum titulo, & immemoriali sine titulo. *Cap. auditis.* 15. *cap. cum olim.* 18. *de præscript.*

Quæres *nonò*. Quam Prælatus Monasterii in Capella quoad temporalia Monasterio subjecta obtinet potestatem?

R. Rectorem ad illam præsentare potest, quem præsentatum Episcopus instituit, & institutus à Prælato directè destitui nequit, sunt clari textus in *cap. Monachis.* 12. *cap. in Lateranensi.* 31. *de Præbend. cap. in Ecclesiis.* 1. *de Capellis Monach.* Dixi: *Directè*: quia si Rector ab Episcopo in Ecclesia Monasterio subjecta institutus persona sit regularis, indirectè per revocationem ad claustrum beneficio privari potest: quia Monachus in Capella suo Monasterio subjecta existens manet Prælati sui obedientiarius, & consequenter revocabilis est.

Quæres *decimò*. Quam potestatem in Capella pleno jure Monasterio subjecta Prælatus exercet?

R. Tunc Prælatus etiam quoad spiritualia Ecclesiæ per Vicarium vel perpetuum vel temporalem, sive ad nutum amovibilem providere debet. *Arg. Clement. unic. de excess. Prælat.* Unus autem Religiosus solus in tali Capella poni non debet, *Cap. fin. de Capell. Monach.* Cujus ratio datur in *cap. Monachi.* 2. *de Statu Monach.* Ne Religiosi soli inter Sæculares homines spiritualium hostium conflictum exspectent, Sa-

lomone dicente : Væ ſoli , quia cum ceciderit, non eſt, qui ſublevet eum.

Quæres *undecimò.* Quam Epiſcopus in Regulares in Capellis Monaſterio unitis degentes habet juriſdictionem ?

℟. Quamvis tales perſonæ aliàs ſint exemptæ ; in iis tamen quæ ad curam animarum ſæcularium ſpectant , Epiſcopo ſubjiciuntur. *Trident. Seſſ. 25. de Regular. cap.* 11. Ita diſponit : *1mò.* In Monaſteriis ſeu domibus virorum ſeu mulierum , quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium , præter eas , quæ ſunt de illorum Monaſteriorum ſeu locorum Familia , perſonæ tam Regulares quàm Sæculares hujuſmodi curam exercentes , ſubſunt immediatè in iis , quæ ad dictam curam & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent , Juriſdictioni , Viſitationi , & correctioni Epiſcopi , in cujus Diœceſi ſunt ſita. *2dò.* Nullus in talibus Capellis Rector aut Vicarius etiam ad nutum amovibilis deputari poteſt, niſi de conſenſu Ordinarii , ac prævio examine per eum aut ejus Vicarium faciendo. *3tiò.* Exemptis iis Monaſteriis ſeu locis , in quibus Abbates , Generales , aut Capita Ordinum Sedem Ordinariam principalem habent , atque aliis Monaſteriis ſeu domibus , in quibus Abbates , aut alii Regularium ſuperiores juriſdictionem Epiſcopalem & temporalem in Parochos & Parochianos exercent.

Quæres *duodecimò.* Quales reditus in Capellis Monaſterio unitis Rectoribus aſſignandi ?

℟. Aſſignanda eſt iis portio congrua , id eſt tanta , ut honeſtam ſuſtentationem Vicarii conſideratis qualitatibus perſonæ , ſimúlque ad hoſpitalitatem erga pauperes , juráque Epiſcopalia ſolvenda ſufficiat. *Cap. de Monachis.* 12. *cap. extirpandæ.* 30. *de Prabend. Trident. Seſſ. 6. de Reform. cap. 2. & Seſſ. 7. de Reform. cap. 5.*

TITU-

TITULUS XIV.

DE

Jure Patronatûs.

JUs Patronatûs, ut in præsenti sumitur, est Clericum ad beneficium vacans instituendum præsentandi facultas. Dividitur primò in Ecclesiasticum, quod Collegio Ecclesiastico, vel beneficiato ratione Ecclesiæ aut beneficii competit: sæculare, quod ex titulo sæculari obtinetur: & mixtum, quod partim ratione Ecclesiæ, partim ratione patrimonii habetur. *2dò.* In hæreditarium, quod ad quemcunque transit hæredem, & gentilitium, quod certæ tantùm competit Familiæ. *3tiò.* In personale personis solùm, & reale rebus immobilibus adhærens. *4tò.* In jus Patronatûs activum, quando beneficium conferri non potest, nisi talis præsentet, & passivum, quando beneficium conferri nequit, nisi talis, ex tali Familia, tali Patria, &c. sit præsentatus.

Quæres *primò.* Quomodo acquiritur jus Patronatûs?

R. Acquiritur *1mò.* Fundatione ab eo, qui fundum suum, ut in eo Ecclesia ædificaretur, dedit. *Can. decernimus. 32. cauſ. 16. q. 7. cap. nobis. 25. de jure Patron.* *2dò.* Ædificatione, sive qui Ecclesiam cum consensu Ordinarii propriis sumptibus construxit, vel destructam reædificavit. *Cit. cap. nobis. 3tiò.* Dotatione, qui reditus pro Ecclesia ejúsque ministris dedit. *Can. filiis. 31. cauſ. 16. q. 7. Trident. Seſſ. 14. de Reform. cap. 9.* Præterea jus Patronatûs Privilegio & præscriptione acquiri potest. De quibus *Trident. loc. cit.*

Quæres *secundò.* Quibus modis jus Patronatûs acquisitum in alterum transfertur?

R. Transfertur *1mò* successione in hæredes universales. *Cap. ex literis. 7. de jure Patron. Clement. 2. eod.* Vel si certæ rei annexum, in particularem rei illius Successorem. Si plures sint hæredes diversorum Patronorum Originalium, omnes non in capita, sed in stirpes succedunt. *Cit. Clementin. 2. 2dò.* Donatione: Sic Patronus Laicus Laico compatrono, vel Ecclesiæ, aut Monasterio, absque Episcopi consensu, jus Patronatûs dare potest. *Cap. illud. 8. de Jurepat. cap. unic. eod. in 6.* Non tamen alteri Laico, vel Clerico, aut personæ privatæ. *3tiò.* Permutatione, quando jus Patronatûs cum altero jure Patronatûs, interveniente Ordinarii authoritate, permutatur. *Cap. quæſitum. 5. de rerum permut.* Aut etiam absque Ordinarii consensu, res temporales, qui-

bus jus Patronatûs annexum, inter se permutantur. 4tò. Venditione: quamvis enim jus Patronatûs per se vendi nequeat, *cap. de jure.* 16. *de jure Patron.* Ac tales venditores jure Patronatûs in pœnam priventur, *Trident. Sess.* 25. *de Reform. cap.* 9. Annexum tamen rei temporali accessoriè vendi potest. *Arg. cap. cum sæculum.* 13. *de jure Patron.* Et hoc modo transit quoque cum fundo dotali, feudali, emphyteutico in maritum, Vasallum, & Emphyteutam, non tamen in creditorem, qui fundum, cui jus illud annexum est, in hypothecam habet.

Quæres *tertiò.* Qui juris Patronatûs sunt capaces?

℟. Omnes fideles. *Can. piæ mentis.* 26. *& sequent. caus.* 16. *q.* 7. Infidelibus & hæreticis exclusis.

Quæres *quartò.* Quæ inter jus Patronatûs ecclesiasticum differentia?

℟. Hæc consistit in sequentibus. 1. Patronus ecclesiasticus ad præsentandum sex menses habet. *Cap. eam te.* 22. *de jure Patron.* Laicus verò tantùm quatuor. *Cap. cum propter.* 27. *de jure Patron. cap. unic. eod. in 6.* In Patronatu mixto uterque Patronus, si simul præsentant, semestre habet. *Gloss. in cit. cap. unic. Verb. Ecclesiasticus.* 2dò. Factâ præsentatione à Patrono Ecclesiastico, ille variare non potest; Laicus verò & variare, & à se præsentato alium adjungere potest, quo casu electio est penes Ordinarium instituentem. *Cap. quod autem.* 5. *cap. cum autem.* 24. *cap. Pastoralis.* 29. *de jure Patron.* 3tiò. Patronus Ecclesiasticus indignum scienter præsentans eâ vice jure præsentandi est privatus: non tamen patronus Laicus, juxta probabilem, cum textum non habeamus expressum. 4tò. In unionibus, reservationibus, susceptione resignationum Papa juri Patronatûs ecclesiastico derogat, non tamen Laico, nisi id exprimat: quia, ut inquit *Trident. Sess.* 25. *de Reform. cap.* 9. Patronorum jura tollere, piásque fidelium voluntates in eorum institutione violare æquum non est. 5tò. Beneficia Parochialia juris Patronatûs Laici concursui non subjiciuntur, sicuti Parochiæ juris Patronatûs Ecclesiastici, nisi hæ essent Vicariæ solùm perpetuæ. *Trident. Sess.* 24. *de Reform. cap.* 18.

Quæres *quintò.* An Patronus se ipsum præsentare possit?

℟. Negativè. *Cap. fin. de institut. cap. per nostras.* 26. *de jure Patron.* Tum quia præsentatio sui ipsius sapit ambitionis vitium, & nullus se ingerere debeat ecclesiasticæ prælationis officiis, *Cit. cap. per nostras.* Tum quia inter dantem & accipientem debet esse distinctio. *Cit. cap. fin. de institut.*

Quæres *sextò.* Si sint Patroni plures ac in præsentando discordes, quis ex præsentatis præferendus?

℟. 1mò. Si plures sint Patroni per modum unius Collegii, tunc etiam necessariò omnes ad præsentationem vocandi, & omnibus citatis ac vocatis præsentandus majora votantium, id est, ultra medietatem præsentantium vota habere debet. *Arg. cap. Ecclesia vestra.* 48. *de Elect.* 2dò. Si jus Patronatûs competat pluribus, ut singulis, sufficit,

cit, quod præsentatus majora respectu aliorum præsentatorum vota habeat, quantumvis majora respectu omnium, sive ultra dimidium omnium patronorum vota non habeat. *cap. quoniam. 3. de jure patron.*

Quæres *septimò*. Quid juris, si Patroni inter se de jure patronatûs litigant?

R. Si patroni de possessorio inter se litigent, nullo in notoria possessione existente, elapsis quatuor mensibus, si sint patroni laici, & sex mensibus, si patroni ecclesiastici, Ordinarius pro illa vice beneficium vacans conferre potest. *cap. quoniam. 3. cap. cum propter. 29. de jure patron.* ne propter discordiam patronorum incommodum Ecclesia patiatur, ex hoc tamen illi præjudicium non generatur, qui jus evicerit patronatûs. *2dò.* Si de petitorio agitur, tunc illius subsistit præsentatio, penes quem est possessio: quamvis eum postmodum in petitorio lite cadere contingat. *cap. consultationibus. 19. de jure patron.*

Quæres *octavò*. Quam patronus in Ecclesia patronata habet præeminentiam?

R. Præter præsentationem patronus jus habet honoris & alimentationis, honor in præcedentia, processionibus, loco in Ecclesia digniori consistit. *c. n. piæmentis. 26. caus. 16. q. 7.* Jus alimentationis in eo constit, quod patronus ad inopiam deveniens ab Ecclesia vitæ temporalis subsidia percipiat. *can. contra Sanctorum. 29. can. quicunque. 30. caus. 16. q. 7. cap. nobis. 25. de jure patron.*

Quæres *nonò*. Quæ onera patrono incumbunt;

R. Duo potissimùm patrono incumbunt onera: *primò* enim invigilandum illi, ne bonæ Ecclesiæ à ministris malè administentur vel dilapidentur. *can. filiis. 31. caus. 16. q. 7. 2dò.* Ecclesiam tanquam illius Advocatus in- & extra judicium defendere debet. *cap. præterea 23. cap. cum autem. 24. de jure patron.*

Quæres *decimò*. An patroni in Ministros Ecclesiæ aliquam habeant potestatem?

R. *Trident. sess 24. de reform. cap. 3.* prohibet, ne patroni in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, ullatenus se ingerant, neque visitationi ornamentorũ Ecclesiæ, aut bonorum stabilium seu fabricarum proventibus sese immiscent, nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat.

Quæres *undecimò*. An Patroni aliquod onus temporale Ecclesiæ vel Ministris ejus imponere possint?

R. Extra fundationem nec Ecclesiæ, nec ejus Ministris vel minimam pensionem, aut onus temporale vel spirituale imponere possunt. Patet ex *cap. præterea. 23. de jure patron.* & titulo Juris Canonici: *ut beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur.*

Quæres *duodecimò*. Quomodo jus patronatus extinguitur?

R. Modis sequentibus. *1mò* per liberam Patroni remissionem. *can. unic. de Jurepatr. in 6. 2dò.* Totali Ecclesiæ destructione sine spe recuperationis. *3tiò.*

Si

Si Patronus Ecclesiam patronatam in Collegiatam vel Monasterium converti patiatur; in his enim non præsentatio sed electio locum habet. *cap. nobis.* 25. *de Jurepatr.* 4to. Emortuâ familiâ Jus Patronatûs gentilitium emoritur. 5to. Cessat Jus Patrouatûs per unionem, quâ Ecclesia patronata cum consensu Patroni alteri unitur Ecclesiæ, 6to. Per non usum temporis ad præscriptionem requisiti, si intereà saltem bis Rector sine præsentatione est institutus. 7timo. In pœnam, si Patronus Rectorem aut alios Ecclesiæ patronatæ Ministros per se vel alios occidere aut mutilare præsumpserit. *cap. in quibusdam.* 12. §. *sacri de pœnis.* 8vò. Si Patronus fiat Hæreticus. 9nò. Si Patronus perceptioni fructuum sese ingerat, contra prohibitionem Tridentini *sess.* 22. *de reform. cap.* 11. 10mo. Si Patronus Jus Patronatûs simoniacè vendat, aut alio modo illicito transferat. *Tridentin. sess.* 25. *de reform. cap.* 9.

***

TITULUS XV.

DE

Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

QUæres *primò*. Quid in præsenti venit nomine Censûs?

℟. Est pensio de proventibus Ecclesiæ vel Monasterii Prælatis in signum subjectionis, vel Patronis in recognitionem beneficii canonicè imposita. De hoc agitur in *cap. constitutus.* 6. *de religios. domib. cap. præterea.* 23. *de jure patronat. cap. omnis.* 2. *cap. cum Canonicis.* 26. *de censibus.*

Quæres *secundo*. Quis hunc censum imponere potest?

℟. *primo*. Summus Pontifex, ad quem juxta *cap. licet.* 2. *de præbend. in* 6. omnium Ecclesiarum & Beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio noscitur pertinere, quibuslibet Ecclesiis quemcunque censum imponendi habet facultatem. *cap. recepimus.* 8. *de privileg. cap. constitutus.* 6. *de Religios. domib.*

2do. Episcopus jura Episcopali a remittens censum imponere potest; cùm insolitum sit, nec novum, ut cùm Episcopi Ecclesias concesserint piis locis, aliquid sibi reservent in eis nomine pensionis. *cit. cap. constitutus.*

3tiò. Patronus cum consensu Ordinarii licitè censum moderatum imponit. *cap. præterea.* 23. *de jure patron.*

4tò. Ecclesia matrix in dismembratione annuam sibi pensionem ab Ecclesia filiali solvendam in signum materni

terni honoris & subjectionis reservare potest.

Quæres *tertiò*. An Episcopus pro erectione & sustentatione Seminarii censum imponere possit?

R. *Tridentinum sess. 23. cap. 18. de reform.* amplissimam Episcopis & locorum Ordinariis, omnibus locis piis, Studiosorum Seminariis, & Fratribus S. Joannis Hyerosolimitanis duntaxat exceptis, tam exemptis, quàm non exemptis censum alumnaticum pro erectione Seminarii Episcopalis & Clericorum in eis conversantium sustentatione imponendi tribuit potestatem?

Quæres *quartò*. Quid est exactio?

R. Est pensio, quæ de reditibus Ecclesiasticis in subsidium ab Episcopo, ex justa causa, moderatè & extraordiriè exigitur: ex quo subsidium charitativum vel donum gratuitum appellatur. De quo in *cap. cum Apostolus. 6. de censibus.*

Quæres *quintò*. Quænam ad justam subsidii charitativi exactionem conditiones requiruntur?

R. Sequentes: *primò* ut dicitur in *cit. cap. Apostolus.* debet esse manifesta ac rationabilis causa. *2dò* cum charitate moderatum. *3tiò* necessitatis auxilium. *4tò*. habito respectu ad personarum, expensarum, redituum &c. circumstantias determinatum.

Quæres *sextò*. Quis & à quibus subsidium charitativum exigere potest?

R. *primò*. Solus Episcopus subsidium charitativum pro necessitatibus, quæ aliquando superveniunt, postulare potest: Archidiaconi verò sive Decani nullas exactiones sive talias in Presbyteros sive Clericos exercere præsumant. *cit. can. cum Apostolus.* Requiritur autem, ut Episcopus cum Capitulo suo de subsidii necessitate consilium ad minus & consultationem habeat.

2dò. Ad subsidium charitativum laici compelli nequeunt, *can. quia cognovimus. 6. caus. 10. q. 3.* nec Clerici non beneficiati. *arg. cap. conquerente. 16. de offic. Ordinar.* est enim onus mixtum personis Ecclesiasticis in ordine ad Ecclesias & beneficia, quæ possident, adhærens.

Quæres *septimò*. Quid est Synodaticum seu Cathedraticum?

R. Nomine Cathedratici intelliguntur duo solidi. *cit. cap. conquerente.* qui juxta Canonistarum computum sunt duo aurei, quos singulis annis inferiores Ecclesiæ Episcopo in signum subjectionis & recognitionis, honoremque Ecclesiæ Cathedralis solvere tenentur. *can. placuit. caus. 10. q. 3.* ubi hi duo solidi dicuntur honor Cathedræ Episcopalis.

Quæres *octavò*. Quænam Ecclesiæ cathedraticum solvere debent?

R. Cathedraticum omnes Ecclesiæ sæculares, non tamen Regulares solvere tenentur. *can. inter cætera. 8. caus. 10. q. 3.* Nihilominus Capellæ & Parochiæ sæculares, quibus Religiosi præsunt, licèt eorum Monasteriis pleno jure sint unitæ, vel incorporatæ, Cathedraticum Episcopo solvere obligantur. *cap. pastoralis. 7. de donation. cap. de*

Monachis. 12. de præb. Clement. 1. de cenſib. Gloſſ. in cit. can. inter catera. verb. ſolutionis.

Quæres *nonò*, Quid eſt Procuratio?

R. Eſt expenſarum & ſumptuum pro victu honeſtaque ſuſtentatione neceſſariorum tempore viſitationis contributio, illis Superioribus, qui Eccleſias viſitant, de jure præſtanda. De qua *Cap. cum Apoſtolus 6. cap. procurationes, 23. cap. venerabili. 24. cap. cum nuper. 25. de cenſib. & cap. 1. 2. & 3. eod. in 6. Trident. ſeſſ. 24. de reform. cap. 3.* Quantumvis enim Viſitatores aliàs ſufficientes obtineant reditus, quia tamen nemo cogitur ſtipendiis propriis militare, nec magnum ſit, ſi, qui ſpiritualia ſeminat, metat carnalia, ita moderata procuratio debita eſt, ut contra eam, quæ ratione viſitationis debetur, nequidem præſcribi queat; quemadmodum nec contra viſitationem ipſam poteſt aliquo modo præſcribi, uti loquitur *cap. cum ex officii. 16. de præſcript.*

Quæres *decimò*, Quinam procurationes ſolvere tenentur?

R. Omnes Eccleſiæ ac Monaſteria ſubjecta ad procurationes præſtandas obligantur; niſi ab hoc onere ſpecialiter fuerint exempta. *cap. conquerente. 16. de offic. Ordinar. cit. cap. cum ex offic. 16. de præſcript.* Etiamſi longiſſimo tempore procurationis obſequium non impenderint; cùm in talibus præſcriptio ſibi locum nequeat vendicare, quia nos à proviſione paſtoralis ſollicitudinis circa omnes Eccleſias nunquam omninò ceſſamus, inquit Innoc. III. in *cap. cum inſtantia. 17. de Cenſib*

Quæres *undecimò*. Quinam ab onere procurationis præſtandæ deobligantur?

R. *primò*. Eccleſiæ per ſpeciale privilegium Sedis Apoſtolicæ à præſtatione procurationum exemptæ. *cit. cap. cum inſtantia. 2dò.* Oratoria privata, quamvis authoritate Epiſcopi erecta, *cap. fin. de cenſib. 3tiò.* Hoſpitalia aliaque pia loca pro infirmis aut pauperibus de licentia Epiſcopi erecta, ut apud Fagn. declaravit S. Congregatio. *4tò.* Eccleſiæ, quæ ſunt in loco Reſidentiæ Epiſcopalis, aut illius Superioris, qui viſitat; colligitur ex *Tridentin. loc. cit.* dum loquitur de viſitatione, quæ fit per Diœceſin, nec meminit Civitatis Metropolitanæ. *5tò.* Eccleſiæ in Diœceſi, ubi procurationem viſitantibus non exhibendi univerſalis viget conſuetudo *Trident. loc. cit. 6tò.* Eccleſiæ pauperes, quarum reditus ad procurationum præſtationem inſufficientes ſunt, quo caſu videtur populus pauperis Eccleſiæ parochialis ad procurationes exhibendas obligari; ſicut enim populus Eccleſiam in hoc caſu ædificare, conſervare, eidemque de ſufficientia providere tenetur, ita quoque onus procurationes ſolvendi portare debet.

Quæres *duodecimò*. Quæ forma ac moderatio in procurationibus præſtandis ſervanda?

R. Varia variè de hac moderatione Jura ſtatuerunt Eccleſiaſtica, ùt *cap. cum Apoſtolus. 6. cap. cum inſtantia. §. ſanè.*

cap.

cap. Procurationes. 23. de Censib. cap. 1. 2. & 3. eod. in 6. Hæc omnia tamen *Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 3.* in unum Decretum novissimè collegit, ita disponens: Monentur omnes & singuli, ad quos irritatio spectat, ut paternâ charitate, Christianóque zelo omnes amplectantur; ideóque modesto contenti equitatu famulatúque studeant quàm celerrimè, debitâ tamen cum diligentiâ, visitationem ipsam absolvere: interímque caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosíque sint, nevè ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causâ pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam nec munus, quodcunque sit, etiam qualitercunque offeratur, accipiant, non obstante quacunque consuetudine etiam immemoriali: exceptis tantùm victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter moderatéque pro temporis tantùm necessitate, & non ultra erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi, certâ pecuniâ taxatâ, consuetum, an verò prædicta victualia subministrare: salvo item jure conventionum antiquarum cum Monasteriis, aliísque piis locis, aut Ecclesiis non Parochialibus inito, quod illæsum permaneat; in iis verò locis seu Provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur. Quod si quisquam, quod absit, aliquid amplius in supradictis omnibus casibus accipere præsumpserit, is præter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis juxta constitutionem Concilii Generalis Lugdunensis, quæ incipit: *Exigit.* (hæc refertur in *cap. 2. de Censib. in 6.*) nec non & aliis pœnis in Synodo Provinciali arbitrio Synodi, absque ulla spe veniæ, mulctetur.

* *
*

TITULUS XVI.

DE

Consecratione Ecclesiæ vel Altaris.

QUæres *primò*. Quid est Ecclesiæ vel Altaris consecratio?

℟. Consecratio Ecclesiæ vel Altaris est Ecclesiastica cœremonia, quâ Ecclesia vel Altare à Legitimo Ministro, interveniente debitâ materiâ & formâ, juxta præscriptos Ecclesiæ ritus, DEO dedicatur. Ritus ille Ecclesias & Altaria consecrandi ex lege veteri suam trahit originem; ut enim dicitur **Can.** *tabernaculum*, **2.** *dist.* **1.** *de Consecrat.* Judæi loca, in quibus sacrificabant Domino, divinis habebant supplicationibus consecrata: nec in aliis quàm DEO dicatis locis munera Domino offerebant. Si Judæi, qui umbræ legis deserviebant, hæc faciebant, multò magis nos, quibus veritas patefacta est, & gratia per JESUM Christum data est templa Domino, ædificare, &, prout melius possumus, ornare, eáque divinis precibus, & Sanctis Unctionibus suis cum Altaribus & vasis, vestibus quoque & reliquis ad divinum cultum explendum utensilibus devotè & solemniter sacrare, & non in aliis locis, quàm in Domino Sacratis Missas celebrare, nec sacrificia offerre Domino debemus.

Quæres *secundò*. Quænam est causa efficiens seu Minister consecrationis?

℟. Minister Ordinarius solus est Episcopus consecratus. **Can.** *interdicimus.* **10.** *caus.* **16.** *q.* **1.** **Can.** *nullus Presbyter.* **15.** *&* **25.** *de Consecrat. dist.* **1.** Debet autem esse Episcopus proprius, hoc est illius Diœcesis, in qua est sita res consecranda. **Cap.** *cum Venerabilis.* **7.** *de Relig. dom.* Episcopus alterius Diœcesis absque localis Episcopi licentia consecrans ab exercitio pontificalium per annum suspenditur, *Trident. Sess.* **14.** *de Reform. cap.* **2.** *& sess.* **23.** *de Reform. cap.* **8.** Ex Privilegio Ecclesias & Altaria propria consecrare possunt Abbates privilegiati, usum baculi & mitræ habentes, ideóque ab Episcopo talibus Altarium & Ecclesiarum in sua Diœcesi committi potest consecratio.

Quæres *tertiò*. Quid in consecratione Ecclesiarum à consecratore observandum?

℟. Sequentia **1***mò*. Ecclesiis dedicatio impendi potest tam diebus Dominicis quàm privatis. **Cap.** *tua Fraternitas.* **2.** *de Consecrat. Eccles.* Tres tamen ultimi dies hebdomadæ sanctæ & solemnitates Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Domini & Epiphaniæ à quibusdam Canonistis excipiuntur, eò quod nec privati, nec dies sint Dominici.

2dò. Ecclesia sine prævia congrua dotis assignatione consecranda non est. *Cap. cum sicut. 8. de Consecr. Eccles.* Consecrans absque dote assignata eam supplere cogitur.

3tiò. In consecratione ter Ecclesiam eam aspergendo consecrator circumire debet ; quia tamen ritus aspersionis ad formam consecrationis non pertinet, Ecclesia incensari potest, ubi aspersio servari nequit.

4tò. Post consecrationem celebranda est Missa in Ecclesia consecrata, quæ Missa non necessariò à consecratore, sed si ipse nimis fatigatus, ab alio dicenda est.

5tò. Ecclesia semel consecrata de novo consecrari nequit. *Can. Ecclesiis. 20. de Consecrat. dist. 1.* In dubio, an Ecclesia consecrata sit, si consecrationis non appareant indicia, est consecranda. *Can. solemnitates. 16. Can. Ecclesiæ. 18. de Consecr. dist. 1.* Consecratio Ecclesiæ per scripturam in libro, pariete, aut lapide reperta probatur. *Cit. Can. solemnitates. junct. Gloss. Verb. scriptura.*

6tò. Pro consecratione Ecclesiæ à consecratore nihil exigi potest : & si exigat, tam ipse quàm dantes Simoniam committunt ; procurationem tamen exigere potest. *Cap. cum sit. 10. de Simon.*

7timò. Singulis annis Anniversaria consecrationis dies cum Octava est celebranda. *Cit. Can. solemnitates.* Potestatem habet Consecrator determinandi Anniversariam consecrationis diem, si dies dedicationis non placet ; in ipso autem consecrationis actu fieri debet diei hujus determinatio, ut declaravit S. Rituum Congregatio.

Quæres *quartò*. Quid est Ecclesiæ execratio.

℟. Ecclesia execratur, quando ita Sanctitatem moralem per consecrationem acceptam amittit, ut novâ indigeat consecratione. Duo autem potissimum sunt casus, in quibus execratur Ecclesia. 1*mus*. Si integre sit exusta, ita, ut parietes interiores fuerint combusti, vel devastati, & abrasi ex toto vel majori ex parte. *Can. Ecclesiis. 20. de Consecr dist. 1.* Ecclesia tamen, si de novo dealbetur, consecrationem non amittit, ideóque nec iterum est consecranda. 2*dus*. Quando vel ex toto vel majori ex parte simul Ecclesia destruitur, cum enim tunc consecrationis pereat subjectum, ipsam consecrationem perire necesse est. Si tamen parietes templi secundùm modicas ejus partes successivè reficiantur, consecratio non amittitur ; quia partes paulatim additæ præcedenti fabricæ incorporantur, & unum unitate morali perseverat.

Quæres *quintò*. Quid est Ecclesiæ pollutio ?

℟. Ecclesiæ pollutio est macula quædam legalis à Jure Canonico introducta, vi cujus Ecclesia consecrata vel benedicta ob factum indecens in eadem patratum reputatur maculata, & locus indecens, ut in ea Missæ Sacrificium offeratur. Per sequentia autem facta Ecclesiæ pollutio inducitur.

1mò. Per publicam sanguinis humani ex Corpore vivo in notabili quanti-

tate cum injuria in Ecclesia facta effusionem. *Can. Ecclesiis. 20. de Consecrat. dist. 1. cap. pro posuisti. 4. de consecrat. Eccles.*

2dò. Per homicidium voluntarium & liberum, Ecclesiæ injuriosum & publicum. Sufficit autem quod in Ecclesia lethale vulnus defunctus acceperit, quamvis ante mortem ex Ecclesia sit delatus. Hinc occisio sui ipsius, rei ad Ecclesiam fugientis, imò & Martyris polluit Ecclesiam. Econtra occisio facta ob justam & necessariam defensionem propriam, servato moderamine inculpatæ tutelæ, Ecclesiam non polluit, eò quod actio illa, quam jura concedunt, Ecclesiæ non sit injuriosa.

3tiò. Per voluntariam & notoriam seminis humani effusionem modo illicito factam. *Cap. fin. de Consecr. Eccles.* In quo *cap.* notanda particula: *cujuscunque*, quæ cum universalis, comprehendit omnes homines sive fideles sive infideles, sive viros sive fœminas, & in unoquoque hæc actio habet gravem difformitatem Sanctitati & reverentiæ Ecclesiæ debitæ contrariantem. Hinc non tantùm pollutio, fornicatio, adulterium, & quæcunque luxuriæ consummatæ species, sed etiam actus matrimoniales, si extra casum necessitatis fit, Ecclesiam polluit, cum sit contra loci sanctitatem id in eo exercere, quod facere pudet coram hominibus.

4tò. Per quamcunque publicam sepulturam Pagani, hæretici, excommunicati denuntiati, aut publici percussoris Clerici in Ecclesia vel Cœmeterio factam. *Can. Ecclesiam. 27. & 28. de Consecrat. dist. 1. cap. consuluisti. 7. de Consecrat. Eccles.* Nec tunc Ecclesia reconciliari potest, antequam exhumata fuerint hujusmodi malè tumulatorum corpora. *Cap. Sacris. 12. de Sepult. cap. ad hæc. 5. de Privileg.* Ex sepultura tamen Catechumeni & infantis non baptizati ex parentibus tamen fidelibus nati non polluitur Ecclesia.

Quæres *sextò*. An Ecclesia polluta reconcilianda?

R. Ecclesia polluta reconciliari debet. *Cap. fin. de Consecrat. Eccles.* ibi: Aquâ protinus exorcizata lavetur, ne divinæ laudis Organa suspendantur. Modò causa pollutionis sive actio polutiva statim publicetur. Quod si post longum tempus tantùm innotescat communitati causa pollutiva, quæ non habet esse permanens, ut effusio sanguinis vel seminis, & interim divina officia fuerint in Ecclesia celebrata, non est necessariò reconcilianda: lapsu enim temporis injuria Ecclesiæ facta abolebitur, & contra eam præscribitur, si post datam pollutionis causam divinorum officiorum celebratio in Ecclesia continuetur.

Quæres *septimò*. Qualiter Ecclesia polluta reconcilianda?

R. 1mò. Si Ecclesia polluta tantùm sit benedicta, ex non consecrata, quicunque Sacerdos eam aquâ lustrali benedictâ à simplici Sacerdote reconciliare potest, colligitur ex *cit. cap. fin. de Consecrat. Eccles.* Ubi agens Pontifex de Ecclesia tantùm benedicta & polluta, dicit, quod aquâ exorcizatâ protinus lavetur, cum non faciat Episcopi mentionem

tionem, innui videtur, quod Sacerdos quilibet reconciliare Ecclesiam benedictam & pollutam valeat; quia non plus requiritur ad reconciliandam, quàm ad benedicendam Ecclesiam. Quemadmodum igitur simplex Sacerdos Ecclesiam benedicere potest, ita quoque pollutam reconciliare non prohibetur.

2dò. Si Ecclesia consecrata polluitur, ea nonnisi per Episcopum, juxta *cap. Aqua. 9. de Consecr. Ecclesiæ.* Per Aquam cum Vino & cinere benedictam reconciliari debet, *cap. proposuisti. 4. de Consecr. Eccles.* Nec Episcopus reconciliationem Ecclesiæ consecratæ simplici Sacerdoti delegare potest; quia ut dicitur in *cit. cap. Aqua.* Licet Episcopus committere valeat, quæ jurisdictionis existunt, quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradûs Clericis demandare. Summus tamen Pontifex simplici Sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ consecratæ committere potest, & quia Prælati Regulares à Summo Pontifice privilegiati proprias Ecclesias consecratas reconciliare possunt, licitè iisdem à locorum Ordinariis alienarum Ecclesiarum committitur reconciliatio.

Quæres *octavò.* Quid, quotuplex, & quale sit Altare?

R. 1mò. Altare est illa ara, in qua incruentum offertur Missæ Sacrificium. Antiquissimum Altaris usum tam lex naturæ, quàm scripta probat, *Gen. 28. & 35. Num. 7.* aliisque quam plurimis locis & quia *S. Dionys. de Eccles. hierarch. cap. 5.* Consecrationis Altarium mentionem facit, meritò Altaria in lege nova ex Apostolorum esse institutione deducitur.

2dò. Altare quotuplex est: fixum & portatile: fixum est, quod in uno loco manet immobile: portatile, quod huc illucvè pro necessitatis exigentia transferri potest. Altaris fixi meminit *cap. ligneis: 6. de Consecr. Eccles.* Altaris portatilis *Can. concedimus. 30. de Consecrat. dist. 1. cap. fin. de Privil. in 6.*

3tiò. Debet esse lapideum; est enim signum Christi, qui vocatur petra. Non autem requiritur, ut totum Altare sit lapideum, sed sufficit, quod ara seu mensa Superior, vel illa pars, super qua calix & patena ponitur, sit lapidea, atque adeò cum tanta latitudine & longitudine, ut calicem & patenam commodè capere possit.

Quæres *nonò.* Ad quem pertinet Altarium erectio ac consecratio?

R. 1mò. Erigere Altare ad solum pertinet Episcopum. *Can. quamvis. 4. dist. 68. Can. nullus Presbyter. 25. de Consecrat. dist. 1.* Ex Privilegio Innocent. VIII. Cistercienses in propriis locis non secus ac Episcopi Altaria de novo erigere, & erecta transferre aut destruere possunt. Simile Privilegium Julius II. Abbatibus Congregationis Cassinensis concessit, adeò ut hodiè Abbates in Privilegiis communicantes nova Altaria erigere, & erecta destruere queant.

2dò. Consecratio Altarium soli quoque competit Episcopo. *Cit. Can. quamvis. cap. quod in dubiis. 3. de Consecr. Eccles.* & quidem Episcopo loci. *cit. Can.*

nullus

nullus Presbyter. Altaria tamen Viatica seu portatilia à quocunque consecrandi potestatem habente consecrari valent ; quia enim loco affixa non sunt, eorum consecratio ad certum non pertinet consecratorem. Ex Privilegiis Summorum Pontificum Abbates usum Pontificalium habentes in propriis Ecclesiis Altaria fixa & portatilia pro usibus earundem consecrare possunt.

Quæres *decimò.* Qualiter Altaria consecrantur & profanantur ?

℟. 1*mò.* Altaria unctione Chrysmatis & benedictione juxta formam ab Ecclesia præscriptam sunt consecranda. *Can. Altaria.* 31. *&* 32. *de Consecrat. dist.* 1. Licet autem per celebrationem Missæ Sacrificii in Altari non consecrato, Altare æquivalenter Sanctificetur, secundùm ritum tamen Ecclesiæ Altare taliter Sanctificatum consecrari debet. Ante Altaris consecrationem illud primò est dotandum pro congrua manutentione, sive ei providendum de necessariis pro Sacrificii oblatione. In ipsa autem consecratione Altari consecrato Sacræ Reliquiæ includi debent, colligitur ex *Can. placuit.* 26. *de Consecrat. dist.* 1. Mos iste ex Ecclesia primitiva ortum trahit, in qua Altaria super sepulchris S.S. Martyrum in ipsorum honorem ædificari cœperunt, ut scilicet Sacrificium, quod offerebatur DEO, in eorum gloriam redundaret.

2*dò.* Altare specialiter execratur 1*mò.* Si mensa Altaris sive superior lapis sit confractus aut diminutus. *Cap.* 1. *de Consecrat. Eccles.* 2*dò,* Si in Altari fixo mensa Superior consecrata à basi inferiori amoveatur. *Cap. quod in dubiis.* 3. *de Consecrat. Eccles.* 3*tiò.* Juxta sententiam probabilem, si sepulchrum Altaris, in quo tempore consecrationis Reliquiæ sunt reconditæ, & Sigillum nuncupatur, remoto, quo clauditur, lapide, violetur. Porrò casu, quo Ecclesia polluitur, etiam Altare fixum simul polluitur, pollutio enim totam afficit Ecclesiam ; Altare verò portatile, eo ipso quo tale est, cum non sit incorporatum loco, sed ex sua institutione huc illúcque transferri possit, pollutâ Ecclesiâ non polluitur.

Quæres *undecimò.* Qualiter calices consecrantur, & execrantur ?

℟. 1*mò.* Quamvis materia Calicis in primitiva Ecclesia non fuerit determinata ; quia ut dicitur in *Can. Vasa.* 44. *de Consecrat. dist.* 1. Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc econtrario lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus : modò tamen materia Calicis lignea vel vitrea esse non debet. *Can. ut Calix.* 45. *ibid.* Ubi statuitur, ut Calix Domini cum patena, si non ex auro, omninò ex argento fiat : si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum habeat. De ære aut aurischalco non fiat Calix ; quia ob Vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo vel vitreo Calice præsumat Missam cantare. Calix sub gravi obligatione est consecrandus. *Can. unic. de Sacra unct.* Et quidem jure Ordinario ab Episcopo, ex Privilegio

legio ab Abbatibus usum Pontificalium habentibus.

Secundò. Execratur seu consecrationem amittit calix & patena, quando franguntur, aut notabiliter suam amittunt figuram, utì etiam cætera Sacerdotalia ornamenta, quando primam figuram amittunt, in qua fuerunt benedicta, ut dum ex casula fit stola vel manipulus, ideoque novâ indigent consecratione.

Quæres *duodecimò.* Qualiter consecratur & execratur cœmeterium?

R. *primò.* Cœmeterium sive locus Episcopi authoritate ad sepelienda fidelium corpora ordinatus eodem modo consecratur, & benedicitur, quo Ecclesia, ab Episcopo proprio, vel alieno cum proprii consensu. Ecclesiâ consecratâ cœmeterium conjunctnm præsumitur consecratum. Dum enim Ecclesia consecratur & benedicitur, etiam consecratur & benedicitur cœmeterium; licèt quoque seorsim consecrari possit.

Secundò. Cœmeterium iisdem factis in illo patratis polluitur, quibus Ecclesia. Prætereà si polluitur Ecclesia, cui cœmeterium est conjunctum sive contiguum, hoc quoque polluitur. *cap. unic. de consecr. Eccl. in 6.* Sic enim tanquam Ecclesiæ accessorium uaturam sequitur principalis. Si verò cœmeterium ab Ecclesia fuerit remotum, ipsum pollutâ Ecclesiâ non polluetur. Non tamen econtrario polluto cœmeterio etiam Ecclesiæ contiguo polluitur Ecclesia: ne minùs dignum majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur. Item si duo cœmeteria contigua intermedio tamen pariete sejuncta, polluto uno non polluitur alterum. *cit. cap. unic. de consecr. Eccles. in 6.* Si cœmeterium solemniter sit benedictum, per Episcopum reconciliatur. *cap. consuluisti. 7. de consecrat. Eccles.* Si non sit solemniter consecratum, sed tantùm benedictum, vel solùm Episcopi authoritate ad fidelium sepulturam deputatum, à Parocho aquâ benedictâ reconciliari potest. Si verò cœmeterium pollutum, non per se, sed ob pollutam Ecclesiam, hâc reconciliatâ, cui cœmeterium conjunctum, reconciliatum erit etiam cœmeterium.

***

TITULUS XVII.

DE

Ecclesiis ædificandis, vel reparandis, earumque immunitate.

ECclesia in sensu morali est plurium hominum collectio. Sic Ecclesia Catholica est omnium fidelium sub uno visibili capite Summo Pontifice congregatio. In præsenti accipitur Ecclesia materialiter pro loco publico authoritate Episcopali constituto, ut ad eum fideles pro recipiendis fidei Sacramentis conveniant. De hoc

Quæres *primò*. Quid ad Ecclesiam requiritur ædificandam?

℟. *primò*. Consensus Episcopi. *arg. can. nemo. 9. de consecr. dist. 1. cap. cum olim. 14. de privileg.* 2dò. Episcopus vel alius Sacerdos ex Episcopi commissione crucem figere, & primum lapidem ponere debet. *cit. can. nemo.* 3tiò. Ante consecrationem pro luminaribus, paramentis &c. sufficiens & congrua dos est assignanda. 4tò. Ecclesia ædificanda in alterius maximè parochialis Ecclesiæ præjudicium construi non debet. *cap. 1. de novi oper. nuntiat.* Ideò si inauditis Ecclesiæ parochialis Rectoribus nova ædificetur, novum opus ædificanti nuntiari potest: quâ nuntiatione factâ ab ædificio incepto statim desistere, & post nuntiationem ædificata propriis expensis destruere debet. *cap. cum ex injuncto. 2. de novi operis nuntiat.*

Quæres *secundò*. Quænam ad novæ parochialis Ecclesiæ ædificationem requiruntur?

℟. Sequentia. *Primò*. Justa causa. Sine hac enim intra limites unius Parochiæ alia ædificari nequit. Justa autem causa est, quando ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda accedere non possunt. *Trident. sess. 21. de reform. cap. 4.* *Secundò*. Citari & audiri debet Parochus antiquus; quamvis dismembratio eo etiam invito, sicut & nova ædificatio fieri possit. *cap. ad audientiam. 3 de Eccles. ædif. Trident. loc. cit.* 3tiò. Requiritur dos competens. *Trident ibid.* Si reditus pro antiquo & novo Parocho sufficientes non sint, Episcopus populum vel Patronos ad dandam competentiam compellere potest 4tò. Si ex reditibus Parochiæ matricis nova fundatur Parochia, ad Rectorem Ecclesiæ matricis pertinet Jus præsentandi. *cit. cap. ad audientiam.* 5tò. Ecclesia nova antiquæ parochiali honorem competentem exhibere tenetur, aut an-

annuum censum dando, aut matricem annuè solemniter visitando.

Quæres *tertio*. Quis Ecclesiam reparare, vel collapsam incendiove destructam reædificare tenetur?

R. Cessante speciali consuetudine collapsa ex propriis fabricæ reditibus, si quos habet, reparanda est Ecclesia. His deficientibus à decimatoribus concurrentibus omnibus, qui aliquid de Ecclesiæ fructibus percipiunt, & in eorum defectum ab illis, qui in Ecclesia divina audiunt, & Sacramenta percipiunt, est restituenda. *Trident. sess.* 21. *de reform. cap.* 7.

Quæres *quarto*. Qualem Ecclesiæ habent immunitatem?

R. *primo*. Immunitas est Jus, quo Ecclesiæ aliaque loca sacra, nec non personæ ecclesiasticæ, ac ipsarum res liberæ sunt à muneribus & oneribus sæcularibus, atque ab actibus earum sanctitati & reverentiæ debitæ repugnantibus. *2do*. Immunitas ecclesiastica alia est localis, quâ gaudent res Ecclesiæ. *cap. Eccles. 9. de immunit. eccles.* item loca & habitacula Ecclesiæ cohærentia, cœmeteria. *cap. fin. de immunit. eccles.* Alia est realis, quâ gaudent res Ecclesiæ & Ecclesiasticorum. Alia personalis, quâ personæ fruuntur Ecclesiasticæ.

Quæres *quintò*. Quid est jus asyli?

R. Est Ecclesiis & aliis locis sacris data immunitas, ex qua confugientes illuc malefactores securitatem habent, quòd inde violenter extrahi nequeant, nec in vita, nec in membris puniri valeant.

Quæres *sextò*. Quænam personæ in Ecclesia asylum habere possunt?

R. *primò*. Omnes fideles laici, quantumvis excommunicati. *2dò*. Etiam Clerici sæculares contra Superiores Ecclesiasticos: quia in *cap. inter alia. 6. de immunit. eccles* & concordantibus textibus nulla fit distinctio Laicos inter & Clericos: quamvis Religiosos contra suos Superiores ex consuetudine generali jus asyli non habere communior teneat sententia.

3tiò. Infideles. Jus enim asyli & privilegium locale non in personarum malefacientium, sed in loci sacri reverentiam datur & favorem.

Quæres *septimò*. Quæ sunt crimina excexpta, seu jus asyli non habentia?

R. Ex Constitutione Gregori XIV. quæ incipit: *Cùm aliàs nonnulli*. Laicis ad Ecclesias locaque sacra & religiosa confugientibus immunitas ecclesiastica non suffragatur *primò*, si fuerint publici latrones. *2dò* viarum grassatores, qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur. *3tiò*. Depopulatores agrorum, *4tò*. Qui homicidia & membrorum mutilationes in ipsis Ecclesiis vel earum cœmeteriis committere non verentur. *5tò*. Qui proditoriè proximum suum occiderit. *6tò*. Rei assassinii. *7timò* Hæretici. *8vò*. Rei læsæ Majestatis in personam Principis. Hic

Nota. Quòd post Eximii Authoris obitum anno 1725. 8. Jun. Benedictus XIII. Bullam Gregorii XIV. explicaverit per suam, quæ incipit: *Ex quo Divinâ disponente*. ac declarârit *primò*, quòd

unicus actus sufficiat, ut quis censeatur publicus latro, aut grassator, dummodo mors secuta fuerit. 2dò. Quòd sive cædes aut mutilatio fiat à stante in Ecclesia aut cœmeterio in stantem extra: sive fiat à stante extra in stantem intra, sit casus exceptus. 3tiò. Excludit ab asylo, qui ad illud confugientibus vim inferunt, aut violenter extrahunt aut abducunt, 4tò. Declarat, in assassinio non modò mandatarium, sed & mandantem asylo non gaudere. 5tò. Inter crimina excepta ponit homicidium præmeditatum ac deliberatum, falsificationem Literarum Apostolicarum, furta aut falsitates ministrorum montium pietatis, telonariorum publicorum, Bancariorum pro Principibus aut personis privatis, si tantum sit delictum, ut pœnæ ordinariæ locus sit. 6to. Excludit ab asylo conflantes, adulterantes, tondentes quascunque monetas aureas & argenteas, & qui eas fraudis conscii expenderint. 7mo. Eos qui sub nomine Curiæ sese introducunt in domos, animo rapinas agendi cum homicidio vel mutilatione, effectu secuto. Cognitionem, an crimen sit exceptum, locorum Ordinariis reservat, Judicibus sæcularibus sub Canonum pœnis eam interdicens.

Quæres *octavò*. Quem reus ad locum sacrum confugiens habet favorem?

R. *primo*. In loco sacro recipi debet, nec inde expelli potest. Reum ad Ecclesiam confugientem nemo abstrahere audeat, neque inde donare ad pœnam vel ad mortem, ut honor DEI & Sanctorum ejus conservetur, sed Rectores Ecclesiarum pacem & vitam, ac membra ejus obtinere studeant. *can. reum. 9. caus. 17. q. 4.* idem repetitur in *cap. inter alia. 6. de immunit. Eccles.* 2do. De bonis Ecclesiæ, nisi, ipse habeat, vel à suis vitæ necessaria accipiat, sustentandus est. 3tio. Nemo, ne ad confugientem necessaria deferantur alimenta, impedire potest. 4to. Reus nec vi nec dolo à loco asyli abstrahi valet, & nullo tenentur eventu necessitudinis, qui dominicis se defendendos commiserint claustris. *can. definivit. 35. caus. 17. quæst. 4.* 5to. Quamdiu in loco sacro existit, per sententiam ad mortem, aliamve pœnam corporalem condemnari nequit. *can. id constituimus. 36. caus. 17. q. 4.* 6to. In loco sacro rebus suis non est spoliandus. *can. sicut antiquitùs. 6. ibid.*

Quæres *nonò*. Quid si dubium, an confugiens exceptum commiserit crimen, ob quod jure asyli non fruatur?

R. *primo*. Tunc Rector Ecclesiæ à Magistratu sæculari requisitus reum, ne elabatur, custodire debet, donec per Episcopum, an jure asyli fruatur, vel non, fiat decisio. 2do. Hujus cognitio ad solum Ecclesiasticum pertinet Judicem, an reus ex qualitate personæ, loci, aut criminis commissi asyli gaudeat privilegio. 3tio. Ut Episcopus reum ob crimen exceptum Curiæ sæculari tradere valeat, crimen exceptum à reo commissum plenè constare debet. 4to. Quando causâ examinatâ reum asylo non gaudere constat, ab Episcopo, non obstante ipsius appellatione, Curiæ sæculari est tradendus.

Quæ-

Quæres *decimò*. Quid si quis malè extractus, aut ex loco asyli extraditus fuit?

℟. Si quis vi aut timore injustè incussо, vel fraude aut dolo per Judicem commisso ex loco malè extrahitur, aut extraditur, per eosdem, qui injustè extraxerunt, loco asyli iterum est restituendus. *Can. miror. 8. caus. 17. q. 4.* ibi: *Ecclesiæ illæsum revoca, quem ut irreligiosissimus rapuisti.* Ex Regula Generali: Spoliatus ante omnia est restituendus. *Cap. conquerente. 7. de Restitut. Spoliator.*

Quæres *undecimò*. Quam pœnam reum è loco asyli extrahentes incurrunt?

℟. Ipso facto incurrunt excommunicationem, à qua nonnisi à Summo Pontifice absolvi possunt, ut sæpius declaravit S. Congregatio, & constat ex decretis Clement. VIII. & Pauli V. per quæ omnibus confessariis prohibetur, à casibus violatæ immunitatis Ecclesiasticæ localis Violatoribus absolutionis impendere beneficium, nec absolutio hujusmodi violatoribus dari potest, aut data valet, nisi restituto reo, & præstitâ Ecclesiæ læsæ satisfactione. *Cap. quæ fronte. 25. de Appellat. cap. cum desideres. 15. de Sent. excomm.*

Quæres *duodecimò*. Quinam in specie hanc incurrunt excommunicationem?

℟. Non tantùm, qui aliquem etiam excepti criminis reum in loco asyli existentem capiunt, extrahunt, incarcerant, &c. Aut capere & extrahere attentant; sed etiam talia fieri jubentes localem Ecclesiæ violant immunitatem, pœnásque violationis incurrunt; ut enim dicitur in constitutione Gregor. XIV. pœnas juris ipso facto incurrunt, qui contra tenorem constitutionis aliquid attentare præsumpserint.

* * *



LIBER III.
INSTITUTIONUM CANONICARUM.
DE
JUDICIIS.

IN Libro primo institutionum de Personis Ecclesiasticis: In secundo de rebus Ecclesiasticis actum fuit: in præsenti, sive tertio de Judiciis Ecclesiasticis ad interesse, vel commodum privatum, seu ad satisfaciendum parti tendentibus agetur:

TITULUS I.
DE
Judiciis.

§. Primus.
Quid, & quotuplex Judicium.

QUæres *primò*. Quotupliciter sumitur judicium?

R. Cum *Glossa in Regulam primariam præsentis materiæ*: *In judiciis non est personarum acceptio habenda.* 12. *de Regul. Juris in 6.* Quatuor modis judicium sumitur. 1*mò*. Pro iis, quæ antecedunt sententiam condemnatoriam Judicis, sive

sive pro discussione causæ : & tali modo in præsenti accipitur. 2dò. Pro ipsa sententia Judicis : & hoc modo sumit *Doctor Angel.* 2. 2. *q.* 63. *a.* 4. Dum dicit, quod judicium sit actus justitiæ, quo Judex ad æqualitatem justitiæ reducit ea, quæ inæqualitatem oppositam facere possunt. 3tiò. Pro discretione sive arbitrio prudentis & discreti viri. 4tò. Pro ultima voluntate.

Quæres *secundò*. Quibus nominibus, & quare judicium appellatur ?

R. Cum Isidoro relato in *cap. forus.* 10. *de Verb. signif.* 1mò. Vocatur judicium, quasi jurisdictio, & justitia quasi juris status. 2dò. Judicium prius inquisitio vocabatur : unde & Authores judiciorum, præpositos, quæstores, vel quæsitores appellamus. 3tiò. Vocatur etiam negotium, quod multa significat : modò actum alicujus rei, cujus contrarium est otium : modò actionem causæ, quod est jurgium litis, & dictum est negotium, id est sine otio. Negotium autem in causis, negotiatio in commerciis dicitur, ubi aliquid datur, ut majora lucrentur. 4tò. Judicium etiam dicitur jurgium, quasi juris garrium : eò quod hi, qui causam dicunt, jure disceptent. 5tò. Demum judicium nuncupatur lis, quæ nomen sumit à contentione limitis, de qua *Virgilius* :

Limes erat positus, litem ut discerneret agris ?

Quæres *tertiò*. Quid est judicium ?

R. Judicium ita describi potest : Est discussio causæ, quæ ritè fit in foro coram judice. §. *restat.* 1. *institut. Canon.* Dicitur 1mò. *Discussio causæ* ; causa à casu, quo venit, dicitur : est enim materia & origo negotii, vel litis discussionis examine patefacta, quæ dum proponitur causa est, dum discutitur judicium, dum finitur justitia. *Cit. cap. forus.* 2dò *in foro.* Forus est exercendarum litium locus, à fando dictus, sive à Foroneo Rege, qui primus Græcis legem dedit. Constat autem forus causâ, lege, & judicio, hoc est, ut inquit *Gloss. in cit. cap. forus.* Forum ornat causa, lex, & judicium : Causa, quæ proponitur, lex, juxta quam discutitur, & deciditur, & judicium, quo discutitur, & deciditur.

Quæres *quartò*. Quæ personæ pertinent ad judicium ?

R. Iterum ex *cit. cap. forus.* In omni negotio hæ personæ quæruntur : Judex, accusator, reus, tres vel duo testes. 1mò. Judex, dictus quasi jus dicens populo, sive quod jure disceptet : jure autem disceptare est justè judicare. Non est ergo Judex, si non est in eo justitia. 2dò. Accusator, sive actor vocatus est, quasi causator, qui ad causam vocat eum, quem appellat. 3tiò. Reus à re, quæ petitur, nuncupatur : quia quamvis conscius sceleris non sit, reus tamen dicitur, quamdiu in judicio pro re aliqua petitur. 4tò. Testes antiquitùs superstites dicebantur, eò quod super causæ statu proferebantur : nunc, parte ablatâ nominis, testes vocantur.

Quæres *quintò*. An in omni judicio personæ illæ distinctæ esse debeant ?

R. Affirmativè cum Fabiano Papa in

Can.

Can. nullus. 1. cauſ. 4. q. 4. Nullus unquam præſumat accuſator ſimul eſſe & Judex, vel teſtis ; quoniam in omni judicio quatuor perſonas neceſsè eſt ſemper adeſſe : id eſt: Judices electos, accuſatores idoneos, defenſores congruos, atque teſtes legitimos. Judices autem debent uti æquitate, teſtes veritate, accuſatores intentione ad ampliſicandam cauſam, defenſores extenuatione ad minuendam cauſam.

Quæres *ſextò*. Quæ de jure naturæ ad ordinem judiciarium requiruntur ?

℟. Jure naturali ad judicium hæ partes requiruntur : Citatio rei, actoris petitio, & probatio, exceptio & defenſio, Judicis ſententia & executio, colligitur ex *Clement. Paſtoralis. de Sentent. & re judicat.* Ita, ut nequidem ſupremus Princeps, qui quoad partes jure humano & poſitivo inventas ad Ordinem judiciarium ſervandum non aſtringitur, reum non citatum legitimè, & non auditum condemnare non poſſit. Ratio eſt ; quia poſtquam crimen grave ad Judicem delatum eſt, facultas defenſionis adimi nequit, eò quod hæc ſit juris naturalis : condemnare autem reum non citatum, nec auditum, eſt ipſi neceſſariæ defenſionis arma præripere, quibus vel negando crimen, ſi illud occultum, vel non ſemiplenè probatum, vel excuſando delictum, eo quo licet modo, ſe ſe defendere poteſt. Eodem modo Princeps ſupremus reum ex ſola ſcientia privata abſque alia probatione condemnare nequit. *Can. nos. 1. & ſeq. Can. Deus omnipotens. 20. cauſ. 2. q. 1. Can. nullum. 10. Can. judicantem. 11. c. 30. q. 5.* Fiunt exceptiones ſequentes : *1ma.* Quando periculum rebellionis vel alterius gravis mali in Republica timetur, ſi juridicè procedatur : tunc enim Princeps ſententiam contra non citatum ferre poteſt ; dum tamen cauſa privatim diſcutiatur, ſi omninò evidens non ſit. *2da.* Si delictum notorium, ut nullâ tergiverſatione celari poſſit, reus ſine ulla probatione condemnari poteſt : eò quod factum notorium & publicum vicem accuſationis & teſtium habeat, nec reo juſtam aliquam defenſionem relinquat, cum notoreitas delicti publicam ſcientiam faciat, ad actum publicum juſtitiæ exercendum. *Can. manifeſta. 15. & ſeq. c. 2. q. 1. cap. ad noſtram. 21. de jurejur. cap. evidentia. 9. de accuſation. cap. de hoc. 11. de Simon.* *3tia.* Quando non de puniendo delicto, ſed de amovendo imposterum malo Reipublicæ impendente agitur, ſi aliâ viâ malum averti nequeat, Princeps mandare poteſt, ut ille, à quo malum imminet, occidatur, licet id privatâ ſcientiâ ſciatur : in tali enim caſu non ut Judex ex authoritate publica, ſed tanquam privatus Rempublicam ſibi commiſſam defendendo procedit.

Quæres *ſeptimò*. Quæ jure poſitivo tela judiciaria, vel quis ordo in judiciis ſervandus ?

℟. *1mò.* Actor Judicem adit, oblatóque libello, quem ſupplicam vocamus, ſummariè Judicem de cauſa litis informat, rogátque, ut proceſſum admittat.

2dò. Decernitur à Judice citatio, & per

per publicum juratúmque Miniſtrum jubetur reus ad certam diem comparere juris experiendi causâ.

3tiò. Citatio ab Actore in judicio reproducitur, & reo comparenti ab actore libellus offertur.

4tò. Libello edito reo dilationes deliberatoriæ dantur, hoc eſt induciæ deliberandi, num velit contendere, vel potius liti cedere, ſatisfaciendo petitioni actoris.

5tò. Si reus elapſo termino contendendum putet, proponit primo loco, ſi quas habet exceptiones fori declinatorias, vel judicii dilatorias, aut etiam mutuam petitionem, vel reconventionem inſtituit.

6tò. His deficientibus reus ad libellum actoris reſpondet, quo facto lis dicitur conteſtata.

7timò. Ante vel etiam poſt litis conteſtationem ab utráque parte juramentum calumniæ præſtatur: deinde fiunt poſitiones, id eſt articuli, ſuper quibus pars adverſa examinatur, ut veritate ſic compertâ ad alias probationes procedere neceſsè non ſit. Antequam tamen actor articulos exhibeat, juramentum dandorum emittit, quo ſe obſtringit, quod nullos articulos dare velit, quos non ſciat, vel non credat eſſe veros: econtra reus antequam reſpondeat, juramentum reſpondendorum emittit, ſe nihil negaturum, quod non ſciat, vel credat eſſe falſum.

octavò. Si actor & reus in articulis propoſitis diſcrepent, teſtes aliæque probationes inducuntur, quibus altera pars exceptiones opponit, quas actor replicatione diluit, hanc reus duplicatione elidit, & ſic deinceps.

9nò. Poſt deductas probationes, exceptiones, replicationes, duplicationes, &c. partes concludunt in cauſa, & ſubmittunt, id eſt, Judici cauſam, ut eam ſuâ ſententiâ finiat, ſubmittunt.

10mò. Demum à Judice ſententia profertur, à qua niſi intra decem dies appellatum, aut ſi appellatum, niſi appellatio intra certum tempus ſit introducta, lapſis fatalibus cauſa, vel appellatio deſerta cenſetur, & ſententia tranſiit in rem judicatam, ac abſque ulteriori auditione condemnati mandatur executioni, ut judicium finem ſuum & effectum ſortiatur. Hæ ſunt ſolemnitates, & actus præcipui proceſsûs judiciarii, qui tamen ex ſtylo cujúſque Curiæ ſæpius variantur.

Quæres *octavò.* Quæ perſonæ in judicio ſtare poſſunt?

R. Actor & reus legitimam perſonam ſtandi in judicio habere debent; alioquin judicium cum illis agitatum eſt nullum; probatur ex pluribus legibus. *Cod. tit. qui legitimam perſon. ſtandi in judic. &c.* Omnes autem in judicio ſtare poſſunt, qui nullo jure prohibentur; nam ipſa æquitas dictat, quemvis jus ſuum privatum vel publicum Reipublic. tueri poſſe, aut ſub perſona Actoris petendo, quod vel ſuum vel Reipubl. eſt, aut ſub perſona rei injurias ab Actore intentatas repellendo. Prohibentur autem *1mò.* Servus, qui in judicio nec agere, nec conveniri poteſt, niſi cauſa ſtatum aut uti-

utilitatem Reipubl. concernat, *L. 6. & 7. Cod. de judic.* Hæc autem de servis propriè dictis intelligenda sunt.

2dò. *Pupillus.* Hic si infans, vel absens sit, nomine ejus judicium suscipit tutor. *L. 1. §. sufficit. ff. de administrat. & pericul. tutor.* Si verò infante major, & præsens, tunc vel ipse tutor nomine pupilli, vel pupillus tutore authore agit, *L. 1. & 2. C. qui legit. person. standi in judic.*

3tiò. Minor viginti quinque annis, nisi assistente Curatore, in judicio stare non potest, quo si careat, etiam invito datur Curator ad litem, quamvis ad actus extrajudiciales minori invito Curator non detur, nisi esset rerum suarum dissipator. §. 2. *institut. de Curator.*

4tò. Prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta est, in judicio stare non potest; nam hic quoad alienandum, & conditionem suam deteriorandam æquiparatur furioso & infanti. *L. 6. ff. de V. O.* In cæteris similis est pupillo, qui sibi prodesse, sed obesse non potest. *Princip. institut. de Authorit. tutoris.*

5tò. Filius familiàs sub Patria potestate constitutus, licet major 25. annis de peculio profectitio & adventitio sine consensu Patris in judicio agere non potest; in reliquis tamen causis, ut peculio castrensi vel quasi castrensi, & aliis, tam actionem intentare quàm excipere potest. Item de Jure Canonico in causis beneficialibus, spiritualibus, & annexis in judicio agere potest; ad has enim causas Patria potestas se non extendit. *Cap. fin. de judic. in 6.* Item alieno nomine sine consensu Patris tanquam Procurator in judicio stare potest. *Cap. qui generaliter. 5. §. necdum de Procurat. in 6.*

6tò. Religiosus nec per se nec per alium judicium sine licentia sui Superioris suscipere potest; ab ejus enim voluntate per votum obedientiæ ita dependet, ut secundùm se neque velle, neque nolle habeat. *Can. non dicatis. 11. caus. 12. q. 1.*

7timò. Mulier in causis criminalibus agere, seu accusare nequit. *De crimine, quod publicorum fuerit judiciorum, mulieri accusare non permittitur, nisi certis ex causis, id est, si suam suorúmque persequatur injuriam. L. 12. C. de his, qui accusare non possunt.* In causis civilibus quidem agere potest, sed à Judice cogi nequit, ut personaliter compareat, nisi ex causa valde urgenti & necessaria. *Cap. mulieres. 2. de Judic. in 6.*

8vò. Quilibet excommunicatus excommunicatione majori etiam non denuntiatus, licet in judicio conveniri possit, nequit tamen alium per se, vel per alium, aut Procuratorem convevire, aut reconvenire; sed Judex etiam non oppositâ exceptione excommunicationis excommunicatum à judicio repellere potest. *Cap. intelleximus. 7. de judic. cap. cum inter. 5. de exceptionib.* Huc pertinent etiam deportati, Banniti, &c.

Quæres *nonò.* In quibus casibus minor sine authoritate Curatoris in judicio stare potest?

R. In sequentibus: 1mò. Si veniam ætatis

ætatis impetraverit, quæ masculis anno 20. fœminis 18vo dari solet. 2dò. Si suam injuriam, vel vitam propinquorum defendat. 3tiò. Si minor intentet judicium possessorium. *L. fin. cod. qui legitim. person. standi in judic.* 4tò. Si minor pubes sive Clericus sive Laicus super re Spirituali vel eidem annexa contendat. *Cap. fin. de judic. in 6.*

Quæres *decimò*. In quibus casibus Religiosus in judicio stare potest?

R. In sequentibus. 1mò. Si Religiosus habeat beneficium, quamvis manuale, & ad nutum revocabile, cui annexa aliqua administratio, super juribus illius agere & conveniri in judicio potest. *Cap. cum deputati. 16. de judic.* 2dò. Si Religiosus de licentia sui Prælati extra Monasterium in Studiis vel Parochia degens injuriatus, vel Spoliatus sit, agere & se defendere potest; eo ipso enim, quod talem licentiam habeat, censetur habere facultatem faciendi ea, sine quibus ibi commodè esse non potest. 3tiò. Religiosus suum Prælatum de crimine accusare potest. *Cap. ex parte. 11. de accusat.* 4tò. Religiosus in judicio agere potest, si electus ad Prælaturam vel dignitatem: item si agatur, an valida illius professio? an justè ejectus? si ei alimenta denegentur. 5tò. Religiosus ad judicium admittitur, si pro defensione sui Prælati incarcerati, vel pro rebus sui Monasterii malè alienatis agere velit, expensæ autem judiciales in his & similibus casibus de rebus Ecclesiæ vel Monasterii subministrari debent. *Cit. cap. ex parte.*

Quæres *undecimò*. Quotuplex judicium?

R. 1mò. Dividitur judicium ex diversitate personæ judicantis in Ordinarium & extraordinarium. Ordinarium est, quod coram Judice ordinario in reum jurisdictionem ordinariam habente peragitur: extraordinarium est, quod coram Judice delegato perficitur. *Cap. quoniam. 11. de probationib. junct. Gloss.*

2dò. In judicium Ecclesiasticum & Sæculare. Ecclesiasticum est, quod coram Judice Ecclesiastico agitur: si videlicet lis sit vel de rebus Spiritualibus inter litigantes sæculares, vel de rebus temporalibus, si aut duo Clerici se mutuò conveniant, aut Laicus actor contra reum Clericum agit. Sæculare est, quod coram Judice Laico non solùm inter Laicos, sed etiam inter Clericum Actorem ex una parte, & Laicum reum ex altera parte instituitur: in tali namque casu Clericus Actor forum rei sequi debet.

3tiò. Ex diversitate materiæ judicium in petitorium & possessorium dividitur. Petitorium est, in quo directè de Dominio & proprietate rei alicujus extra possessionem quæritur, ut si res vindicetur, hæreditas petatur, &c. Possessorium est, in quo de sola possessione vel quasi possessione sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda disceptatur: veluti si Actor solùm petat, ut adipiscatur possessionem, quam antea nunquam habuit, vel ut retineat quietam rei possessionem, vel ut amissam recuperet.

4tò. Ratione formæ in judicium

plenarium sive solemne, & in Summarium dividitur. Plenarium & solemne vocatur, in quo solemniter servato juris ordine proceditur. Summarium est, in quo absque solemnitatibus ordinis judicarii simpliciter & de plano absque strepitu & figura judicii solâ rei veritate inspectâ proceditur.

Demum ratione finis judicium dividitur in civile & criminale. Civile est, quando ad commodum privatum principaliter agitur, sive actio ex delicto vel crimine aliquo, sive ex contractu descendat. Criminale est, quando ex delicto ad commodum vel vindictam publicam principaliter agitur. Patet in exemplo furti. Ex furto quis contra furem agere potest, vel ut illud, quod furto ablatum, sibi restituat, & tunc actio civilis est, vel ut pœnam Reipublicæ debitam exsolvat, & tunc actio criminalis est.

Quæres *duodecimò*. In quibus casibus summariè procedendum?

℟. Licet certæ causæ de jure sint expressæ, in quibus judicio Summario locus est, ut causæ electionum, postulationum, beneficiorum, decimarum, usurarum, causis Matrimonialibus. *Clement. dispendiosam. 2. de judiciis. cap. quoniam. 5. ut lite non contestatâ.* Attamen in aliis etiam causis tam Ecclesiasticis quàm Sæcularibus summariè procedi potest, si vel ita à Principe vel Papa committantur, vel modici sint præjudicii, aut celerem expeditionem exigant: ut causæ miserabilium personarum, pupillorum, viduarum, studiosorum, mercatorum, tributorum, &c. imò jam passim usus in foro obtinuit, ut etiam absque commissione Principis in quibúsvis causis summariè procedere liceat: adeò, ut in arbitrio partium sit, utrum summario an ordinario judicio contendere malint. Et supposito quod elegerint contendere summariè, adhuc sine appellatione finito summario judicium ordinarium coram eodem Judice incipere possunt.

Quæres *ultimò*. Quæ in judicio Summario prætermitti possunt?

℟. Id explicatur in *Clement. sæpe. 2. de V. S.* Quando causa commissa est, & de plano sine strepitu & figura judicii procedi mandatum, libellus non exigitur, litis contestatio non postulatur, tempore feriarum ob necessitatem hominum indultarum à jure fiunt actus judiciales, amputatur dilationum materialis, quantum fieri potest, fit brevior, exceptionibus, appellationibus dilatoriis & frustratoriis rejectis, partium, Advocatorum, & Procuratorum contentionibus & jurgiis, testiúmque superfluâ multitudine refrœnatis. Non tamen sic Judices litem abbrevient, quin probationes necessarias & defensiones legitimas admittant. Citatio etiam & præstatio de calumnia vel malitia sive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, non intelligitur excluſa.

* * * * *
* * * *
* *
*

§. Secun-

§. Secundus.

DE

Judicio Ecclesiastico.

JUdicium Ecclesiasticum; quod coram Judice Ecclesiastico fit, est vel ratione personæ, vel rei, aut causæ, de qua disceptatur.

Quæres *primò*. Quando ratione personæ judicium est ecclesiasticum?

℟. Clericus nonnisi coram Judice ecclesiastico, Episcopo scilicet, qui totius Diœcesis ordinarius Judex est, conveniri potest. *can. si quis. 45. can. si Clericus. 46. caus. 11. q. 1.* & refertur in *cap. si quis. 4. de foro competenti.* unusquisque enim coram suo Judice conveniendus est, ex regula generali, ut actor forum rei sequatur, *cap. cum sit. 8. de foro compet.* Ideo si quis Clericus vel Laicus adversus Clericum negotium habeat, priùs proprium Clerici Episcopum, qui est Judex ordinarius suæ Diœcesis Clericorum, *cap. 1. de offic. Ordinar. cap. cum Episcopus. 7. eod. in 6.* adire debet, ut aut ipse cognoscat, aut certè ab eo Judices delegati deputentur, vel consilio ejusdem apud alium vel alios, quos utraque pars voluerit, judicium obtineant. *cit. cap. 1. de officio Ordin. can. pervenit. 39. caus. 11. q. 1.* Et hoc generale est, sive causa personalis, sive realis, sive criminalis, sive sit in possessorio, sive in petitorio judicio, non obstante qualibet consuetudine, *cap. Clerici. 8. de judic. junct. gloss.* vel etiam Episcopi consensu; cùm Laicus nec ex delegatione, vel consensu Episcopi Clericum judicare possit. *cap. significasti. 18. de foro competenti.*

Quæres *secundò*. Quam pœnam Laicus Clericum judicando incurrit?

℟. Quia talis Judex sic sese intromittendo in personam Ecclesiasticam injuriam Ecclesiæ irrogat, *cap. Ecclesiæ. de constitut.* Ideo tamdiu per excommunicationem separatus ab Ecclesia declaratur, quousque reatum suum cognoscat, & emendet. *cap. nullus. 2. de foro competenti.* Quamvis coram tali Judice propriæ Clerici literæ, in quibus suo chyrographo vel sigillo authentico munitis debita confiteretur, vel aliæ probationes producerentur. *cap. sæculares. de foro compet. in 6.*

Quæres *tertiò*. Qui casus speciales, in quibus Clericus coram Judice sæculari conveniri potest?

℟. Sequentes: *Primus* in causis feudalibus, in quibus Dominus feudi jurisdictionem ordinariam quoad alios Judices privativè habet. *cap. ex transmissa. 6. cap. verùm. 7. de foro competenti. cap. caterùm. 5. de judiciis.* 2*dus*. Si bona immobilia à principio Clericis vel Ecclesiæ eâ conditione data sunt; sic

Prælati in Germania, qui Principes Imperii, ratione Regalium, privilegiorum, bonorum feudalium, quæ ab Imperio habent, subduntur Cameræ Imperiali. *Tertius.* Si agatur contra Laicum ad evincendam rem, quam à Clerico emit, tunc Clericus venditor ad defendendum emptorem coram Judice laico assistere debet. *L. Venditor. ff. de judic. Quartus.* Si Clericus ratione officii alieno nomine tanquam tutor, Curator, vel Procurator laici convenitur; tunc enim non Clerici, sed ejus, cujus nomine convenitur, persona attenditur.

Quæres *quartò.* Quæ personæ velut ecclesiasticæ privilegio fori gaudent?

℟. *primò.* Nullus primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus fori privilegio gaudet, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum & tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola vel Universitate de licentia Episcopi quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur. *Trident. sess. 23. de reform. cap. 6.*

Secundò. Clerici conjugati non bigami alicujus Ecclesiæ servitio seu ministerio ab Episcopo deputati, si habitum & tonsuram deferant, super criminibus nec criminaliter nec civiliter coram Judice laico conveniri possunt. *cap. unic. de Cleric conjug. in 6.*

Tertiò. Regulares omnes utriusque sexûs, etiam laici, seu conversi, & Novitii privilegio fori ecclesiastici gaudent. *can. de persona. 38. caus. 11 q. 1. cap. Clericis. 3. de immunit. Eccles. in 6.*

Quæres *quintò.* In quibus casibus privilegium fori Clericus amittit?

℟. In sequentibus *Primò.* Si Clericus beneficiatus habitum & tonsuram nunquam deferat, & ab Episcopo ter monitus incorrigibilem se ostendat, privilegium fori amittit. *cap. in audientia. 25. cap. contingit. 45. de sentent. excomm.*

Secundò. Clericus in Sacris constitutus postquam propter delictum depositus est, & propter incorrigibilitatem postmodum excommunicatus, privilegium fori amittit. *cap. cum non ab homine. 10. de judiciis.*

Tertiò. Si Clericus dimisso habitu clericali enormitatibus se immisceat, hoc est: plura enormia delicta committat, privilegio fori privatur, uti etiam in aliis casibus, de quibus in *cap. unic. de vita & honest. Clericor. in 6. Clement. 1. eod. cap. 1. de homicid. in 6. cap. 2. de pœnis. in 6. cap. fin. de vita & honest. Clericor.*

Quartò. Non obstante privilegio fori Clericus à potestate laica capi potest, imprimis si Clericus in delicto comprehensus sit de fuga suspectus, à Judice sæculari capitur, Judici ecclesiastico remittendus. *2dò.* Quando delictum timetur committendum. Ita Clericus de homicidio committendo suspectus, per Judicem laicum detineri potest, ut delictum impediatur, & Judici ecclesiastico puniendus extradatur. Demum quando Clericus per Judicem sæcularem ex mandato Judicis ecclesiastici capitur. *cap. ut fama. 35. de sentent. excom.*

Quod

Quod si reus captus à Judice sæculari se Clericum esse excipiat, judicare, an sit Clericus, ad Judicem Ecclesiasticum pertinet, juxta modum præscriptum in *cap. si Judex.* 12. *de sentent. excom. in 6.*

Quæres *sextò.* An Clericus privilegio fori renuntiare possit?

R. Clerici nec inviti, seu coacti, nec volentes privilegio fori renuntiare possunt; cùm non sit beneficium hoc personale, cui renuntiare valeat, sed potiùs toti Collegio ecclesiastico sit publicè indultum, cui privatorum pacto derogari non potest: nec juramentum, quo se coram Judice laico responsuros obstrinxerunt, servari potest; eò quod contra canonica Statuta illicitis pactionibus informetur. *cap. si diligenti.* 12. *de foro compete.* Actor trahens Clericum ad Judicem sæcularem & causam, si illa est civilis perdit, & à communione efficitur extraneus. *can. inolita.* 42. *can. placuit.* 43. *cauf.* 11. *q.* 1. Clericus coram Judice laico conventus si respondeat, perdit, quod evicit, vel obtinuit, si causa civilis sit, si causa criminalis est, locum suum amittit, seu ab officio & beneficio deponitur. *cit. can. placuit.*

Quæres *septimò.* Quæ causæ ad Judicium pertinent ecclesiasticum?

R. Judex laicus causam merè spiritualem nec propriâ authoritate, nec ex commissione seu delegatione cognoscere potest, nisi sit commissio à Papa. *cap decernimus.* 2. *de re judic.* sed causæ spirituales ad solum Judicem ecclesiasticum pertinent. Idem est de illis, quæ rei spirituali annexæ sunt, quale est jus patronatûs. *cap. quamvis.* 3. *de re judic.* jus sepulturæ, jus decimarum &c. Quod verum est, quamvis Judex ecclesiasticus in administranda justitia in his causis negligens foret. *cap. qualiter.* 17. *de judic.* Ac ita notanda est disparitas inter Judicem ecclesiasticum & laicum: Judex ecclesiasticus negligentiam Judicis laici in administranda justitia in causis temporalibus supplet: *cap. ex transmissa.* 6. *cap. licet.* 10. *de foro competenti.* Judex tamen sæcularis defectum ecclesiastici supplere nequit: Judex enim minor defectum Judicis majoris supplere non debet: ratione autem finis, cui jurisdictio sæcularis est subordinata, Judex sæcularis Judice ecclesiastico minor esse dignoscitur. *cap. solicitæ.* 6. *de majorit. & obedient. Extrav.* 1. *eod. tit. inter comm.* Contrarii Canones, *can. si quis.* 45. *cauf.* 11. *q.* 1. *can. Principes.* 20. *cauf.* 23. *q.* 5. *can. filiis.* 31. *cauf.* 16. *q.* 7. vel explicantur, quod in casu denegatæ vel neglectæ justitiæ à Judice ecclesiastico ad Judicem laicum per modum simplicis querelæ recursus haberi possit, ut ille ecclesiasticum moneat: vel per *cit. cap. qualiter.* abrogati sunt.

Quæres *octavò.* In quibus casibus Judex Ecclesiasticus de re merè civilii & temporali inter laicos controversâ judire potest?

R. Quamvis Judex Ecclesiasticus in causa merè temporali inter laicos sese absque injustitia intromittere non possit, *cap. novit.* 13. *de judic.* ideoque rescriptum à Papa impetratum in causa temporali inter laicos nullum est, *cap. licet.* 10. *cap. ex tenore.* 11. *de foro competenti.*

petenti. attamen ad Judicem ecclesiasticum pertinet per viam evangelicæ denuntiationis de quovis peccato mortali etiam laici sibi in spiritualibus subditi, ac maximè de perjurio ac fractâ pace cognoscere, reum corrigere, ac per censuras ecclesiasticas ad emendationem astringere. Notabile exemplum est in *cit. cap. novit.* 13. *de jndic.* ubi Innocent. II, ostendit, qualiter in causa feudi controversa inter Regem Philippum Augustum Galliæ, & Regem Angliæ Joannem competens Judex: ubi notanda hæc verba: *Nullus, qui sit sanæ mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Christianum: & si correctionem contempserit, per districtionem ecclesiasticam coercere.*

Quæres *nonò.* In quibus casibus Clericus laicum coram Judice ecclesiastico convenire potest?

R. *primò.* Si Clericus contra laicum agit, & petit rem, quam laicus possidet: & tunc vel laicus rem Ecclesiæ esse non negat, aut rem Ecclesiæ esse constat; & conveniri potest coram Judice ecclesiastico: aut Ecclesiæ esse non constat, vel Ecclesiæ esse reus negat? & tunc laicus coram judice laico convenitur. Est notabilis textus in *cap. si Clericus.* 5. *de foro compet.*

2*dò.* Laicus coram judice ecclesiastico conveniri potest, si qualitas jurisdictionem fori ecclesiastici fundans causæ principali insit, vel adhæreat, ut si Clericus laicum convenit, quod rem Ecclesiæ furatus sit, quamvis id reus neget, qualitas sacrilegii facit rem mixti fori controversam. *cap. cum sit.* 8. *de foro compet.*

3*tiò.* Viduæ, pupilli, orphani, aliæque miserabiles personæ vi oppressæ vel possessione suâ spoliatæ ad possessionem recuperandam coram judice ecclesiastico agere, & laicum convenire possunt. *cap. ex parte* 15. *de foro compet.*

4*tò.* Quando juramentum contractui adjectum, laicus coram judice ecclesiastico ratione juramenti conveniri potest, ut juramentum servet. *cap. fin. de foro compet. in* 6.

5*tò.* Qui Ecclesias bonis & juribus spoliant, aut in earum possessionibus turbant, tanquam sacrilegi à Rectoribus Ecclesiarum coram judice ecclesiastico conveniri possunt. *cit. cap. cum sit.* 8. *cap. conquestus.* 16. *de foro competent.*

Quæres *decimò.* Quæ crimina ad judicem ecclesiasticum pertinent?

R. Crimina alia sunt merè ecclesiastica, quæ circa materiam propriè spiritualem versantur: & horum cognitionem ad judicem ecclesiasticum pertinere de se patet, aut sunt fori ecclesiastici privativè, ùt crimen hæresis, simoniæ: alia merè civilia, quæ circa materiam civilem seu politicam versantur? horum cognitio inter laicos ad judicem laicum privativè pertinet, ùt furtum rei profanæ: demum alia sunt crimina mixta, quæ utroque jure positivo tam civili quàm canonico prohibita, quia non solùm regimini politico, sed etiam supernaturali fini, Reipubl. Christianæ, Fidei vel Religioni

gioni adversantur, de quibus uterque Judex, & laicus & ecclesiasticus cognoscere potest; ideoque præventioni locus datur, & ad forum ecclesiasticum cumulativè pertinent. Talia sunt adulteria, usura, blasphemia, perjurium, sortilegium, divinatio seu magia, sodomia &c.

Quæres *undecimò*. Si Clericus laicum coram Judice laico conveniat, secundùm quas leges lis est dirimenda?

R. Secundùm Leges civiles; quia in quolibet foro secundùm Leges & consuetudinem illius fori causa discutienda & terminanda est. Obstare videtur textus in *cap. quod Clerici. 9. de foro competenti.* Verùm ille explicandus, quòd loquatur in casu, quo inter duos Clericos coram Judice ecclesiastico lis est de re temporali.

Quæres *duodecimò*. An possessorium rei spiritualis coram Judice laico discuti possit?

R. Id videtur colligi ex *cap. fin. de judic.* quamvis textus ille explicari possit, quòd lis agitata fuerit super jure eligendi Rectorem politicum in aliquo castro inter Monasterium quoddam Actorem ex una parte, & communitatem reum conventum ex altera parte coram potestate laica, quod jus eligendi cum in possessorio contra communitatem laicam per sententiam potestatis laicæ Monasterium evicisset, & communitas contra Monasterium petitorium incipere vellet, illud non fuit discutiendum coram potestate sæculari Judice possessorii, ex regula generali, quod qui cognoscit de possessione, etiam de proprietate cognoscere debeat; sed, ut deciditur in *cit. cap. fin.* petitorium coram Judice ecclesiastico incipiendum fuit, eò quod Actor forum rei sequi debeat: Monasterium autem, quod in possessorio fuit Actor, victo possessorio reus est in petitorio.

***

§. Tertius.

DE

De Judicio delegato.

QUæres *primò*. Quis est Judex delegatus ?

R. Judex delegatus, seu, ut vulgò dicitur, Commissarius, est, qui non ex proprio munere & officio, sed ex commissione sive juris sive Judicis ordinarii per jurisdictionem im- vel mediatè in se derivatam à committente vice alterius judicat. Colligitur ex *L. I. ff. de officio ejus, cui mand. jurisdict.*

Dicitur *primò*. *Qui non ex proprio munere.* Quibus Judex delegatus ab Ordinario ex proprio officio vel munere jurisdictionem exercente distinguitur. *2dò. Ex commissione vel juris.* Quia sæpe ipsum jus Judicem delegat, qualiter Episcopi per *Tridentinum* constituuntur à jure delegati, quando tanquam Sedis Apostolicæ delegati contra privilegiatos & alios à jurisdictione ordinaria exemptos procedere jubentur. Ut confirmant exempla in *cap. irrefragabili.* 13. *de offic. Ordinar.* & *Clement. un. de suppl. neglig. Prælat.* *3tiò. Vel Judicis ordinarii.* Ut excludatur arbiter, qui potestatem judicandi non à Judice ordinario, sed à partibus compromittentibus, lege ita approbante, accipit. *4tò. Per jurisdictionem me- vel immediatè.* Ut comprehendatur subdelegatus, qui mediatè à Judice ordinario jurisdictionem habet, *5tò. Derivatam :* Adeoque distinctam à jurisdictione ordinaria ; per quod Judex delegatus differt à Vicario Generali Episcopi, qui non diversam, sed eandem jurisdictionem cum jurisdictione committentis exercet *6t* demum. *Judicat.* Quâ excluditur executor, cui solùm nudum ministerium, sive executio sine causæ cognitione committitur, & potiùs executor quàm Judex delegatus appellatur.

Quæres *secundò*. Quotuplex Judex delegatus ?

R. *primò*. Alius universalis est, alius specialis. Universalis dicitur, cui causarum universitas committitur, nempe non pro una aut pluribus particularibus, sed pro omnibus saltem in aliquo genere, ut in causis decimarum, matrimonialium : quamvis ad certum tempus, locum, familiam &c. fiat restrictio. Judex specialis est, quando una ut causa matrimonii inter Cajam & Titium, vel plures causæ determinatæ cognoscendæ committuntur.

2dò. Alii ratione dignitatis, quam obtinent, delegati sunt, ut si fiat delegatio Episcopo vel Abbati certi loci, sine expressione nominis, vel personæ:

alii

alii ratione suæ personæ & non dignitatis delegati sunt, quibus expresso nomine proprio personæ fit delegatio.

3tiò. Alius delegatus à Principe supremo, vel spirituali vel politico: alius delegatus ab inferiori Magistratu.

4tò. Demum alius ad totam causam, alius ad partem causæ est delegatus: vel enim totum negotium uni vel pluribus committitur, idque vel simpliciter: vel in solidum: si uni simpliciter fiat, tunc ille solus cognoscit, & judicat: *cap. si pro debilitate. 3. de offic. Judicis deleg.* Si pluribus simpliciter facta commissio, omnes simul ad cognitionem & judicium concurrere debent, & impediti, si subdelegandi habeant potestatem, vel ipsis condelegatis, vel aliis vices suas subdelegare debent: alioquin cæteri nihil agunt, & reus, si quid agere velit, impunè non paret. *cap. quamvis. 3. cap. causam matrimonii. 6. de officio delegati.* vel pluribus in solidum commissio data, sub hac clausula: quod, si omnes interesse nequiverint, reliqui nihilominus procedant; quo casu singuli in defectum aliorum vel non valentium, vel non volentium interesse, juxta *cap. prudentiam. §. adjicimus. 21. de offic. deleg.* procedere possunt; aut sub hac clausula: ut vel omnes simul judicent, aut duo, aut unus ex ipsis: quo casu singuli jurisdictionem habere intelliguntur, ita ut etiam unus solus, qui præoccupavit, exequi commissionem debeat, vel possit, eoque negotium inchoante cæteri se intromittere nequeunt, nisi ille infirmitate vel aliâ causâ impeditus sit, aut cœptum negotium prosequi nolit. *cap cum plures. 8. de offic. deleg. in 6.*

Quæres *tertiò*. An Laicus in judicio ecclesiastico delegatus esse possit?

R. Causæ ecclesiasticæ & spirituales, ut decimarum, jurispatronatûs &c. non Laicis, sed Clericis tantùm delegari possunt; quia Laici negotia ecclesiastica tractare non debent. *cap. decernimus. 2. de judiciis.* & si in rebus spiritualibus in personam laicam compromitti non potest, *cap. contingit. 8. de arbitris.* multò minus causæ spirituales Laico delegari vel subdelegari poterunt; cùm major Judicis delegati quàm arbitri sit potestas. Imò juxta plures laico delegari nequit causa temporalis, quæ inter Clericos, vel laicum actorem & Clericum reum versatur: si enim Clerico non licet consentire in Judicem non suum, etiam accedente Episcopi sui consensu, nisi persona ecclesiastica fuerit, per textum in *cap. significasti. 18. de foro competenti.* etiam Episcopo in præjudicium Ordinis Clericalis non licet causam temporalem, quæ inter Clericos versatur, personæ laicæ delegare.

Quæres *quartò*. Quæ requiruntur conditiones, ut quis delegatus sit?

R. *primò*. Debet subesse jurisdictioni delegantis; quamvis enim delegatio non subdito facta mero jure subsistat, invitus tamen delegationem suscipere non cogitur, nisi subsit jurisdictioni delegantis. *cap. pastoralis. 11. de offic. Ordinar. cap. pastoralis. 28. de offic. deleg.*

2dò. Delegatio personis discretis & idoneis fieri debet. *cap. si pro debilitate. 3. de offic. delegat.*

3tiò. Delegatus Sedis Apostolicæ vel ejus Legatus nullus esse potest, nisi in Ecclesiastica dignitate vel personatu constitutus sit, aut Ecclesiæ Cathedralis, sive Regularis, sive Sæcularis, Canonicus. *Cap. Statutum, 11. de Rescript. in 6.* Idem est de subdelegato. Fit exceptio : in causis extrajudicialibus, quando mera executio absque causæ cognitione committitur, etiam aliæ personæ idoneæ Summi Pontificis delegati aut ejus Legati esse possunt; quia de jure antiquo delegatio ab his fieri poterat. *Cap. cum in veteri. 52. de Election.* Ergo ab eo non est recedendum in causis extrajudicialibus, cum correctio Juris antiqui in dubio non præsumatur. *Cap. cum expediat. 29. de Elect. in 6.*

Quæres *quintò*. Quis Judicem delegare potest ?

R. Omnis Judex Ordinarius. *Cap. cum Episcopus. de offic. Ordinar. in 6.* Quia quid quis facere per se ipsum potest, potest etiam per alium, juxta *Regul. 68. de Reg. Juris in 6.* Sicut ergo per seipsum, ita quoque per delegatum judicare potest : totam tamen jurisdictionem suam in alium transferre nequit, si Judex inferior sit ; hoc enim esset se se abdicare suo officio Ordinario, quod sine consensu superioris facere non potest.

Quæres *sextò*. Quando delegatus subdelegare potest ?

R. 1mò. Delegatus à Summo Pontifice, vel in temporalibus à supremo Principe superiorem non agnoscente subdelegare & vices suas alteri committere potest. *Cap. si pro debilitate. 3. de offic. delegat. cap. cum causam. 62. de appellat.* Id enim ex speciali Privilegio ab ipso jure propter eminentiam supremæ potestatis in Principe, cujus vices delegatus repræsentat, concessum est. *Fit exceptio* : Nisi in delegatione Principis delegati industria electa fuisset ; tunc enim ipse delegatus causam expedire debet, nec alteri vices suas, nisi partes consentiant, committere potest. *Cap. fin. de Offic. delegat. cap. is cui. 12. eod. in 6.* Quando autem Princeps specialiter industriam delegati elegerit, ex verbis, circumstantiis, gravitate causæ æstimandum est. Porrò sicut Delegatus supremi Principis totam causam, ita etiam partem vel articulum aliquem causæ, ut citationem, alteri subdelegare potest.

2dò. Delegatus ad universitatem causarum subdelegare potest; is enim velut Ordinarius censetur : ideóque unam vel plures causas in particulari licitè subdelegat.

3tiò. Delegatus subdelegare potest, si id sibi ab Ordinario delegante concessum ; is enim ipsius delegantis nomine commissam sibi jurisdictionem alteri committere potest. *Gloss. in cit. cap. is cui.* Quo casu subdelegatus jurisdictionem non à delegato, sed à primo delegante Ordinario accipit, ad quem etiam à subdelegato, & non ad delegatum appellandum est.

4tò. Condelegatus in casu, quo pluribus delegatio facta est, vices suas vel alteri condelegato, vel aliis condelegatis committere potest. Patet ex *cap. quam-*

quamvis. 6. de Offic. deleg. Fit exceptio : nisi causa pluribus sub hac clausula delegata esset : Si omnes interesse requiverint, reliqui nihilominus procedant ; quia tunc, si constet, quod aliqui non possint, vel interesse nolint, reliquis tota jurisdictio accrescit. *Cap. prudentiam. 21. de Offic. Judic. delegati.*

5tò. Quamvis generaliter delegatus ab Ordinario inferiori extra casus exceptos subdelegare nequeat ; *Cap. cum causam. 62. de appellat.* Nam mandatarius plus juris non habet, quam ipsi sit concessum ; est autem ipsi solùm concessa jurisdictio, non ut alteri eam committat ; alteri tamen articulum non jurisdictionalem, qualis est, qui sine cognitione judiciali nudum ministerium, vel executionem continet - demandare potest. *Gloss. fin. in Clement. unic. de Officio deleg.* Et colligitur ex *cap. super quæstionem. 27. de Offic. delegat.* Quamvis ille, cui Ministerium nudum vel à delegato vel ab Ordinario Supremo committitur, illud alteri demandare non possit, nisi peculiariter à lege vel à Principe ejusmodi quoque subdelegatio concessa sit : quemadmodum in universum Legato Sedis Apostolicæ ob singularem ejus authoritatem conceditur. *Cit. cap. super quæstionum. cap. fin. de Offic. delegat.*

Quæres *septimò*. Quæ causæ delegari possunt ?

R. Quæ à Jure non sunt specialiter reservata, nec specialem qualitatem & industriam personæ delegatæ respiciunt, delegari possunt ; tunc enim juxta vulgatam Regulam potest quis per alium, quod per se ipsum facere potest. *Reg. 68. de Regul. Juris in 6.* Omnia delegari & mandari possunt, quæ jure ordinario Magistratûs, hoc est ex natura sui officii, & generali Magistratûs authoritate alicui competunt : non verò ea, quæ aliquo speciali & extraordinario, ut Privilegio, sunt concessa, quia non in illis, benè tamen in his industria personæ electa censetur. Hinc de Jure Civili causæ meri imperii, hoc est, quæ criminalem cognitionem & coercitionem concernunt, extra casum absentiæ aut gravis infirmitatis delegari nequeunt : cum ea quæ ad merum imperium pertinent, speciali Privilegio & lege sint concessa. *Per textum & Doctores in L. solent. 6. ff. de Officio Proconsul.*

Quæres *octavò*. Quæ Judicis delegati potestas ?

R. Potestas Judicis delegati à potestate delegantis, à qua derivatur, metienda est ; ita ut delegatus à Judice supremo Summo Pontifice in causa delegata suo proprio Episcopo Ordinario major sit, imò etiam proprium Ordinarium judicare possit, *Cap. sanè. 11. de Offic. Jud. deleg.* Nam ut ibi Alexand. III. inquit, Judex à nobis delegatus, vices nostras gerit, unde in causa illa superior & major est illis, quorum causam susceperit terminandam : ideóque si Episcopus vel alia persona, quæ non est de jurisdictione illius in causa, quam ei delegamus, rebellis aut contumax fuerit, secundùm qualitatem facti poterit vel interdicti vel suspensionis sententiâ à Judice delegato compelli.

Exercitium autem jurisdictionis delegatæ post præsentatum delegationis rescriptum sumit suum principium ; ut sumitur ex *cap. super eo.* 12. *in fine. de appellat.* Quod rescriptum delegatus in forma authentica exhibere debet , ut fides ipsi adhibeatur : alioquin illi parendum non est. *Cap. cum in jure.* 31. *de Offic. deleg.* Factâ literarum præsentatione delegatus potest sequentia :

1mò. Si in causa delegata delegato quis se se opponat, potest contra eum delegatus secundùm qualitatem facti & personæ per sententiam suspensionis & interdicti procedere. *Cit. cap. sanè.* 11. *de offic. delegati.* Quod non tantùm tenet respectu partium litigantium , sed etiam aliorum quorumcunque, qui jurisdictionem delegati , seu processum in causa impedire vel turbare volunt. *Cap. cum non.* 1. *de offic. deleg.*

2dò. Partes citare , contumaces punire , & excommunicare potest, juxta delicti qualitatem , licet id in literis commissoriis non sit expressum. *Cap. præterea.* 5. *cap. ex literis.* 29. *cap. tam literis.* 33. *de testib.* Cujus ratio est ; quamvis jurisdictio delegati stricti juris sit , nec ultra causas & personas in rescripto delegationis expressas sit extendenda : *Cap. cum olim.* 32. *de Offic. deleg.* Attamen quando delegatus ea præstat , quæ ad causam expediendam necessariò requiruntur , mandati fines non excedit. *Gloss. fin. in cit. cap. præterea.* Dum enim causa principalis committitur , etiam accessorium commissum censetur , & illa omnia , quæ ad causæ expeditionem necessaria sunt. *Cap. prudentiam.* 21. *de Offic. delegat. cap. suspicionis.* 39. *eod. tit.*

3tiò. Judex delegatus cognoscere & judicare potest , an sua sit jurisdictio , an literæ delegationis validè sint datæ, &c. *Cap. ex parte.* 13. *de Offic. delegat.*

4tò. Judex delegatus à Principe non solùm cognoscendi & decidendi causam sibi commissam , sed etiam exequendi, vel executionem alteri committendi , eósque qui executionem impedient , coercendi & puniendi potestatem habet. Constat ex *cap. significasti. 7. de Offic. delegat.* Ordinario etiam executionem demandare potest , qui sententiam delegati exequi debet , etiamsi eam injustam esse cognoscat. *Cap. Pastoralis.* 28. *de Offic. delegat.*

5tò. Delegatus à supremo Principe ex authoritate superioris delegantis subdelegatum ad subdelegationem suscipiendam cogere potest. *Cit. cap. Pastoralis.* 28. Reservare quoque sibi potest , ut subdelegatus sine consilio delegantis , quod tamen tunc sequi non tenetur , sententiam ferre non possit. *Cap. si pro debilitate.* 3. *de Offic. deleg.*

6tò. Si delegatus Summi Pontificis aliter sententiam suam exequi non possit , brachium sæculare invocare potest ; Episcopo enim vel Judici Ordinario brachium sæculare implorandi competit facultas. *Can. Administratores.* 26. *caus.* 23. *q.* 5. Ergo etiam delegato Papæ , qui quolibet Ordinario majorem in causa commissa potestatem habet. Attamen ad hoc extraordinarium medium brachii sæcularis deveniendum

non

non est, nisi in casu necessitatis, quo ordinarium remedium contumaces per censuras coercendi non sufficit. *Arg. cap. unic. de Stat. Monach. in 6.*

7timò. Delegatus Papæ ad exequendam sententiam à se latam integrum annum habet; constat ex *cap. quærenti. 26. de Offic. delegat.*

8vò. Demum si certa forma delegationis à delegante præscripta, vel certus modus procedendi ordinatus, ea rescripti forma diligenter observanda; alioquin processus totus & secuta sententia nulla est, si delegatus plus vel minus, quàm sibi commissum, contra formam & tenorem mandati fecerit; cum delegatus, nisi quæ in delegatione commissa, nullam faciendi potestatem habeat. *Cap. cum dilecta. 22. de rescript. cap. cum olim. 32. cap. Venerabili. 37. de offic. deleg.* Ita tamen observanda hac mandati forma, ut non tam ad verba, quàm ad intentionem mandantis reflexio fiat: ideóque rescriptam Principis delegantis intelligendum; ut alteri præjudicium non inferatur; quia Princeps juri alteriùs velle præjudicare non censetur, nisi id exprimat. *Cap. super eo. 15. de Offic. deleg.* Nec rationabiles & legitimas excusationes & exceptiones velle excludere præsumitur. *Cap. ex parte. 13. ibid.*

Quæres *nonò.* An Judex delegatus recusari potest?

R. Tam Jure Canonico quàm Civili delegatus suspectus recusari potest, si probabilis suspicio, vel causa recusandi fuerit. *Cap. suspicionis. 39. de Offic. delegati.* In recusatione autem observanda sunt sequentia:

1mò. Si delegatus Summi Pontificis velut suspectus recusetur, tunc ex consensu partium arbitri eligendi sunt, qui partibus ad probationes suas producendas terminum statuant, ac de tota causa suspicionis cognoscant, potestate illis à jure concessâ per *cit. cap. suspicionis.* Si arbitri de causa suspicionis judicare tardent, delegatus recusatus illis terminum præfigit, quo evoluto in causa principali procedit. *Cap. legitima. 2. de Appellat. in 6.* Forma, quâ arbitri in causa recusationis eligendi, & qualiter non probatâ causâ recusationis Judex recusatus in causa principali procedere possit, præscribitur in *Cap. cum speciali. 61. de Appellat.*

2dò. Si duobus causa sit delegata, cum clausulâ, ut si ambo non possint, alter in causa procedat, uno eorum recusato, causa ipsa suspicionis coram non recusato conjudice, ad quem vi prædictæ clausulæ ipsius causæ cognitio pertinet, probari, & ab eo expediri debet. *Cap. si contra 4. de Offic. deleg. in 6.* Subsistente recusationis causâ ille solus in negotio principali procedere potest; quia per legitimam recusationem consolidata est in altero, tota jurisdictio. *Cap. cum super. 23. de Offic. deleg.* Quod si tamen causa recusationis subsistat, & nihilominus alter non recusatus cum recusato in causa procedere velit, totus processus est nullus, ex communi axiomate: Si quis, quod potest, agere nolit, &

quod

quod vult, agere non possit, actus non valet eo modo, quo potest valere; quia quod voluit, non potuit, & quod potuit, noluit. *Gloss. in cit. cap. cum super.*

3tiò. Si recusetur delegatus Judex ab Episcopo, vel ipse Vicarius Episcopi, vel alius ab inferiore Principe delegatus, ipse Ordinarius delegans de causa recusationis cognoscit. **Cap.** *si contra.* 4. *de Offic. deleg. in 6.*

4tò. Si Judex à Principe delegatus antequam recusetur: causam alteri committat, in totum recusari non potest; secus, si postquam est recusatus, subdeleget, aut si alteri causam, sed non in totum commiserit. *Cap. Judex.* 5. *de Offic. deleg. in 6.* Ubi notanda est differentia inter Judicem Ordinarium suspectum, & delegatum suspectum, quod Ordinarius etiam probatus suspectus delegare possit. **Cap.** *si quis contra,* 4. *de foro competent.* Delegatus verò suspectus ante pronuntiationem in causa suspicionis de assensu partium delegare possit: at pronuntiatus suspectus nequidem partibus consentientibus subdelegare potest. *Cit. cap. Judex.* 5. *de Offic. deleg.*

5tò. Demum non solùm ipsæ partes litigantes, sed etiam tertius interveniens Judicem delegatum ut suspectum recusare potest: quin & ipse locus recusari potest, si pars citata ad eum tutè accedere non potest. **Cap.** *cum R. Canonicus,* 35. *de Offic. delegat.* Si recusatio non admittatur, pars recusans appellare potest; quamvis delegato cum hac clausula: *Appellatione remota.* Commissio data sit. **Cap.** *ex parte.* 47. *de Appellat.* Si Judex Ordinarius, ut Episcopus, recusetur, arbitri quoque eliguntur. **Cap.** *cum speciali.* 61. *de Appellat.* Si Vicarius Episcopi recusetur, arbitri non eliguntur, sed Episcopus de causa suspicionis cognoscit; & ita quamvis à Vicario ad Episcopum non appelletur, in causa tamen suspicionis ad Episcopum fit recursus. **Cap.** *si contra,* 4. *de Offic. deleg. in 6.*

Quæres *decimò.* Quæ causæ sufficientes suspicionis ad recusandum Judicem delegatum?

R. Causæ Judicem delegatum recusandi sunt sequentes: 1*ma.* Si Judex delegatus Adversarii Dominus sit, cum quo litigare debes. **Cap.** *causam quæ.* 17. *cap. insinuante.* 25. *de Offic. delegat.* Nomine Domini quilibet superior vel Paterfamilias intelligitur; quia hic suos Domesticos specialiter diligere & defendere velle censetur. Quatuor enim judicium pervertere solent. **Can.** *quatuor.* 78. *caus.* 11. *q.* 3. *de quibus Gloss.* in *cit. cap. causam.* Hos Versus habet:

Quattuor ista: timor, odium, dilectio, census,
Sæpe solent hominum rectos pervertere sensus.

Fit exceptio: Nisi delegatus utriusque partis tam Actoris quàm rei Superior esset: tunc enim recusari non potest; quia par causa affectionis excludit suspicionem fraudis. *Gloss. in Can.*

Canonic. 1. Verbor. parentes. cauſ. 3. quæſt. 5.

2da. Si unus litigantium poſt litem conteſtatam familiaris vel Domeſticus Judicis delegati factus ſit. *Cap. inſinuante. 25. de Offic. deleg.* Non nocet, ſi Advocatus partis adverſæ Judici familiaris ſit.

3tia. Conſanguineus literas delegationis impetrantis tanquam ſuſpectus recuſari poteſt; conſanguineus enim propter ſanguinis affectionem conſanguineo magis affectus eſſe cenſetur.

4ta. Si impetrans literas delegationis in iſta cauſa ſcilicet adverſarii Advocatus fuit. Quia ſi fuit Advocatus, jam animum ſuum manifeſtavit, quo ad illam cauſam affectus eſt: ideóque recuſari poteſt, licet cauſa commiſſa cum clauſula: *Remotâ appellatione. cap. poſtremo. 36. de Appellat.* Quia facilius Judicis recuſatio, quàm appellatio admittitur; cum ad recuſandum iniquus Judicis animus contra unam, vel ejus affectio erga aliam partem ſufficiat: ad appellandum autem gravamen requiratur. Undè pulchrè *Gloſſ. in cap. ſi contra. 4. de Offic. delegat. in 6.* Recuſo, etſi non graver: tamen non appello, niſi graver: appello à Judice, in quem conſenſi, quem tamen non recuſo.

5ta. Canonicum in cauſa Canonici ejuſdem Eccleſiæ quis recuſare poteſt. *Cap. cum. 35. de Offic. delegat.* Propter præſumptionem ſingularis affectionis in confratrem; licet Canonicus in cauſa Canonici teſtis eſſe poſſit. Ratio diſparitatis eſt; quia plures plerúmque Judices haberi poſſunt, quàm teſtes, & Judex facilius injuriam inferre poteſt quàm teſtis; Judex enim à nemine examinatur: teſtis autem à Judice, an verum dicat, examinatur.

6ta. Recuſari poteſt, qui litem vel controverſiam cum parte judicialem habet. Nam ex litibus inimicitiæ oriri ſolent; unde is, qui cum aliquo in judicio contendit, adverſarius ipſius dicitur.

7tima. Recuſari poteſt, qui ſignum benevolentiæ vel amicitiæ parti denegat, quod aliis ejuſdem conditionis & Statûs exhibere ſolet: ex eo enim inimicitia præſumitur.

8va. Qui alicui minatus eſt, quod occaſione oblatâ ſe vindicare velit, & nocumentum inferre, recuſari poteſt: non enim tantùm cenſetur inimicus, qui injuriam actu infert, ſed etiam inferre conatur.

9na. Qui in alio judicio ut privatus ſimilem cauſam habet, vel habuit. *Cap. cauſam. 18. de Judiciis.* Nam quâ ratione, quod petit ut pars, putabit æquum, quod judicat ut Judex: cum conſcientia in eodem facto diverſa eſſe non poſſit.

10ma. Si unus eſt Judex alterius, vel adverſarius meus eſt Judex noſtri communis Judicis in alia cauſa. Tunc enim timere habeo, juxta Hoſtienſ. *In Summ. L. 1. de Recuſat. Judicis deleg.* ne dicatur: facias mihi bonam par-

paropsidem , & ego faciam tibi.

11ma. Qui est conterraneus Adversarii , quando duo compatriotæ sunt in Patria extranea ; quia juxta eundem Hostiensem compatriotæ ejusdem regionis existentes in Patria aliena ut Fratres se se diligunt. Has & similes causas comprehendit. *Gloss. in cap. cum super. 23. de Offic. Judic. deleg.* Sequentibus Versibus :

Subjectus, Dominus, & commensalis , amicus ,
Incola , Canonicus , ac attingens, inimicus ,
Si causam similem delegatus tueatur ,
Vel si Patronus fuit olim , tunc movearur.

Quæres *undecimò*. An à Judice delegato appellari possit ?

R. Judice delegato partem litigantem gravante , ab eo appellari potest ; nisi datus sit cum clausula : *Appellatione remotâ.* Qualiter Princeps Supremus delegare potest. Et tunc omnis appellatio prohibetur , quæ à jure expressè indulta non est. *Cap. Pastoralis. 53. de Appellat. cap. inter cæteras. 9. de Sentent. & re judicata.* Si tamen Papa scienter appellationem interpositam admittat, jurisdictio delegati interim suspensa est quoad executionem , donec appellationis merita sint pleniùs discussa. *Cap. Pastoralis. 28. §. præterea de Offic. deleg.* Ad quem autem à delegato sit appellandum , indicatur sequentibus :

1mò. Si delegatus sit à Judice Ordinario inferiore , semper à delegato ad delegantem, vel ejus in officio successorem appellandum est : sive causa in totum , sive quoad partem delegata sit. Ratio est ; quia etsi Ordinarius totam causam deleget ; non tamen totam à se jurisdictionem abdicare potest: cum illam stabiliter habeat.

2dò. Si delegatus Papæ causam in totum nullâ factâ reservatione alteri subdelegavit , à subdelegato non ad subdelegantem , sed ad primum delegantem , videlicet Papam , fit appellatio. *Cap. super quæstionum. 27. §. verò. de Officio delegati.* Ratio est : quia delegatus non propriam , sed commissam jurisdictionem habet , quam in totum alteri committendo à se abdicat : ideóque quamvis delegans Ordinarius jurisdictionem delegatam semper revocare possit , ipse tamen delegatus Principis , qui jurisdictionem commissam alteri subdelegavit , absolutè illam revocare nequit , postquàm subdelegatus illâ uti cœpit ; cum jam officio suo perfunctus sit.

3tiò. Delegatus Papæ , si non totam causam , sed aliquam ejus partem alteri subdelegavit , vel si subdelegavit cum clausula : *Donec revocet* ; tunc à subdelegato ad subdelegantem appellatur. *Cit. cap. super quæstionum. cap. cum te. 18. de Offic. deleg. cap. si delegatus. 7. eod. in 6.* Ratio est : quia tunc totam jurisdictionem per subdelegationem partialem à se abdicasse non censetur : quare non ad Papam , sed ad subdelegantem est appellandum , nisi interea

intereà excommunicationem incurrisset, vel mortuus fuisset; tunc enim ad Papam delegantem, ne causa nimiùm proteletur, appellatur. *Cap. si is cui.* 10. *de Offic. deleg. in 6.*

4tò. Si pars litigans appellet, eo eo quod contra potestatem subdelegantis excipiat, tunc ad Papam delegantem, non autem ad subdelegantem appellandum; aliàs enim ad subdelegantem jurisdictionem habere appellando fateretur, quod tamen excipiendo negavit. *Cap. si à subdelegato,* 14. *de Offic. deleg. in 6.*

5tò. Si delegatus alteri articulum non jurisdictionalem subdelegavit, à tali mero executore non datur appellatio: attamen executor absque consensu partium datus, ex legitima causa coram delegato probatâ recusari potest, quæ recusatio si à delegato non acceptetur, gravatus ad delegantem appellat. Item si Executor limites suæ commissionis excedat, ad delegatum, & si hic appellationem acceptare recusset, ad delegantem appellatur. Si Executor nec recusetur, nec limites suæ commissionis excedat, pars gravata non ab Executore, qui quidquid facit, ex commissione facit, quam non transgreditur, sed à subdelegante Executorem ad delegantem appellat. *Cit. cap. super quæstionum.*

6tò. Si unus ex duobus delegatis cum clausula: *Appellatione remota.* Alteri Collegæ subdeleget, acceptans subdelegationem appellatione remotâ procedere non potest, nec causam alii delegare: quamvis in commissione facta duobus contineatur expressum, quod appellatione remotâ alter possit procedere sine reliquo, si non possunt ambo pariter interesse. Quia quod potest solâ jurisdictione sibi à Principe delegata, non potest cum jurisdictione sibi à condelegato commissa. Unde si ab eo fuerit appellatum, ad primum duntaxat appellandum est delegantem. *Cit. cap. super quæstionum.* §. *si verò.* Ratio est: quia quando in eadem persona jurisdictio delegata cum subdelegata concurrit, in effectu potius jurisdictio subdelegata quàm delegata esse censetur, ex illo Philosophorum principio: Effectus sequitur partem debiliorem. Econtrà si in diversis personis jurisdictio delegata & subdelegata concurrat, ut si causa committitur tribus, quorum duo subdelegant, horum subdelegati cum uno delegato sententiam ferunt, per quam pars gravata non ad illos duos subdelegantes, sed ad primum delegantem Pontificem appellat: Jurisdictio enim dignior attendenda est, cum dignius & potentius ad se minùs dignum trahat: est autem dignior delegata jurisdictio.

7timò. Si appelletur ab arbitris, qui secundùm formam Juris eliguntur, ut super causa suspicionis cognoscant, ad præscriptum *Cap. suspicionis.* 39. *de Offic. delegati. cap. si contra.* 4. *eod. in 6.* Non ad delegatum, qui recusatur, sed ad delegantem est appellandum. *Cap. ab arbitris.* 11. *de Offic. deleg. in 6.*

Ratio est : quia sicut Judex delegatus circa causam principalem , ita etiam circa punctum accessorium recusationis , in quo ab arbitris fit gravamen , suspectus est , & ideo appellatur.

Quæres *duodecimò*. Quomodo Judicis delegati cessat jurisdictio ?

R. Cessat jurisdictio Judicis delegati diversis , ac potissimùm modis sequentibus :

1*mò*. Revocatione delegantis , sivè revocatio expressè , sive tacitè fiat. Per *l. judicium. 58. ff. de Judiciis, cap. quamvis. 6. de Offic. delegat. in 6.* Tacitè fit revocatio , si delegans ad instantiam partis citet , vel alio modo in causa delegata procedat ; eo ipso enim ad se, si sit Ordinarius , eam retraxisse videtur.

2*dò*. Finitur jurisdictio delegati morte delegantis , si res adhuc integra , sive antequam delegatus jurisdictione usus fuerit ; cum jurisdictio (ex quo ipsa usus non extitit) non censeatur in delegatum efficaciter transfivisse , ut dicitur in *cit. cap. quamvis. 6. de Offic. delegat. in 6.* Idem est , si delegatio proximè facta à persona, non autem si facta nomine dignitatis personæ : Ita si Papa nomine Sedis Apostolicæ committat , commissio per mortem Papæ non exspirat ; tunc enim sicut dignitas non moritur , ita nec jurisdictio inde profecta exspirat. *Arg. cap. si gratiosè. 5. de Rescript. in 6.* Simili modo si res amplius integra non sit , sed delegatus jurisdictionem exercere inceperit , per mortem delegantis jurisdictio delegata non cessat. *Cap. relatum. 19. & cap. gratum. 20. de Offic. delegat.* Delegatus autem jurisdictionem incepisse censetur , postquam citationem legitimam partis vel rei decrevit. *Cit. cap. gratum.* Citatio enim vel Decretum citationis est actus jurisdictionis ad substantiam judicii pertinens ; ergo citando partes delegatus jurisdictione utitur.

3*tiò*. Jurisdictio morte delegati finitur , si delegatio sit personalis , & expresso proprio nomine facta , sive res sit integra , sive non , ita ut si causa pluribus absolutè commissa, uno mortuo cæterorum officium exspiret. *Cap. licet. 30. cap. uno delegatorum. 42. de Offic. delegat.* Si autem causa delegata non immediatè personæ , sed dignitati , mortuo delegato jurisdictio ad Successorem transit , sive res sit integra , sive non. *Cap. quoniam. 14. de Offic. delegat.* Officium enim & dignitas non moritur , ut vidimus supra ex *Cap. si gratiosè. 5. de Rescript. in 6.*

4*tò*. Finitur jurisdictio delegata , si delegans re adhuc integrâ resignaverit , aut alio modo jurisdictionem amiserit : nam non minus amissione officii jurisdictio in delegante cessat , quàm morte ejus naturali. Eodem modo si delegatio realis immediatè dignitati & non personæ facta , ut : data est commissio Decano certi Collegii , si Decanus dignitatem amittat , delegatio ad Successorem transit.

5*tò*. Fi-

5tò. Finitur jurisdictio delegati lapsu termini præfixi : nisi partium consensu terminus prorogatus fuerit. *Cap. de Causis. 4. cap. consuluit. 24. de Offic. delegat.* Incipit autem terminus à die præsentationis literarum delegato factæ, nisi terminus ad certum diem vel mensem decretus esset.

6tò. Finitur jurisdictio delegata per negligentiam vel non usum mandati delegationis intra annum, si interea aliud rescriptum ab Adversario impetretur. *Cap. si autem. 9. cap. plerumque 23. de Rescript.*

7timò. Demùm finitur jurisdictio delegatâ finitâ causâ, sive per transactionem, compositionem, pactum de non petendo, latam & in negotio executam sententiam, quia delegatus tunc semel est officio suo functus. *Cap. in literis. 9. de Offic. delegat.*

* *
*



TITULUS II.

DE

Procuratoribus.

QUæres *primò*. Quid & quotuplex Procurator?

℟. Procurator est, qui aliena negotia ex mandato Domini administrat. *L. 1. ff. de Procuratorib.* Per has ultimas particulas Procurator distinguitur à Tutore, Curatore &c qui non mandato Domini, sed publicâ authoritate Legis vel Magistratûs, aut ex dispositione testatoris negotia pupilli, minoris, prodigi, Ecclesiæ &c. administrant. Dividitur Procurator

Primò, in judicialem & extrajudilem. Hic est, qui extra judicium ad negotia constituitur, & communiter mandatarius appellari solet: Judicialis est, qui negotia judicialia administrat, & vocatur Procurator ad lites: de quo maximè in præsenti.

Secundò. Dividitur in universalem, cui omnium rerum administratio est demandata: *L. Procurator. 63. ff. de Procuratorib.* & specialem, cui certæ litis, rei vel negotii causa est commissa, *cit. L. 1. ff. de Procuratorib.* Procurator universalis vel constituitur sub hac clausula: *cum libera.* & tunc plenam & liberam ea agendi, quæcunque ipse dominus agere vel facere posset, habet facultatem, *L. Procurator. 58. ff. de Procuratorib.* ex quo etiam alienare potest: vel constituitur Procurator generalis simpliciter absque tali clausula; & hic non potest alienare, nisi fructus & res, quæ facilè corrumpuntur. *cit. L. Procurator, 63. ff. de Procuratorib.*

Tertiò. Dividitur in eum, qui est in rem propriam, & in eum, qui est in rem alienam. Procurator in rem propriam, vel in rem suam dicitur, qui litem alienam in commodum proprium administrat: ut qui aliquam obligationem vel debitum emit, aut alio modo sibi comparavit, quod deinde in judicio nomine quidem alieno, sed pro se exigit. Procurator in rem alienam vocatur, qui litem & negotium eâ intentione gerit, ut emolumentum ad mandantem redeat.

Quæres *secundò*. Quomodo Procurator à Syndico distinguitur?

℟. Syndicus est Procurator, qui communi mandato causas & lites Universitatis prosequitur & administrat. *L. 1. ff. quod cujusque Universitatis nomine &c.* distinguitur à Procuratore in sequentibus:

Primò. Procurator in causis privatis à Domino privato, Syndicus autem ab Universitate, Collegio, vel alterius Com-

Communitatis corpore, vel ejus administratore, ut Episcopo, Capitulo, Monasterii Prælato, & in causis publicis constituitur. Colligitur ex *cap. petitio. 9. de Procurat. lib.* Ex quo Syndici officium publicum est : ideoque etiam invito imponi potest. Officium Procuratoris privatum est, & invito non imponitur.

Secundò. Syndicus ab actore vel agente differt, quòd Syndicus generaliter ab Universitate ad tractandas omnes causas tam præsentes quàm futuras : actor verò specialiter ad unam causam tantùm constituatur.

Tertiò. Syndicus ab administratore Universitatis distinguitur; quia hic pecuniæ præest, aliaque huc pertinentia curat : Syndicus verò causas judiciales tractat.

Quartò. Differt ab Oeconomo ; hic enim Ecclesiæ dispensator est, cui administratio rerum ecclesiasticarum, spiritualium & temporalium committitur: ideoque laicus esse non potest. *arg. can. indicatum. 5. dist. 89. can. nova. 22. caus. 16. q. 7.* Syndicus autem etiam in spiritualibus laicus esse potest; quia propriè munus spiritaale non exercet. *cap. 1. de Procurator. in 6.* Quamvis autem Religiosi in causis sui Monasterii Syndici esse possint, id tamen non expedit ; consultius namque est, ut à forensibus judiciis abstineant, & extraneum aliquem Procuratorem generalem vel Syndicum constituant, cui assignato salario causas suas committant ; ùt enim loquitur S. Gregorius Magnus in *cap. unic. de Syndico.* expedit pro parvo incommodo (id est salario) à strepitu causarum servos DEI esse quietos.

Quæres *tertiò.* Quis Procuratorem constituere potest ?

R. Omnis, qui rerum suarum administrationem habet, nisi specialiter prohibeatur : ùt constat ex sequentibus.

Primò. Excommunicatus denuntiatus sive non toleratus Procuratorem dare non potest. *cap. fin. de Procuratorib.* quia sicut excommunicati per se ipsos in judicio agere non possunt, *cap. decernimus. 8. de sentent. excomm. in 6.* ita nec per alium juxta Regulam Juris 67. *Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.* Si tamen in aliqua communitate plures essent excommunicati, ipsa universitas Procuratorem dare posset. *cit. cap. consulti.* Item ad defendendum se excommunicatus Procuratorem dare potest.

Secundò. Pupilli & minores habentes Curatorem cum authoritate Tutoris vel Curatoris Procuratorem dare possunt. Minor Curatorem non habens Procuratorem ad negotia sua extrajudicialem, non tamen judicialem constituere potest; cùm enim ipsi legitimam personam in judicio standi non habeant, etiã alios legitimare non possunt.

Tertiò. Syndicus Universitatis, Tutor & Curator ante litem contestatam solùm actorem : lite contestatâ etiam Procuratorem dare permittuntur. *L. 11. C. de Procuratoribus.*

Quar-

Quartò. Rector Ecclesiæ seu Beneficiatus sicut pro juribus suæ Ecclesiæ sine Superioris consensu in judicio agere potest, ita etiam Procuratorem constituere. Idem est de Prælato, nisi causa ardua foret, quæ statum Ecclesiæ concerneret, videlicet ejus libertatem, subjectionem, vel bonorum alienationem; tunc consensus Capituli vel Conventûs requiritur.

Quintò. Religiosus sine licentia sui Superioris Procuratorem constituere vel sibi substituere nequit. *Clement. Religiosus. de Procurator.* Exceptis iis casibus, in quibus absque licentia Superioris per se ipsum in judico stare potest: ut cum Prælatum suum accusat. Juxta *cap. ex parte.* 11 *cap. olim. 26. de accusat.*

Quæres *quartò.* In quibus causis Procurator constitui potest?

R. In omnibus causis & negotiis Procurator constitui potest, in quibus non prohibetur. Si tamen citatus ad Judicium justam causam non veniendi in persona habeat, in causa ardua pro se Procuratorem mittendi obligatio non est. *cap. querelam. 2. de Procurator.* Procurator igitur in causis temporalibus & spiritualibus dari potest. *cap. non indiscretè. 1. de Procurator in 6.* non solùm ad lites præsentes, sed etiam ad futuras nondum inchoatas. *cap. non injustè. 14. de Procurator.* etiam in causa matrimoniali ad contrahendum nomine alterius matrimonium. *cap. fin. de Procurator. in 6.* dummodò mandatum sit speciale de contrahedo cum certa persona, & ante matrimonium contractum mandatum non sit revocatum. *cit. cap. fin. de Procurator. in 6.* In causa criminali, dum non de mulcta pecuniaria, sed de pœna corporali infligenda agitur, Procurator non admittitur; sed partes, tam accusator, quàm reus personaliter comparere debent. *cap. veniens. 15. de accusat. cap. tuæ. 5. de Procurator.* Ratio est: quia ubi de pœna capitis aliave corporali agitur, sententia Judicis illusoria reddi posset; non enim in Procuratorem executioni mandari valeret, & reus absens, qui non est in Judicis potestate, fugere posset. Idem est de accusatore, qui de jure communi se ad pœnam talionis in casum, quo in probando deficeret, subscribere deberet: at quia hodiè hæc pœna talionis per consuetudinem abrogata est, ideo ex parte accusantis criminaliter plerumque Procurator admittitur.

Quæres *quintò.* Quis Procurator esse potest?

R. Procuratores generaliter constitui possunt omnes, qui mandatum exequendi capacitatem habent, nisi specialiter prohibeantur. *cap. 1. de Procurat. in 6. junct. gl ff.* In materia enim per se & communiter concessa, cujusmodi Procuratoris officium est, hoc ipso, quod persona à Jure non reperiatur prohibita, censetur esse admissa: & hujusmodi edictum prohibitorium dicitur. Econtra quando materia per se & communiter est prohibita, sed in certis casibus permissa; in tali materia per

per se prohibita, hoc ipso, quod aliquid non reperitur in Jure permissum, censetur prohibitum: & hujusmodi edictum vocatur promissorium. Specialiter prohibentur in Judicio esse Procuratores,

Primò Fœmina, nisi vel in rem suam, vel in necessitate pro parentibus, liberis, vel marito agere velit. *L.* 18. C. *de Procurat. L.* 41. *ff. eod. tit.*

Secundò. Minores 25. annis de Jure Canonico in Judicio Procuratores esse non possunt. *cap. qui generaliter.* 5. §. *qui autem. de Procurat. in 6.*

Tertiò. Milites, nisi agant in rem suam, vel nomine cohortis. per *L.* 7. *&* 9. C. *de Procurat.*

Quartò. Notoriè infames, ùt colligitur ex *can. fin. cauſ.* 5. *q.* 3.

Quintò. Excommunicati. *cap. intelleximus.* 7. *de judiciis. cap. post cessionem.* 7. *de probation. cap. Decernimus.* 8. *de sentent. excomm. in 6.*

Sextò. Denique omnes in Judicio Procuratores esse prohibentur, qui non habent personam standi in Judicio: ùt servus per *Leg.* 33. *ff. de Procurat.* Religiosus sine licentia sui Superioris. *Clement.* 3. *de Procurat.*

Quæres *sextò.* Quæ conditiones ad constitutionem Procuratoris requiruntur?

R. Ad constitutionem Procuratoris requiritur consensus tam Principalis constituentis, quàm Procuratoris constituti, isque vel expressus, ut per pactum, nuntium, literas, vel tacitus, ut cùm Dominus principalis præsens alteri causam suam agere permittit, vel instrumenta causæ Procuratori tradit. Si Procurator scienter mandatum constituentis recipiat, & non contradicat, tacitò consentire censetur. *Clement.* 1. *de Procurat.* Et quamvis Procurator ab absente constitutus ab initio contradicat, sufficit, si posteà nondum mutatâ voluntate constituentis consentiat. *cap. licet.* 7. *de Procurat. in 6.* Procurator autem judicialis à Domino se constitutum esse docere debet, aliàs non erit admittendus. *cap. alia.* 1. *de Procurator.* si mandatum sit dubium, de ratihabitione cavere debet. *L.* 1. C. *de Procuratorib.*

Excipiuntur quædam personæ, quæ sine ullo mandato procuratorio alterius litem urgere possunt: ùt *primò* Maritus pro uxore sine procuratorio in Judicio litigare potest, præstitâ tamen cautione de rato. *L. Maritus.* 21. C. *de Procurat.*

Secundò. Personæ conjunctæ, ùt parentes, liberi, fratres consanguinei, usque ad quartum gradum absque mandato, cum cautione tamen de rato, pro se invicem agere possunt. *L. exigendi.* 2. C. *de Procurator. &* L. 35. *&* 41. *ff. eod. tit.*

Tertiò. Consortes ejusdem litis pro se invicem absque mandato in Judicio agere possunt. *L.* 2. C. *de consortibus ejusdem litis.*

Quartò. Clericus: quia respectu suæ Ecclesiæ persona conjuncta censetur; ideo absque mandato pro sua Ecclesia in Judicio agere potest. *Gloss. in cap.* 1.

de Procurator. arg. can. non licet. 20. can. 12. q. 2. ubi omnibus Clericis datur potestas bona malè à Prælato alienata reposcendi : quem textum aliqui ad solum casum malæ alienationis restringunt.

Quæres *septimò*. Quæ mandati procuratorii forma esse debet ?

℟. Nomen constituentis, Ptoruratoris constituti, illius contra quem, Judicis coram quo, & in qua causa, ad quos actus, an ad agendum, an ad defendendum Procurator constituatur, continere & exprimere : præterea Principalis, quod ratum sit habiturus, quidquid Procurator gesserit, declarare, ac demum annum & diem constitutionis procuratoriæ inserere, vel subjungere debet.

Quæres *octavò*. Quam potestatem Procurator habet ?

℟. Potestas Procuratoris ex mandato desumenda est ; nam ex eo apparet, quam potestatem Procurator habeat, & quos actus Procuratoris Principalis ratificet. Sunt autem aliqui particulares articuli, qui speciale mandatum requirunt : ut impetratio rescripti, causa matrimonialis, petitio restitutionis in integrum, consensus in compromissum, petitio absolutionis ab excommunicatione, & plures alii, quos refert Gloss. in *cap. qui ad agendum. 4. de Procurator. in 6. Verb. paciſci.* Quamvis Procurator generalis constitutus sit cum hac clausula : ut omnia expedire possit, etiamsi speciale mandatum exigant : nihilominus ad aliquem articulum, qui speciale mandatum exigit, admitti non debet, nisi in mandato unus vel plures articuli, qui speciale mandatum exigunt, sint specificati, adjectâ clausulâ generali ; tunc enim vi talis mandati etiam ad casus non expressos Procurator admittitur. *cit. cap. qui ad agendum. 4. de Procurat. in 6.*

Quæres *nonò*. Qui susceptæ Procurationis effectus ?

℟. Sequentes : *Primò*. Procurator, qui litem aut negotium demandatum susceperit, illud, nisi justa intervenia causa, absolvere & exequi tenetur.

Secundò. Procurator judicialis à sententia interlocutoria appellare, & appellationem prosequi debet ; cùm tunc nondum instantia sit finita ; à sententia verò definitiva non appellare, sed vel appellare, vel Domino seu Principali ante elapsa fatalia, hoc est : decem dies, sententiam latam denuntiare tenetur, appellationem quoque interpositam, nisi ad omnes causas tam præsentes quàm futuras generaliter constitutus sit, prosequi non obligatur.

Tertiò. Procurator judicialis post litis contestationem litis sit Dominus, omniaque bonâ fide agere & gerere potest, quæ Dominus facere posset. *L. 22. C. de Procurator.* Unde ipse Procurator, non Dominus ad omnes actus judiciales vocari debet.

Quartò. Factum Procuratoris Domino prodest, vel nocet ; quia quod à Procuratore gestum est, quamdiu mandati fines non excedit, quasi à Domino gestum esset, reputatur : secus si ultra man-

mandatum quidquam agere attentaverit.

Quæres *decimò*. Quæ Domino & Procuratori competunt actiones ?

R. Ex obligationibus, quæ inter Principalem mandantem & Procuratorem ex dato & accepto sunt contractæ, oritur imprimis *Actio mandati* directa Domino mandanti ejusque hæredibus contra Procuratorem ejusque hæredes ad consequendum id, quod illius ratione mandati negotii aut litis neglectæ, vel non exactissimè administratæ interest : deindè ex altera parte datur Procuratori ejusque hæredibus *Actio mandati contraria* contra Dominum ad consequendum omne id, quod ex causa mandati bonâ fide præstitit & impendit, & ad resarcienda damna, dolo vel culpâ etiam levissimâ mandantis causata.

Quæres *undecimò*. Qualiter Procurator revocari potest ?

R. Principalis ante litem contestatam Procuratorem suum judicialem liberè revocare potest : post litem contestatam, nisi causâ revocationis priùs cognitâ, invitus Procurator revocari nequit. *cap. quamvis. 2. de Procurator. in 6. l. ante litem. 16. & l. post litem. 17. ff. de Procurat.* Nihilominus Dominus cum suo Procuratore, maximè si illum de collusione suspectum habeat, judicio intersse potest. Revocatio autem Procuratoris, qui in judicio semel constitutus, & Judici vel parti adversæ insinuatus, Judici vel Adversario intimanda est : alioquin si tam Adversario quàm Judice ignorante Procurator revocatus sit, acta cum Procuratore valent, secùs si Adversario vel Judici revocatio intimata. *cap. mandato 13. de Procurator.*

Si Procurator à Domino coram testibus revocatus sit, & ad notitiam Procuratoris pervenerit revocatio, sententia contra ipsum in præjudicium Domini lata nulla est. *cap. ex insinuatione. 3. de Procurator.* Eodem modo rescriptum revocatum à Procuratore revocato, cui revocatio innotuit, nullum est. *cap. in nostra. 4. de Procurator.* Procurator ad alia negotia datus si revocetur, revocatio similiter effectum non habet, priusquàm ad notitiam Procuratoris perveniat : ideoque omnia, quæ à Procuratore revocationem ignorante gesta, valida sunt ; quæ verò post notitiam revocationis acta, nullam habent roboris firmitatem. *L. si mandatum. 15. ff. mandati.*

Excipiuntur casus sequentes : *Primò.* Contractus matrimonii invalidus est, si Procurator specialiter ad hoc, ut cum certa persona contrahat, constitutus, si illud, postquam est revocatus, celebret : quantumvis revocationem ignoraverit. *cap. fin. de Procurat. in 6.* Aliàs si quis Procurator constitutus ad contrahendum cum certa persona in aliis materiis, ordinariè requiritur, ut revocatio Procuratoris non solùm ipsi, sed etiam alteri parti, cum qua contrahitur, intimetur, postquam mandatum vel constitutio Procuratoris parti, cum qua contrahitur, est intimata.

Secundò, Quod agitur per simplicem mandatarium, non valet, postquam mandatum, etiam ignorante mandatario, est revocatum.

Tertiò. Procurator ad acceptandum Beneficium ecclesiasticum constitutus invalidè illud acceptat, postquam te ignorante est revocatus; quia inter Beneficiatum & Ecclesiam quasi spirituale matrimonium contrahitur. Aliud est in Beneficii renuntiatione, quæ facta à Procuratore est valida post revocationem, si eam Procurator ignoraverit, & simul is, cui facta est renuntiatio, nisi fortè per ipsos aut alios malitiosè factum fuerit, quominus ad eos, vel ad eorum alterum ante cessionem potuerit revocatio pervenisse. *Clement. unic. de renunt.*

Quæres *duodecimò*. Quando finitur Procuratoris officium?

R. *primò*, ùt jam dictum, per revocationem Procuratori intimatam, *2dò*, mutuo consensu utriusque tam Principalis quàm Procuratoris; sicut enim mutuo consensu constituitur, ita quoque mutuo consensu constitutio dissolvitur. *3tiò*, finitâ instantiâ judicii, videlicet latâ sententiâ definitivâ; cùm Procurator judicium appellationis prosequi non teneatur. *L. invitus. 17. C. de Procurator.* *4tò*, morte Domini Procuratorem constituentis re adhuc integrâ. Si verò Dominus Procuratorem constituens moritur, postquam res integra esse desiit, videlicet post litis contestationem, vel negotii inchoationem, Procuratoris potestas non exspirat, sed obligatio ad hæredes Domini mandantis transit. *Gloss. in Clement. ult. de Procurator.* Ex qua Clementina notandum: Si procurator à Prælato, Rectore Ecclesiæ, vel alio Beneficiato pro Ecclesia vel Beneficio suo sit constitutus, hujus officium mortuo vel amoto Prælato exspirat: etiamsi res ampliùs integra non sit; quia mortuo Prælato vel Beneficiato jus Prælaturæ vel Beneficii exspiravit, & non transit ad aliquem velut ad Successorem, qui eadem persona cum defuncto censeatur, sicut hæres cum testatore. *5tò*, demum morte Procuratoris, etsi res non sit integra. Hoc enim officium, cum industria personæ sit electa, ad hæredes transire non existimatur.

* * *

TITU-

TITULUS III.

DE

PACTIS.

EXplicatis Judicio, & personis ad illud concurrentibus, antequam tela judiciaria exordium sumat, partes super re controversa transigere possunt; & ideo sub hoc titulo agitur de Pactis & transactionibus. Quam materiam, quia in Summa Canonica de contractibus fusius explicavimus, secundùm methodum institutionum hìc brevibus perstringemus.

QUæres *primò*. Quid est Pactum?

R. Pactum à pace, vel pactione, vel paciscendo dictum, est duorum vel plurium in idem placitum consensus. *L. 1. ff. de Pactis.* Dicitur *1mò*. duorum vel plurium. Per quod pactum distinguitur à pollicitatione, quæ est unius & solius offerentis promissio, ab altero nondum acceptata, & ante acceptationem regulariter non obligat. Quod additur: quia ex favore boni communis pollicitatio ante acceptationem obligat, si Civitati, vel Reipubl. ex justa causa, ut causâ gratitudinis, propter incendium aut ruinam civitatis facta fuerit. *L. 1. & 4. ff. de Pollicit.* Quod aliqui ad promissionem in favorem Ecclesiæ vel causæ piæ extendunt. Dicitur *2dò*. *In idem placitum consensus.* Hoc est: ad aliquid faciendum, vel dandum: Nam duo vel plures in eandem sententiam vel consultationem, absque eo, quod inter se paciscantur, consentire possunt: sed tunc paciscuntur, quando in aliquid faciendum vel dandum consentientes se se obligant.

Quæres *secundò*. Quotuplex est Pactum?

R. Pactum in simplex & contractum, sive nudum & vestitum communiter dividi solet. Pactum simplex est conventio non habens in se causam dandi vel faciendi, hoc est: carens vi exactionis, seu effectu actionis intentandæ in foro externo, pro consecutione illius, quod in conventionem est deductum: & hoc pactum non civiliter sed naturaliter obligare dicitur. Pactum contractum seu vestitum est, conventio duorum habens in se causam dandi vel faciendi, sive quod præter conventionem partium aliud juris adminiculum habet, ratione cujus actio civilis in foro externo oritur. *L. legitima. 6. ff. de Pactis.*

Pactum vestitur & in foro externo actionem parit. *1mò*. Si pactum simplex in contractum nominatum, qualis est emptio, locatio, commodatum, mutuum, transeat. *2dò*. Si ex altera parte in contractu innominato impleta

sit promissio. V. g. Petrus convenit cum Paulo, ut det sex maldera tritici pro ama vini: postquam Petrus vinum dedit, potest agere contra Paulum, vel per actionem in factum, seu ex præscriptis verbis, ut vicissim sibi triticum conventum tradat, vel quantùm suâ interest sibi datum non fuisse, vel potest petere, restitui sibi vinum, quod dedit. 3*tiò*. Per stipulationem. *L. ex placito. 3. C. de rerum permutat.* Hodie pacta nuda per instrumentum publicum Notarii, vel per scripturam manu promissoris scriptam vel signatam confirmari solent. 4*tò*. Ex assistentia legis, si ex juris Privilegio gignendæ actionis efficaciam habeat: ut promissio dotis. *L. 6. C. de dotis promissione.* 5*tò*. Adjectione juramenti. 6*tò*. Si fiant in judicio.

Quæres *tertiò*. Quinam pacisci possunt?

R. Omnes qui à natura, vel lege non prohibentur. A natura prohibentur, qui liberum consensum ad valorem contractûs vel pacti essentialiter requisitum ponere nequeunt: ut infantes perpetuò amentes, furiosi &c. A lege prohibentur 1*mò* pupillus infante major, hoc est: qui septennium excessit, sine authoritate Tutoris contrahens alterum sibi quidem obligat, ipse verò vicissim non obligatur. *Princip. institution. de authoritate Tutor.* Et secundùm probabiliorem nequidem in foro poli.

2*dò*. Minor 25. Annis Curatorem habens sine ejusdem consensu de bonis suis pacisci nequit. Curatorem non habens validè contrahit, tam naturaliter quàm civiliter ex contractu obligatus; Si tamen per contractum læsus, ei per beneficium restitutionis in integrum benignè subvenitur.

3*tiò*. Prodigus juridicè, id est: cui à Judice bonorum suorum administratio interdicta, datúsque Curator, sine hujus authoritate ex contractu non obligatur.

4*tò*. Filiusfamilias sive Filius sub Patria potestate constitutus, si impubes, nequidem authore Patre paciscens obligatur. §. 10. *institut. de inutilib. stipulation.* Pubes factus de bonis castrensibus, & in iis, quorum plenam administrationem habet, quovis contractu se obligare potest: v. g. Vendendo, promittendo, operas suas locando. §. 6 *institut. de inutilib. stipulat.* Excipitur contractus mutui ob Senatûs Consultum Macedonianum, de quo tam in *ff.* quàm C. *tit. ad Senatûs Consult. Macedonian.*

5*tò*. Religiosus absque licentia sui Prælati tacita vel expressa rem temporalem per contractum alienare vel acquirere nequit; Voluntas enim religiosi ita per professionem voluntati sui Prælati subjecta est, ut sine ea nec velle nec nolle habeat. *Can. non dicatis. 11. caus. 12. q. 1. cap. si Religiosus. 37. de Election. in 6. cap. 2. de Testamentis in 6.* Personaliter tamen se pacto obligare potest, v. g. ad legendam Missam; nulla enim lex huic pacto resistit: sed quamdiu Prælatus obligationem inde ortam non irritat, obligatur Religiosus pactum implere, nisi Superior contradicat.

6*tò*. Demum nemo Regulariter pro altero,

altero, sed tantùm pro se paciſci poteſt. §. *Si quis.* 4. *inſtitut. de inutilib. ſtipulation.* Quod juxta communiorem etiam procedit de jure Canonico, v. g. ſi Filius Cajo ſimplici pacto promittat ſe centum aureos daturum Sempronio, nulla inde Titio oritur obligatio, nullúmque jus acquiritur Sempronio, niſi Cajus mandatum habeat à Sempronio acceptandi promiſſionem, vel Sempronius juri Caji ſubjectus ſit, quia illius Pater, Dominus, Tutor &c. eſt. §. *Cit.* 4. *inſtitut.* Ratio eſt: quia conventiones ſunt, ut quiſque ſibi acquirat, quod ſuâ intereſt: ut verò alteri detur, alterius nil intereſt.

Quæres *quartò.* De quibus rebus paciſci licitum eſt?

℟. De omnibus & ſolis rebus licitis & honeſtis, quæ commercio humano ſubſunt, ſive ſint præſentes, ſive abſentes, ſive futuræ & nondum exiſtentes, dummodò paciſcentium propriæ ſint, paciſci licet. De rebus autem ſuper quibus lege vel Canone paciſci prohibitum, interveniens pactio invalida eſt.

Quæres *quintò.* Qui pactorum effectus?

℟. Triplex eſt: 1*mus*, *Obligatio*: quæ à Juſtiniano *inſtitut. de obligationibus à princip.* Definitur: *Juris Vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ.* Obligatio autem orta ex contractu, vel eſt naturalis tantum, vel civilis tantùm, vel naturalis & civilis ſimul, quæ communiter dicitur obligatio efficax. *Naturalis tantùm* eſt, dum pactum pro fundamento obligationis ſolum conſenſum habet, eo quod pacto tali lex nec re: nec aſſiſtat: ſed tantùm oritur obligatio contractum ſervandi in conſcientia, quamvis in foro fori actio non detur. *Obligatio efficax, ſeu naturalis & civilis ſimul* eſt, quando lex pacto aſſiſtit, & actionem in foro externo ſimul tribuit. Civilis tantùm eſt, quando lex ob ſolemnitatem Juris quidem actionem in foro externo dat; quia tamen naturali æquitati contractus repugnat, executionem non concedit. *Exemplum eſt*: Dediſti Chyrographum, quo te pecuniam mutuam accepiſſe confiteris; per hanc literarum ſolemnitatem ad reddendum mutuum obligaris, licet non acceperis, ſed non teneris reddere niſi civiliter tantùm. Quamvis enim eo nomine actio contra te formari poſſit, illam tamen per exceptionem non numeratæ pecuniæ elidere potes.

2*dus*: *Actio.* Hæc ab Imperatore inſtitut. de actionib. definitur: *Jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur.* Gravis eſt quæſtio: An de jure Canonico & nudo pacto actio oriatur. Pro affirmativa ſtat ratio probabilior ſumpta ex *Cap.* 1. *&* 3. *de Pactis.* Ubi omnia pacta ſervari jubentur, & conſequenter approbantur: aliàs qui pactum ſervare renuit, *Conventus Eccleſiaſticam ſentiat diſciplinam.* Et concordat *Rubric. cap.* 1. *cit.* quæ ita ſonat: *Pacta quantumcunque nuda ſervanda ſunt.* Quia enim pactum nudum in materia gravi ſub peccato obligat, Eccleſia vel Jus Canonicum, ſalutem ſubditorum Spiritualem principaliter pro fine habens, de peccato judicium ſuum interponit: *Cap. novit.*

novit ille. 13. *de Judiciis.* Ideóque actionem pro tali judicio exercendo concedit. Advertunt tamen Doctores, ut quis ex pacto nudo coram Judice Ecclesiastico agere possit, non sufficere simpliciter, quod simplex rei certæ promissio allegetur, sed quod insuper causa ejus exprimenda & probanda sit. *Arg. cap. si cautio.* 14. *de Fide instrumentor.*

3*tius. Præstatio doli, culpæ, & casûs fortuiti.* Nomine doli hìc omnis voluntaria læsio intelligitur, sive illa per tectam fraudem, sive per apertam vindictam & petulantiam fiat. Dolum omnes contractus recipiunt, sive in omni contractu dolus præstatur, hoc est: quidquid in quovis contractu dolo malo factum à debitore, quo res periret, deterior fieret, aut deperderetur, detrimentum est debitoris, qui proinde tenetur, ac si nihil eorum accidisset: adeo quidem, ut nec expressâ conventione contrarium effici possit, paciscendo ne dolus præstetur; quia talis conventio est contra bonos mores ad delinquendum invitans, & bonæ fidei judicio contraria. *L.* 23. *ff. de Reg. Juris.*

Culpa est omne factum inconsultum, quo alteri nocetur, sive est negligentia hominis, cum vel non facit, quod facere debet, vel facit, quod facere non deberet, ex quo alteri damnum oritur. Alia est *Lata*, alia *Levis*, alia *Levissima.*

Lata est omissio diligentiæ ordinariæ, sive ejus, quam omnes homines suis rebus adhibere solent. *Levis* est omissio diligentiæ mediocris, quam vulgò homines frugi suis rebus adhibere solent: sive est factum in re aliena admissum quod diligens Paterfamilias non admitteret in propria.

Levissima est omissio diligentiæ summæ, quam solent adhibere diligentissimi. *Culpa lata* in omni contractu, ut dolus, est præstanda; quia in jure dolus esse præsumitur, ideóque culpa dolo proxima vocatur. In contractu, qui ad solius principaliter obligantis utilitatem cedit, v. g: in deposito, sola *culpa lata*, in contractu, in *quo* utriúsque contrahentis vertitur utilitas, ut est emptio, *culpa levis & lata*; in contractu, qui vergit in utilitatem principaliter obligati, ut est commodatum, præstanda est *culpa levis & levissima.*

Denique *Casus fortuitus* est eventus, quem quis cum accidit, vel humanitùs prævidere, vel saltem prævisum avertere non potuit. Hic de se in contractu nunquam est præstandus, nisi vel mora debitoris intervenerit, aut debitor rei periculum in se susceperit; quia conventio in negotio gerendo interposita de casu præstando facit, ut debitorem fatalia damna sequantur.

Quæres *sextò.* Quænam contractui contraria?

R. Contractui potissimum contrariantur error & metus. 1*mò.* Quidem error. *Quid enim consensui tam contrarium quàm error, qui imperitiam detegit. L. si per errorem.* 15. *ff. de Jurisdict.* Error autem vel est in nomine proprio personæ, vel rei, de qua agitur, & tunc

tunc si de persona, vel de re ipsa constat, consensum non vitiat: *L. 32 ff. de V. O.* vel erratur in persona, cui promittitur, vel in re, quæ promittitur: v. g. in persona erratur, si quis Cajo stipulanti promittit, quem putat esse Titium: & tunc ex contractu nulla oritur obligatio. *cit. L. si per errorem.* Si in re erretur, vel est error de rei corpore, cùm de alia re stipuletur, & promissor de alia re promittat: & tunc quoque consensus nullitatis habet vitium. *L. inter stipulantem. 83. §. 1. & L. continuus. 137. ff. de V. O.* vel licèt in corpore non interveniat, in substantia tamen vel materia corporis erratur, ut si, quod aurum putatur, sit æs, quod vinum, sit acetum; licèt stipulatio tunc valeat, per *L. si id. 22. de V. O.* emptio tamen non tenet, juxta *L. quid tamen. 14. ff. de contrahend. empt.* Error demum in causa promittendi esse potest: & tunc si quis suo ipsius errore inductus alicui stipulanti promittit ex motivo, quod non subest, obligatus existit: fraude tamen circumventus exceptione doli mali sese tueri potest. *L. si quis. 36. ff. de V. O.*

Deinde metus contractui contrariatur; quamvis enim conventio ex metu facta mero jure subsistat, actionemque pariat: ita tamen est inefficax, & perpetuâ merûs exceptione eliditur.

Quæres *septimò*. Quæ pacta specialiter à Jure reprobata?

R. Sequentia: *Primò*. Si litigantes super beneficio absque Superiorum authoritate paciscantur, ut unus liti cedat, & alter cedenti expensas aut quid aliud temporale solvat. *cap. cum pridem. 4. de pactis. Secundò*. Pactum quod fit in præjudicium Ecclesiæ parochialis, ùt exempla sunt in *cap. plerique. 7. de pactis. cap. 1. & 3. eod. in 6. Tertiò*. De succedendo alicui in Ecclesia vel beneficio reprobatur conventio. *cap. accepimus. 5. de pactis.* tum ne detur hæreditaria in beneficiis successio. *cap. ex transmissa. 7. cap. ad extirpandas. 11. de filiis Presbyt.* tum ut vitetur captandæ alterius mortis occasio. *L. fin. C. de pactis. cap. nulla. 2. de concess. præbend. cap. 2. & 3. eod. in 6. Quartò*. Rejicitur pactum, quo pensio vel augmentum ejusdem, si in Ecclesia instituatur, simoniacè promittitur. *cap. cum Clerici. 6. de pact. Quintò*. Omnis quæcunque pactio absque Superioris authoritate facta pro spiritualibus obtinendis velut simoniaca aut jure naturali aut positivo reprobatur. *cap. fin. de pact.*

Quæres *octavò*. An omne pactum contra Leges factum careat robore in conscientia obligandi?

R. Quando Lex non tantùm specialiter aliquod pactum prohibet, sed etiam velut bonis moribus repugnans expressè reprobat, tale non solùm est illicitum, sed & invalidum, nullam inducens obligationem: ut pactum, ne dolus præstetur, ne furti vel injuriarum quis reus habeatur, si fortè injuriam vel furtum fecerit. *L. si unus. 7. §. illud. & §. pacta. ff. de pactis.* Talia enim ad peccandum alliciunt, ideoque tanquam bonis contraria moribus damnantur.

Quæres *nonò*. An pactum de re illicita nunquam obliget ?

℟. Re turpi nondum impletâ, contractus de ea implenda nunquam obligandi vim habere potest : attamen postquam promissum rei illicitæ est impletum , quod datum fuit , retineri , & si nondum datum , exigi potest. Ratio est : quia talis datio aut promissio propter finem , ob quem fit,ut ad committendum homicidium, solùm est illicita : datio tamen secundùm se malitiam aut turpitudinem non involvit: & ideo post impletam causam promittens ad dandum obligatur ; tunc enim sine peccato impleri potest promissum.

Quæres *decimò*. An pactum , quo filia vel filius paternæ renuntiat hæreditati , validum existat ;

℟. Licèt tali pacto secundum se nihil mali subsit: attamen jure civili,ne liberi à paternis obsequiis , ad quæ spe animantur successionis , retrahantur , pactum , quo v. g. filia dote contenta paternæ renuntiat hæreditati , per *L. pactum, 3. C. de collation.* ita reprobatur , ut post mortem patris hac pactione non obstante cum cæteris fratribus & sororibus ab intestato succedat , dummodo dotem , quam accepit , cum fratribus conferat.

Quæres *undecimò*. An paternæ hæreditatis resignatio confirmetur juramento ?

℟. Quamvis pactum patri factum à filia , dum nuptui tradebatur , ut dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet , reprobet lex civilis: si tamen juramento nec vi nec dolo præstito firmatum fuerit , ab eadem omninò servari debebit ; cum non vergat in æternæ salutis dispendium , nec redundet in alterius detrimentum. *cap. quamvis. 2. de pactis. in 6.* Idem statuitur in *cap. cum contingat. 28 de jurejurand.*

Quæres *duodecimò*. An sit validum futuræ successionis pactum ?

℟. Quando Cajo Titius promisit, quòd eum in hæredem instituere velit, hujusmodi pactum est invalidum. *L. fin. C. de pactis.* cum contra bonos mores, & plenum tristissimi & periculosi eventûs esse videatur : siquidem machinandi , aut saltem alterius mortem optandi præbet occasionem. Ideoque licèt Titius alium , pacto illo non obstante, hæredem institueret, Cajus adversus talem hæredem institutum nullam prorsus haberet actionem. Et casu quo Titius simile pactum juramento confirmaret , alium à Cajo hæredem instituendo perjurus quidem foret, nullam tamen eidem faceret injuriam. Porro pacta familiæ Personarum Illustrium in nostra Germania ex consuetudine suam obtinent firmitatem.

TITU-

TITULUS IV.

DE
Transactionibus.

TRansactio est rei dubiæ & litis incertæ nondum finitæ, aliquo dato, retento, vel promisso conventa decisio. Dividitur in realem, quæ ad Successores rei, super qua transactum, transit: & personalem, quæ durat, quamdiu transigens vivit, nec ad Successores transit. Exemplum est in *cap. de cætero. 5. de transact.* Causa efficiens sunt transigentes, quos nec materia nec lex prohibet à transigendo. Materia est res dubia & lis incerta. Ad formam transactionis duo requiruntur: 1*mò*. Ut de re dubia fiat, super qua lis est vel jam intentata, vel intentari potest. 2*dò*. Ut utrique transigenti aliquod onus imponatur. Finis transactionis est, ut vel lis evitetur, vel jam cœpta finiatur. Effectus est idem, qui rei judicatæ: quod controversia legitimâ semel transactione finita, prætextu novarum probationum vel instrumentorum post repertorum, resuscitari non possit.

QUæres *primò*. Quomodo transactio ab amicabili compositione distinguitur?

℟. Distinguitur in hoc, quod amicabilis compositio gratis fiat nullo dato aut retento. *Cap. super eo. 7. de transact.* Ut si quis liti, quam justè movere potest, gratis cedat, omnémque actionem remittat, aut si à debitore tuo, qui liquidò centum debet, remissis viginti solùm exigas octoaginta.

Quæres *secundò*. Quæ personæ transigere non possunt?

℟. Quæ non habent liberam rerum administrationem, ut 1*mò*. Fidei commisso gravatus. 2*dò*. Vasallus sine consensu Domini directi. 3*tiò*. Tutor vel curator sine judicis decreto. 4*tò*. Procurator absque speciali mandato, nisi in rem suam sit electus. 5*tò*. Prælatus Ecclesiasticus sine consensu Capituli, *cap. contingit. 3. de transact.* & sui Superioris licentia. *Cap. statuimus. 2. ibid.*

Quæres *tertiò*. An beneficiatus super litigiosis sui beneficii proventibus transigere valeat?

℟. Pacto transactionis perpetuo, quo etiam Successores obligentur, absque Ordinarii vel Episcopi consensu transigere nequit: attamen ad tempus vitæ licitè transigit, ita, ut obligatio sit solùm personalis, nec Ecclesiam, vel Successores afficiat. *Cap. de cætero. 5. cap. Veniens. 8. de transact.*

Quæres *quartò*. An super litigioso beneficio fieri possit transactio?

℟. Nulla transactio super beneficio Ecclesiastico vel alia quâlibet re spiri-

tuali fieri potest, ita, ut unus beneficium retineat, qui alteri det, aut aliquid temporale promittat. *Cap. super eo. 7. cap. præterea. 10. de transact. cap. fin. de rerum permut.* Talis enim conventio vel Simoniaca est, vel saltem speciem habet Simoniæ. *Cap. constitutus. 4. de transact.* Attamen, accedente Judicis Ecclesiastici authoritate, super lite beneficiaria talis compositio fieri potest, ut una pars beneficium retineat, alteri verò parti pro cessione juris sui dubii annua pensio spiritualis sive Ecclesiastica, qualis ob spirituale officium dari solet, assignetur. Aliud est de pensione merè temporali, qualis authoritate etiam Superioris permitti non potest, ut litigans cedat liti in juris sui dubii compensationem. *Cap. cum pridem. 4. de pactis.*

Quæres *quintò*. An super matrimonio controverso transigi possit?

℟. Quia jure divino insolubile est matrimonii vinculum, super eo transactio, aut quævis amicabilis compositio in præjudicium matrimonii contracti fieri nequit. *Cap. fin. de transactionib.* Nihilominus transactio fieri potest, si illa non tendat ad dissolutionem, sed ad stabiliendum matrimonium, de quo controversia, an legitimè sit contractum, dummodo Canonicum non subsit impedimentum.

Quæres *sextò*. An super crimine transigi valeat?

℟. Super crimine publico capitali, cui pœna Capitis vel Sanguinis est infligenda, transigere licet. Per *l. transigere. 18. C. de transact.* Nam cuique quovis modo Sanguinem suum redimere licet, dando videlicet Adversario pecuniam, ut ab accusando desistat. De aliis criminibus, quibus pœna Sanguinis non debetur, transigere non licet, ne crimina in boni communis præjudicium maneant impunita.

Quæres *septimò*. In quibus causis civilibus locum non habet transactio?

℟. In his duabus *1mò*. De iis, quæ in testamento vel codicillo sunt relicta, non potest fieri transactio, nisi coram Judice inspectis & cognitis testamenti verbis. *2dò*. De alimentis futuris quivis ultimâ voluntate relictis, ne contenti modico de præsenti facilè sibi relictis renuntient, & exinde contra voluntatem testatoris egere incipiant, quibus testator alimenta providendo de vitæ necessariis voluit esse prospectum. *L. alimentis. 8. C. de transact. l. cum hi. 8. ff. eod. tit.*

Quæres *octavò*. An transactio de futuris alimentis, aut de iis, quæ testamento sunt relicta, juramento confirmetur?

℟. *Affirmat*. Quia hujusmodi transactio non est intrinsecè mala, nec peccandi præbet occasionem, sed ob utilitatem privatorum solùm est prohibita; quia homines pro modico præsenti jus ad futura remittere solent.

Quæres *nonò*. Qualiter transactio interpretanda?

℟. Est strictè interpretanda: ideóque si transactio fiat de re aliqua certa una, vel pluribus in particulari, ad

res

res non expressas haud extendi debet; nisi accessoriæ fuerint aut connexæ. Eodem modo transactio ab una persona ad aliam non expressam nunquam est extendenda.

Quæres *decimò*. Ex quibus causis transactio rescinditur?

R. Ex sequentibus. *1mò*. Si ex metu injusto gravi transactio facta. *L. interpositas. 13. C. de transact.* *2dò*. Si dolo sit extorta, tunc per actionem de dolo rescindi potest. *L. sub prætextu. 19. & l. si de falsis. 42. C. de transact.* *3tiò*. Ob intervenientem errorem substantialem. *4tò*. Mutuo transigentium consensu, quia res per quascunque causas nascitur, per easdem etiam dissolvitur. *5tò*. Per errorem calculi, nisi etiam super hoc errore fuerit transactum. *L. unic. de errore calculi.*

Quæres *undecimò*. An pars transigens ob inventas probationes novas à transactione recedere possit?

R. *Negativè*. Omnes enim probationes, instrumenta, aliáque partium jura in contrarium allata post finitam transactionem irrita sunt & inania; etiamsi inter partes hoc non fuerit conventum. *Cap. 1. de transact.* Quamvis fortè per incuriam, negligentiam, aut imperitiam in transactione aliquis error juris vel facti sit commissus.

Quæres *duodecimò*. An illa, quo mediante transactio facta, transactionis testis esse valeat?

R. Quamvis, qui Advocatus vel Procurator fuit, in eadem causa testis esse non possit, *cap. fin. de testib. in 6.* Advocatus tamen in causa principali unius ex litigantibus, si causa per transactionem terminetur, transactionis hujusmodi testis esse potest. *Cap. ex literis. 6. de transact.* Ratio est: quia talis in eadem causa testis & Advocatus non est, cum lis sit finita, nec prius præstitit Patrocinium super transactione, sed super principali controversia, quâ per transactionem finitâ, super ipsa testatur transactione.

* * *

(o)

TITULUS V.

DE

ARBITRIS.

SI partes super re controversa paciſci & tranſigere nolint, ſuper eſt adhuc unum medium, quo proceſſum judiciarium declinare poſſunt, videlicet compromittendo in aliquem vel aliquos, qui arbitri vocantur. De quibus

QUæres *primò*. Quid eſt Arbiter?

R. Arbiter dicitur ab arbitrando, cenſendo vel æſtimando. Latiùs ſumptus dicitur omnis ille arbiter, qui ad negotium æſtimandum & terminandum conſtituitur. Strictiùs arbiter ſive compromiſſarius eſt iis, qui ex partium voluntate & compromiſſo ad litem conſtituitur dirimendam. *Cap. cum olim. 7. cap. expoſita. cap. cum à nobis. 13. de Arbitris.*

Quæres *ſecundò*. Quomodo arbiter diſtinguitur ab arbitratore?

R. Simpliciter dicitur arbiter, in quem ita expreſsè vel tacitè compromiſſum, ut in cauſa ſibi commiſſa ſervato juris Ordine & forma judicii procedere ac pronuntiare debeat. Talis arbitri ſentimentum vel arbitrium *Laudum* appellatur. Arbitrator eſt, in quem à partibus ita compromittitur, ut ſine juris Ordine cauſam cognoſcat & examinet, ac de illa arbitretur aut ſtatuat, ſicut ipſi æquum viſum fuerit. Talis arbitratoris ſentimentum vocatur *Arbitramentum*. Arbitratores ſæpe aſſumuntur ad expedienda negotia extrajudicialia, ut ſi in contractu emptionis taxatio pretii arbitrio tertii relinquatur, aut ſi partes conveniant, ut pro injuria vel damno illato lædens tantùm det, quantùm tertius fuerit arbitratus. Exemplum eſt in *cap. quinta vallis. 23. de Jurejur.* Hunc reducuntur mediatores vel amicabiles compoſitores, qui in pronuntiando non ad merita cauſæ, ſed potiùs ad hoc, ut partes extra judicium publicum ad pacem & concordiam inducant, attendere debent. Hi in duplici ſunt differentia: alii ex compromiſſo in eos facto à partibus eliguntur, ut amicabiliter inter eas rem componant, & ad pacem reducant: alii nullo præcedente compromiſſo vel partium pacto, aut ſponte, aut ex mandato Principis, aut ex rogatu partium interveniunt, ut partes amicabiliter componant, & tunc illorum arbitrium nullam vim habet, niſi partes liberè in illud conſentiant.

Quæres *tertiò*. Quotuplex eſt arbiter?

R. Alius

℟. Alius est necessarius, qui ex præscripto legis, vel jussione Judicis à partibus eligitur. Talis est, qui recusato eligitur Judice, ut de causa suspicionis cognoscat. *Cap. secundò. §. tertiò. 41. cap. cum speciali. 61. de Appellat. cap. legitima. eod. in 6. cap. si quis contra. 4. de foro compet. cap. suspicionis. 39. de Offic. delegat. cap. ab arbitris. 11. eod. in 6.* Arbiter liber & voluntarius est, qui sponte & nullo jubente ex libero partium consensu constituitur. Differentia inter Arbitros liberos & necessarios hæc est: *1mò.* Arbiter necessarius, aut arbiter juris à lege jurisdictionem habet ad expedienda omnia, quæ ad causam finiendam sunt necessaria: unde partibus terminum peremptorium præfigere, testes citare & compellere, contumaces punire potest. Arbiter autem voluntarius nullam obtinet jurisdictionem: ideóque testes nec compellendi, nec contumaces puniendi habet facultatem. *2dò.* Arbiter necessarius vel juris ad suscipiendum arbitri munus cogi potest. *Cap. cum speciali. cit.* Ex necessitate enim & legis præcepto assumitur, ac jurisdictionem habet: Arbiter verò liber ad acceptandum compromissum compelli nequit; postquam tamen illud acceptavit, ad implendum susceptum in se officium cogi potest. *3tiò.* Ab arbitro necessario ad eum, qui juri vel statuto præsidet, vel qui ad eligendos arbitros compulit, appellari potest. *Cit. cap. ab Arbitris. 11. de Offic. delegat. in 6. junct. Gloss. V. ad Appellandum.* Ab arbitro voluntario appellari nequit: quia cum partes arbitrum sponte elegerint, & ad standum arbitrio ejus se se obligaverint, illud non impugnare, sed sibi potius imputare debent, quod in eum ultrò consenserint. *Gloss. loc. cit.*

Quæres *quartò.* Quot Arbitri sunt eligendi?

℟. Arbitri in dispari numero sunt eligendi, illisque dissentientibus majoris partis prævalet sententia. *Cap. sanè. 1. cap. dilecti. 4. cap. cum tempore. 5. cap. innotuit. 12. cap. cum à nobis. 13. de Arbitris. cap. 1. & 2. eod. in 6. cit. cap. cum speciali. 61. de Appell.* Nam cum homines faciles sint ad dissentiendum, si Arbitri sint numero impari, compromissum facilius suum habebit effectum. Quamvis illud in numero pari factum valeat. *Cap. non sine. 2. cap. innotuit. 12. de Arbitris.* Si arbitri sint pares, ut si duo, & hi dissentiant, eligendus est tertius. *Cit. cap. cum speciali.* Sed à quo eligendus est tertius? ℟. Si partes ab initio in duos compromittentes facultatem dederunt, ut arbitri certam personam in casu discordiæ eligerent; tunc ad illos tertii pertinet electio: si autem certam personam non designaverunt, compromissum non subsistit; quia in eligendo tertio arbitri quoque possunt esse discordes. *Cit. cap. innotuit.* Notabilis est casus in *cap. à nobis. 13. de Arbitris.* Ubi in arbitrum eligitur Cardinalis cum potestate, ut eligat duos mediatores, per quos causa tractetur. Si arbitri sint discordes in majori quantitate, conveniant tamen in minori, quan-

quantùm ad quantitatem minorem valebit arbitrium. Ut : Debitor & creditor ſuper quantitate ſolvenda diſcordes tres eligunt arbitros, qui quantitatem ſolutionis determinent. Primus debitorem ſex, ſecundus novem, tertius duodecim ſolvere debere arbitratur : hic cum omnes conveniant in ſolvendis ſex (minor enim numerus includitur in majori) arbitrium ad ſolvendos ſex valebit. Eſt expreſſus textus in *cap. 1. de arbitris. in 6.*

Quæres *quintò*. Qui poſſunt eſſe arbitri ?

℟. Omnes in arbitros eligi poſſunt, quos jus expreſsè recipi non prohibet. De jure autem prohibentur *Primò* Servus. *L. 7. ff. de receptis qui arbitrium. Secundò* minor 20. annis. *L. 41. ff. ibid. Tertiò* ſurdus, mutus, furioſus, & mente captus. *L. 9. ff. ibid. Quartò* mulier. *L. fin. C. de receptis arbitr.* Ea enim ſicut non poteſt eſſe Judex, ita quoque in ipſam compromitti nequit : niſi de jure communi, aut ſecundùm regionis conſuetudinem juriſdictionem exerceret. Ut eſt textus notabilis in *cap. dilecti. 4. de arbitris. Quintò.* Laicus ſolus in cauſa merè ſpirituali arbiter eſſe non poteſt *cap. contingit. 8. de arbitr.* ne laicorum arbitrio talia diſponantur, in quibus eos manet neceſſitas obſequendi, non authoritas imperandi. *can. benè. 1. diſt. 96.* Juxta *cap.* tamen *per tuas. 9. de arbitris.* in cauſa ſpirituali in Clericum ſimul & Laicum compromitti poteſt ; quia dignus ad ſe trahit minùs dignum : imò in ſolum Laicum in cauſa temporali, quæ inter duos Clericos aut duas Eccleſias verſatur, de licentia Ordinarii fieri poteſt compromiſſum. *cap. dilecti. 4. cap. expoſita 11. de arbitris. Sextò.* Religioſus nonniſi ad utilitatem ſui Monaſterii de Prælati licentia arbiter eſſe poteſt. *can. de præſentium. 20. cauſ. 16. q. 1. Septimò.* Notoriè excommunicatus.

Quæres *ſextò*. An Judex ordinarius in cauſa, in qua ordinarius eſt, ex electione partium arbiter eſſe poſſit?

℟. De Jure civili videtur, quod non, Ex *L. ſed ſi in ſervum. 9. ff. de recep. arbitr.* ibi : Si quis Judex ſit, arbitrium recipere ejus rei, de qua Judex eſt, invè ſe compromitti jubere prohibetur Lege Julia : & ſi ſententiam dixerit, non eſt danda pœnæ executio. De Jure autem Canonico videtur, quod ita. *cap. cum olim. 7. de arbitris.* Concordant textus in *cap. cauſam. 8. de elect. cap. literas. 14. de præſumpt. cap. niſi eſſent. 21. de præbend.* Jus civile cum canonico concordatur, quod in tali caſu ſit potiùs arbitrator vel amicabilis compoſitor, quàm arbiter, juxta *Gloſſ. in cit. L. 9. ff. de recept. arbitris.* & innuere videtur *cit. cap. niſi eſſent.* Ubi poſtquam Judices delegati, in quos à partibus compromiſſum fuerat, arbitrium ſuum ediderunt, ita inquit Pontifex: *Cùm in delegatos fuerit compromiſſum, qui authoritatem ſibi retinendo commiſſam, ſe pro bono pacis & utilitatis hoc ordinaſſe fatentur.*

Quæres *ſeptimò*. Quinam arbitros eligere poſſunt ?

℟. De

℟. De Jure civili prohibentur compromittere servi. *L. non distinguemus.32. §. si servus. ff. de recept. arbitr.* Item pupilli & minores absquè Tutoris & Curatoris authoritate. Omnes qui contrahere possunt, liberamque rerum suarum habent administrationem, etiam compromittere valent; quia compromissum est species conventionis ad alienationem tendens. Ex quo neque Tutor neque Curator sine Jndicis decreto in arbitros consentire potest. De Jure canonico compromittere prohibentur *primò* Beneficiatus, cui in præjudicium sui Beneficii aut Ecclesiæ compromittendi adempta potestas. *cap. pervenit. 3. de arbitris.* 2*dò*. Religiosus sine Superioris sui licentia. *can. placuit. 8. caus. 16. q. 1.* 3*tiò* Procurator sine speciali mandato in arbitros consentire nequit, nisi sit Procurator in rem suam, vel mandatum generale cum libera habeat. *cap. per tuas 9. de arbitris.*

Quæres *octavò*. Quæ causæ compromitti possunt?

℟. Omnes, quæ à Jure non excipiuntur. Quædam autem causæ excipiuntur: ut *primò* causa criminalis. Crimina enim privato non sunt remittenda arbitrio, sed publicâ authoritate vindicanda. *cap. causa. 9. de in integrum restitut.* 2*dò* causa matrimonialis; quia aliàs conjuges facilè compromitterent, ut à vinculo matrimonii absolverentur. *cit. cap. causa.* 3*tiò* causa libertatis, *cit. cap. causa.* 4*tò* causa exemptionis, ne jus eximentis per sententiam arbitrorum ex facto lædatur exempti. *cap. cum tempore. 5. de arbitris. cap. cum venissent. 2. de in integ. restitut. cap. cum olim 14. de privileg. cap. suborta. 21. de sentent. & re judicat.* 5*tò* res judicata. Quia interest Reipubl. lites semel Judicis sententiâ decisas & sopitas non resuscitare. *cap. exposita. 11. de arbitris.* 6*tò* causa restitutionis in integrum. *L. fin. C. ubi & apud quem cognitio &c.* 7*timò* demum compromissio in quibuscunque causis arduis & magni præjudicii fieri non potest. *D. D. in cap. causa. 9. de in integrum restitutione.*

Quæres *nonò*. Quæ arbitrorum potestas?

℟. Tota arbitri potestas ex compromisso dependet: ideoque non datur coram arbitro locus reconventionis, sicut tenet reconventio actoris coram Judice delegato; quia jurisdictio delegata de jure est: arbitrium autem procedit ex mero facto, ac sola compromittentium voluntate. *cap. cum dilectus. 6. de arbitris.* Si tamen incidenter aliquid emergat à principali negotio dependens, de illo cognoscere potest: ut si restitutio in integrum petatur, arbiter eam concedere potest. *cit. cap. causa. 9. de in integrum &c.* Item de exceptionibus, quæ causæ impediunt cognitionem, de expensis litis, de fructibus perceptis &c.

Quæres *decimò*. Quâ formâ laudum ab arbitro pronuntiandum?

℟. Servari debet ordo judicialis: nempe offerendus est libellus, instituenda litis contestatio, per quam interrumpitur præscriptio, jurandum de calumnia; sententia sive laudum in scriptis

coram compromittentibus ferendum; nisi compromissum specialiter expressum habeat, quod utrâque parte vel alterâ earum absente causa definiri possit. *L. diem proferre, 27. §. si quis. ff. de recept. arbitris.*

Quæres *undecimò.* Quis laudi sive sententiæ arbitrorum effectus?

℟. *primò.* Arbitrium à compromittentibus servandum; nisi vel Arbitri formam & limites compromissi excesserint, *cap. per tuas. 9. de arbitris.* vel arbitrium peccatum aut quid turpe & inhonestum per partes non remissibile contineat, *cap. non sine. 2. cap. pervenit. 3. de arbitris.* vel arbitri corrupti fuerint, aut dolus malus ex parte ejus vel adversarii intervenerit: *L. ita demum. 31. ff. de receptis arbitr.* vel formam judicii non servaverint; quia compromissum ad similitudinem judiciorum redigitur, & ad finiendas lites pertinet.

Secundò. Arbitrium à partibus compromittentibus emologatum, id est, receptum aut approbatum vel expressè, vel tacitè (si nempe partes infra decem dies arbitrio non contradixerint) non ab arbitris, sed Judice interpellato executioni est mandandum; etsi compromissum v. g. ex defectu mandati nullum fuerit. *cap. per tuas. 9. de arbitris. L. cum antea. 5. §. sin autem. C. de recept. arbitr.*

Tertiò. Si compromissum in arbitros factum pœnâ, sine juramento, transgressori adjectâ: tunc is, qui sententiæ arbitrorum stare recusat, pœnam solvere tenetur; quâ solutâ ad obsevantiam arbitrii cogi non potest. *cit. cap. per tuas.* Quod si compromisso adjectum juramentum, vel addita clausula: *rato nihilominus compromisso:* pœnam solvere non sufficit, sed laudo standum est. *arg. cap. non sine. 2. de arbitris.* Porrò quamvis à laudo vel arbitrio voluntarii arbitri non detur appellatio: per arbitrium tamen gravato aliqua supersunt media: ut de jure civili exceptio doli, si sententia per sordes, dolum vel fraudem prolata. *L. non distinguemus. 32. ff. de recept. arbitris.* De jure canonico ad arbitrium boni viri reductio.

Quæres *duodecimò.* Quomodo cessat compromissum?

℟. Morte arbitrorum aut unius eorum, item decedentibus litigatoribus, vel uno eorum finitur compromissum, nec ad hæredes transit, nisi aliter in compromisso caveatur. *cap. ex parte. 10. cap. fin. de arbitris. cap. uno. 42. de offic. deleg.* Ratio est: quia stricti juris est compromissum: ideoque de casu ad casum, nec de persona ad personam extenditur. Notanda hìc est differentia inter Judices arbitros & delegatos: si plures arbitri v. g. tres absolutè constituti: tunc si unus arbitrorum monitus procedere, & negotio interesse nolit, nihilominus alii arbitrium ferre possunt: si verò ex Judicibus delegatis absolutè unus cognoscere recuset, alii absolutè dati procedere nequeunt. *cap. 2. de arbitr. in 6.*

TITU-

TITULUS VI.

DE

In Jus vocando sive Citatione.

QUæres *primò*. Quid est Citatio?

℟. Est legitima ad Judicem Juris super re certa experiendi causa vocatio.

Quæres *secundò*. Quàm necessaria est citatio?

℟. Citatio est totius processûs fundamentum, & tam necessaria, ut nec per supremum Principem omitti possit; cum nec Pontifex nec Imperator contra citatum non pronuntiare valeat. Si omissâ citatione in causa fuerit processum, sententia indè secuta est ipso jure nulla, nec unquam in rem judicatam transibit. *Clement. pastoralis. 2. de sentent. & re judicat. cap. inter quatuor. 8. de majorit. & obedient.* ibi: Juris namque ratio postulat, ut in eorum præjudicium nihil ordinemus, cùm nec citati sint nec convicti, nec per contumaciam se absentent. In *cap. susceptis. 1. de caus. possess. & propriet.* Summus Potifex fatetur: nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire. Quin in *Can. DEUS omnipotens. 20. caus. 2. q. 1.* Supremus rerum omnium arbiter DEUS citatione uti voluit, priusquam crimina Sodomorum puniret; non quod aliquid sibi foret incognitum, sed ut Judicibus hujus sæculi in sententiis proferendis exemplum daret.

Quæres *tertiò*. Quotuplex citatio?

℟. Alia publica, alia privata. Publica, quæ etiam edictalis nuncupatur, fit illo casu, quo reus dolosè latet, ut reperiri nequeat; tunc enim citationem in loco publico affigi sufficit. *cap. cum dilecti. 6. de dolo & contum. Clement. 1. de Judiciis. Clement. multorum. 2. de pœnis.* Citatio privata alia realis, quando persona citanda ex decreto Judicis injectâ manu apprehenditur, & ab apparitoribus Judici sistitur: alia verbalis, quæ fit aut vivâ voce per nuntium, aut per literas ad reum à Judice directas. Rursus citatio alia simplex, alia pœnalis, alia peremptoria. Pœnalis est, quæ fit adjectâ pœnâ, quam non comparens solvere obligatur: peremptoria est, quæ fit sub comminatione incurrendi contumaciam, nisi reus compareat, & non decernitur nisi duæ simplices citationes præcesserint, idque vel in Decretis separatis, vel in uno tribus Decretis æquivalente, videlicet

dum reus uno Judicis Decreto ter citatur, & ipsi pro primo termino certum spatium, aliud pro secundo, & aliud pro tertio assignatur. Lapso hoc termino peremptorio in contumaciam ad partis proceditur instantiam.

Quæres *quartò*. Quæ ad citationem requiruntur?

R. De forma citationis sunt *primò*, ut in ea exprimatur nomen actoris. *Secundò*, nomen Judicis, ut citatus dignoscere valeat, an competens existat. *Tertiò*, locus judicii, ut citatus scire queat, an ad judicium securus pateat accessus. *Quartò*, nomen rei citandi. *Quintò*, causa litis, ut citatus sciat, super re conveniatur. *Sextò*, dies & terminus comparendi; si enim ad diem festum citatio facta fuisset, reus comparere non obligaretur, nisi citationi inserta esset hæc clausula: si dies, ad quam pars citata, non sit juridica, proximâ futurâ juridicâ compareat.

Quæres *quintò*. Quas partes habeat citatio?

R. Sequentes. 1. Petitio actoris Judici præsentata. 2. Decretum Judicis, ut reus juxta petitionem actoris citetur. 3. Insinuatio citationis reo facta, quæ ipsi citando, vel si nequeat, uni ex familiaribus illius fieri debet; si hoc fieri non possit, citatio in loco, in quo citandus habitat, aut si ad eum tutus non pateat aditus, in loco viciniori affigitur. 4. Relatio citationis, factâ enim rei citatione nuntius executionis suæ relationem facere debet, quæ à Notario in acta authenticè referenda, ut Judex cognoscere valeat, an rite & secundùm formam mandati seu commissionis suæ nuntius citationem sit executus. Et hæc relatio est pars substantialis, sine qua processus non subsistit. Apparitoris autem insinuationem esse factam creditur relationi.

Quæres *sextò*. Quomodo à citatione incipit judicium?

R. Juxta *L. 1. C. de judiciis, junct. Gloss. V. judicio cœpto.* quamvis ad præparatoria judicii pertineat citatio, lis tamen à citatione incipit, etsi reus post citationem factam per exceptiones litem differre possit.

Quæres *septimò*. Quid si quis à non proprio Judice citatus?

R. Juxta *L. si quis ex aliena. 5. ff. de judic.* Si notorium, non esse Judicem, comparere non obligatur: si dubium, comparere, & contra Judicis incompetentiam excipere debet.

Quæres *octavò*. Quis citare potest?

R. Judex ordinarius non tantùm verbaliter, sed etiam realiter citare potest, maximè in causa criminali, si reus de fuga fuerit suspectus.

Quæres *nonò*. In quo loco citatio fieri debet?

R. Citatio in loco jurisdictioni Judicis citantis subjecto est insinuanda: quare nuntius etiam publicus commissam sibi citationem extra territorium Judicis citantis exequi non potest. Per *Clement. pastoralis. 2. de sentent. & re judicat.* Ratio est: quia citatio ejusque insinuatio est actus jurisdictionis contentiosæ, qui in alieno territorio exerceri

ceri nequit. *Cap. fin. de Conſtitut. in 6.* & ex eodem capite citari ſolùm poteſt ille, qui citantis ſubjectus eſt juriſdictioni.

Quæres *decimò*. In quibus caſibus citatio haud neceſſaria?

℟. Si crimen notorium, ita ut negari nequeat, nec ullus defenſionis ſit locus, aut aliàs etiam reus præſens in judicio exiſtat, de jure naturæ citatio neceſſaria non eſt; ideóque ſi ſit cauſa privilegiata, in qua judiciarius omittitur ordo, prætermitti poteſt citatio.

Quæres *undecimò*. Quis finis citationis?

℟. Ut reus contra petitionem actoris ſe defendat, & ne inauditus condemnetur.

Quæres *duodecimò*. Qui citationis effectus?

℟. Sequentes: *1mò*. Citatio ad comparendum arctat citatum, niſi ex juſta cauſa excuſetur, alias ſi non compareat, tanquam contumax punitur, & contra contumacem quaſi præſentem proceditur. *2dò*. Delegati perpetuat juriſdictionem, ita ut morte delegantis non exſpiret; Decretâ enim citatione res non amplius eſt integra. *Cap. gratum. 20. de Offic. delegat. 3tiò*. Litis pendentiam ad eum inducit effectum, ut lite pendente nihil poſſit innovari. *Clement. 2. ut lite pendente. junct. Gloſſ. 4tò*. Operatur præventionem in cauſa, videlicet, quando in eadem cauſa diverſorum Judicum concurrunt juriſdictiones; tunc apud illum Judicem cauſa eſt præventa, qui primò reum citavit. *5tò*. Præſcriptionem interrumpit.

* *
*

(o)

TITULUS VII.

DE

Dolo & Contumacia.

QUæres *primò*. Quid sunt dolus & contumacia ?

R. 1*mò*. Dolus est machinatio quædam, cum aliud agitur, aliud simulatur. Alius est bonus, aliùs malus. Bonus est solertia, quâ quis machinatur aliquid contra hostes, ut eorum injurias excludat, uti in *Can. Dominus. 2. caus. 23. q. 2.* Suscipiens justum bellum, sivè apertâ pugnâ, sive insidiis vincat, nihil ad justitiam interest, juxta illud vulgatum :

An dolus, an virtus vincat, quis in hoste requirat ?

Dolus malus est calliditas vel machinatio adhibita ad circumveniendum, fallendum & decipiendum proximum. Calliditas committitur tacendo, vel dissimulando : fallaciæ decipiendo mendaciis. Machinatio per occultas insidias. 2*dò*. Contumacia dicitur à contemnendo. Si enim pars litigans legitimo Judicis non obsequatur mandato, Judicem contemnere, & contumax esse censetur. Unde contumacia est inobedientia contra legitimum Judicem in iis, quæ ad judicium pertinent, commissa. Colligitur ex *l. contumacia. 53. ff. de re judicata.* ibi : Contumaces non videntur, nisi qui cum obedire deberent, non obsequuntur, id est : qui ad jurisdictionem ejus, cui negant obsequi, pertinent.

Quæres *secundò*. Quotuplex contumacia ?

R. Vera, ficta aut præsumpta, & manifesta. *Gloss. in Clement. unic. de dolo & contumac. Clement. 1. de judic.* Contumacia vera est, quando citatio insinuata reo, qui in termino peremptorie non comparet. Contumacia ficta vel præsumpta est, quando citatio reo insinuari non potuit, sed fuit intimata ad ædes, aut quando per edictum citatus fuit. Contumacia manifesta est, quando constat reum aut citatum nullam excusationis causam habere, quare non compareat : aut si citatus nolle se comparere dixerit : aut si à Decreto interlocutorio frivolè appellaverit ; tunc quamdiu appellationi non renuntiat, manifestè contumax existit.

Quæres *tertiò*. Quibus modis committitur contumacia ?

R. Plures sunt contumaciæ species, his Versibus expressæ à *Gloss. in cap. ex literis. 2. de Dolo & contumac. verbo contumaciter.*

Non veniens, non restituens, citiùsque recedens.

Nil

Nil dicens, pignúsque tenens, juraréque nolens.
Obscuréque loquens, isti sunt jure rebelles.

Vel brevius à *Gloss. in cap. quoniam. 5. ut lite non contestat. Verb. impedit.*

Casibus in tribus quis dicitur esse rebellis:
Impedit, occultat, jußis parere recusat.

1ma. Contumacia in veniendo est, quando quis tribus edictis vel uno pro tribus, quod vulgò peremptorium appellatur, evocatus præsentiam suam facere contemnit. *cit. l. contumacia. 53. ff. de re judicata.* Exempla sunt in *cap. ex literis. cap. cum dilecti. 6. de dolo & contumacia.* Quod intelligendum, si non impeditus fuerit; quia pœnam contumaciæ non patitur, quem adversa valetudo, vel majoris causæ occupatio defendit. *Cit. l. contumacia.* Quando non scitur, an citatio ad citati devenerit notitiam, citato non comparante, à jure contumacia interveniße censetur; nisi postea moram purget, & causam alleget, ac probet, quare non comparuerit.

2da. Contumacia in non restituendo. *L. qui restituere. 68. ff. de rei vindicatione.* 3tia. In respondendo committitur ab eo, qui ad mandatum Judicis non respondet, vel obscurè respondet, quod idem est, ac si non responderet. *L. de ætate. 11. §. qui tacent. ff. de interrogat. in jure faciend.* 4ta. In jurando, quando à Judice jurare jußus Juramentum recusat. *L. manifesta. 38. ff. de jurejur.* 5ta. Recedendo à judicio infecto negotio. Exempla sunt in *cap. prout nobis. 4. de dolo & contumac. cap. 1. de Judiciis. cap. constitutis. 12. de Procurat. Can. certum. 43. caus. 11. q. 3. Can. si quis autem. 12. dist. 18.*

Quæres *quartò*. Quid, si reus contumax ante litem contestatam?

R. Si ante litem contestatam reus sit contumax, non comparendo, Actor in rei petitæ, vel bonorum rei mittitur possessionem. *Cap. ex literis. 2. de dolo contumac.* Judex etiam rem petitam sequestrare, & loco missionis in possessionem sequestrum decernere potest. *Cit. cap. ex literis.*

Quæres *quintò*. Quid in causa beneficiali?

R. Si agitur de beneficio, & reus sit contumax, Actor in possessionem non mittitur, sed reus per censuras Ecclesiasticas est compellendus. *Cap. finem. 5. de dolo & contumac. Cap. unic. de eo qui mittitur in possess. in 6.*

Quæres *sextò*. Quid si reus contumax post litem contestatam?

R. Tunc Judex actore petente, receptis testibus & probationibus, si de meritis causæ liquet, sententiâ suâ litem terminare: aut si de meritis causæ non liquet, actorem in possessionem ex secundo Decreto mittere potest, servatâ tamen reo absenti proprietatis quæstione. *Cap. prout nobis. 4. de dolo & contum.*

Quæres *septimò*. Quid si Actor contumax ante litem contestatam?

R. Actor contumax ante litem contesta-

testatam in expensas condemnatur, citatio rei ad instantiam actoris contumacis facta circumvenitur, & si rursus citari reum petat, non auditur, nisi de sistendo se judicio sufficienter caveat. *Cap.* 1. *de dolo & contumac. in* 6.

Quæres *octavò*. Quid si Actor contumax post oblatum libellum?

℟. Si post oblatum libellum Actor non compareat, Judex auditis & receptis præsentis & hoc postulantis rei testibus, si causa ipsius rectè probata fuerit, ad sententiam definitivam procedere, vel si causa rei non satis liquet, illum ab hac instantia absolvere potest. *Cap. causam.* 3. *de dolo & contumac.* Salvo tamen actori jure suo, & facultate de novo agendi, novâque utendi instantiâ, cum refusione prioris instantiæ expensarum, & cautione de sistendo.

Quæres *nonò*. Quibus aliis pœnis punitur contumacia?

℟. Imprimis generale est, quod contumax ad expensas, quas parti adversæ per contumaciam causavit, ante omnia sit condemnandus. *Cap. cum dilecti.* 6. *de dolo & contumac.* Deinde sequestro rei controversæ puniri potest. *Cap. ex literis.* 2. *de dolo & contumac.* Item per censuras & excommunicationem, ut à contumacia desistat, & pareat, compelli potest. *Cap. veritatis.* 8. *de dolo & contum. cap. tuæ Fraternitatis.* 3. *ut lite non contestatâ. Trident. Sess.* 25. *de Reform. cap.* 3. Demùm contumacia per missionem in possessionem ex primo, secundo, & tertio decreto justè punitur.

Quæres *decimò*. Quid est missio in possessionem ex primo Decreto?

℟. Reo contumace pars altera litigans ex primo Judicis decreto in possessionem bonorum contumacis mittitur. Cujus primi decreti hic est effectus: Missus in possessionem ex primo Decreto nec proprietatem, nec possessionem, nec commoda possessionis, sed nudam tantùm rei detentionem habet, ita, ut non tam Possessor, quàm custos rei existat. *Cap. contingit.* 9. *de dolo & contum. cap. fin. de eo qui mittitur in possess.* Unde Judex in mittendo in possessionem ex primo Decreto festinare non debet, ut notat *Gloss. in cap. tuæ Fraternitatis.* 3. *ut lite non contestat. Verb. inducendus. & in cap. contingit.* 9. *de dolo & contumac. Verb. causa rei servandæ.* Sed prius causam summatim examinare debet, antequam in possessionem mittat; quia si reus justam absentiæ causam probaverit, restituitur, uti etiam, si absque legitimo impedimento absens intra annum comparuerit, præstitâ cautione de sistendo se judicio, & exhibitâ congruâ expensarum satisfactione. Imò si contumax missum ex primo Decreto in possessionem impediverit, ne illam consequeretur, aut consecutum expulerit, si intra annum compareat, nullâ aliâ punitur pœnâ, sed præstitâ cautione de standō judicio, & datâ expensarum refusione, de æquitate Juris Canonici retinet possessionem. *Cap.* 1. *de dolo & contumac.* Quæ-

Quæres *undecimò*. Quid est missio in possessionem ex secundo Decreto?

℟. Quod si misso actore in possessionem ex primo Decreto reus Anno elapso adhuc contumax persistat, vel taliter in possessionem Missum ab ea consequenda impediat, si actio realis fuerit, absque ulteriori Judicis Decreto Actor re ipsâ fit verus Possessor, & commodis gaudet possessionis. *Cap. 1. de eo, qui mittitur in possessionem. cap. contingit. 9. de dolo & contumac.* Si actio personalis, per secundum Judicis Decretum verus fit Possessor, nec reo postmodum comparente possessio restituitur, sed solùm reservata manet actio de proprietate. Fit autem hæc secunda immissio in actione reali in rei petitæ vel controversæ possessionem: in actione personali in bonorum ipsius rei priùs mobilium, vel si his careat, etiam immobilium possessionem. *Cap. fin. §. in aliis. ut lite non contest.* Demum contumaciâ crescente, & reo etiam hoc modo non parente Actor rem per sententiam sibi petit adjudicari. Quam sententiam Juristæ tertium vocant Decretum.

Quæres *duodecimo*. An contumax condemnatus appellare valeat?

℟. Si contumacia manifesta, ut quia à sententia inter locutoria frivolè appellavit, potest ad definitivam Judex procedere sententiam, à qua appellans non auditur. Si contumacia non sit manifesta, coram Judice *ad quem* prius purgare debet contumaciam, quâ purgatâ appellationem prosequendi habet libertatem. *Clement. unic. de dolo & contumac.*

* *
*

TITULUS VIII.

DE
Libelli Oblatione.

SI reus legitimè citatus in judicio per se vel Procuratorem suum compareat, neque de Judicis, ad quem citatus, incompetentia excipiat, aut ejus jurisdictionem declinet, Actor Judici libellum offert, vel ante oblatum reproducit, & illius copiam reo communicat, ut is sciat, quid ab eo petatur, & declarare possit, an liti cedere, an contendere velit, & super quo exceptiones ac defensiones suas firmare & fundare debeat.

QUæres *primò*. Quid est libellus?

℟. Libellus est editio actionis futuræ litis speciem continens. *L. 3. de edend.* Seu est brevis scriptura claram Actoris intentionem continens, & contra adversarium necessariò concludens.

Quæres *secundò*. Quotuplex libellus;

℟. Dividitur libellus in civilem, sive conventionalem, aut postulatorium, qui in civilibus datur quæstionibus, in quo Actor rem suam, vel quam sibi deberi existimat, à Judice petit, *cap. fin. de libelli oblation.* & criminalem sive accusatorium, qui in criminalibus porrigitur causis, in quo delictum ad afflictivam corporis pœnam, vel pecuniariam mulctam fisco applicandam ad Judicem defertur. De quo in *cap. qualiter & quando. 24. de accusat.*

Quæres *tertiò*. Quis finis libelli?

℟. Duplex est. Primò quidem Judex ex libello scire debet, de quo judicandum, cum juxta petitionem in libello contentam à Judice sententia vel condemnatoria vel absolutoria sit ferenda. *Cit. cap. qualiter. & quando. cap. licet Heli. 31. de Simon.* Deinde reus ex libello, deliberatione habitâ, cognoscere debet, an actori rem petitam cedere, vel cum eodem judicio contendere velit. *Can. induciæ. 3. caus. 3. q. 3.* Ex his capitibus libellus in principio causæ Judici offerendus, per quem communicatio libelli reo decernenda. *L. 1. ff. de edendo.*

Quæres *quartò*. An libellus in scriptis exhibendus?

℟. *Affirmativè*. Quia juxta *cap. quoniam. 11. de probat.* ne falsitas veritati præjudicet, aut iniquitas prævaleat æquitati, Judex adhibere debet aut publicam, si potest, habere personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa judicii acta conscribant, videlicet

licet citationes, dilationes, &c. ideóque etiam libellus in scriptis est dandus, *Cap. 1. de oblat. Libelli.* & actis causæ inserendus.

Quæres *quintò*. In quibus causis omitti potest libellus?

R. Omnes causæ, quæ cum ordine judiciario cognoscendæ, libellum requirunt, qui est principium & fundamentum litis. Quædam tamen sunt, in quibus libellus non est necessariò in scriptis exhibendus, ut *1mò* in iis, in quibus de plano, summariè, absque strepitu & figura judicii proceditur. *Clement. 2. de V. S.* *2dò*. In causis modicæ æstimationis inter rusticos, pauperes, personas viles &c. *3tiò*. In multis locis consuetudine inductum est, ut etiam in judicio Ordinario, id est, in quo ordo judiciarius à jure præscriptus observatur, libellus scriptus non offeratur, sed coram Judice nudis verbis causa proponatur, eáque à Notario actis inserantur, quod tunc sufficit: juri enim scripto derogat fori consuetudo. *L. 3. §. fin. ff. de testib.*

Quæres *sextò*. Quas libellus requirit conditiones?

R. Tres. 1. Debet esse brevis, hoc est: rejectis superfluis solùm contineat ea, quæ si probentur, ad intentionem Actoris contra reum faciunt. 2. Sit clarus sine æquivocatione, generalitate, ad rem certam determinatus. *Cap. significantibus. 2. de libelli oblat.* Cum enim sententia certa & libello conformis esse debeat, si in hoc res incerta petatur, incerta sequetur sententia, ut enim dicit Alexand. III. in *cap. de muliere. 6. de Sponsal.* Quia certum nihil nobis expressisti, nihil certum inde tibi possumus respondere. In certis tamen casibus libellus generalis vel alternativus esse potest. Generalis, quando illa, quæ petuntur, non sunt satìs certa, nisi de illis prius cognoscatur; ut in petitione fructuum, expensarum, damni & interesse, ad quod pro majori cautela addi solent similes clausulæ: cum expensis factis & faciendis omni meliori modo & forma, quo de jure, Statuto, vel consuetudine fieri solet & debet, petendo sibi jus administrari, implorando desuper officium Judicis &c. Alternativus esse potest, quando reo datur electio, ut Actor læsus ultra dimidium petat vel supplementum pretii, vel restitutionem rei venditæ: Creditor petit vel debitum solvi, vel pignus dari: Spoliatus repetit rem suam, si adhuc existat, aut pretium, si consumpta fuerit. *3tiò*. Libellus omnia, quæ de jure sunt exprimenda, continere debet.

Quæres *septimò*. Quæ de jure in libello sunt exprimenda?

R. Exprimenda est *1mò* res, quæ petitur. *2dò*. Nomen actoris & rei. *3tiò*. Causa petendi. *4tò*. Coram quo Judice petatur. *Gloss. in cap. 1. de Libell. oblat. Verb. libellum reclamationis.* Quæ comprehenduntur sequentibus Versibus:

Conventi nomen, & nomen convenientis,

Judicis & nomen scribet, causamque petendi,
Et quascunque petet res, istas scribere debet.

Quæres *octavò*. Qualiter res petita est exprimenda ?

R. Res petita specificè exprimenda est : an tota petatur, an ejus pars, & quota pars. *L. si in rem. 6. ff. de rei vindicat. cap. significantibus, 2. de Libell. oblat.*

Quæres *nonò*. Qualiter causa petitionis exprimenda ?

Pro quo distinguendum est : alia causa petitionis remota, alia proxima. Causa petitionis proxima est jus in re, vel jus ad rem, ex quo Actor reum convenit. Causa remota est titulus, ex quo Actor jus in re, vel jus ad rem acquisivit, ex quo reum Actor convenit. Hoc supposito.

R. Distinguendo : In actione reali sufficit, quod causa petendi proxima, sive rei Dominium, vel quasi Dominium exprimatur ; quia expressâ causâ proximâ, dum peto rem, quæ mea aut jure Dominii aut quasi Dominii, sufficienter reus instruitur, ut deliberare valeat, an cedere vel contendere velit.

2*dò*. In actione personali etiam causa remota petendi, sive titulus, ex quo in reo illud, quod petitur, concedendi nascitur obligatio, in quo libello est exprimenda. Uti : peto 100. à reo, quæ debet ex mutuo, depositio, vel venditione, alioquin reus respondere & litem contestari non tenetur. *Cap. dilecti. 3. de oblat. libelli.* Ratio disparitatis est ; quod res nonnisi ex una causa nostra esse possit. *L. possideri. 3. §. 4. ff. de acquirend. vel amittend. possess.* Obligationes verò personales non sunt omnes ejusdem rationis, sed pro diversitate titulorum variantur. Hinc causæ remotæ exprimendæ, ut Judici de natura obligationis constet, & reus probationes paratas habere possit ; cum respectu obligationis ex uno contractu possit ipsi competere exceptio, quæ non competit ex altero : in actione autem reali per expressionem causæ proximæ videlicet Dominii reus sufficienter instruitur, cum sciat se Actori rem, cujus Dominium prætendit, restituere debere, ex quacunque demum causa ei Dominium contingat.

Quæres *decimò*. Quæ forma libelli ?

R. Libellus in forma cujusdam syllogismi exhibendus est. 1*mò*. Factum exponitur, quod habet locum majoris. 2*dò*. Ex facto narratur causa emergens : Ex quo 3*tiò*. fit conclusio vel petitio, Ut Titius spoliatus format hunc libellum : 1*mò*. Exponit, qualiter à Cajo è domo sua violenter sit ejectus. 2*dò*. subjungit : Cum autem nullus in pacifica possessione sit turbandus, vel si turbatus, ante omnia restituendus ; Ideo 3*tiò*. petit, quatenus Judex spoliatum restituere, & spoliatori restitutionem damni inde exorti, & lucri cessantis, eúmque in expensas condemnare velit.

Quæres

Quæres *undecimò*. An actor libellum mutare possit ?

℟. Actor porrectum libellum tam in causis civilibus quàm criminalibus ante litis contestationem mutandi habet facultatem. *L. edita. 3. C. de edendo.* Post litis contestationem Actor libellum substantialiter mutare nequit. *Arg. L. non potest. 23. ff. de judic.* Nisi inchoata novâ instantiâ novum cum refusione expensarum offerat libellum. *Cap. examinata. 15. de judit.* Quia libellus pro litis contestatione formatur, & in quasi contractum inter partes litigantes transire consuevit.

Quæres *duodecimò*. Quando libellus substantialiter mutari dicendus est ?

℟. Substantialiter mutatur libellus, quando actio in illo proposita, vel causa petendi in eo expressa variatur, & alia proponitur, aut à re petita receditur. Ut : quis dixit se se esse Dominum rei, & postea videns difficulter se posse probare Dominium, libellum mutat dicendo : sibi quasi Dominium competere. *Cap. Abbate. 3. de Sentent. & re judicata. in 6.* Accidentaliter emendatur & corrigitur libellus, quando vitium aliquod, vel obscuritas tollitur, vel aliquid additur, aut detrahitur, salvâ manente libelli substantiâ, ita, ut nec res petita, nec causa petendi varietur.

TITULUS IX.

DE

Mutuis Petitionibus.

Oblato Judici Actoris libello, per hunc reo communicando, interdum reus conventus vicissim aliquid ab actore petere, eúmque oblato libello reconvenire solet, præsertim quando compensationi locus non est, ut quia debitum ab utraque parte non est liquidum.

Quæres *primò*. Quid est mutua petitio ?

℟. Est conventio ex parte actoris, & reconventio ex parte rei, quâ reus oblato libello actoris vicissim ab actore aliquid exigit, coram eodem Judice, & in eodem judicio. Nam reo ad emanatam citationem comparenti communicatur libellus, & reus visâ petitione actoris eundem sæpe reconvenit, hoc est : ab actore aliquid sibi debere contendit, oblato reconventionis libello. Exemplum. Petrus oblato libello convenit Paulum, in quo Paulum

ad ſolvendum debitum ex mutuo contractum adſtringi poſtulat : Paulus viſo Petri libello eundem oblato libello reconvenit, in quo Petrum ad ſolvendum debitum ex venditione expreſſarum ædium contractum à Judice petit adſtringi. Fundatur hæc reconventio tam in Jure Canonico quàm civili, *Cap. 1. & 2. de mutuis petitionibus. cap. 2. & fin. de ord. cognition. cap. diſpendia. 3. §. reus quoque. de Reſcript. in 6. Clement. ſæpe. 2. de V. S. L. cum Papianus. 14. junctâ authent. & conſequenter. C. de Sentent. & interlocut. om. judic.*

Quæres *ſecundò*. Quis finis mutuæ petitionis ?

R. Favor tam rei, quàm Actoris. *1mò*. Eſt in favorem rei, quia cum Actor coram illo Judice ſibi jus dici velit, in cauſa reconventionis eundem habere Judicem pati debet. *Can. Accuſatores. 1. cauſ. 3. q. 8.* Cujus enim quis in agendo obſervat arbitrium, eum habere & contra ſe Judicem in eodem negotio non dedignetur. Inquit *cit. lex. Papianus. 2dò*. Eſt in favorem actoris. Quia reus apud eundem Judicem, & non apud alium durante eadem judicio actorem reconvenire poteſt, ne actor in diverſis inſtantiis coram diverſis Judicibus in proſequenda actione ſua perturbetur. *Cit. cap. diſpendia. 3. de reſcript. in 6.*

Quæres *tertiò*. Qui mutuæ petitionis effectus ?

R. Tres ſequentes : *1mus* Actoris ad reſpondendum libello rei obligatio. Judex enim Actorem cogere debet, ut & ipſi reo ad reconventionem ſuam reſpondeat, ut ſic utraque cauſa tractetur, eadémque finiatur ſententia ; quod ſi Actor ad reconventionem rei reſpondere detrectat, nec ipſe reus ad reſpondendum cogitur. *2dus*. Juriſdictionis prorogatio ; quia Actor per reconventionem alienæ ſubjicitur juriſdictioni, ita, ut coram eo Judice, quem agendo in ſua culpa approbavit, judicium reconventionis ſubire debeat, nec velut incompetentem recuſare valeat. *3tiùs*. Proceſſus ſimultaneus ; cauſa enim reconventionis ſimul cum cauſa conventionis eſt tractanda.

Quæres *quartò*. Quis ex litigantibus alterum reconvenire poteſt ?

R. Solus reus. Actor enim reum, à quo fuit reconventus, iterum in alia cauſa reconvenire non poteſt. *Gloſſ. in cap. 2. de mutuis petition. Verb. eodem modo.*

Quæres *quintò*. An quilibet reus Actorem reconvenire poſſit ?

R. Quilibet, dummodo in judicio Actor eſſe valeat : ideo excommunicatus, quamvis contra Actorem ſe defendendo excipere poſſit ; eum tamen coram eodem Judice in alia cauſa reconvenire nequit, cum perſonam Actoris ſuſtinere non poſſit. *Cap. cum inter. 5. de except.*

Quæres *ſextò*. An coram Judice delegato fieri poſſit reconventio ?

R. *Affirmativè*. ex *cap. 1. de mutuis petition.* Solet hæc fieri exceptio : Si delegatus ad petitionem partis utriuſque datus fuerit, non habet locum re-

con-

conventio, quia cessat ejus causa; cum non magis Actor, quàm reus Judicem elegerit. Coram arbitris quoque non subsistit reconventio.

Quæres *septimò*. An coram Judice prorogato fieri possit reconventio?

℟. *Affirmativè*. Dummodò causa, super qua fit reconventio, non sit specie diversa ab illis causis, de quibus Judex prorogatus cognoscere potest. Sic reus conventus coram Judice prorogato in causa civili, in criminali reconvenire nequit, si Judex solùm in civilibus judicandi habet potestatem. Nec obstat, quod Judex habens jurisdictionem super causa principali, incidentem quoque cognoscere possit, aliàs sui fori; causa autem recognitionis sit incidens & accessoria ad causam reconventionis. Quia hoc verum est, si causa incidens causæ principali ita sit accessorla, ut hæc sine illa terminari nequeat: sic autem necessariò connexæ non sunt causæ con- & reconventionis.

Quæres *octavò*. An Laicus coram Judice Laico à Clerico in causa civili conventus Clericum in simili causa civili coram eodem Judice Laico reconvenire possit?

℟. D. D. in hæc quæstione non conveniunt. *Gloss. in cap. 1. de mutuis petit. Verb. super suis quæstionibus.* & *in cap. etsi Clerici. 4. de Judiciis.* Respondet Affirmativè. Quia per Regulam Generalem ex reconventione fit Judex, qui aliàs in reconventum nullam habebat jurisdictionem. Et ratio naturalis suadet, ut Clericus in eodem judicio satisfaciat Laico, in quo contra eundem actionem intentavit. Ad quod respondet sententia adversa regulam illam locum habere, si Judex conventionis in actorem convenientem capax sit jurisdictionis, cujus in Clericum Laicus incapax est.

Quæres *nonò*. An etiam in causa, quæ summariè tractanda, locum habeat reconventio?

℟. *Affirmativè*. Ex *Clement. 2. §. verùm. de V. S.* sive utraque causa sit summaria, sive una sit summaria & altera ordinaria.

Quæres *decimò*. In quibus causis locum non habet reconventio?

℟. In sequentibus: *1mò*. In causa depositi non datur reconventio. *Cap. bona fides. 2. de deposito. L. 11. C. de deposito.* Ubi dicitur: Depositarium contra repetentem depositum nullam actionem sive personalem sive realem aut hypothecariam, imò nec compensationem objicere posse, quominus depositum illicò restituat. *2dò*. In causa executiva, sive executionem paratam habente, v. g. Debiti confessati: quia hujusmodi causæ certæ sunt & liquidæ. *3tiò*. In causa spolii; quia spoliatus ante omnia restituendus est, nec adversario respondere tenetur, antequam sit restitutus. *Can. redintegranda, 4. caus. 3. q. 1. cap. 1. de restitut. Spoliator. in 6.* *4tò*. In causa appellationis; quia adversarius Victor in prima instantia appellantem coram Judice appellationis reconvenire non potest;

Judex

Judex enim appellationis in aliis, quàm ex prima instantia ad se devolutis se se intromittere non potest. *5tò.* In causa criminali, in qua accusatus accusatorem pendente judicio criminali reconvenire nequit, nec civiliter, cum causa criminalis velut major absorbeat civilem, *l. fin. cod. de Ordine judiciorum.* Nec criminaliter, quia non relatione criminis, sed innocentiâ suâ reus purgatur, nec ante potest accusare, quàm fuerit excusatus; nisi reus conveniendo criminaliter, vel majus crimen, vel suam aut suorum injuriam prosequatur. *6tò.* Demum in nulla causa reconventio locum habet, de qua Judex ex natura sua partibus etiam consentientibus cognoscere non potest: Veluti in causa Spirituali, in qua coram Laico tanquam jurisdictionis spiritualis incapace reconventio non permittitur; cum non persona actoris, sed qualitas causæ eundem Judicem dedignetur.

Quæres *undecimò.* Quando reconventio proponenda?

℟. In exordio litis, ante litem contestatam. Et tunc Judex utramque causam con- & reconventionis eâdem Sententiâ terminare debet. Quamvis etiam durante eodem judicio post litem contestatam, antequam in causa concluſum, reconventio fieri possit. Quo casu reconventione seriùs propositâ conventio deciditur, reconventione manente in litis pendentia, nec interea reus actorem apud alium Judicem convenire potest.

Quæres *duodecimò.* Quâ formâ & modo in reconventione procedendum?

℟. Modus procedendi, qui in causa conventionis ex impetrato observatur rescripto, etiam in causa reconventionis est observandus. *Cap. prudentiam. 2. de mutuis petition.* Ideóque si causa conventionis commissa additâ clausulâ: *Appellatione remotâ.* Etiam causa reconventionis remotâ appellatione est terminanda.

* * *

TITU-

TITULUS DECIMUS

DE

LITIS CONTESTATIONE.

POst factam ab actore, vel etiam vicissim à reo, si is actorem reconvenire voluerit, libelli oblationem concessis necessariis induciis & dilationibus ad deliberandum, an contendere velit, sequitur litis contestatio De qua

Quæres *primo.* Quid est litis contestatio? ℟. Est responsio affirmativa vel negativa rei ad petitionem actoris in judicio animo litigandi. *Cap. unic. de litis contestatione. junct. Gloss.* Dicitur *1mo: Responsio affirmativa vel negativa.* Quia contestatio non tantùm negativè, vel negando simpliciter narrata & petita, vel negando cum reduplicatione: uti narrantur, & petuntur: sed etiam per confessionem affirmativè fieri potest, quâ reus petitum quidem fatetur, sed exceptionem intentionis actoris exclusivam apponit. Pro exemplo: Actor mutuatas sibi pecunias reddi petit: reus quidem mutuatas pecunias accepisse re fatetur, sed debitum esse solutum, vel desuper transactum opponit, quæ receptio à reo probanda erit, in exceptionibus enim oppositis reus personam gerit actoris, *L. in exceptionibus 19. ff. de probat.* Dicitur *2do. Ad petitionem actoris.* Quia petitio actoris debet præcedere litis contestationem: ideóque per solam narrationem facti, & positiones, quæ ab actore fiunt, ac responsionem rei ad illas non inducitur litis contestatio, *cit. cap. unic. h. t.* qui enim tantùm narrat, aut aliquid ponit, ab adversario nihil petit, nec per hoc animam litigandi se habere demonstrat, unde nec Judex ferre potest sententiam. Dicitur *3tio. In judicio.* Quia contradictio, cùm totius fundamentum judicii èxistat, in judicio fieri debet. Dicitur *4to. Animo litigandi.* Hinc litis contestatio non est, si reus absolutè & simpliciter intentionem fateatur Actoris: tunc enim lis non est, consequenter nec litis contestatio, item si reus Actori exceptionem dilatoriam opponat, *Cap. inter monasterium. 20. de sentent. & re judicat.* aut peremptoriam objiciat exceptionem. *Cap. si oblato. 2. h. t. in 1.* Ratio est: quia litis contestatio petitione actoris & rei contradictione inducitur. *cap. uni. de litis contestat.* atqui exceptionem opponens nec negat nec fatetur actoris intentionem, juxta *Regul. Judis. 63. Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri, de reg. Juris in 6.* Sed nudè se exceptione munitum esse tantùm affirmat. Item si reus expressè pro-

protestetur se non animo litigandi, sed potiùs Judicem informandi causâ actori respondere, per talem protestationem ob defectum intentionis litigandi impeditur litis contestatio.

Quæres *secundo*. Qualiter necessaria ad judicium litis contestatio?

℟. Distinguendo. Vel in causa ordinariè, vel summariè & de plano proceditur. In processu ordinario solemnis requiritùr litis contestatio, hoc est: quæ verbis præscriptis juxta stylum Curiæ concipitur: quod adeò necessarium, ut illâ omissâ processus totus reddatur invalidus; *cap. unic. de litis contestat.* quia litis contestatio judicii basis est & fundamentum, quo deficiente nihil potest ædificari. *arg. can. cum Paulus. 26. caus. 1. q. 1.* In processu summario sufficit simplex litis contestatio, qualis est omnis actus, quo primùm merita causæ tractari incipiunt; ut est responsio ad remipsam, oblatio articulorum, productio testium.

Quæres *tertio*. Quos ex parte judicii effectus habet litis contestatio.

℟. Si sit Judex delegatus, ipsius perpetuat jurisdictionem: si sit incompetens, prorogat jurisdictionem: si sit suspectus, facit illum irrecusabilem, nisi novâ superveniente suspicionis causâ.

Quæres *quarto*. Quos effectus ex parte litigantium habet litis contestatio?

℟. Post litis contestationem partes litigantes & mutuo consensu ad hanc judicii instantiam ita obligantur, ut neutra pars alterâ invitâ à judicio recedere possit. Deinde post litem contetatam exceptiones fori declinatorias ampliùs opponere nequeunt. *3tio.* Per litis contestationem interrumpitur præscriptio, & possessor constituitur in mala fide quoad perceptionem fructuum, quos à die litis contestatæ non ampliùs lucratur. Demùm si pars litigans post litis contestationem contumaciter sese absentet, ad definitivam proceditur sententiam.

Quæres *quinto*. An probationes ante litis cotestationem recipi valeant?

℟. *negativè*. Ut enim dicitur in *rubrica lib. 2. tit. 6. ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam.* Hæc rubrica generatim dat regulam, & pro lege in causarum decisione citari potest; quia, ut dicunt Jurisconsulti, quando rubrica sensum reddit perfectum, jus facit, maximè si incipiat per particulam: *ut*, aut *ne*. Ratio hujus regulæ est: quia lite nondum contestatâ exstat in judicio, super quo testes produci possint: nihil etiam petitum, super quo sententia ferri queat: nec ante litis contestationem lis incepta dici potest: nec actor aliquid petiit, sed tantùm petere voluit.

Quæres *sexto*. Quando Judex in causa criminali ante litem contestatam testes examinare possit?

℟. Judex nullâ attentâ litis contestatione tam in inquisitione generali quàm speciali testes recipere & examinare potest, si criminosus, contra quem præcedente infamiâ aliisque sufficientibus indiciis determinatè inquiritur contumaciter sese absentet. *Cap. quoniam 5. ut lite non contest.*

Quæ-

Quæres *septimo*. Quando actor absque litis contestatione receptionem testium petere potest?

℟. Actor absque litis contestatione in causa civili non criminali receptionem testium obtinere potest, si metuat, ne testes interea, dum litis exspectatur contestatio, propter senium, infirmitatem, &c. moriantur, aut ad probandam veritatem impediantur; si pars conventa sit contumax, vel absque malitia absens, ut conveniri nequeat, *cit. cap. quoniam.*

Quæres *octavo*. Quando reus ante litis contestationem testium receptionem petere potest?

℟. Reus, qui se ab alio conveniendum timet, ante litem contestatam quoscunque testes ad perpetuam rei memoriam, ut loquuntur Juristæ, & futuram sui defensionem producere potest, si talem exceptionem vel defensionem habet, quam per modum actionis proponere nequit; tunc enim, quando conveniatur, in rei non est potestate: ideóque ne fortè dolo actor exspectet, donec testes, per quos reus exceptionem suam probare potest, deficiant, reus ad perpetuam rei memoriam testes offerendi habet facultatem; quo casu depositiones testium statim sunt publicandæ, & in publicam instrumenti formam redigendæ. *Cap. significavit. 41. cap. Albericus. 43. de testib.*

Quæres *nono*. Quando in causa matrimoniali absque litis contestatione testes recipiendi?

℟. Ob favorem causæ matrimonialis lite non contestatâ testes recipiuntur *1mo*, si moveatur quæstio, an matrimonium ob impedimentum dirimens subsistat, & reus citatus contumaciter non compareat. Ratio est: ne alteri conjugi fornicationis præbeatur occasio. *cit. cap. quoniam, 5. §. porrò speciales. cit. lite non contest.* Secus est, si non de valore matrimonii, sed de separatione thori vel divortio ob adulterium agatur. *Cap. 1. ut lite non contest. 2do.* Quamvis de valore agatur matrimonii, si reus conventus non absit contumaciter, sed ex causa justa, exspectandus est absens, & receptio testium lite non contestatâ irrita est & inanis, *Cap. accedens. 4. ut lite non contest.*

Quæres *decimo*. Quid in causa matrimonii spiritualis?

℟. Si de valore electionis aut Ecclesiæ provisione agitur, & reus contumaciter absit, ne propter longiorem moram Ecclesia detrimentum patiatur, si contumax non compareat, in quem actio dirigenda, sive quia peremptoriâ citatione receptâ venire contemnit, vel quia malitiosè seipsum occultat, sive quia impedit, ne ad ipsum citatio venire possit, tunc testes lite non contestatâ admittuntur. *cit. cap. quoniam. §. porrò speciales.* Si verò absque culpa abest, est distinguendum: vel enim matrimonium spirituale est contractum electione confirmatâ, & tunc exspectandus est reus; aut agitur de matrimonio spirituali contrahendo, quia is in Prælatum est electus, sed nondum confirmatus, & tunc per sex menses est exspectandus, juxta *cit. cap. quoniam.* Vel potiùs servandum est jus posterius statutum in *cap. cupientes. 16. de elect. in 6.*

Quæres *undecimo*. Quid in aliis causis, si reus contumax existit?

℟. In aliis causis si reus contumax testes super causa principali ante litis contestationem recipi nequeunt, sed poterit vel actor in possessionem mitti, vel reus excommunicari, si causa talis, ut missio in possessionem bonorum locum non habeat. *Cap. tuæ fraternitatis. 3. ut lite non contestatâ.* Dixi: *super causa principali.* Quia ante litem contestatam super exceptionibus dilatoriis testes admittuntur. *cap. exhibita. 19. de judiciis.* Item super quæstione incidente & emergente, v. g. ut probetur, an citatio ad reum pervenerit, licitè recipiuntur.

Quæres *duodecimo*. Quid si delegato causa taliter commissa, & parte citatâ non comparente, nihilominus in negotio procedat, & probationes testésque recipiat?

℟. Tunc testes adhuc lite non contestatâ recipere non potest *extra* casus in jure expressos. *Cap. causam. 18. de rescript.*

TITULUS UNDECIMUS.

DE

JURAMENTO CALUMNIÆ.

POstquam Juris bellum per litis contestationem est inceptum, ut fraudes removeantur, & ne actor vexandi solùm causâ, vel reus differendæ solùm solutionis gratiâ litem sustinere & fovere videatur, à partibus exigitur juramentum calumniæ. De quo

Quæres *primo*. Quid est juramentum calumniæ?

℟. Est juramentum, quod utraque pars in principio litis post litem contestatam præstat, jurando sese bonâ fide ad judicium venire, actor ad agendum, & reus ad se defendendum.

Quæres *secundo*. Quæ capita calumniæ continet juramentum?

℟. Quinque sequentia: *1mo.* Quod pars se bonam causam fovere credat. *2do.* Quod interrogatus non negavit, quæ vera esse credit. *3tio.* Quod falsâ probatione scienter non utetur. *4to.* Quod non petet dilationem in fraudem. *5to.* Quod nec dedit, nec dabit, nec promisit, nec promittet aliquid pro hac causa, nisi illis personis, quibus leges dari permittunt. *Gloss. in aap. 1. h. t. v. calumniæ juramentum.* ubi hi versus:

Illud juretur, quod lis sibi justa videtur,
Et si quæretur, verum non inficietur,
Nil promittetur, nec falsa probatio detur,
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

Quæ-

Quæres *tertio.* An de necessitate formæ judicialis sit juramenti calumniæ exactio?

℟. Juxta leges civiles in *cap. 1. de jaram. calum.* approbatas omnes principales personæ in primo litis exordio juramentum calumniæ subire debent. Si tamen omissum in tota causa calumniæ juramentum, judicialis processus aliàs factus legitimè non est nullus, nec etiam annullandus. *Cap. 1. §. propter. de juram. calum. in 6.*

Quæres *quarto.* An Clericus juramentum calumniæ præstare teneatur?

℟. Clerici in propriis causis juramentum calumniæ præstare debent. *Cap. cæterùm. 5. h. t.* in causis suæ Ecclesiæ id per alium præstare possunt. *cap. 1. h. t.* Si litiget coram Judice non suo, ut coram Laico, tunc inconsulto Prælato suo juramentum calumniæ edicere non potest. *cit. cap. 1.*

Quæres *quinto.* An hoc juramentum in propria persona exsolvere partes obligentur?

℟. *negativè.* Juxta *cap. fin. de juram. calum. in 6.* Sed si Procurator ad præstandum hoc juramentum mandatum habeat speciale, pro principali admittitur, non autem si solùm ad lites mandato provisus sit generali. In causa Universitatis, ut Monasterii, Collegii, vel Oeconomus, qui juramentum præstet, est constituendus, *cap. Imperatorum. 4. de juram. calumn.* Vel ipse Prælatus aut bonorum administrator jurare debet. *cap. edoceri. 21. de rescript.*

Quæres *sexto.* Qualiter à Procuratore præstandum calumniæ juramentum?

℟. Syndicus Universitatis sine speciali mandato in animam propriam tantùm jurat de calumnia. *Cap. in pertractandis. 3. de juram. calum. junct. gloss. v. in animam jurantis.* Procurator verò speciale habens mandatum aliàs in animam Domini jurat. *Cap. Procurat. 38. de elect. in 6.* Attamen ad evitandas fraudes & in Domini, & in propriam animam jurare debet. *Cap. in appellationis. 2. §. Procuratores. h. t.*

Quæres *septimo.* An in causa spirituali jurandum de calumnia?

℟. Olim in causis spiritualibus non juxta districtum legum rigorem, sed secundùm canonicam procedebatur æquitatem, & ideò juramentum calumniæ non exigebatur, *Cap. literas. 2. h. t.* sed quia experientia docuit, quod etiam in causis spiritualibus homines sint malitiosi, & frequenter calumnientur, etiam in his hoc juramentum exigitur. *Cap. 1. §. quamvis. h. t. in 6.*

Quæres *octavo.* Qualiter de calumnia jurat Episcopus?

℟. Si ipsemet in judicio præsens, in persona jurare debet. Non tamen requiritur, ut tactis juret Evangeliis, sed sufficit, quod propositis: uti etiam Sacerdor tacto jurat pectore. Si per Syndicum agit, ipse juramentum præstare tenetur. *Cap. fin. h. t.*

Quæres *nono.* Quæ pœnæ jurare recusantis?

℟. Pœna recusantis juramentam est, ut actor ab instituta cadat actione, reus autem haberi debeat pro confesso. *cit. cap. fin. §. pœna.*

Quæres *decimo*. An partes juramentum calumniæ sibi invicem remittere valeant?

℟. Tacitè remittere possunt, juramentum non urgendo; cùm enim hoc juramentum de ordinis judicarii non sit substantia, perinde est, sive in initio litis, sive in progressu exigatur. Expressè tamen juramentum remittere non possunt, quia non pro commodo privatorum, sed pro communi utilitate, cui pactis partium renuntiari nequit, hoc juramentum introductum esse noscitur.

Quæres *undecimo*. An in causa appellationis iterum à partibus præstandum hoc juramentum, quamvis in prima instantia præstitum fuerit?

℟. *affirmativè*. Est expressus textus *in cap. in appellationis. t. h. in 6.*

Quæres *duodecimo*. An Judex præter juramentum calumniæ à partibus juramentum malitiæ exigere possit?

℟. In omnibus causis, ante & post litem contestatam, sive de veritate dicenda, sive de calumnia fuerit juratum, Judex juramemtum malitiæ à partibus exigere potest, quoties id expedire viderit. *cit. cap. in appellationis. 2. §. omnibus*, ut si v. g. suspicetur, quod malitiosè proponatur exceptio, frivolè petatur dilatio, &c.

TITULUS DUODECIMUS.

DE

DILATIONIBUS.

JUramento calumniæ utrimque præstito litigantes inducias & dilationes ad probandum & excipiendum petere solent. Dilatio est temporis concessio, inter quod aliquis ex litigantibus ad actum quendam judicialem sese præparare possit. Dilationes aliæ sunt legales, sive à lege concessæ: aliæ conventionales, quæ ex partium dantur consensu: aliæ judiciales, quæ in judicio à Judice conceduntur. Item aliæ in litis exordio ante litis contestationem: aliæ in medio litis, post ejus contestationem, aliæ in fine dari consueverunt.

Quæres *primo*. Qualiter dilationes citatoriæ concedendæ?

℟. Dilationes citatoriæ sunt, quæ reo absenti citato ad comparendum & respondendum in judicio dantur, & hæ datæ cum termino peremptorio nimis breves esse non debent, nisi aliud exigat necessitas. *Cap. 1. de dilation.* Causæ ob quas dilationes citatoriæ abbreviari possunt, sunt: si periculum in mora; quia res, de qua agitur, aliàs peritura, aut magnis expensis conservanda foret.

foret. Si jurisdictio Judicis modico tempore duratura. Si agitur de causa alimentorum, cùm venter moram non patiatur.

Quæres *secundo*. An dilationes citatoriæ sint peremptoriæ?

R. Dilatio peremptoria est, quando elapso termino dilationis Judex ad ulteriora procedit, sive pars dilationem habens compareat, sive non. Non omnes dilationes citatoriæ sunt peremptoriæ, sed unâ dilatione concessâ, altera, & demum tertia, quæ est peremptoria, concedi debet. *L. ad peremptorium. 68. & seq. ff. de judic.* Judex tamen ex causa pro tribus citatoriis unam peremptoriam decernere potest, modò unica illa tantùm temporis includat, quantùm omnes citationes & edicta. *Gloss. in cap. 1. h. t. v. peremptorium.*

Quæres *tertio*. Si citatus peremptoriè ex uno capite ex alia causa de novo citetur, an nova dilatio concedenda?

R. *Arg. textûs* in *cap. exposuit. 4. h. t.* Si peremptoriè citatus ex una causa, de novo citetur ex alia causa, nova concedenda est dilatio.

Quæres *quarto*. Qualiter deliberatoriæ dantur dilationes?

R. Reo post oblatum libellum 20. dierum induciæ à die porrecti libelli dantur ad deliberandum, an litigare velit, vel non. Hæ tamen induciæ reo negantur *primo*, si per literas citatorias plenè super eo, de quo quæritur, instrui potuit, ut est exemplum in *cap. præterea, 2. h. t. Secundo*, quando in libello terminus generalis vel ambiguus est insertus, non datur ulterior dilatio deliberatoria, si reus non obstante ambiguitate & termini illius generalitate per cætera expressa sufficienter deliberare potuit. *Cap. literæ. 3. h. t.*

Quæres *quinto*. Quando conceduntur dilationes declinatoriæ?

R. Hæ, priusquam litis fiat contestatio, ad omnes exceptiones declinatorias aut dilatorias judicii conceduntur. *Cap. pastoralis. 4. de except.* Ut si reus Judicem tanquam suspectum recusare, aut rescriptum, per quod Judex datus, impugnare velit, &c.

Quæres *sexto*. Quando probatoriæ dantur dilationes?

R. In secunda parte judicii, nempe post litem contestatam & præstitum calumniæ juramentum actori ad articulos probatoriales & positiones formandas: reo ad respondendum & excipiendum dilationes probatoriæ proceduntur. Hæ dilationes in causis civilibus sunt peremptoriæ, etiamsi illud non exprimatur; si tamen justum allegatur & probetur impedimentum, quominùs intra terminum primæ dilationis actor probationem, vel reus exceptionem suam instituere non potuerit, Judex causâ cognitâ novam probatoriam concedere poterit dilationem.

Quæres *septimo*. Quomodò dantur dilationes allegatoriæ?

R. Judex partium probationibus & exceptionibus auditis, antequam ad definitivam procedat sententiam, partes, an quid amplius allegare vel proponere velint, interrogare debet, tunc si una pars ulterioribus allegationibus renuntiet, & altera pars plura proponere habeat,

habeat, eidem dilationes sive induciæ tres successivè, quarum singulæ 30. dies, sive unum mensem continent, ad allegandum conceduntur. *L. Judices. 9. junct. authxnt. jubemus. C. de judiciis.*

Quæres *octavo.* Quomodo definitivæ conceduntur dilationes?

℟. In tertia judicii parte definitoriæ & executoriæ conceduntur dilationes: Definitoriæ ad causam deficiendam, & hæ ex natura sua peremptoriæ non sunt, nisi cum peremptorio concedantur termino, ut si quis ad sententiam audiendam non venerit, Judex parte etiam absente pronuntiabit. *Cap. consuluit. 24. de offic. deleg.* Dilationes executoriæ reo condemnato ad satisfaciendum conceduntur, & quidem in actione personali quatuor mensium dantur induciæ. *Cap. quod ad consultationem. 15. de sentent. & re judic.* In actione reali datur dilatio executoria, si possessor se statim restituere posse neget, & per fidejussorem caveat: in actione criminali reo condemnato regulariter nulla datur executionis dilatio.

Quæres *nono.* Quomodo conceditur dilationis prorogatio?

℟. Antequam terminus dilationis sit elapsus, termini prorogatio sive dilationis nondum elapsæ petitur extensio, & hæc facilius conceditur, quàm nova post lapsum terminum dilatio.

Quæres *decimo.* Quis dilationis effectus?

℟. Præcipuus est, quod eâ pendente officium Judicis conquiescat, & interea super articulo dilationis nihil agendum sit, quamvis Judex super aliis procedere possit.

Quæres *undecimo.* Quando finitur dilatio?

℟. Propriè his tribus modis: *1mo.* Elapso termino, sive peremptorius sit, sive non, *2do.* Finitâ causâ seu sublato impedimento, ob quod dilatio data, cum sublatâ causâ cesset effectus. *3tio.* Si Judex dilationem revocaverit, aut coarctaverit.

Quæres *duodecimo.* Qualiter perimitur dilatio?

℟. Si alicui dilatio v. g. 20. dierum data, & pars dilatione gaudens istâ die compareat, dilatio dicitur esse peremptа, nec amplius Judicis conquiescit officium.

TITULUS

TITVLVS XIII.

DE

EXCEPTIONIBUS.

EXceptiones dilationum quandam præ se ferunt speciem; ideò Titulum hunc immediatè Titulo de dilationibus subjungimus, ut unum ex alio clarius pateſcat.

Quæres *primo*. Quid est exceptio?

℟. Est defensio competens reo adversus id, quod ab actore intenditur, sive ut dicitur §. *1. institut. canon. de except.* est exclusio actionis, quâ reus actionem contra se intentatam vel retardat, vel penitus elidit.

Quæres *secundo*. Quotuplex est exceptio.

℟. Alia est dilatoria & temporalis, alia peremptoria & perpetua. *L. 2. & 3. ff. de except.* Peremptoria in exceptionem Facti & Juris dividitur. Exceptio Facti est, quâ reus intentionem actoris nullo jure agentis excludit; ut si actor reum ratione debiti ex mutuo convenit, & reus se nunquam mutuum ab actore recepisse excipit. Exceptio Juris est, quâ reus excludit actionem jure quidem actori competentem, cujus tamen nomine reus iniquè condemnaretur, ut: actor convenit reum ratione debiti ex contractu promissionis: reus vi & metu extortam excipit promissionem.

Quæres *tertio*. Quæ exceptio dilatoria?

℟. Exceptio dilatoria jus actoris non omninò elidit & excludit, sed ad tempus solùm differt & suspendit. Hæc exceptio vel respicit personam Judicis, ut quod sit incompetens, vel suspectus; vel personam litigantis, ut quod actor pupillus, minor, excommunicatus, non habens personam standi in judicio: vel respicit personas in judicio accessorias, ut quod Procurator non habeat sufficiens mandatum: vel respicit locum & tempus judicii, ut quod ad judicii locum securus non pateat accessus, terminus sit nimis angustus, &c. Vel demùm ipsam respicit causam, ut diem solutionis nondum advenisse.

Quæres *quarto*. Quando dilatoriæ proponendæ sunt exceptiones?

℟. Regulariter ante litis contestationem, & intra terminum à Judice præfixum sunt proponendæ, colligitur ex *cap. pastoralis. 4. de except. cap. inter monasterium 20. de sentent. & re judic.* Ratio est: quia hæ exceptiones litis impediunt

pediunt ingressum ; qui igitur in principio has exceptiones non opponit, tacitè in judicium consentit. Tres casus in *cap. cit. pastoralis.* excipiuntur ; in quibus post evolutum terminum & litem jam contestatam exceptiones dilatoriæ admittuntur. *1mo* Quando reus de iis ex post proponendis expressè fuit protestatus. *2do* Quando exceptio competens ante litem contestatam ignorabatur, vel probari non poterat. *3tio* Quando exceptio ex facto aliquo post litem contestatam contingente orta fuit. quibus addendæ sunt exceptiones, quæ processum reddunt nullum : ut exceptio Judicis jurisdictione carentis, in quem partes consentire non possunt : exceptio falsi Procuratoris ; excommunicationis, &c. *Clement. unic. de except.* Imò hoc singulare in exceptione excommunicationis, quod illa usque ad sententiæ executionem semper opponi possit, & si à reo non sit oppositа, Judex ex officio excommunicatum repellendi habet authoritatem. *Cap. exceptionem. 12. h. t. cap. 1. eod. in 6.*

Quæres *quinto.* Quot sunt judicii dilationes?

℟. Dilatio est justum temporis spatium, quod ad actum quendam judicialem perficiendum actori vel reo conceditur, aut à lege, quæ legalis : aut ex partium conventione, quæ conventionalis : aut ex decreto Judicis, quæ judicialis appellatur. Sequentes habet species. *1ma* dilatio citatoria, quæ citatis & in jus vocatis datur, ut commodè ad judicium venire valeant. *2da* deliberatoria ; quæ datur reo, ut viso actoris libello deliberet, an liti cedere, aut contendere malit. *3tia* probatoria, quæ datur actori ad suam intentionem, & reo ad exceptionem probandam. *4ta* definitoria, data partibus ad audiendam sententiam. *5ta* executoria, condemnato ad solutionem faciendam concessa.

Quæres *sexto.* Quid si Judex non defert dilatoriæ exceptioni, dilationémque negat?

℟. Quod si dilatio injustè denegetur, aut terminus nimis arctus præfigatur, processus vitiatur. Quantum autem tempus singulæ dilationes continere debeant, de singulis à Jure Canonico non est determinatum, sed arbitrio prudentis relinquitur. Si datâ dilatione pars adveniente termino peremptorio contumaciter non compareat, mox ulterius proceditur prorogatione denegate : ut plenius dictum Tit. præcedente.

Quæres *septimo.* Quæ exceptiones premptoriæ ?

℟. Exceptiones peremptoriæ sunt, quæ jus actoris omninò tollunt, & actionem perimunt, sùntque in triplici plerumque differentia : quædam actionem aliquando ortam, sed nunc extinctam esse demonstrant, quæ dicuntur exceptiones litis finitæ, rei judicatæ, pacti de non petendo, transactionis, jurisjurandi, solutionis, præscriptionis, &c. Aliæ ostendunt actionem actori competentem elidi & perimi posse per exceptionem Juris, quales sunt exceptiones doli mali, metûs, erroris, &c. Quædam actionem nunquam ortam esse vel nunquam competivisse ostendunt, ut exceptiones facti, quibus excipitur nun-

nunquam contractum, legatum, donatum, &c. fuisse,

Quæres *octavo*, Quæ sunt exceptiones præjudiciales?

℟. Aliquando quædam in judicio incidunt, quæ definienda sunt, antequam in causa principali pronuntietur; & horum propositio præjudicialis appellatur exceptio, v. g. Mulier judicio petitorio agit ad vindicationem mariti, qui divortium fecit; ille autem excipit consanguinitatis intercedere impedimentum. Quinam verò in horum cognitione servandus sit ordo, statim dicemus in Titulo de ordine cognitionum.

Quæres *nono*, Quando exceptiones peremptoriæ proponendæ?

℟. Exceptiones peremptorias regulariter tam ante quàm post litem contestatam opponere licet.

Quæres *decimo*, Qualiter reus exceptionem probare tenetur?

℟. Quod si reus in exceptionis probatione deficiat, nihilominus actori intentio sua probanda incumbit. Quia qui exceptionem objicit, non ideò adversarii intentionem fateri videtur, ut expresè dicit Regula Juris 63. *de reg. jur. in 6. Exceptionem obiiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.* Et *cap. cum Venerabilis. 6. h. t.*

Quæres *undecimo*, An reo plures exceptiones facere permissum?

℟. Reo licet actori plures opponere exceptiones, vel simul, vel successivè: imò etiam & contrarias, modò alternativè proponat. Ut; actori agenti ex mutuo reus opponit, se non accepisse pecuniam, vel si acceperit, se jam solvisse: ubi exceptio non numeratæ pecuniæ contrariatur exceptioni factæ solutionis; alternativè tamen rectèroponitur.

Quæres *duodecimo*, Quid actor facit contra exceptionem?

℟. Exceptioni actor opponit replicationem, quâ rursus reum contra se excipientem repellit. Replicationi respondet reus per duplicam: duplicæ actor opponit triplicam; triplicationi actoris respondet reus per quadruplicam. In hac re tamen modum statuere ad Judicis pertinet officium, ne lis cum gravi partium damno in infinitum protrahatur.

TITVLVS XIV.

DE

FERIIS.

FEriæ sunt dies, in quibus à negotiis forensibus, seu actibus judicialibns cessatur; olim dictæ justitium, quod Jus sive Judicium tunc staret, ut dicitur solstitium, quando sol altius vel profundius non progreditur. Feriæ

aliæ sunt ordinariæ, legibus vel canonibus definitæ, quot annis recurrentes: Aliæ extraordinariæ seu repentinæ, quæ extra morem casu ob adventum Principis, reportatam Victoriam, nuptias vel natales Regios, &c. indicuntur. Ordinariæ aliæ sunt sacræ, aliæ profanæ: Sacræ, quæ ad DEI Sanctorúmque cultum sunt introductæ, de quibus *cap. fin. de Feriis.* Huc reducuntur nuptiarum Feriæ, quibus à nuptiis publicè & solemniter celebrandis abstinetur, de quibus in *cap. Capellanus. 4. h. t.* & sunt coarctatæ à *Trident. sess. 24. de reform. matrim. cap. 10.* Feriæ profanæ aliæ sunt ad utilitatem & necessitatem privatorum, ut feriæ messis, vindemiæ, nundinarum, &c. Aliæ ob utilitatem publicam, ut in die anniversaria coronationis Regiæ, &c.

Quæres *primo*. Quis sacras Ferias instituere potest?

℟. Pro tota Ecclesia solus Papa: pro sua Diœcesi Episcopi Clero & populo consentiente. *Can. 1. de consecr. dist. 3. cap. fin. de Feriis.* Regulares exempti Festa in Diœcesi ab Episcopo instituta servare tenentur per *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 12.* Urbanus VIII. in speciali constitutione novissimè dies Festos præter dominicas per totam Ecclesiam servandas determinavit, ac præterea ordinavit, ut unus ex principalioribus Patronis in quocunque regno vel Provincia, ac alterius principalioris Patroni in quacunque civitate, oppido vel pago dies festus feriari possit; reliquorum verò dierum observantiam, quandocunque sive in universa Ecclesia, sive in quovis Regno, Provincia, Diœcesi vel loco, aut ex præcepto, aut ex consuetudine, aut ex devotione fidelium introductam sub præcepto non obligare declaravit.

Quæres *secundo*. Quæ opera servilia in Feriis sacris prohibita?

℟. Prohibita sunt opera mechanica, quibus famulatus seu ministerium corporale aliis exhibetur, & à servis præstari solita, servilia nuncupantur, nisi propter necessitatem alimentorum, & circa res aliàs perituras permittantur. *Arg. cap. licet. 3. de Feriis.* Opera liberalia, quibus scilicet animus excolitur, & quæ ad cognitionem humanúmque convictum pertinent, ut studere, docere, scribere, &c. regulariter non prohibentur. Quamvis autem de jure communi dies Dominici & Festi à vesperis præcedentis diei incipiant, & terminantur in vesperis diei sequentis: *Cap. 1. de Feriis.* ex generali tamen consuetudine, quam sequendam monet *Cap. quoniam 2. h. t.* observantia diei Festi quoad cessationem ab operibus prohibitis incipit à media nocte, & durat usque ad medium noctis alterius.

Quæres *tertio*. Quinam actus liberales in Feriis sacris prohibentur?

℟. Juxta *Cap. 1. & cap. conquestus 5. h. t.* extra casum necessitatis aut pietatis prohibentur. *1mo.* Mercatus, hoc est, contractus emptionis, venditionis, locationis, conductionis, &c. maximè si publicè & cum solemnitate fiant, uti & nundinæ, expositiones mercium, &c. *2do.* Placitum seu judicium, id est, communis strepitus judicialis in causis

tàm

tàm civilibus quàm criminalibus, sive ad pecuniariam, sive ad pœnam agatur corporalem. *3tio.* Juramentum sive judiciale sive extrajudiciale, quo pacta vel conventiones firmantur.

Quæres *quarto.* An actus prohibiti in Feriis exerciti sint validi?

℟. Actus extrajudiciales, ut mercatus, contractus contra juris prohibitionem in die festo facti sunt validi; actus verò judiciales in die festo exerciti simul sunt invalidi; lex enim acta judicii in die festo irritat.

Quæres *quinto.* An actus jurisdictionis voluntariæ in die festo fieri possunt?

℟. *Affirmativè.* Tales sunt emancipare, manumittere, dispensare, absolvere, privilegia concedere, tutorem pupillo dare, ætatis veniam indulgere, Magistratum exercere, &c.

Quæres *sexto.* An coram arbitro judicium in die festo agitari valeat?

℟. Coram vero arbitro sive à Judice datus, sive à partibus sit electus, in die festo judicium institui nequit. *L. omnes dies. C. de Feriis.* Hic enim adinstar Judicis servato Juris ordine procedere debet: benè tamen coram arbitratore, qui pacem inter partes conciliat; fœdera enim & similia concordiæ pacta in die festo non inveniuntur prohibita.

Quæres *septimo.* An partes mutuo consensu feriis renuntiare valeant?

℟. Partes litigantes Feriis sacris aut profanis in utilitatem publicam introductis renuntiare nequeunt, benè tamen feriis rusticis, ut messium, vindemiarum, &c. quæ maximè ob privatorum institutæ sunt utilitatem.

Quæres *octavo.* An ab actore libellus in Feriis offerri possit?

℟. *Affirmativè.* Quia libelli oblatio, si citationem præcedat, judicialis non est actus. Ita etiam Judex inquisitionem ex officio, quæ citationem præcedit, in dié festo facere potest.

Quæres *nono.* An die feriato citatio fieri possit?

℟. Die feriato decerni citatio nequit, nec reus ut feriatâ die compareat, citari potest. Ideò Judex in decreto citationis clausulam addere solet, ut compareat ad diem trigesimam numerandam à die citationis intimatæ; quod si illa feriata, die non feriatâ proximè sequente. Attamen in die feriata licitè fit decretæ citationis intimatio: illa enim est extrajudicialis.

Quæres *decimo.* An testes die festo recipi queant?

℟. Testibus in die festo juramentum deferri nequit: attamen juxta plures præstito die non feriata de dicenda veritate juramento, eorum depositiones etiam in die festo recipi possunt.

Quæres *undecimo.* An in die festo possit fieri sententiæ executio?

℟. Quia executio sententiæ maximum habet strepitum, quamvis non sit actus propriè judicialis, die festo prohibita esse videtur. Dies enim festus tam semper est venerabilis & honorandus, ut à cunctis executionibus excusetur. *L. fin. C. de Feriis.* Sed neque reus capi aut incarcerari potest sive pro debito civili, sive pro crimine, nisi in mora sit periculum.

Quæres *duodecimo.* An in die festo appellari possit?

℟. Die festo appellare licet. Talis enim provocatio non est actus judicialis, sed ad naturalem pertinet defensionem. In die festo tamen non licet interpositam prosequi appellationem.

TITULUS XV.

DE

ORDINE COGNITIONUM ET PLUS PETITIONIBUS.

POst litem contestatam præstitum calumniæ juramentum, datas dilationes, evolutas ferias, reus vel per modum reconventionis actorem convenit, vel per modum exceptionis eidem respondet, unde fit, ut præter causam principalem aliæ causæ incidenter in judicium producantur; in quibus secundùm Regulas sequentes ordo est servandus.

Prima Quotiescunque causa una ab alia dependet, prius cognosci & pronuntiari debet super causa, à qua altera dependet, sive agendo, sive excipiendo proponatur

2da. Si neutra ab alia dependet, nec alteri præjudicat, & utraque sit principalis, prius proposita, prius est tractanda: si tamen ambæ criminales, major prius tractari debet.

3tia. Si una civilis, altera criminalis sit, arbitrio Judicis relinquitur, quænam præcedere, vel sequi debeat; nisi civilis criminali, aut contra præjudicet.

4ta. Si una principalis, altera incidens, & hæc impediat cognitionem illius; tunc causa incidens prius tractari debet. His præviis.

Quæres *primo.* Quando conjux in petitorio agit ad habendum conjugem, & altera pars excipiendo consanguinitatis objicit impedimentum: Quis actus primò examinandus?

℟. Si fœmina v. g. virum suum & sponsum vel maritum petat, & maritus mulierem esse suam consanguineam peremptoriè accipiat, prius de exceptione consanguinitatis quàm de principali matrimonii causa cognoscendum est: quia probatâ consanguinitatis exceptione perimitur & corruit causa principalis; cum inter consanguineos sponsalia vel matrimonium subsistere nequeant. Et hic est casus in *cap. intelleximus, 1. de ordine cognit.*

Quæres *secundo.* Si conjux in recuperando conjugis possessorio agat, eò quod sub prætextu consanguinitatis decesserit, quod prius cognoscendum?

℟. Si in possessorio causæ matrimonialis

nialis ad restitutionem agatur, consanguinitatis non admittitur exceptio: sed eâ non obstante in causa principali proceditur. Tunc enim matrimonium validum præsumitur, & spolaatus ante omnia restituendus. *Cap. ex conquestione 10. cap. literas. 13. de restit. spoliat.*

Quæres *3tio.* Quo ordine procedendum, si reus contra actorem spoliantem spoliationem opponat?

R. Si reus spoliationem per modum exceptionis contra actorem spoliantem opponat, prius audiendus est reus super spolii exceptione, eâque probatâ actori respondere non cogitur, nisi restituatur. Si verò conventus spoliationem per modum actionis opponat, tunc utraque quæstio simul tractari & terminari debet, probatâque spoliatione, spoliatus est restituendus. Est textus expressus in *cap. cum dilectus. 2. de ordine cognit.* Et ratio est: quia tunc duæ principales sunt causæ, conventio nempe & reconventio, quæ simul tractari debent, ut dictum in titulo: *De mutuis petitionibus.*

Quæres *quarto.* Si spoliatus in judicio præsens agat actione *unde vi*, sive recuperandæ possessionis, & spoliator rem esse suam excipiat, vel actorem super alterius rei sibi debitæ petitione reconvenire velit: Quis primò audiendus?

R. Agens in possessorto recuperando ante restitutionem suis spoliatoribus respondere non tenetur. Quia judicium recuperandæ possessionis, sive petitio restitutionis in hoc est privilegiata, ut qui illam intentat, adversario spoliatori suo respondere non teneatur, antequam fuerit restitutus, licet spoliator per oppositam alterius spoliationis exceptionem spoliatum ab agendo repellere possit; quia privilegiatus non utitur suo privilegio contra pariter privilegiatum.

Quæres *quinto.* Si petenti hæreditatem, in qua velut proximus agnatus ab intestato succedit, objiciatur, quod non sit ex legitimo matrimonio: Quid primò cognoscendum?

R. Si vir vel mulier velut proximus agnatus hæreditatem petat, eique defectus natalium objiciatur; per Judicem Ecclesiasticum prius de valore matrimonii cognoscendum est, sive de illo principaliter, sive incidenter per modum exceptionis agatur. Est casus in *cap. tuam non 3. de ord. cognit.*

Quæres *sexto.* Quando locum habet exceptio rei, quod actor plus petat?

R. Quatuor modis actor plus petere potest, quàm sibi debetur, videlicet causâ, re, loco, tempore. *Cap. unic. de plus petit.*

Quæres *septimo.* Quando causâ plus petitur?

R. Tunc, quando aliquid in genere vel sub alternatione tantùm debetur, & actor rem in specie petit. Ut: Titius promisit Cajo vel equum vel 30. aureos, & Cajus petit 30. aureos. Aut Titius promisit equum in genere, & Cajus petit hunc equum cæteris meliorem.

Quæres *octavo.* Quando re plus petitur?

R. Si dum debentur decem, petuntur viginti: vel dum fundus pro parte

parte pertinet ad actorem, hic totum petat.

Quæres *nono*. Quando loco plus petitur?

℟. Quando alio loco exigitur solutio, quam fuerit conventum. Ut: Petrus promisit solvere Coloniæ, & actor exigit solutionem Francofurti.

Quæres *decimo*. Quando tempore plus petitur?

℟. Quando ante diem vel conditionem pactioni adjectam, quod promissum, petitur. Ut: Titius in nundinis autumnalibus solvere promisit, & actor in nundinis vernalibus exigit solutionem.

Quæres *undecimo*. Quas pœnas actor plus petens incurrit?

℟. De Jure civili novissimo, qui plus vel re vel causâ petit, in expensas condemnatur: qui plus petit loco, ad interesse tenetur; ei, à quo plus tempore petitur, induciæ duplicantur, nec litem excipiet, nisi eidem solvantur expensæ, *Cap. un. de plus petition.*

Quæres *duodecimo*. Quando plus petens ab his pœnis excusatur?

℟. In duobus casibus. *1mo*. Si actor probet se non dolosè, sed justo errore ductum plus petivisse. *2dus*. Si ante sententiam à plus petitione desiterit, Quia Pontifex in *cit. cap. unic.* ait, *plus* petentes puniri, si in petitione in judicio persistat: Judicium autem durat usque ad sententiam definitivam. Ideò actor, ne pœnas prædictas incurrat, semper à plus petitione usque ad sententiam cessandi habet facultatem.

TITULUS XVI.

DE

CAUSA POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS.

CAusa possessionis est, in qua principaliter agitur de possessione, vel quasi possessione, aut adipiscenda, aut retinenda, aut recuperanda, & vocatur judicium possessorium. Causa proprietatis est, in qua de rei controversæ proprietate sive dominio vel jure principaliter agitur, & dicitur judicium petitorium. In præsenti quæritur, quo ordine causa possessionis & proprietatis in judicio sit tractanda,

Quæres *primo*. Quid est & quotuplex possessio:

℟. Est detentio rei corporis & animi ac juris adminiculo. Dicitur *1mo. Corporis*, Quia imprimis solæ res corporales, quæ manibus apprehenduntur, si mobiles, vel pedibus calcantur, si immobiles propriè possidentur. Res incorporeæ, ut jus elegendi, jus patronatûs, jus beneficii, &c. non propriè, sed

sed quasi possidentur. Deinde res possessa corporaliter detineri debet, quod vel verè vel fictè fieri potest. Est ficta apprehensio, quando actus aliquis intervenit, qui ex juris dispositione ad capiendam possessionem sufficiens est, & pro corporali apprehensione habetur: ut dum traduntur claves ædium, &c. *2do* dicitur: *animi.* Quia præter veram vel fictam apprehensionem requiritur ad possessionem animus rem ut suam tenendi: ideò depositarius, commodatarius, conductor, &c. non sunt possessores. *3tio* dicitur: *Juris adminiculo.* Ad possessionem enim necessarium est, quod eidem jus non resistat, sive à tali rem talem possideri, specialiter non prohibeat. Sic Laicus jus decimandi, jus beneficii possidere nequit.

Possessio dividitur in civilem & naturalem: vel potius possessio adæquatè sumpta includit civilem & naturalem. Civilis separata à naturali est in eo, qui quidem actu nec per se nec per alium rem detinet, attamen animo adhuc illi insistit, eò quod animum illam detinendi nondum deposuerit: possessio naturalis sejuncta à civili est, quando res actu detinetur ut sua, at penes alium est possessio civilis, videlicet apud illum, qui à re animo illam retinendi discessit.

Quæres *secundo.* Quæ possessionis commoda?

R. Possidens rem bonâ fide *1mo* illam præscribere potest: hoc est: si tempore à legibus definito eam detineat, eandem quoad proprietatem quoque acquirit. *2do.* Si dubium oriatur, an res ad alium quoad proprietatem pertineat, illam retinere potest, usque dum, quis proprietarius sit dominus, appareat. *3tio.* Tempore possessionis rei possessæ habet administrationem, ita ut omnes actus exerciti fiat validi, licet postea proprietatem ad alium pertinuisse probetur. *4to.* Re possessâ fruitur; ideóque fructus consumptos restituere non tenetur, nisi juxta Theologos, in quantum factus est ditior. *5to.* Titulum proprietatis, seu quod res sit sua, in judicio probare non obligatur, sed petenti vel non possidenti onus incumbit probandi.

Quæres *tertio.* Quomodo amittitur possessio?

R. Sicut possessio corpore & animo acquiritur, ita etiam corpore & animo amittitur, cum hoc tamen inter res mobiles & immobiles discrimine: si absente Domino alius fundi possessionem invadat, aut occupet, Dominus non prius fundi hujus amittit possessionem, quàm re cognitâ animum possidendi, aut corporalem recuperandi possessionem deposuerit: scilicet, quia præ timore ad recuperandam naturalem possessionem accedere non fuit ausus, aut accessit quidem, sed repulsam est passus; tunc enim etiam civiliter possidere desinit; rerum verò mobilium possessio Domino etiam ignorante amittitur; ut si equus ex stabulo prædandi causâ educatur, vel sibi accommodatum animo furandi quis abducat: imò si depositarius rem apud se depositam animo usurpandi ut suam apprehendat, & loco moveat, dominus vel pristinus possessor possessionem amittit.

Quæres *quarto.* Quot sunt possessoria interdicta?

℟. Remedia seu actiones à Prætore introductæ, per quas aliquid in possessionum controversiis fieri jubet, aut vetat, sunt tria: Omnis enim quæstio seu controversia, quæ de possessione movetur, vel causa possessionis adipiscendæ, quam actor nunquam habuit, vel retinendæ, quam habet, & in qua turbatur, vel denique recuperandæ, quam amisit, instituitur.

Quæres *quinto.* An judicium possessorium de rebus spiritualibus v. g. beneficiis, jure patronatûs, decimarum, &c. coram Judice Ecclesiastico instituendum?

℟. *affirmativè.* Quia possessio rei spiritualis, spiritualis quoque est. Licet enim mera occupatio & detentio rei in facto consistat, adeóque spiritualis non sit; possessio tamen justa, sive juris jus involvit: hoc jus autem in re spirituali spirituale est, ac possessio naturam sequitur proprietatis: ideóque sicut causa proprietatis in spirituali, ita quoque causa possessionis circa spiritualia apud Ecclesiasticum tractanda est Judicem. *Clement. unic. de causs. possess. & propriet.* Aliud est, si de solo facto Laici Clericum in possessione beneficii turbantis agatur; tunc enim Laicus turbator aut spoliator interdicto retinendæ vel recuperandæ possessionis etiam coram Judice sæculari conveniri potest: ita ut mixti sit fori causa; quia Laicus non de titulo vel jure possessionis, sed de solo facto vel injuria per Laicum Clerico illata cognoscit.

Quæres *sexto.* An causa possessionis & proprietatis coram eodem Judice tractanda?

℟. *affirmativè cap. susceptis. 1. h. t.* Quia causa possessionis & proprietatis inter se connexa sunt tum ratione objecti, cum circa eandem rem versentur: tum facilioris cognitionis & decisionis; nam qui de possessione cognoscit, causam proprietatis facilius definire potest. *Excipe:* nisi diversi essent fori: Ut Clericus actor coram Judice Laico contra reum Laicum in possessorio triumphavit: finito possessorio coram eodem Judice in petitorio respondere non tenetur, sed super proprietate coram Judice Ecclesiastico est conveniendus.

Quæres *septimo.* An causa possessionis & proprietatis in eodem judicio cumulari possint?

℟. In eodem judicio sive in eadem instantia simul tractari possunt *Cap. ad ultimum. 2. h. t.* Ita, ut utraque causa unâ eadémque terminetur sententia, in qua prius super possessione pronuntietur, quamvis in executione proprietas prævalere debeat. *Cap. cum dilectus. 6. h. t.*

Quæres *octavo.* Qualiter spoliatus in eodem judicio de possessorio & petitorio agens restituendus?

℟. Si spoliatus de possessorio & petitorio simul agens possessionem & spoliationem probet, sed non dominium vel proprietatem; in possessorio quidem obtinet, eique est restituenda possessio, eo quod se possedisse probaverit; in petitorio tamen succumbit, quia dominium

nium non probavit; actore non probante reus absolvitur. *Cap. cum Ecclesia. 3, de caus. possess. & propriet.*

Quæres *nono.* An in judicio agens de proprietate, hac quæstione relictâ agere possit de possessione?

℟. Qui ab initio de proprietate, sive rei vendicatione agit, si necdum allegationibus & probationibus renuntiatum, neque in causa conclusum, suspenso judicio petitorio interdictum adipiscendæ vel recuperandæ possessionis intentare potest; minimè tamen si in causa concluſum, nisi Judex id expedire judicaverit. *Cap. pastoralis. 5. de caus. poss. & prop.*

Quæres *decimo.* An lata sententia in petitorio pars condemnata valeat incipere possessorium?

℟. Si in petitorio lata sit sententia, quia dominium probare non potuit, ad possessorium: & econtra à possessorio ad petitorium transire potest; quia sunt diversa & separabilia judicia ac aliud petitur in uno, & aliud in altero.

Quæres *undecimo.* An illi, qui super beneficii proprietate litigat, collatoris sufficiat probare possessionem?

℟. Si sit lis super dignitate vel beneficio, quod possedet, sufficit probare collatorem jus conferendi quietè possedisse. *Cap. cum olim. 7. h. t.* Quia collatio est quidam juris conferendi fructus: fructus autem sequuntur bonæ fidei possessorem.

Quæres *duodecimo.* An petenti proprietatem sofficiat probare possessionem?

℟. In judicio petitorio rem jure dominii petenti probare possessionem non sufficit: *Cap. fin. h. t.* Proprietas enim nihil commune habet cum possessione.

TITULUS XVII.

DE

RESTITUTIONE SPOLIATORUM.

QUæres *primo*. Quid est spolium ?

R. Est violenta & clandestina privatio possessionis vel quasi possessionis, facta à Judice, non servato juris ordine possessionem aufferente. *Cap. conquerente. 7. de restit. spoliat.* Vel extra judicium à quovis alio, is, qui hoc modo clam aut violenter ex possessione est dejectus, spoliatus appellatur.

Quæres *secundo*i Quæ actio competit spoliato re mobili?

R. Si quis rei mobilis possessione injustè spoliatus, imprimis ei *vi bonorum raptorum* competit actio, per quam coram Judice petitur, ut violentus spoliator restituat; & quidem si illa intra annum intentetur, in quadruplum petitur restitutio: Ex *l. 1. ff. de vi bonor. rvpt.* Deinde competit actio *ad exhibendum*, per quam coram Judice petitur, ut spoliator sen injustus possessor rem exhibeat, sive in publicum deducat, ut fiet copia actori eam videndi & apprehendendi in ordine, ut rem esse suam in judicio probare possit. *L. 2. ff. ad exhibendum.*

Quæres *3tio*. Quæ actio competit spoliato re immobili?

R. Si quis injustè spoliatus possessione rei incorporeæ, ut juris eligendi, decimandi, venandi, beneficio, servitute, jurisdictione, quæ in præsenti rerum immobilium nomine comprehenduntur, illi competit *interdictum unde vi*, quod sic dicitur, quia prima verba interdicti sic incipiunt: *unde vi illum dejeciſti*, ut videre est in *l. 1. ff. de vi & de vi arm.* Circa hoc interdictum observanda sunt sequentia:

Primo. Si colonus ex fundo sui domini, vel conductor ex domo conducta ejiciatur, non ipsi colono vel conductori, sed domino *interdictum: unde vi* competit, cum tales rem nomine alterius detineant. *Cap. cum venissent. 9. h.t. cap. si diligenti. 17. de præscript.* Aliud est de usufructuario, emphyteuta, &c, quia hi sunt in quasi possessione juris aut dominii utilis. Si laicus ex re Ecclesiastica vel spirituali dejicitur, illi non competit interdictum: *Unde vi*; talis enim possessionis incapax est. *Cap. causam. 7. de præscript.*

Secundo. Spoliato intra annum, utilem tamen (qui non currit legitimè impedito) competit interdictum:

unde

unde vi, nonnisi adversus eum, qui alium à sua possessione dejecit, aut dejici mandavit, aut dejectionem suo nomine factam ratam habuit, ut in *cap. cum ad sedem. 15. h. t.* ita ut si etiam Judex extrajudicialiter, vel non servato substantialiter juris ordine aliquem è possessione sua deturbet, interdictum: *unde vi* eidem intentari possit. *Cap. conquerente. 7. de restit. spoliat. cap. cum causa. 22. de offic. deleg. cap. ex insinuatione, 3. de Procurat.* Ex quibus sequitur, quod interdictum hoc non competat adversus hæredes vel successores spoliantis, sive universales, sive singulares, cum personale tantum sit. *Cap. sæpe 18. h. t.* quamvis contra hæredes competat actio in factum, quatenus res ad ipsos pervenit, vel quatenus re per vim occupatâ facti ditiores, vel dolo malo factum est, quominùs perveniret. Neque competit interdictum hoc liberis adversus parentes, libertis contra patronos, vasallis contra dominos directos; nisi hi vi armatâ usi fuerint.

Tertio. Hæc procedunt, sive possessio, quâ actor spoliatus est, sit solùm naturalis, sive solùm civilis, sive justa, sive injusta: nec quidquam spoliantem juvabit, quod post spolium spoliatus juri suo renuntiaverit; quia non est verisimile, quod juri suo sponte renuntiet, qui spoliatus renuntiat.

Quarto. Si de spoliatione facta constet, vel ea legitimè probata sit, quamvis spoliator dominium rei, de cujus possessione alterum dejicit, sibi competere inquiat, probationesque in contrarium offerat; spoliatus tamen ex interdicto: *unde vi* ante omnia, & cum omni causa, hoc est: cum omnibus fructibus perceptis & percipiendis, quos scilicet spoliatus percipere potuisset, & non percepit, uti & cum omni damno & interesse est restituendus: *Cap. gravis. 11. h. t.* Spoliatori reservato post factam restitutionem petitorio.

Excipe *primo.* Si spoliatus consentiat, ut spoliator ante restitutionem proprietatis probet exceptionem. *Cap. 1. de restit. spoliat. 2do.* Si vel ex actis judicii, vel ex confessione spoliati, vel ex instrumento publico constet, spoliatum nullum jus habere, sed dominum esse spoliatorem. *3tio.* Si in restitutione spoliati animæ vertatur periculum. *Cap. literas. 13. de restit. spol. 4to.* Si factâ spolii restitutione irreparabile damnum spoliatori, aut publicum scandalum, aut perturbatio in populo timeatur. *Cit. cap. literas.*

Quinto. Agenti ex interdicto: *unde vi* generaliter crimen opponi, aut per exceptionem criminis repelli non potest, sed restitui debet, antequam de crimine cognoscatur, nisi *1mo* per crimen objectum excommunicationem incurrisset, à qua prius absolvendus, antequam contra spoliatorem in judicio stare possit: *2do* vel crimen ad possidendum inhabilem redderet: vel per crimen notorium ut hæresis vel læsæ majestatis possessionem & proprietatem amisisset. *Cap. item cum quis, 6. h. t.*

Sexto. In civilibus à spoliatore con-

vento & interdicto : *unde vi* exceptio spoliationis factæ ab alio quàm actore non admittitur : in criminalibus autem admittitur , à quocunque facta sit spoliatio ; dummodo vel omnibus bonis , vel majore illorum parte spoliatus sit. Attamen sive in civilibus ab actore, sive in criminalibus à quocunqne alio sit facta spoliatio : spoliatus excipiens spoliationem intra quindecin dies probare debet.

Quæres *4to.* Qualiter restituendum spolium in beneficiariis ?

℟. *1mo.* Quando spoliato beneficiato (idem est in obtinentibus aliud jus spirituale, ut jus decimarum, &c,) jus commune in possessione talis juris resistit, tunc antequam spoliatus restituatur , titulum vel verum vel coloratum , ex quo possideat , exhibere debet , colligitur ex *cap. ad decimas. 2. de restit. spoliat. in 6.* Ratio est ; quia tunc absque exhibitione tituli ad minus colorati de possessione , quæ à spoliato ante restitutionem probanda, constare nequit,

2do. Si quis Ecclesiâ aut beneficio spoliatus est , & eidem spoliatus postea renuntiet , renuntiatione non obstante restituendus est , eò quod renuntiatio involuntariè facta præsumatur, ideóque spoliatus prius restituendus, & renuntiatio tunc examinanda juxta *cap. sollicitè. 2, de restit. spoliator.* At si renuntiatio ante spoliationem spontaneè facta, & postmodum beneficio voluntariè resignato beneficiatus spoliatus : ex interdicto : *unde vi* non est restituendus : per spontaneam enim renuntiationem beneficii titulum amisit & possessionem. *Cap. accepta. 3. de restit. spol.* Eodem modo retinendæ possessionis interdicto in causa beneficiali spontaneæ renuntiationis opponitur exceptio , si beneficiatus se possessorem super certo beneficio non turbaturum promiserit vel juraverit. Est casus in *cap. audita. 4. de restit. spoliat.*

Quæres *quinto.* Qualiter conjugi spoliato restituenda conjux ?

℟. In casu perplexo , quo conjux prætensa post contractum & consummatum matrimonium ex metu peccati, quia novit dirimens intervenire impedimentum , à conjuge discessit , observanda sunt sequentia :

Primo. Si conjux conjugem , quæ ab ipso propriâ authoritate discessit, tanquam spoliatus restitui petat , ante omnia probare debet matrimonium saltem præsuppositivè , videlicet , quod illud in facie Ecclesiæ sit contractum. *Arg. cap. ex parte. 14, h, t.* Cum enim hæc possessio titulum involvat , sine allegatione tituli saltem colorati probari nequit.

Secundo. Si spoliatus conjux matrimonium contractum , sed non consummatum probet , & conjux se separans dirimens opponat impedimentum : hac oppositione non obstante restituenda est quoad cohabitationem , non tamen quoad thorum ob peccati periculum, sed prius probationes audiendæ. Ratio est : quia spoliatus non probavit plenam conjugis possessionem.

Tertio. Si spoliatus insuper matrimonii probet consummationem , & conjux

conjux se separans paratas probationes de invaliditate matrimonii propter intercedens impedimentum dirimens intra terminum congruum facienda offerat, differenda est quoad thorum restitutio, donec causa probationibus super valore matrimonii receptis, fuerit terminata. *Cap. literas. 13. h. t.*

Quarto. Si probationes super invaliditate matrimonii ob prætensum dirimens impedimentum statim adferri non possint, & pars se separans alterius conjugis objiciat sævitiam, quæ tantæ, ut sufficienti cautione uxoris securitati consuli nequeat; uxor marito non restitui, sed donec de matrimonii validitate pronuntietur, loco securo custodire debet.

Quinto. His cessantibus si matrimonium probetur consummatum, nec pars se separans de impedimento paratas habeat probationes, conjux se separans tam quoad cohabitationem, quàm quoad thorum per Judicis sententiam est restituenda; quamvis si impedimentum subesse noverit, debitum in conscientia reddere non possit, licet excommunicationem & quæcunque alia mala subire deberet. Ratio est: quia etsi Judex juxta ordinem juris conjugem spoliatum possessioni, ex qua per recessum alterius conjugis exciderat, restituat: quia tamen conjugem ad non suam scienter accedere intrinsecè malum est, nulla Judicis sententia, nec ulla mala & hujusmodi sententia oritura mulierem à copula fornicaria excusare possunt.

Quæres *sexto.* Quid spoliatus probare debet, ut restituatur?

℟. Spoliato duo probanda sunt: imprimis quod tempore spoliationis possessionem habuerit. *Cap. ex parte 14. de restit. spol.* quia si nulla adest possessio, nulla potuit esse spoliatio. Deinde probare debet, quod sit spoliatus, & res possessa violenter & injuriosè erepta. Etenim si quis jure aut volens aut etiam metu percussus re suâ cadat aut privetur, non est spolium, nec in judicio ex actione spolii restituitur.

Quæres *septimo.* An contra spoliatum rem suam, quâ spoliatus, repetentem spoliator excipere possit, quod res spoliata ad spoliatorem pertineat?

℟. *negativè* juxta communem regulam: spoliatus ante omnia restituendus. *can. redintegranda. 4. caus. 3. q. 1. cap. solicitè. 2. de rest. spol.* Nec spoliatus, antequam plenè restitutus fuerit, spoliatori respondere tenetur, quamvis huic privilegio spontè renuntiare possit. *cit. cap. 1.*

Quæres *octavo.* Quæ à spoliatore spoliato restituenda?

℟. Spoliator, ut superius dictum, non tantùm rem spoliatam, sed etiam fructus, non solùm quos percepit, sed etiam quos spoliatus percepisset, restituere, & resarcire, ac de omnibus injuriis satisfacere debet. Attamen quoad restitutionem fructuum fit hæc exceptio in *cap. olim vobis. 16. h. t.* Si spoliator propter spoliationem ab aliis factam ad inopiam redactus fuisset, à restitutione excusatur; nisi ipsemet prius

in

in re, quâ ſpoliatus, reſtitutus fuerit, ut fructus perceptos aut percipiendos reddere poſſit.

Quæres *nono*, An violentum aut injuſtum invaſorem vel detentorem propriâ liceat expellere authoritate?

R. Si quis clam abſente domino, & nemine, qui loco ſui poſſideret, relicto, ædes aut fundum alterius ingrediatur, vel per vim dominum, aut eos, qui nomine domini detinebant, ex fundo expellat, dominus vel poſſeſſor injuſtum invaſorem expellere poteſt: dummodo non ex intervallo, ſed in continenti hoc faciat, nec modum juſtæ defenſionis excedat; nec taliter ejecto interdictum *unde vi* contra dominum ejicientem competere poteſt, *Cap. olim. 12. h. t.*

Quæres *decimo*. An quis propriâ authoritate poſſeſſionem capere valeat, etſi corporaliter illam nunquam habuerit?

R. Poſſidens rem aliquam civiliter, naturali poſſeſſione penes alium exiſtente, propriâ authoritate poſſeſſionem naturalem v. g. per mortem coloni, uſufructuarii, &c. vacantem ſine licentia ejus, qui rem conceſſit, capere poteſt. *Cap. cum veniſſent. 9. h. t.*

Quæres *undecimo*, Quod Jure Canonico remedium, ſi res ſpoliata à tertio malâ fide detineatur?

R. Si rem cuipiam vi injuſta ereptam alius ſcienter ac malâ fide, ſive mediatè, ſive immediatè accepit, non quidem datur contra hunc tertium injuſtum poſſeſſorem interdictum: *unde vi*; attamen ex æquitate Canonum ſpoliato competit condictio per *cap. ſæpè. 18. h. t.* ubi dicitur; ſi quis rem alicui vi oblatam à ſpoliatore ſcienter acceperit, ſpoliato per beneficium reſtitutionis ſuccurratur; eò quod ſpoliatori ſuccedat in vitium; ſiquidem quoad periculum animæ ſive peccatum non multùm intereſt inter hæc duo: injuſtè detinere, & invadere alienum; imò contra quemcunque etiam bonæ fidei poſſeſſorem ſpoliationis ignarum, in cujus manus res per ſpolium ablata devenit, datur remedium. *ex cit. can. redintegranda.* ubi generaliter dicitur redinteganda eſſe omnia ſpoliatis & ejectis Epiſcopis, nullâ factâ diſtinctione, utrùm res à bonæ vel malæ fidei detineatur poſſeſſore. Qui canon quamvis expreſſè ſolùm de ſpoliatis loquatur Epiſcopis: ex uſu tamen & rationis paritate ad quemlibet alium ſpoliatum meritò extenditur.

Quæres *duodecimo*. In quibus caſibus ſpoliato denegatur reſtitutio?

R. In ſequentibus. *1mo*. Nudo rei detentiori, ſeu ei, qui alteri tantum, & non ſibi poſſidet, judicium poſſeſſorium *recuperandæ* non conceditur. Cum enim privatio ſupponat habitum, neceſſe eſt illum in poſſeſſione fuiſſe, qui querulatur ſe ſpoliatum. Unde reſtitutio ſpoliatorum non competit depoſitario, commodatario, conductori & colono: ſed his vi dejectis, domino, cujus nomine poſſident, datur reſtitutio. Excipitur uſuarius & uſufructuarius, quorum detentio hoc ſpeciale habet, quod in ordine ad interdictum: *unde vi*, &: *uti poſſidetis*, fictione juris pro vera agnoſcatur poſſeſſione.

2do,

Secundò. Remedium restitutionis non datur, quando spoliatus notoriè in rem spoliatam nullum jus habuit: unde privilegium interdicti: *Unde vi*, multi manifesto denegant prædoni.

Tertiò. Similiter possessionis incapaci non datur restitutio; ut laico jure spirituali spoliato.

Quartò. Si spolians in continenti ex fundo ejectus fuit; quia vim vi repellere licet.

Quintò. Si spoliatus beneficio restitutionis liberè & sinè metu renuntiavit, quod tamen non præsumitur, sed probari debet.

Sextò. Demum impeditur restitutio, si pendente spolii quæstione tertius interveniat, atque in re spoliata dominium prætendat: talis enim ante restitutionem erit audiendus, eò quod respectu illius odium cesset spoliationis, & consequenter etiam juris dispositio, quâ spoliatus dicitur ante omnia restituendus.

TITULUS XVIII.

Ut lite pendente nihil innovetur.

QUæres *primò.* Quando lis est pendens?

℟. Lis pendens dicitur, quando post post oblatum actoris libellum citatio est reo intimata, aut saltem per reum stetit, quominus citatio intimari potuerit. Est expressum in *Clement. cum lite. 2. h. t.* Hæc litis pendentia usque ad definitivam durat sententiam, imò ulterius, si interposita fuerit appellatio.

Quæres *secundò.* Quem litis pendentia habet effectum?

℟. Hunc, quod à citatione, usque dum causa definitivè terminetur, circa rem, de qua agitur, vel ejus possessionem, vel aliud quodcunque jus nihil innovari possit, quo litis pendentis qualitas aut status in præjudicium actoris aliquo modo immutetur, sed in statu, in quo litis contestatæ tempore fuerunt, omnia sunt relinquenda.

Quæres *tertiò.* Quid in causa matrimoniali?

℟. Accusatus de adulterio ad thori separationem possessione conjugali privari: vel accusans matrimonium de nullitate ob dirimens impedimentum lite pendente aliquid obtinere nequit. *cap. laudabilem. 2. h. t.* quia ubi de defectu proprietatis notoriè non constat, unusquisque in sua possessione est lite pendente manutenendus; quod verum est quoad privationem per Judicem faciendam, cui necdum de peccato constat, ideoque secundum allegata & probata judicare debet: ast quoad partes illa, quæ certam habet impedimenti

notitiam, nec debet exigere, nec debitum reddere potest, sed potiùs excommunicationis sententiam humiliter sustinere debet, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. *cap. inquisitioni. 44. de sentent. excom.*

Quæres *quartò*. An res litigiosa alienationi subjecta?

R. Negativè, ideoque nec vendi nec ad longum tempus elocari, nec oppignorari potest, sed alienatio taliter facta ipso jure nulla est. *L. fin. C. de litigiosis.* Ratio est: quia per talem alienationem adversarii conditionem non licet duriorem facere. *can. fin. caus. 11. q. 1. cap. Ecclesia. 3. & 4. h. t.*

Quæres *quintò*. Qui casus excipiuntur?

R. Illi referuntur à *Gloss. in cap. Ecclesia. 3. h. t. Verb. litigiosi.* Res litigiosa tacitè alienatur ex causa dotis, transactionis, donationis propter nuptias, legati fideicommissi, divisionis rerum hæreditariarum. *cit. l. fin. C. de litigiosis.* vel si res talis sit, quæ servari non possit.

Quæres *sextò*. Quid si res litigiosa pendente lite alienata?

R. Si res taliter alienata recuperari nequeat, reus rem æquivalentem loco rei alienatæ substituere debet, quæ tunc subrogata alienari quoque non poterit. *cap. Ecclesia 4. h. t.*

Quæres *septimò*. An valeat Principis privilegium lite pendente de re litigiosa concessum?

R. Privilegium in præjudicium possessoris lite pendente concessum, ut ille interim possessione privetur, tanquam subreptitiè impetratum non valet. *cap. 1. cap. fin. ut lite pend. cap. ex parte. 2. de rescriptis. cap. causam. 19. de testibus. junct. gloss.* quia privilegium subreptitium, & non ex certa scientia emanasse præsumitur, ideoque de eo Princeps est certiorandus, & secunda ejusdem jussio exspectanda. *cap. cum adeo. 17. de rescriptis.*

Quæres *octavò*. An lite super electione pendente uno electo mortuo electores ad novam electionem procedere valeant?

R. In casu, quo duo in discordia electi vel præsentari coram Judice competente litigant, & unus ex illis lite pendente moriatur, vel juri suo renuntiet, aut à litis prosecutione cesset, non potest ad aliam electionem liti pendente procedi, ita ut nova electio sit nulla. *cap. 1. h. t.* nisi notoriè constet litem in fraudem motam fuisse, aut neutri litiganti jus aliquod competere. *cap. ex parte. 10. de arbitris.*

Quæres *nonò*. Si super beneficio, quod possidetur, mota fuerit lis, an possessore mortuo lite pendente illud alteri conferri possit?

R. Negativè. Sed lis priùs finienda. Si quis verò ad litis defensionem sese admitti peteret, quia ipsius interest, tunc in eodem statu, in quo lis tempore mortis, vel cessionis fuit, est admittendus. *cap. 2. h. t. in 6.*

Quæres *decimò*. Quid si actor lite motâ super beneficio ab alio possesso moriatur?

R. Tunc alius substitui potest: quia per

per talem substitutionem causa possessoris non fit deterior.

Quæres *undecimò*. Duobus litigantibus de beneficio in Curia Romana, & uno vel utroque mortuo, ad quem pertinet collatio ?

℟. Si duo de beneficio in Curia Romana litigantes moriantur, collatio talis beneficii pertinet ad Papam : si uterque extra Curiam moriatur, dummodo tertius jus aliquod in beneficium litigiosum non prætendat, collatio pertinet ad Ordinarium : si possessor beneficii in Curia, & alter collitigans extra Curiam moriatur, collatio ad Summum Pontificem pertinet : si possessor beneficii extra Curiam moriatur, ad Ordinarium pertinet collatio : si neuter possidebat, unus tamen in Curia, & alter extra moriatur, collatio pertinet ad Papam : si unus collitigantium supersit, & litem prosequatur, beneficium non pendente sed decisâ lite confert vel Papa vel Ordinarius, prout litis decisio vel fuit pro defuncto in Curia, vel pro alio. Hæc omnia habentur expressa in *Clement. si duobus. 1. h. t.* Per regulam Cancellariæ de collitigantibus : uno ex litigantibus mortuo collitigans substitutionem petere potest.

Quæres *duodecimò*. Qui casus excipiuntur, in quibus pendente lite valet innovatio ?

℟. Duo. *Primus* est in *cap. fin. de sequestrat. possess.* in quo decernitur, quod si possessor à lata sententia appellans fructus possessionis dissipet, appellatione pendente fructus sint sequestrandi. *Secundus* est in *cap. cum in apostolica. 18. de sponsal.* ubi vir, pendente lite cum uxore, alteram duxerat, qui si divortii sententia sequatur, apud uxorem secundam est relinquendus, impositâ viro pœnitentiâ competenti.

TITULUS XIX.

DE

Probationibus.

PRobatio est rei dubiæ vel controversæ per legitima argumenta facta ostensio. Dividitur *primò* in artificialem & inartificialem. Artificialis est, quâ arte & industriâ probantis ex ipsa causa & circumstantiis facti probatur intentum ; inartificialis est, quâ ab extrinseco vel circumstantiis extrinsecis causæ fit probatio, ut per testes, instrumenta, juramentum &c.

Secundò, In plenam & semiplenam.

Plena perfectam facit Judici fidem, ita ut hâc solâ instructus sententiam ferre possit. Species hujus probationis sunt probatio per duos testes omni exceptione majores, per publicum aut authenticum instrumentum, evidentiam facti, ex inspectione oculari habitam, præsumptionem juris & de jure, juramentum parti adversæ à litigante delatum &c. Semiplena est, quæ etsi aliquam fidem de rei veritate faciat, non tamen talem, ut Judex ex ea sola procedere, & pro probante pronuntiare valeat; qualis est depositio unius testis, scriptura privata, fama, confessio extrajudicialis. Alia mixta est, quæ fit ex duabus semiplenis probationibus, hæ si ad eundem tendunt finem, in causis civilibus plenam faciunt probationem, sive ejusdem, sive diversi sint generis. *Gloss. in cap. veniens, 10. de testib. V. illorum.* quia quæ singula non probant, collata juvant. Dixi: *in causis civilibus*: quia in criminalibus & arduis duæ semiplenæ probationes non habentur pro plena probatione, cùm in his probationes requirantur luce meridianâ clariores.

Tertiò. Dividitur in judicialem, quæ fit in judicio post litem contestatam, & extrajudicialem, quæ fit ante litis contestationem: ut dum testes recipiuntur ad perpetuam rei memoriam.

QUæres *primò.* Cui in judicio incumbit probatio?

℟. Qui aliquid in judicio affirmat, illud probare debet: ita sicut actori incumbit probatio suæ affirmationis, sic quoque reo exceptiones affirmatoriæ probandæ sunt. V. G. Titius se Cajo 100. aureos credidisse dicit, quod quia Cajus negat, Titius probare debet; at si Cajus creditam quidem sibi pecuniam, sed solutam esse concedit, Cajo incumbit factæ solutionis probatio. Excipiuntur casus tres. *Primus*: nisi ob solam præsumptionem juris ab actore onus probandi in reum transferatur. Exemplum est in *L. cum de indebito. 25. ff. de probat.* ut si actor à reo pecuniam indebitè à se solutam repetat, tunc factâ ab actore solutionis probatione reus pecuniam debitè fuisse solutam probare debet. *Secundus*: nisi reus onus probandi in se sponte susceperit. *Tertius*: nisi Judex onus probandi in reum transferat, ut si ei deferat juramentum.

Quæres *secundò.* An positionem negativam quis probare teneatur?

℟. Positio negativa triplex est: facti, juris, & qualitatis. *Primò.* Negativa facti simpliciter & indefinitè probari non potest. *cap. bonæ memoriæ. 23. de elect.* quia non entis nullæ sunt qualitates. Negativa facti determinati cum circumstantiis certi temporis, loci, &c. indirectè probari potest. Ut: Titius cum Caja illâ die, coram tali Pastore matrimonium se contraxisse negat: illud indirectè probari potest, videlicet quod illâ die in loco longè distanti fuerit &c. Negativa facti prægnans, hoc est, affirmativam includens directè probari potest: ut quis se sponte & liberè renuntiasse negat, cùm implicitè asseret se coactum, coactionem directè probare potest. *cap. super hoc. 5. de renuntiat.* *Secundò.* Negativa Juris, ut

dum

dum quis negat Titium potuisse esse Procuratorem, testamentum factum fuisse validum &c. Probari debet; quia omnia censentur jure licita, nisi probentur prohibita. *3tiò.* Negativa qualitatis, ut quis negat alium ad beneficium Ecclesiasticum esse idoneum &c. etiam à negante probari debet; quia quilibet præsumitur idoneus, nisi de inidoneitate constet, aut illa probetur. *Cap. fin. de præsumptionibus.*

Quæres *tertiò.* Quando utrique parti incumbit probatio?

℟. 1*mò.* In judiciis communibus sive duplicibus, qualia sunt judicium *Familiæ Erciscundæ*, hoc est: quando agitur inter hæredes de dividenda hæreditate: *Judicium de communi dividendo*, quando Socii, vel qui habent aliquid commune, agunt de facienda divisione: *Finium regendorum*, in quo agitur de finibus vel limitibus agrorum, territorii, Diœcesis &c. In his, inquam, judiciis utraque pars litigantium probare debet; quia utraque agit, & convenitur: cum ex communione bonorum vel finium oriatur, quod alter adversus alterum sibi aliquam partem dari aut assignari petat. Exemplum est in *cap. ex literis. 3. h. t.*

2*dò.* In interdicto retinendæ possessionis, quando utraque pars se in solidum eandem rem possidere ostendit, utraque pars probare debet, quia utraque pars est Actor & reus. Exemplum est in *cap. licet causam. 9. de h. t.*

Quæres *quartò.* An quod quis non sit Filius v. g. Titii ex Matris assertione probetur?

℟. *Negativè.* Juxta exemplum *in cap. per tuas. 10. de probat.* Ubi præsumptio orta ex eo, quod quis à parentibus sit pro filio habitus & tractatus, eam habuit vim, ut non obstante contrariâ Matris assertione contrahendum cum consanguinea Patris putatii matrimonium impediverit.

Quæres *quintò.* An reus Actori ad probandam ejusdem intentionem instrumenta & documenta sua exhibere teneatur?

℟. Quia non est æquum, quod ille, qui ad certamen judiciale provocatus, provocanti arma, quibus oppugnetur, subministrare teneatur: ideo reus actori documenta vel instrumenta contra se, nisi communia essent, extradere non obligatur. *Cap. 1. h. t.*

Quæres *sextò.* An Actor postquam plenè probavit, ad juramentum, quo probationes confirmet, sit astringendus?

℟. *Negativè.* Etenim juramentum est probationum suppletorium, ideo ad ipsum non est recurrendum, nisi quando legitimæ deficiunt probationes. *Cap. sicut consuetudo. 2. h. t.*

Quæres *septimò.* An factâ plenâ criminis probatione contra illam admittenda probatio canonica per testes?

℟. *Negativè.* Juxta *cap. ad nostram. 12. h. t.* Quia si affirmativa probari possit, quod scilicet crimen sit commissum, pro negativa nullæ probationes sunt deducendæ.

Quæres *octavò.* Qualiter probationes à partibus factæ sunt excipiendæ?

℟. Judex mandare debet, ut omnia

judicii acta à Notario, aut illo deficiente, à duobus viris idoneis conscribantur, ut ita in judiciis fides locum habeat, & ne propter assertionem iniqui Judicis innocens litigator lædatur, copia actorum partibus communicanda est, Prothocollo penes Judicem remanente. *Cap. quoniam.* 11. *h. t.* Si causa ad alium Judicem devolvatur, acta prioris judicii ad eum sunt remittenda. *Cap. fin. h. t.*

Quæres *nonò*. Qualis debet esse probatio?

℟. Debet esse *primò* de articulo pertinente secundùm formam libelli. *Secundò* plena, certa, & necessariò concludens: nam probatio obscura non relevat probantem. Est exemplum in *cap. in præsentia.* 8. *h. t.*

Quæres *decimò*. Quando facienda probatio?

℟. Post litem contestatam: quia Actor, quid probare debeat, ante scire non potest. Deinde ante conclusionem in causa fieri debet; quia postmodum super iisdem articulis nulla admittitur probatio, *cap. juravit.* 6. *h. t.*

Quæres *undecimò*. Quis plenæ probationis effectus?

℟. Judex juxta illam sententiam ferre debet: aliàs litem facit suam, & omne quod litigatoris interest, ab eo restituendum.

Quæres *duodecimò*. Quis semiplenæ probationis effectus?

℟. Quamvis semiplena probatio ad sententiam ferendam sufficere non possit, nisi plures tales semiplenæ probationes, quæ unam integram facerent, super iisdem articulis concurrerent: attamen ea est semiplenæ vis probationis, ut Judex parti adversæ juramentum deferre, aut in illam onus probandi transferre, vel purgationem canonicam injungere, vel demum torturæ subjicere valeat.

TITULUS XX.

DE

CONFESSIONE

Prima Probationum Specie.

ADagium Juris est: Propria confessio optima probatio. De qua,

QUæres *primò*. Quid & quotuplex confessio?

℟. 1*mò*. Est illius, quod ab Adversario intenditur, asseveratio. 2*dò*. Dividitur in discretam & indiscretam. Discreta fit cum causæ, de qua orta est obligatio, expressione: indiscreta fit tantùm genericè, absque causæ expressione, ut si quis se 100. Imperiales debere confiteatur, tacito contractu, ex quo debeat.

debeat. Alia iterum confessio est simplex, alia qualificata. Simplex est, quando quis absque ullo addito ad intentionem adversarii respondet & confitetur: qualificata est, quando quis adjectâ aliquâ qualitate vel conditione confitetur: ut reus fatetur se Petrum occidisse, sed causâ necessariæ defensionis servato moderamine inculpatæ tutelæ. *3tiò.* Alia est tacita alia expressa. Expressa fit verbis, signis, aut scripturâ voluntatem declarantibus: tacita ex certo facto elicitur, vel à lege interveniisse fingitur. *4tò.* Rursus alia judicialis, alia extrajudicialis. Judicialis est manifestatio proprii actûs coram competente Judice facta: extrajudicialis est proprii actûs extra judicium præsente alio manifestatio.

Quæres *secundò.* Quæ persona judicialiter confiteri potest?

℟. Ad confessionem judicialem requiritur, ut ab homine sanæ mentis & majorenni facta sit; si enim minorennis contra seipsum confessus fuerit, non sibi præjudicat. *L. certum. 6. §. in pupillo. ff. de Confeß.* Et quidem si infans etiam accedente tutoris authoritate confessio est nulla: quia negotium, de quo interrogatur, intelligere non censetur. Si major infante, non valet absque authoritate tutoris facta confessio: quia sine hac pupillus se se obligare nequit; cum authoritate tutoris facta valet quidem confessio, sed læso datur beneficium restitutionis in integrum.

Quæres *tertiò.* De quo facto confessio judicialis esse debet?

℟. Debet esse *1mò.* De facto secundùm naturam possibili; quare nulla est confessio, si ætate Senior se Filium fateatur esse natuminoris, si impubes adulterium confiteatur. *Arg. cap. quod sedem. 2. de frigid. & malef. Gloss. in cap. fin. de Confess. V. confessus.* Inde est, quod in criminalibus, ubi crimen relinquit vestigium, nunquam ad executionem procedatur, quantumcunque reus sit confessus vel convictus, nisi prius de corpore delicti constet. Ut Petrus se hominem occidisse fatetur, prius de cadavere inquiritur. Titius furtum à se in tali loco factum confitetur, prius inquirendum, an reverâ tale furtum in tali loco, sicut asserirur, fuerit commissum.

2dò. Debet esse de facto, quod non sit contra jus. Hinc confessio non nocet, si quis juramentum de re intrinsecè mala fateatur. *Cap. quantò. 18. de jurejurand.* Si Christianus se cum Judæa, vel consanguineus cum consanguinea matrimonium contraxisse fateatur. *Can. cave Christiane. 15. caus. 28. q. 1. cap. 1. de Consanguinit.* *3tiò.* Debet esse de facto, quod in quæstionem venit: ideóque si Actor positiones impertinentes ponat, reus ad illa respondere non tenetur, sed à Judice tanquam irrelevantes ex officio sunt rejiciendæ. In dubio, an positio ad rem faciat, an non, admittenda est cum clausula: *Salvo jure impertinentium.* Cujus clausulæ hic effectus, quod si ex post appareat positionem impertinentem, eo ipso pro rejecta habeatur, & confessio non præjudicet.

Quæres *quartò.* Quâ forma debet fieri judicialis confessio?

℟. Do-

℟. Debet esse *1mò.* Spontanea & libera, non vi, metu, vel fraude extorta : *Can. si quandoque. 1. caus. 15. q. 6.* Unde ex propria confessione in tortura facta nemo condemnatur ; sed si reus in tortura crimen confessus, altero die extra tormentorum conspectum de crimine interrogatur, & tunc in confessione perseveret, pro confesso habetur. *2dò.* Coram Judice competente fieri debet ; facta siquidem coram Judice incompetente habetur pro extrajudiciali, quæ plenè non probat. *Cap. etsi Clerici. 4. de judic.* Ideóque Clericus coram Judice sæculari crimen confessus nequidem à proprio Judice velut confessus judicari potest. Confessio coram Arbitro facta, si is secundùm ordinem juris procedat, pro judiciali habenda est. *3tiò.* Præsente adversario vel ejus Procuratore, saltem de Jure Civili facienda est.

Quæres *quintò.* An confessio judicialis revocari possit ?

℟. Vel est facta per ipsam partem, vel per ejus Procuratorem : si facta per ipsam partem, in continenti revocari potest : non enim pro confesso est habendum, quod, qui dixit, statim revocat. Ex intervallo quoque revocari valet, si probetur, quod ex errore facta fuerit ; non enim fatetur, qui errat, nisi jus ignoraverit. *L. 2. ff. de Confes.* Si facta sit per Procuratorem, antequam concluſum in causa, confessio per Principalem revocari potest. Est exemplum in *cap. fin. h. t.*

Quæres *sextò.* Quid si incidenter reus confiteatur ?

℟. Vel illud, quod confitetur, ad causam facit principalem : ut testis confitetur crimen ipsi objectum, ut à testimonio repellatur : & tunc Judex instituto novo processu in criminosum inquirere debet, confessionem ejus de crimine commisso incidenter factam producendo, ut eam denuò confirmet. Casus est in *cap. cum super. 2. h. t.*

Quæres *septimò.* Qualiter in judicio confessio rei elicienda ?

℟. Modus judicialem confessionem à reo eliciendi est hic : Actor factum ex, quo jus suum oritur, Judici per particulares propositiones proponit : ut in exemplo : Actor conveniens reum actione ex mutuo ponit : Verum est *1mò*, quod reus ad me venerit, & mutuum petierit. Verum est *2dò*, quod consuetam pensionem solvere sit stipulatus. Verum est *3tiò*, quod illa die mutuum à me acceperit. Verum est *quartò*, quod intra biennium nihil solverit. Propositiones illæ vocantur articuli positionales, & libellus, in quo continentur, dicitur articulatus. Hos articulos Actor offert Judici petens admitti ad juramentum dandorum, simúlque rogans, ut reo juramentum imponatur, quod desuper interrogatus veritatem dicere velit ; quod appellatur juramentum respondendorum. Præstito hoc juramento reus super articulis exhibitis examinatur, ejúsque responsio ad singulos articulos Prothocollo inseritur & Actori communicatur : qui ad articulos proprium factum continentes affirmativè vel negativè respondere debet. Si factum alienum contineant, cujus probabilis

bilis potest esse ignorantia, sufficit, si reus dicat : *Credo.* Si reus respondere recuset, omnes articuli pro confessis habentur, id est : perinde censetur, ac si reus illos affirmasset. *Cap. si post præstitum. 2. h. t. in 6.*

Quæres *octavò.* An positio super facto negativo, quæ non nisi per rei confessionem probari potest, à Judice admittenda, & reus, ut respondeat, obligandus sit ?

R. Actor ex suo libello reo quasdam proponit positiones, ad quas mediante juramento affirmando vel negando, ut plurimum per verbum, credit, aut non credit, respondere tenetur. *Clement. 2. de V. S. junct. cap. dudum. 54. de Elect.* Inter has positiones etiam negativas ponere potest juxta *cap. 1. de h. t. in 6.* v.g. reus beneficiatus super pluralitate beneficiorum convenitur : Actor has ponit positiones : *1mò.* Verum est, quod reus habeat duo beneficia personalem residentiam exigentia. *2dò.* Quod super incompatibilitate horum beneficiorum Apostolicam non obtineat dispensationem. Ad hanc positionem negativam reus respondere obligatus, & si respondeat affirmativè Actor illam probare non tenebitur : SI negativè, Judex reum compellere potest, ut probet, quod negavit.

Quæres *nonò.* Quis confessionis judicialis effectus ?

R. *1mò.* Si confessio judicialis contra confitentem non sit, nihil probat. Si enim quis aliquid pro se asserat, non creditur, nisi probet. *Can. nullus. 2. caus. 4. q. 4.* Imò si contra confitentem in præjudicium sit Reipubl. plenam fidem non facit. Ut : Judex in furtum inquirit, & Dominus rei ablatæ in gratiam furis se non fuisse invitum confitetur ; tali confessioni non creditur, nisi alia concurrant indicia. Sicut enim inter privatos unius confessio alteri non præjudicat, ita nec Reipublicæ, cujus interest, delicta non manere impunita.

2dò. Si reus per verbum : *Credo,* confiteatur contra se, Actor ab onere probandi relevatur, & articulum talem tanquam verum supponit : Quia quando agitur de præjudicio confitentis, æquè præiudicat confessio de credulitate, quàm de veritate.

3tiò. Confessio judicialis de veritate vim probationis habet, ita quidem ut omnes probationes superet, soli autem confitenti noceat. *Cap. 1. de Confes. cap. veniens. 10. cap. personas. 20. de testib.*

4tò. Confessio judicialis facit notorium juris. *Cap. Vestra. 7. de cohabit. Cleric. & mul.* Ideóque appellationem excludit. *Cap. pervenit. 13. cap. consuluit. 14. de Appell.* Imò in causis civilibus confessus pro judicato habetur ; & quamvis post conclusionem in causa nullæ admittantur probationes : attamen hæc probatio per partis confessionem admittitur, & ex illa sententia definitiva formari potest, non obstante quod aliàs forte ob non servatum juris ordinem invalidus fuerit processus.

Quæres *decimò.* Quis confessionis extrajudicialis effectus ?

R. Si confessio extrajudicialis parte adversâ præsente facta, & per duos integræ fidei testes probata cum speciali causæ expressione : ut : Confiteor quod

tibi 100. ex mutuo debeam ; plenam contra confitentem facit probationem : parte verò absente , aut absque speciali causæ expressione facta vel nihil , vel solùm semiplenè probat. Colligitur ex *cap. si cautio.* 14. *de fide instrumentor.* Deinde in causis criminalibus confessio extrajudicialis est sufficiens ad torturam indicium. Sumitur ex *cap. olim.* 25. *de Rescript.* Regulariter tamen non sufficit ad tertii complicis torturam.

Quæres *undecimò.* Qualiter probat confessio extrajudicialis facta in testamento ?

℟. Confessio à testatore in gravi morbo facta plenè probat, sive ad obligandum , sive ad liberandum tendat , in quantum nempe in confitentis est præjudicium, dummodo ante mortem non fuerit revocata. Ut : si testator se Titio debere centum , aut centum imperiales sibi debitos à Cajo esse solutos fateatur. Quilibet enim in mortis articulo existens nihil temerè asserere in sui præjudicium , aut salutis æternæ immemorem esse præsumitur. Si tamen talis confessio in favorem confitentis esset , plenam probationem non faceret.

Quæres *duodecimò.* Quid operatur Complicis sociique in crimino confessio ?

℟. *1mò.* Si Socii sint occulti, contra quos nulla infamia vel indicia præcesserunt , judex reum judicialiter confessum generaliter de complicibus interrogare non potest. *Can. fin caus.* 15. *q.* 3. *& cap.* 1. *h. t.* Et confessus crimen eo ipso est infamis & dubiæ fidei , qui à testimonio repellitur. *Cap. testimonium.* 54. *de testib.* *Excipe :* Nisi sit confessus *1mò.* Crimen exceptum , ut Læsæ Majestatis , hæresis &c. 2. Quod est difficilis probationis, de quo nonnisi per Socios constare potest : 3. Quod sine Sociis fieri non potest , de quo , quod plures concurrerint , ex actis vel informatione constat : demum quod non merè præteritum , ita, ut subsit periculum de futuro cum Reipubl. & innocentum detrimento.

2dò. Si reus ad interrogationem Judicis absque præcedenti infamia vel indiciis factam complices in crimine non excepto confessus fuerit , ex hac confessione Judex specialem in detectos complices inquisitionem facere non potest ; quia sicut interrogatio fuit illegalis , ita etiam responsio. Attamen si reus complices sponte denuntiet, talis denuntiatio ad specialem sufficit inquisitionem , modò taliter fiat, ut confessio aliquod patrati criminis probare valeat indicium.

3tiò. Si reus criminis excepti Socios confiteatur , & Sociorum detectio aliis verisimilibus sit adminiculata indiciis , Judex ulterius in detectos inquirere, sive alias probationes super crimine detecto assumere potest. Si verò nihil aliud, quàm nuda rei de se crimen fassi habeatur confessio, ad inquisitionem specialem procedi nequit : quia jus naturale & gentium dictat , nullam fidem accusatori ulli in alterius præjudicium adhibendam, nisi verisimile criminis aut præsumptionis adferat indicium ; ne cuilibet , maximè tam vilibus & criminosis personis, calumniandi passim detur occasio.

TITU-

TITULUS XXI.

DE

TESTIBUS & ATTESTATIONIBUS

Secunda Probationum Specie.

INter probationum ſpecies præcipua eſt teſtium atteſtatio. Teſtes ſunt, qui de facto aliquo legitimo vocale dicunt teſtimonium. Teſtium depoſitiones vocantur atteſtationes. Licet autem alii ſint teſtes judiciales, alii inſtrumentarii, alii teſtamentarii : hìc tamen potiſſimùm de judicialibus agemus. De quibus

QUæres *primò*. Qui ſimpliciter à jure in judicio teſtes eſſe prohibentur ?

R. 1*mò*. Ob defectum judicii furioſi, mente capti, infantes, impuberes. Excipitur crimen Læſæ Majeſtatis, in quo impuberes ad teſtificandum admittuntur : Imò juxta hodiernam praxin impuberes, non tam ut probent, quàm ut ad indagandam poſint veritatem, in criminalibus regulariter adhibentur : ſæpius enim homicidia & ſimilia delicta per pueros deteguntur.

2*dò*. Ob defectum corporis ſurdi ſimul & muti, imò etiam ſurdus aut cœcus tantùm de rebus, quæ auditu vel viſo percipiuntur, niſi tali ſenſu ante contractam ſurditatem vel cœcitatem ſint perceptæ, à teſtimonio dicendo repelluntur, *Can. teſtes.* 15. *cauſ.* 3. *q.* 9.

3*tiò*. Ob defectum ſtatûs, ſi aliæ probationes ſuppetant, teſtari non poſſunt ſervi. *Cap. ſorus.* 10. *de V. S.* Religioſi, qui aliàs ſervis comparantur, teſtes eſſe poſſunt : *Cap. Veritatis.* 8. *de dolo & contum. cap. nuper.* 5. *de teſtib. cap. etſi Chriſtus.* 26. *de jurejur.* At nonniſi de conſenſu Superiorum ſuorum.

4*tò*. Ob fidem ſuſpectam teſtari non poſſunt pauperes & valde viles perſonæ : *Can. imprimis.* 7. *cauſ.* 2. *q.* 1. Pecuniâ ad dicendum teſtimonium conducti, *Cap.* 1. *de teſtib.*

5*tò*. Ob infamiam & turpitudinem vitæ in teſtes non admittuntur hæretici, uſurarii, perjuri, &c. ob calumniam, adulterium, vel blaſphemiam condemnati, proſcripti, banditi, ac hujuſmodi infames & criminoſi. *Can. teſtes.* 39. *cauſ.* 2. *q.* 7. *Can. conſtituimus.* 9. *cauſ.* 3. *q.* 5. *Can. infames.* 17. *cauſ.* 6. *q.* 1. *cap. ſicut vobis.* 9. *cap. ſuper eo.* 13. *cap. teſtimonium* 54. *h. t.* De crimine emendatus à teſtimonio ob crimen præteritum non repellitur : niſi ex crimine per Judicis ſententiam vel facti evidentiam factus ſit infamis. Qui ſemel perjurus, in cauſa criminali nunquam teſtis eſſe poteſt.

6tò. Ob Censuram excommunicati rejicitur testimonium. *Arg. cap. veniens. 38. de testib. cap. decernimus. 8. de Sentent. excom. in 6.*

Quæres *secundò*. Qui pro certis personis testes esse prohibentur?

R. 1mò. Parentes pro liberis & econtra *Can. si testes. 3. cauſ. 4. q. 2.* quia reciprocus amor suspectos reddit. *Excipitur* : Pater pro uno Filio contra alium testari potest; item si agatur de ætate liberorum, aut de gradu consanguinitatis in causa matrimoniali. *Cap. super eo. 22. h. t.* Vel in causa professionis Filii, si quo animo Monasterium sit ingressus, dubitetur. *Can. præsens. 4. cauſ. 20. q. 3.* 3tiò. Consanguinei, affines, Patronus, & libertus, Socii criminis vel contractûs, Domestici, & universim omnes, quibus testes producens ratione Patriæ, Dominicæ, & gubernativæ potestatis imperare potest, ab attestando repelluntur. *Can. consanguinei. 1. cauſ. 3. q. 5. cap. Veniens. 10. cap. Personas. 20. de testib.*

Quæres *tertiò*. Qui contra certas personas in testes non admittuntur?

R. 1mò. Parentes contra liberos & econtra. 2dò. Libertus contra Patronum, & Vasallus contra Dominum. 3tiò. Conjux adversus conjugem. 4tò. Advocatus contra suum clientem, in causa in qua Patronus fuit. *Cir. Can. si testes. cap. insuper. 6. h. t.* 5tò. Inimicus contra inimicum; est autem inimicus capitalis, qui alteri mortem minatur, aut alium accusat, aut contra eum in causa criminali testis fuit : *Gloss. in cap. meminimus. 13. de accusat. V. inimicus.* Aut quæstionem movit de universis bonis, vel maxima bonorum parte. 6tò. Laicus contra Clericum in causa criminali testis esse nequit. *Cap. de catero. 14. h. t.* Nisi sint crimina excepta, aut delicta scandalosa & notoria. *Cap. cum dilectis. 15. de purgat. Canon.* 7timò. Judæi, pagani, hæretici contra Catholicos testes esse non possunt. *Can. non potest. 24.* & *Can. Pagani. 25. cauſ. 2. q. 7.* 8vò. Socius criminis contra Socium testificari non potest. *Cap. veniens. 10. h. t.*

Quæres *quartò*. Qui in certis causis testes esse non possunt?

R. 1mò. In causa criminali minor 20. Annis, præterquam in criminibus exceptis, & in aliorum defectum testis esse non potest. 2dò. Clerici in causa sanguinis, ne irregularitatem incurrant, testari nequeunt. *Can. testimonium. 9. cauſ. 11. q. 1.* 3tiò. Mulier in causa criminali inter testes computari non potest. *Can. mulierem. 17. cauſ. 33. q. 5. cap. forus. 10. de V. S.* Nam varium & mutabile testimonium semper fœmina producit; quod ibidem *Gloss. V. varium.* expressit his Versibus :

Quid levius fumo? flamen, quid flamine? ventus,
Quid vento? mulier, quid muliere? nihil.

Attamen de Jure Canonico in certis casibus mulierem testificari posse in criminalibus causis probatur ex *Can. ex eo. 2 cauſ. 15. q. 3. junct. Gloss. V. colligitur.* & *cap. tanta. 7. de Simon.* 4tò. Nemo in causa propria testis esse potest, sive in causa, in qua directè vel indirectè de proprio agitur interesse, sive sit interesse pecu-

pecuniarium, sive honoris, sive affectionis. *Cap. fin. h. t. in 6.* Clerici & Religiosi in causa suæ Ecclesiæ testificari non prohibentur, probatur ex *cap. insuper. 6. cap. nuntius. 12. h. t. cap. etsi Christus. 26. de jurejur.*

Quæres *quintò*. Quot testes ad probationem requiruntur?

R. Ordinariè duo conteſtes idonei in omni causa tam criminali quàm civili plenam faciunt fidem. *Cap. in omni. 4. cap. licet universis. 23. h. t.* Ratio est: quia duo testes difficulter ita corrumpi possunt, ut non ex aliquo signo falsitas appareat. Unus testis, cujuscunque dignitatis existat, regulariter plenam fidem non facit est expressum in *cit. cap. licet universis.* Faciendæ autem sunt exceptiones sequentes:

1*mò*. Dantur casus, in quibus major quàm duorum testium numerus est necessarius; ita Jus Civile ad testamentum septem, ad codicillum, vel aliam ultimam voluntatem quinque testes requirit: Jus Canonicum præter duos testes ad matrimonii valorem exigit præsentiam Parochi: de jure veteri contra Cardinalem Episcopum 72. contra Cardinalem Presbyterum 44. contra Cardinalem Diaconum 27. contra Cardinalem Subdiaconum 7. testes requirebantur.

2*dò*. Quamvis ad causam decidendam unus testis plenam fidem non faciat: Si tamen sit omni exceptione major, semiplenè probat, & indicium sufficiens ad inquirendum, citandum, imò & torquendum reum facit.

3*tiò*. In causis nemini præjudicantibus, ut dum quæritur, an Ecclesia consecrata: an Titius Baptizatus: an quis in articulo mortis Confessarium petierit, unico testi creditur. *Can. cum itaque 112. de consecr. dist. 4.* 4*tò*. Quando de vitando agitur peccato, uni creditur testi. Sic ad impediendum matrimonium unus testis de consanguinitatis impedimento sufficit. *Cap. super eo. 22. de testib. cap. super eo. 2. de consang. & affin.* 5*tò*. Qui publico fungitur officio, illi fides habetur, si de proprio facto testetur, ut Notario, quod instrumentum confecerit, Præconi, quod reum citaverit. 6*tò*. Unico teste rei probatur innocentia: ut: si confessus homicidium per unum testem occisionem defensionis gratiâ probet, dummodo in oppositum alii testes non existant.

Quæres *sextò*. Qualiter testes producendi?

R. 1*mò*. Post litem contestatam testes sumptibus producentis communiter producuntur. Regulariter enim sumptus ille præstare debet, in cujus gratiam actus celebratur; quos tamen victus victori refundere cogitur: nisi propter justam litigandi causam à judice fiat expensarum compensatio. *cap. finem litibus. 5. de dolo & contum.*

2*dò*. Tres tantùm testium admittuntur productiones. *Cap. in causis. 15. cap. significaverunt. 36. cap. ultra. 55. de testib.* Ita quidem ut iidem testes, si nondum facta depositorum promulgatio, tum super novis, tum super antiquis articulis produci valeant. *Cap. constitutis. 46. h. t.* Quarta testium productio non aliter quàm cum hac conceditur solemni-

tate: ut petens juret, quod attestationes testium nec suæ nec adversæ partis, nec per se nec per alios suppresserit vel occultaverit; deinde quod depositiones testium non exploraverit: item quod hanc quartam testium productionem malitiosè non petat. *cit. cap. in causis. cap. significaverunt. cap. ultra.*

Tertiò. Factâ testium productione pars adversa, ut testes recipi & jurare videat, citari debet. *cap. in nomine. 2. h. t.* Hac citatione omissâ attestationes nullæ sunt: nisi Judex ex officio per generalem inquisitionem procedat, aut sit periculum in mora, Qui impediunt, ne testes producantur aut recipiantur, sunt excommunicandi. *cap. constitutis. 45. h. t.* Qui se testimonium non daturum juravit, juramento non obstante ad testificandum compelli potest. *cap. intimavit. 18. h. t.*

Quæres *septimò.* Qualiter testes producti sunt examinandi?

℟. *primò.* Vel à Judice, vel ab illo, cui Judex examen commisit, sunt examinandi. *cap. constitutus. 3. de fidejussor. cap. mulieres. 2. de judic. in 6.* Excipiuntur causæ criminales & valde arduæ, in quibus ipsemet Judex testes examinare debet.

Secundò. Non plures simul, sed singuli sigillatim & secretò examinandi sunt. *cap. Venerabili. 52. h. t.*

Tertiò. Si testes rogati vel vocati testimonium sine rationabili causa ferre nolint, in causa civili ad testificandum compelli possunt. *cap. 1. cap. cum super. 2. cap. cæterum. 6. de testib. cogend.* In causa criminali spectato jure canonico ad testandum compelli nequeunt. *cap. dilectorum. 10. de testib. cogend. junct. gloss. V. super criminibus.* nisi veritas aliter haberi non posset. *cap. pervenit. 5. tit. cit.* vel testes malitiosè subtraherentur. *cap. super eo. 3. cap. cum contra. 9. de testib. cogend.* vel per modum inquisitionis ageretur. *cap. super his. 8. eod. tit.*

Quartò. Testes jurati vivâ voce ad interrogationes respondere debent. *can. relatum. 3. caus. 5. q. 2. cap. quoties. 5. de testib.* Ratio est; quia ex voce, modo, & gestibus deponentis veritas magis deprehendi potest.

Quintò De sua & non de aliena scientia deponere debent, de illis scilicet, quæ ipsi viderunt, vel audiverunt, non de illis, quæ ex aliorum relatione didicerunt. *cap. tam literis. 33. h. t.* Testes tamen de credulitate ad aliquam fidem faciendam in casu necessitatis admittuntur, si rationem reddant suæ credulitatis: item in causis, quæ directè probari nequeunt; vel si de factis antiquis ætatem hominum excedentibus fiat depositio.

Sextò. Testes conformiter articulis propositis deponere, nec plus quàm interrogentur, dicere debent: quia cùm testis de veritate super articulis & interrogationibus dicenda jurare debeat, de reliquo tanquam non juratus fidem non meretur. *arg. cap de testib. 29. h. t.*

Quæres *octavò.* Qualiter probant testes singulares?

℟. Testes singulares appellantur, qui de diversis factis attestantur. Hæc autem testium singularitas alia est adversativa, quando testimonia & depositiones testium inter se pugnant; alia diver-

versificativa, si testes de factis non quidem contrariis, sed diversis & nihil se mutuò adjuvantibus deponunt. Est casus in *cap. cum tu* 16 *h. t.* Alia demum est singularitas cumulativa, sive adminiculativa, si testes de actibus quidem diversis, sed se mutuò adjuvantibus deponant: ut dum est quæstio de possessione agri, & unus testis deponit, quòd Titium in agro isto seminantem, & alter, quòd in eodem metentem viderit. Itaque *primò*. Ut testes fidem faciant, contraria vel omninò disparata testificari non debent, sed eos contestes, de uno eodemque delicto in specie testificantes esse oportet *cap. bonæ memoriæ*. 23. *cap. cum dilectus* 32. *de elect.*

Secundò. In causa criminali, ut ad reum condemnandum plenam fidem faciant, non tantùm in substantia delicti, sed etiam in tempore & loco convenire debent; quamvis magnam contra reum causent præsumptionem, si de diversis actibus diverso tempore factis sese mutuò adjuvantibus testentur.

Tertiò. Si testes sint singulares adversativè contraria de eodem facto testificantes, Judex eorum depositiones interpretari debet, ut ad vitandum perjurium de diversis actibus testimonium tulisse videantur. Colligitur ex *cit. cap. cum tu.* & docet *Gloss. in cap. in nostra.* 32 *V. sed adversa.*

Quartò. Si testes pro una parte producti testibus alterius partis contrariantur, plus credendum est illis, qui melius informati: qui in specie deponunt, dum alii tantùm deponunt in genere: qui dicti sui rationem reddunt, qui ab honestiore & digniore persona producuntur: qui testantur affirmativè &c.

Quintò. Si testes utrimque producti sibi contrarii ejusdem sint honestatis & existimationis, plurium prævalere debet testimonium. Si verò omnia sint paria, pro reo fertur sententia. *cap. inter dilectos. 6. de fide instrument.* nisi in quatuor casibus: in causa nempe matrimoniali, causa liberali, causa dotis, causa testamenti.

Quæres *nonò*. Qualiter probat testis in suis depositionibus varians & vacillans?

R. Si unus idemque testis contraria dicat, idque faciat *primò* in continenti animo revocandi priora dicta probatâ causâ erroris probabilis creditur posteriori testis dicto. *cap præterea. 7. de testib. cogend. Secundò*. Si verò in eodem contextu absque animo corrigendi repugnantia proferat: ut si prius se vidisse, & posteà tantùm audivisse dicat, tunc velut vacillans repellitur. *Tertiò*. Si testis in judicio ordinario deponit, contrarium illi, quod antea in judicio Summario, aut in inquisitione coram Judice deposuerat, non valet testimonium. *arg. cap. per tuas.* 10. *de probat. Quartò*. Si in ejusdem Judicii instantia, & inter easdem personas testis examinatus dicat contrarium illi, quod in alio examine edixerat, dicto priori statur, si utrumque juramento sit depositum. Colligitur ex *cap. sicut. 9. h. t.* Non enim est in potestate testis parti, pro qua prius deposuit, præjudicare per negationem illius, quod prius affirmaverat; nisi prior depositio extra torturam, & poste-

rior

rior in tortura facta fuisset, vel posterius dictum variis præsumptionibus & conjecturis adminicularetur. *Quintò.* Si testis id, quod in Judicio juratus deposuit, extrajudicialiter neget, nihilominus statur primæ judiciali depositioni : quia judicialis depositio firmior est, & per illam parti, pro qua depositum est jus acquisitum ; imò si in Judicio testis juratus deponat contrarium illi, quod antea extrajudicialiter dixerat, judiciali statur depositioni, quamvis illius fides per ante datum contrarium extrajudiciale dictum non parum debilitetur.

Quæres *decimò.* Qualiter publicanda sint dicta testium ?

℟. Peracto testium examine, postquam ulteriori testium productioni renuntiatum est, eorum publicantur depositiones : cujus publicationis tres sunt effectus. *Primò.* Testimonia in una causa & coram uno Judice publicata semper & ubique inter easdem personas plenam fidem faciunt. *Secundò* Factâ publicatione pars, contra quam testificatum est, contra personam testis ampliùs excipere nequit. *cap. præsentium. 31. h. t.* quia timetur, ne adverso sibi testimonio irritatus causam fingat suspicionis. Hìc tres excipiuntur casus : 1. Si reo post publicationem causa suspicionis primùm innotescat. 2. Si juramentum præstet, quod testem malitiosè non reprobet. 3. Si ante examen vel publicationem contra testem exceptionem sibi reservavit. *Tertius* effectus. Post attestationum publicationem alios vel eosdem testes super iisdem vel contrariis articulis producere non licet, ob renuntiationem & subornationis periculum. *cap. fraternitatis 17. cap. cum venisset. 25. h. t.*

Quæres *undecimò.* Qualiter exceptio contra testes oppon potest?

℟. Tripliciter contra testes fit exceptio : *primò* contra personas testium, quod vel omnino, vel in hac causa testimonium ferre nequeant : & quidem si notorius objiciatur defectus, vel tale quid, quod in continenti probati possit, testium receptio impeditur. *cap. ex parte. 7. h. t.* Aliàs in Judicis plerumque arbitrio est, an exceptiones contra personas testium oppositas in finem litis reservare velit. Defectus autem, qui testibus objiciuntur, specificè exprimi, probari, ac juramentum malitiæ præstari debet. *cap. præsentium. 2. h. t. in 6. 2dò.* Contra examen testium excipi potest, quod ob defectum jurisdictionis non sit legitimè factum ; quod testes recepti ante litis contestationem : parte adversâ non citatâ : post ulterioris productionis renuntiationem &c. *3tiò.* Valet exceptio contra dicta & depositiones testium, ut quod sint singulares, variantes etc.

Quæres *duodecimò.* Qui vocantur testes Synodales?

℟. Juxta *can. Episcopus 7. caus. 35. q. 6.* In Synodo septem ex plebe, vel eò amplius, prout viderit expedire, maturiores, honestiores, atque veraciores viros constituere debet, qui juramento sese adstringant, quod quæcunque in Diœcesi contri DEI voluntatem & rectam Christianitatem fieri intellexerint, nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter pretium, nec propter parentelam celare, sed Episcopo fideliter

liter denuntiare velint: & sunt potiùs publici denuntiatores, seu ex publico officio denuntiare obligati, quàm testes, ac hodie Scabini Synodales appellantur. Hi testes synodales, si in aliqua causa coram Ordinario testimonium ferant, super eadem causa in judicio jurati testari non tenentur. *cap. præterea. 7. de testib. cogend.* nisi fortè articulus novæ quæstionis emergat, aut veritas aliter haberi non possit: quia officium aliquod jurans exercere, ejus juramentum ad totum tempus, quo durat officium, sese extendit.

Quæres *ultimò*. Quis modus in praxi probandi per testes?

℟. Hæc praxis consistit in sequentibus: *Primò*. Postquam reus ad petitionem actoris negativè respondit, aut econtra actor exceptionem rei negavit, & dilatio probatoria à Judice data, ante omnia actor articulos formare debet, quos per testes se probare confidit: & quidem ipsæ positiones ab Adversario pro articulis assumuntur: ideóque articuli positionales appellantur, quibus si alios addere placet, additionales dicuntur. His articulis in ordinem redactis certi præfiguntur numeri, & personæ denominantur testium, per quos horum articulorum probationem facere intendit, & quia ordinariè non omnes & singuli testes super omnibus articulis respondere possunt, hinc articuli specificantur, super quibus unumquemque testem audiri cupit, quæ specificatio, denominatio testium cum directorio nuncupatur, cò quod Judicem in instituendo testium examine dirigat.

Secundò. Articulos, nomina testium, & directorium Judex eum in finem reo communicat, ut si aliquas exceptiones, sive contra articulos tanquam irrelevantes, sive contra testium personas habeat, easdem opponere possit.

Tertiò. Si reus, sive is, contra quem testes producuntur, nullam habeat exceptionem, circa articulos ab Actore propositos interrogatoria formantur, ut: Unde testis sciat articulum? quo loco & tempore sit factum, quod in articulo proponitur &c. super quibus interrogatoriis non minùs, quàm super articulis testis est diligenter examinandus. *cap. præsentium. 2. h. t. in 6.*

Quartò. Interrogatoria rei actori non communicantur, ne testes subornare, & circa responsiones instruere valeat. cùm interrogatoria ponantur, ut fraus & falsitas detegatur, si testes discrepent in temporis, loci &c. circumstantiis.

Quintò. Judex receptis cum directorio & interrogatoriis articulis testes ab actore nominatos citat, & si venire renuant, coram se certo die, si jurisdictionem in illos habeat, comparere compellit; aliàs si testes alterius sint jurisdictionis, Judex causæ proprium eorum Judicem per literas, quas mutui consensûs appellant, requirit, quatenus vel testes ad locum motæ litis, si causa criminalis, venire cogat, vel ipse eos super articulis & interrogatoriis examiner, & depositiones eorum clausas ac sigillo suo munitas ad se remittat.

Sextò. Deinde utraque pars litigans eum in finem citatur, ut testes jurare videant; priusquam autem jurent, priùs avisari seû de perjurio moneri debent,

hoc est: demonstranda est illis obligatio veritatem, remotis omnibus affectibus, edicendi, gravitas juramenti, & pœna perjurii explicanda. Quo facto testes in præsentia partium jurant, quod ad interrogata dicere velint veritatem.

Septimò. Præstito juramento partes removentur, & singuli testes super articulis & interrogatoriis seorsim examinantur: eorum dicta & depositiones prothocollo inseruntur, & prælecto in fine examinis prothocollo silentium imponitur, sive monentur, ne quid de iis, de quibus sunt examinati, & quæ responderunt, antè testium publicationem edicere præsumant.

Octavò. Examine absoluto ejus prothocollum, quod rotulus testium appellatur, sigillis Commissariorum, si examen per delegatos factum, clauditur, & Judici deleganti mittitur, qui partes citat, ut videant testimonia publicari.

Nonò. Denique antequam dicta testium publicentur, Judex partes interrogat, an in publicationem consentire velint? Si consentiant, rotulus examinis ipsis prælegitur, & utrique parti petenti copia conceditur: ut quod pro & contra se à testibus sit depositum, dignoscere possit.

TITULUS XXII.

DE

FIDE INSTRUMENTORUM, tertia Probationum Specie.

QUæres *primò.* Quid est Instrùmentum?

℟. Instrumentum generaliter sumptum est omne illud, quod causam instruit, sive quo Judici fit fides: & hoc modo propria confessio & testium testimonia probationis instrumenta dici possunt. Instrumentum strictiùs sumptum significat tertiam probationis speciem, videlicet, quamlibet scripturam, quæ fidem rei gestæ, quam continet, Judici facit, & causam instruit.

Quæres *secundò.* Quotuplex Instrumentum?

℟. Publicum & privatum. Publicum est scriptura à persona publica facta & formata, de quo in *cap. scripta. 2.* & *cap. inter dilectos. 6. h. t.* Instrumentum privatum est scriptura ab homine privato nullâ authoritate publicâ pollente confecta. Privatum aliud est authenticum, quod testium subscriptione & sigillo, eoque recognito & approbato, vel alio legitimo modo est munitum: non authenticum est, quod his caret admiuiçulis: ut sunt rationes privatæ, libri mercatorum, in quibus data & accepta, conven-

ventiones & solutiones annotantur, qui in pluribus locis, si sint jurati, authentici instrumenti vim obtinent.

Quæres *tertiò*. Quæ sunt species Instrumenti publici?

R. Instrumenta publica sunt *primò*. Scriptura, quæ à Notario publico solemni & debitâ formâ est confecta. *cap. scripta. cit.* 2*dò*. Scriptura publico & authentico sigillo Principis, Episcopi, Civitatis, Capituli, Universitatis munita. 3*tiò*. Acta judicialia per Notarium prothocollata. 4*tò*. Omnes scripturæ, quarum publicatio interveniente authoritate Magistratûs facta: ut dum Testamenta, Codicilli, aut aliæ Tabulæ authore Judice aperiuntur. 5*tò*. Scripturæ ex publico archivio seu Cancellaria depromptæ. *can.* 1. *caus.* 30. *q.* 1. Nomine publici archivii intelligitur locus authoritate publicâ illius, qui eam habet potestatem, erectus ad hunc finem, ut ibidem scripturæ, acta, & monumenta rerum gestarum sub fida Archivistæ custodia asserventur. De quo in *L. fin. ff. de munerib. & honorib.* 6*tò*. Libri censuales & Matriculæ, in quibus descripta æstimatio bonorum cujusvis subditi eo fine, ut à Superiore cum debita proportione collectentur. 7*timò* demum Libri Officialium publicorum illa continentes, quæ ad eorum pertinent officium: quo Libri Collegiorum, Tribuum, Parochiales &c. reducuntur.

Quæres *quartò*. Quæ ad formam Instrumenti publiçi per Notarium confecti requiruntur?

R. Sequentes requiruntur solemnitates; *primò* in principio Instrumenti nomen Domini invocari debet. 2*dò* annus à nato vel incarnato Christo exprimendus. 3*tiò* indictio inferenda. *can. in nomine Domini.* 1. *dist.* 23. *cap. inter dilectos.* 6. §. *sed contra. h. t.* ubi *Gloss. verb. indictionis.* explicat, quid sit indictio: videlicet, est revolutio 15. annorum. Ortum habet ab indictione tributorum, quam faciebant Romani, dum rerum potirentur. In quolibet lustro seu quinque annis Romanis pendebatur tributum: in primo pro armis fabricandis in ferro: in secundo pro stipendiis militum in argento: in tertio pro defensione Reipublicæ in auro. Tria lustra faciunt 15. annos, quibus evolutis iterum à primo incipitur. Si igitur indictionem habere velis, annum Domini per 15. dividere debes, & illud, quod ex divisione supereſt, addito numero tetnario, est præsens indictio. Ternarius numerus additur, quia Christus natus est indictione tertiâ. Pro memoria serviunt sequentes versus:

Si per quindenos Christi diviseris annos,
His tribus adjunctis indictio certa notatur.

4*tò* addi potest nomen & annus Pontificis, Imperatoris, Regis, aut Principis regnantis, in cujus territorio instrumentum conficitur. 5*tò* mensis, dies, aut etiam hora confecti negotii exprimitur. 6*tò* locus tam generalis quàm specialis designaur, nempe in qua Civitate, pago, platea, domo, vel conclavi instrumentum sit erectum. 7*timò* enarratur rei series: videl. quis debeat, cui debeat, quid debeat, ex qua causa debeat. 8*vò* ponuntur nomina testium rogatorum & adhibitorum. 9*nò* demum in fine Notarius instrumentum

subscribit, addendo, cujus, an Pontificiâ an Cæsareâ authoritate sit Notarius.

Quæres *quintò*. Quid in Notario, ut instrumentum conficere valeat, requiritur ?

℟. Debet esse *1mò*. Legitimè creatus vel ab aliquo Supremo Principe, qui in temporalibus superiorem non agnoscit, vel ab alio speciale Notarios creandi privilegium habente. Ut autem in Notarium creari possit eum legitimo thoro natum, liberum, sui officii peritum, non excommunicatum esse oportet.

2dò. Notarius illius negotii, de quo instrumentum conficit, scientiam & cognitionem per se habere debet, nec aliud scribere potest, quam quod ipse vidit, vel audivit, adeò ut etsi per testes vel sufficientes alias probationes sciret verum esse, quod dicitur, instrumentum tamen conficere non posset, eò quod per se scire, & actui interesse debeat.

3tiò. Notarius ad conficiendum instrumentum rogatus esse debet, irrequisitus enim suspectus est, dum spontaneo motu & affectu se ingerit.

4tò. Notarium per se ipsum instrumentum conficere necesse est : hoc enim munus, utpote personale, & personæ respiciens industriam alteri delegare nequit. Instrumentum tamen ab Amanuensi scribi potest, modò manu Notarii approbantis subsignetur.

Quæres *sextò*. Qualiter probat publicum instrumentum ?

℟. Instrumentum publicum plenè probat, plenámque de illis, quæ in illo dispositivè continentur, fidem facere noscitur. Ideò *1mò*, instrumentum à Notario definitâ formâ confectum non tantùm pro proferente, sed etiam contra proferentem, imò in præjudicium tertii probat, si hujus factum incidenter instrumento fuerit insertum. Si autem aliqua generaliter non dispositivè, sed solùm narrativè ponantur, instrumentum quoad illa fidem non facit.

2dò. Scripturæ sigillo publico & authentico munitæ plenam fidem faciunt. *Cit. cap. Scripta. 2. h. t.*

3tiò. Acta publica & judicialia rem, prout in actis reperitur, gestam esse plenè probant : acta tamen unius judicii in alio fidem non faciunt, nisi inter easdem personas, & in ordine ad eundem finem producantur.

Quæres *septimò*. Qualiter probat instrumentum privatum ?

℟. Privatæ scripturæ plenam fidem non faciunt. Hinc *1mò*. Scriptura propriâ Scribentis manu scripta, nullâ testium subscriptione, Sigillo aut adminiculo munita nihil probat. *L. instrumenta. 5. C. de probat.* Imò nec Scripturæ à testibus subscriptæ, si hi mortui, in judicio probant, nisi publicâ Notarii manu confectæ, aut authentico signatæ fuerint sigillo.

2dò. Apocha vulgò quitantia, quâ creditor debitum sibi à debitore solutum fatetur, similiter Antapocha, sive Scriptura, quâ debitor tantùm censum, quantùm debebat, se solvisse confitetur, contra Scribentem vel Subscribentem confessum plenè probati aliis tamen, nisi à testibus subscripta, nullum generat præjudicium, ne via fraudibus aperiatur. Dixi : *Confessum*. quia si quis

Apo-

Apocham à se scriptam vel subscriptam neget, nihil probat, antequam ab eo scriptam esse demonstretur.

3tiò. Chyrographum vel Syngrapha, sive scriptura, quâ quis se alteri obligatum esse vel promisisse fatetur, contra Scribentem plenè regulariter probat, dummodo causa obligationis exprimatur, quâ non expressâ non probat. *cap. si cautio.* 14. *h. t.* Quia confessio debiti, quæ sine causa fit, erronea, & ex abrupto vel adversarii dolo facta præsumitur. Dixi: *Regulariter*: Quia causa mutui & dotis specialiter excipitur; nam Chyrographum, quo Mutuatarius sibi datam pecuniam, & Syngrapha, quâ maritus se dotem accepisse fatetur, nihil probat contra Scribentem propter exceptionem *non numeratæ pecuniæ vel dotis*, quæ probationem numerationis in adversarium transfert, juxta *plures LL. C. de non numerat. pecun.* Eodem modo creditor, qui in Apocha solutionem confessus, non numeratam pecuniam intra 30. Dies excipere potest.

4tò. Epistolæ seu literæ missivæ à Scribente recognitæ contra Scribentem plenè probant: quia scripturæ recognitio est illius, quod scriptum, confessio; nisi commendatitiæ forent literæ, quæ regulariter contra Scribentem non probant.

5tò. Libri Mercatorum de rigore Juris nonnisi contra Scribentem probant; quia sunt scripturæ privatæ, & consequenter per se nullam habent authoritatem, sed tota illorum vis in confessione & assertione scribentis consistit; attamen de consuetudine libri Mercatorum inter ipsos mercatores plenam fidem faciunt, imò etiam inter alios semiplenè probant, ita ut suppletorio juramento locus existat.

Quæres *octavò*. Qualiter Copia probat?

℟. Copiæ instrumenti regulariter non creditur, nisi producatur Originale, *cap. 1. h. t.* vel detur ab eodem Notario, qui Originale conscripsit, aut authoritate Judicis cum suo Originali collationata & concordans reperta fuerit. Copiæ vidimatæ, ut vocant, hoc est per Notarios publicos collationatæ cum subscriptione: quod collationatæ cum Originali concordent, magnam quidem faciunt præsumptionem, & iis tamdiu creditur, donec pars adversa excipiat, & ipsa Originalia exhiberi petat, nihilominus plenam fidem non faciunt.

Quæres *nonò*. Quando instrumenta producenda?

℟. Instrumenta ordinariè utraque pars non solum post litem contestatam, sed etiam post testium & attestationum publicationem, donec in causa sit concluſum, producendi habet facultatem. *Cap. cum dilectus. 9. h. t.* Non tamen post causæ concluſionem: cum per hanc partes ulterioribus probationibus renuntiant. Praxis instrumenta producendi hæc est: Actor, qui intentionem suam in aliquo instrumento fundat, illud vel ab initio reo communicat, vel exspectat, donec lite contestatâ ipsi probatio injuncta fuerit; quo facto reum petit citari ad inspiciendum & recognoscendum Originale, cujus copiam simul præsentat, quæ comparente reo

cum Originali confertur ; & si copia verbotenus cum Originali conveniat, id manu Notarii ad calcem illius ponitur, quod tali die Copia cum Originali in judicio sit collationata : quo facto Actor Originale suum recipit, & Copiam ita collationatam apud acta relinquit, quæ tunc plenam fidem facit.

Quæres *decimò*. Qualiter instrumento falsitas opponi potest ?

R. Ex duplici causa contra instrumentum excipitur : ex causa falsitatis, & causa contrarietatis. Si falsitas objicitur, instrumentum in loco securo Judici intra tempus ab eodem præscriptum exhiberi debet, ut de falsitate cognoscat, quæ absque inspectione sciri non potest. *Cap. accepimus, 4. h. t.* Falsitas instrumenti per testes vel subscriptos vel inscriptos in instrumento probari potest : qui si contradicant, non esse ita actum, ut instrumentum asserit, illud falsum redditur, nisi testes convincantur. *Cap. tertiò. 5. de probat. cap. tam literis. 33. de testib.* Sufficit autem pro valore instrumenti, quod duo testes omni exceptione majores pro illius stent validitate, licet alii inscripti contradicant. Probatur etiam falsitas instrumenti per testes non inscriptos, indirectè quidem si deponant, quod Notarius, aut pars contrahens, aut testis inscriptus tempore, quo instrumentum confectum, in loco non fuerit ; Directè autem, si contra contenta in instrumento deponant, quo casu est in Judicis arbitrio, an omnibus pensatis instrumento, vel duobus testibus contra illius contenta deponentibus credere velit. Colligitur ex *cap. cum Joann. 10. h. t.*

Quæres *undecimò*. Qualiter instrumento opponitur contrarietas ?

R. Ex causa contrarietatis contra instrumentum excipi potest : quia producens instrumenta contraria contra suum adversarium nihil probat, sive sint instrumenta publica, sive privata, sive unum publicum & alterum privatum. Producens enim instrumentum ea omnia, quæ in eo contrariantur, fatetur, & consequenter sibi contraria facto asserit. *Cap. imputari. 13. h. t.* Si verò una una pars instrumentum producat contrarium instrumento partis adversæ, digniori statur : quod si utrúmque æque dignum, unum alterum elidit.

Quæres *duodecimò*. Quando instrumentum est suspectum ?

R. In suspicionem falsitatis inducitur instrumentum, *1mò*. Si vetustate consumptum. *2dò*. Si cancellatum vel deletum, ut legi nequeat. *Cap. inter dilectos. 6. h. t. cap. licet. 5. de crimine falsi. 3tiò*. Si sigillum instrumento appositum enormiter fractum sit, ut dignosci non possit. *4tò*. Si rasura vel interlineatura in parte substantiali aut loco suspecto. *Cit. cap. inter dilectos. cap. cum Venerabilis. de Relig. domib. junct. Gloss.* Si tamen ex Scriptura clarè pateat, quod ipse Notarius suâ manu in loco tali aliquid raserit, aut superscripserit, & hujus ad finem instrumenti mentionem faciat ; aut si rasura vel deletio in parte non substantiali, aut loco non suspecto facta sit, utpote quia sine eo res tota subsistit : instrumentum non est vitiatum. *Cap. ex literis. 3. h. t. Arg. cap. fin. de crimine falsi.*

Quæ-

Quæres *ultimò*. Quid si pars litigans amisit instrumentum ?

℟. Hoc tripliciter fieri potest. *1mò*. Casu fortuito, & tunc creditor per testes aut alia argumenta casum fortuitum tenorémque instrumenti vel debiti probare debet. *2dò*. Proprio facto, v. g. quia Chyrographum laceravit, quo casu idipsum ei probandum; quia pro debitore stat præsumptio liberationis & debiti remissi. *3tiò*. Facto Adversarii, ut qui obligationem ostensam laceravit, combussit &c. & tunc probatâ hac destructione plenè prohatum est, quod instrumentum continebat, quia parti subtracta est probationis copia.

TITULUS XXIII.

DE

PRÆSUMPTIONIBUS

Quarta Probationum Specie.

PRæter testes & instrumenta in judicio alia indicia & conjecturæ, quæ præsumptiones dicuntur, loco probationum adducuntur, quæ quandóque plenè, quandóque semiplenè probant, quandóque alias probationes solùm adjuvant. Est autem præsumptio conjectura ex aliquo signo verisimili proveniens, loco probationis allegata, aut à Judice ad astruendam rei dubiæ fidem assumpta. Dividitur *1mò*. in præsumptionem violentam, quæ urgenti & valde probabili conjecturâ nititur: in probabilem vel discretam, quæ probabilem quidem, minus tamen urgentem habet rationem: & temerariam, quæ ex levibus & insufficientibus fundamentis, ac potius ex privato concipitur affectu.

2dò. In præsumptionem facti vel hominis, quæ est conjectura nullo jure expressa, quam Judex ex facti qualitate & circumstantiis concipit, donec aliud demonstretur: & præsumptionem Juris, quæ legibus est expressa. Hæc vel est tantùm Juris, quando jus in dubio aliquid præsumit, quod tamdiu pro vero habetur, donec contrarium probetur, vel aliâ præsumptione elidatur: vel est præsumptio Juris & de Jure, quando canon aliquid ita præsumit, ut super tali præsumptione Jus firmum statuat, atque illam præsumptionem pro vero haberi velit. His præmissis.

QUæres *primò*. Qualiter præsumptio Juris differt à fictione Juris ?

℟. In hoc, quod præsumptio Juris sit in rei dubiæ in certis circumstantiis facta à Jure conjectura: fictio verò Juris est certæ falsitatis pro veritate ex certa causa facta assumptio, ad inducendum aliquem Juris effectum. Ita Jus existentem in utero, quando de illius commodo agitur, natum esse: Religiosum, dum verè vivit, mortuum esse: Patrem & Filium unam Perso-

Personam: Canonicum, qui est in studiis, ad effectum percipiendi reditus, præsentem esse fingit. Præsumptio Juris est eum qui matrimonium sub conditione impossibili, vel turpi matrimonio non repugnanti contrahere voluit, absolutè contrahere voluisse: Sponsos, qui post sponsalia se carnaliter cognoverunt, id animo maritali fecisse, & matrimonium contraxisse, &c. Ex qua disparitate hæc oritur differentia: quod contra fictionem Juris non admittatur probatio, sicut admittitur contra præsumptionem Juris: quod leges in falsa præsumptione fundatæ in conscientia non obligent, benè tamen, si in juris fictione fundantur.

Quæres *secundò*. An, & quando ob solam præsumptionem ad sententiam definitivam procedi possit?

℟. Judex interdum ex sola vehementi & violenta præsumptione, sive à parte adversa allegatâ, sive aliunde in judicio manifestatâ absque alia probatione ad sententiam definitivam vel condemnatoriam procedere potest: ut fecit Salomon. 3. *Reg.* 3. ex præsumptione, quod vera Mater pro vita prolis intercedebat, illi prolem adjudicavit. De quo in *cap. asserte. 2. de præsumpt.* aliud est exemplum in *cap. literis. 12. eod. tit.* Ubi ex præsumptione, quod mulier cum alio in lecto fuisset inventa, Judex propter adulterium divortii pronuntiavit sententiam. Si præsumptio non sit violenta, famâ tamen aliisque probationibus adjuvetur, sufficere potest, ut Judex sententiam ferat. *cap. tertio loco. 13. de præsumpt.*

Quæres *tertiò*. Unde præsumptiones Juris desumuntur?

℟. Tales præsumptiones per totum Jus vagantur. Ex principalioribus sunt *1mò*. In delicto dolus interfuisse præsumitur. *cap. 1. h. t. 2dò*. Ex conversatione bona in adolescentia præsumitur aliquis esse bonus in ætate virili. *Cap. ex studiis. 3. cap. mandata. 6. cap. cum in juventute. 15. h. t.* & econtra de eo, qui negligans fuit in præterito, etiam in futuro præsumitur, quod sit negligens futurus. *cap. Scribam. 9. ibid. 3tiò*. Contra illum præsumitur, qui judicium declinat, & pro illo, qui se judicio offert. *Cap. nullus. 4. h. t. 4tò*. Si quis ex duobus propositis & objectis unum solùm neget, alterum fateri præsumitur: ut est exemplum Christi, qui ex duobus à Judeis objectis, quod esset Samaritanus, & Dæmonium haberet, negando de se Dæmonium habere, secundùm sententiam Divi Greg. se Samaritanum esse confessisse præsumitur, ut refertur in *cap. 5. nonne. h. t. 5tò*. Vicinus præsumitur scire ea, quæ in vicinia palam sunt peracta. *cap. quosdam. 7. ibid. 6tò*. Notum in loco remoto notum quoque præsumitur in loco vicino. *cap. quanto. 8. eod. tit.*

Quæres *quartò*. An quis ad officium vel beneficium præsumatur idoneus?

℟. Est Regula Generalis, quod quilibet bonus præsumatur & idoneus, nisi contrarium probetur. Desumitur hæc Regula ex *cap. fin. de præsumpt. & cap. unic. de Scrutinio in Ordine faciend.* Intelligitur autem cum hac distinctione: Qualitates intrinsecæ, ut quod aliquis sit bonus, pacificus, castus, &c. præsumuntur: qualitates extrinsecæ, quæ homini à natura non insunt, ut quod in Universitate Studuerit,

duerit, quod sit Doctus, graduatus &c. non præsumuntur, sed probari debent. In dubio actus ex legitima causa præsumitur factus: ex quo à Judice potius nocens est absolvendus, quàm innocens condemnandus. Actus ad licitum & illicitum referibilis in dubio semper ad licitum & jure permissum refertur. Factum, quod ad tempus permissum & sine delicto, & ad prohibitum referri potest, tempore permisso contigisse præsumitur.

Quæres *quintò*. Quam vim habet præsumptio hominis?

℟. Præsumptio hominis, si vehemens sit & violenta, plenam fidem facit. Attamen in causa criminali ad condemnationem rei solæ non sufficiunt præsumptiones. *Cap. Literas. 14. h. t.* In criminalibus enim indubitate & luce meridianâ clariores requiruntur probationes; nisi sunt præsumptiones urgentissimæ, ac ita evidentes, ut moralem pariant certitudinem, aut causa non sit tam gravis, ad quam juxta proportionem vehementiores & graviores probationes requiruntur colligitur ex *cap. afferte. 2. & cap. tertio loco. 13. h. t.* Si præsumptiones violentæ, sed non evidentes & indubitatæ, in foro Ecclesiastico ad purgationem Canonicam inducendam, & in foro civili ad torturam sufficiunt. Præsumptio violenta quandoque semiplenè, quandoque minus probat, prout prudentis Judicis arbitrio fortior vel levior fuerit.

Quæres *sextò*. Quam vim habet præsumptio Juris?

Præsumptio Juris eum, pro quo stat, ab onere probandi liberat, illúdque in adversarium transfert; qui nisi contrarium probet, intentio illius, pro quo est præsumptio, pro veritate habetur. Nonnunquam tamen ad purgandam præsumptionem defertur juramentum. *Cap. fin. de jurejurand. cap. fin. qui matrimon. accusar. poss.*

Quæres *septimò*. Quam vim habet præsumptio Juris & de Jure?

℟. Plenè probat, quia habetur pro veritate, & probationes in contrarium excludit, nisi in casibus exceptis, qui sunt *1mò*. Si per indirectum aliquis probetur defectus, quo probato fundamentum præsumptionis corruit. v.g. Est præsumptio Juris & de jure, quod immemoriali tempore possidens bonam fidem & titulum habuerit: hæc præsumptio corruit. Si pars adversa possessionem immemorialem non interveniisse, vel possessorem semper in mala fide fuisse probet. *2dò*. Tollitur præsumptio Juris & de jure per confessionem saltem judicialem ejus, pro quo stat præsumptio, si sit de facto, quod in confitentis est potestate. Ut in Exemplo: Est præsumptio Juris & de Jure pro eo, pro quo est lata sententia, quæ in rem transiit judicatam: Si tamen ille rem se aliter habere fateatur, sententia revocatur. Item matrimonium contractum esse præsumitur, si inter sponsos de futuro copula carnalis intercesserit. *Cap. is qui fidem. 30. de Sponsal.* Si autem vir & mulier copulam non maritali, sed fornicario animo interveniisse confiteantur, illorum statur confessioni, nisi aliqua fraudis subsit suspicio. *3tiò*. Si contra præsumptionem Juris & de Jure sit notoreitas & evidentia facti; illa enim omnibus probationibus & præsumptionibus prævalere

dignoscitur. *4tò.* Si contra præsumptionem Juris & de jure parte adversariâ non opponente admissa sit probatio. *5tò.* Quando contraria probatio contra præsumptionis fundamentum adducitur. Ut mulier, quæ ex metu matrimonium contraxit, ex diuturna cohabitatione liberè in matrimonium postea consensisse præsumitur. Contra hanc præsumptionem indirecta admittitur probatio, quâ illam cohabitationis continuatione post contractum ex metu matrimonium quoque coactam fuisse demonstratur.

Quæres *octavò.* An quando lex in præsumptione fundatur, adhuc obliget in conscientia illum, qui falsam esse novit præsumptionem?

℟. *1mò.* Quando præsumptio v.g. fraudis solùm est causa legis impulsiva, eo quod Legislator legem tulerit, non quod fraus semper intercedat, sed quod fraudis sit periculum: tunc quamvis in casu particulari fraudem cessare contingat, pro illo etiam casu particulari legis manet obligatio, Ut *Trident. de Reform. matr.* prohibuit & irritavit clandestinum matrimonium, ob fraudis præsumptionem: *de Regular.* Professionem ante 16. ætatis annum factam, ob præsumptionem, quod anre illum profitens sufficiente careat discretione: & tamen matrimonium clandestinum est invalidum, esto constet nullam intercessisse fraudem: professio ante 16. Annum irrita est, quamvis in profitente sufficiens fuerit discretio.

2dò. Quando motivum formale & causa finalis est rei alicujus præsumptio; tunc si ille, contra quem est præsumptio Juris, aut Juris & de Jure, illam falsam esse sciat, in conscientia non obligatur. Exemplum est in *Cap. veniens. 15. de Sponsal.* Ubi disponitur, quod Sponsalia de futuro transeant in matrimonium, quando inter sponsos copula carnalis intervenerit: quia est præsumptio Juris & de Jure, copulam illam animo de facto matrimonium contrahendi, fuisse exercitam. Si tamen sponsus v. g. se revera talem animum non habuisse noverit, ideóque recedens cum alia matrimonium contraxerit, secundum matrimonium in foro poli verè validum, & ad primum sponsus non tenetur, imò nec redire potest. Aliud exemplum est in *Trident. Sess. 25. de Regul. cap. 14.* Ubi statuitur, quod Religiosus, qui intra quinquennium professionem non reclamavit, deinceps non sit audiendus, quia professio valida vel saltem ratificata fuisse præsumitur; si tamen talis Religiosus professionem nunquam ratificavit, sed post quinquennium discedens uxorem duxit, illud matrimonium coram DEO validum est, nec ab uxore recedere potest; quamvis in foro externo ob præsumptionem Juris & de Jure ad Monasterium redire sit compellendus.

Quæres *nonò.* Qualis contra præsumptionem Juris requiritur probatio?

℟. Major & efficacior, quàm si præsumptio non staret in contrarium; patet ex *cap. quia verisimile. 10. h. t.* Ubi, quia præsumptio erat, quod permutatio beneficii pinguis cum tenui, beneficii honorifici & duplicis cum minus honorifico & simplici fraudulenta foret, mandat Pontifex, ut super hac re probationes non recipiantur, nisi communis fama loci

hoc

hoc vulgaret, vel tales personæ in testes producantur, quos verisimile non sit pejeraturos.

Quæres *decimò*. An præsumptio faciat probationem efficaciorem?

℟. *Affirmativè*. Colligitur ex *cap. literas. 14. h. t.* Licet enim cæteris paribns plus credendum sit assertioni juratæ, quam simplici non juratæ: attamen si pro simplici assertione sit validior & vehementior præsumptio, illa juratæ assertioni prævalet.

Quæres *undecimò*. Quæ præsumptiones meliores?

℟. Sequentes. Præsumptio, quæ favet animæ: quæ stat pro valore actus: quæ à substantia potius quàm à solemnitate petitur: quæ est benignior: juri communi conformior: quæ est specialis potius quàm generalis: quæ stat pro reo: quæ in naturali potius quàm civili fundatur ratione: demum quæ à possessione deducitur: hæ præsumptiones prævalent, oppositisque sunt meliores.

Quæres *duodecimò*. An una præsumptio elidat aliam?

℟. Una præsumptio tollit alteram, & fortior enervat debiliorem. *Cap. transmisse. 3. qui filii sint legit.* Ubi aliquis à viro & muliere nutritus erat, qui à vicinia eorum filius naturalis aut spurius esse credebatur: ideóque præsumptio erat, quod talis esset; parentes tamen testati sunt, quod puer ille neque spurius suus, neque naturalis, neque legitimus filius, sed solùm pietatis intuitu ab illis enutritus esset: unde mandat Pontifex, ut dicto stetur parentum, pro quibus quod verum dicerent, major erat præsumptio.

TITULUS XXIV.

DE

PRÆSCRIPTIONIBUS,

Quinta Probationum Specie.

INter exceptiones peremptorias frequentissima est præscriptio, & maximè probat, si requisita à Jure habere dignoscatur. De hac fusius Theologi & Civilistæ. Nos secundùm institutum nostrum paucis eam perstringemus.

QUæres *primò*. Quid est præscriptio?

℟. Est acquisitio Dominii per possessionem rei vel Juris alieni continuatam tempore à lege definito, Jure civili introducta ob bonum commune, à Jure Canonico approbata, ne rerum Dominia manerent incerta, ut lites finirentur, & hominum, qui res suas & Jura in judicio prosequi negligunt, tolleretur desidia. *Cap. vigilanti. 5. de præscript.*

Quæres *secundò*. Quæ natuta præscribi nequeunt?

℟. Quæ veluti res propriæ possideri non possunt, ut res Sacræ, Ecclesiæ, or-

namenta Sacra Reliquiæ &c. quæ specialiter ab injuria & violatione hominum defensæ sunt, v. g. mœnia, portæ Civitatis, Respublica, liber homo, &c. res meræ facultatis, quæ citra obligationem & conventionem cujusque libero arbitrio relinquuntur.

Quæres *tertiò*. Quæ lege positivâ præscribi prohibentur?

R. Res Ecclesiæ nonnisi 40. Annis præscribuntur. *Cap. de quarta. 4. cap. ad aures. 6. h. t.* Contra Ecclesiam Romanam nonnisi 100. Annis præscribitur. *Cap. ad audientiam. 13. ibid. 2dò.* Limites Parochiarum & Diœcesium. *Cap. super eo. 4. de Paroch' 3tiò.* Res Fisci. *4tò.* Jura Ecclesiastica & Spiritualia à Laicis præscribi nequeunt. *Cap. causam 7. h. t.* Item bona Principis, pupillorum, minorum, feuda, fidei commissa, res furtivæ, vel vi possessæ.

Quæres *quartò*. Quæ ad præscriptionem requiruntur?

R. Hæc quatuor: possessio, bona fides, titulus coloratus, & tempus à lege definitum, vel breve, ut triennium, quo res mobiles, vel longum, ut decennium quo inter præsentes res immobiles, & vicennium, quo immobiles inter absentes præscribuntur: vel longissimum, ut 40. 60. 100. Anni, quibus res aliàs præscribi prohibitæ præscribuntur: vel tandem immemoriale, cujus initii memoria non exstat; & id requiritur, quoties jus præscriptioni resistit, & positivè possessionem prohibet. *Cap. Episcopum. 1. h. t. in 6.*

Quæres *quintò*. An subditus à legitimi Superioris obedientia præscriptione sese eximere possit;

R. *Negativè* ex *cap. accedentes. 11. cap. cum non liceat. 12. h. t.* Subditi tamen hujus Episcopi præscriptione quadragenariâ alteri Episcopo subdi possunt. Prælati quoque inferiores præscribunt jura Episcopalia, quæ 40. Annis possiderunt. *cap. auditis. 15. cap. cum olim. 18. ibid.*

Quæres *sextò*. An bona vel mala fides ob: vel profit successori?

R. *1mò*. Bonæ fidei possessori succedens tempus antecessoris ad præscriptionem computare potest. *2dò.* Mala fides antecessoris non nocet successori singulari, quamvis tempus antecassoris computare non valeat. *3tiò.* Mala fides nocet successori universali seu hæredi, ita, ut nunquam præscribere possit: quia talis defunctum repræsentat, & fictione juris est eadem cum illo persona.

Quæres *septimò*. Quando dormit præscriptio?

R. Dum propter superveniens impedimentum tempus præscriptionis v. g. durante hostilitatis incursu, currere cessat. *Cap. ex transmissa. 10. h. t.* Sede vacante. *cap. 1. & cap. fin. ne sede vacante.* Impedimẽto cessãte iterũ currit præscriptio.

Quæres *octavò*. Quando interrumpitur præscriptio?

R. Præscriptio semel inchoata interrumpitur, dum supervenit aliquid, ex quo de novo inchoari debet, deficiente v. g. aliquâ conditione: ut possessione bonâ fide, aut si lis super re possessa moveatur.

Quæres *nonò*. An per Privilegium contrarium præscriptio interrumpatur?

R. Si completâ præscriptione Privilegium contrarium impetratur, juri per præ-

præscriptionem obtento renuntiatur: si vetò illâ nondum completâ impetratur, præscriptio interrumpitur, eò quod bona fides abesse dicatur in *cap. veniens, 19. h. t.*

Quæres *decimò*. Quo tempore servitutes præscribuntur?

℟. Tam reales quàm personales, tam rusticæ quàm urbanæ cum titulo inter præsentes 10, inter absentes 20, sine titulo 30. annis præscribuntur. *L. fin. C. de long. temp. præscript.*

Quæres *undecimò*. Quo tempore obligationes & debita præscribuntur.

℟. Regulariter 30. annis. *L. fin. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*

Quæres *duodecimò*. Quodnam remedium supereſt contra completam præscriptionem?

℟. Beneficium restitutionis in integrum, quæ Majoribus datur ex justa causa, ob quam currente præscriptione res & jura sua prosequi fuerunt impediti.

TITULUS XXV.

De Jurejurando, sexta probationum specie.

QUæres *primò*. Quid & quotuplex est juramentum?

℟. Juramentum sive Jusjurandum est invocatio divini nominis in testimonium veritatis. Dividitur in assertorium, quod est invocatio divini nominis in testimonium veritatis rei, quam dicimus. Tale juramentum faciunt testes in judicio: *ap. nuper 5. de testib.* & in promissorium, quod est invocatio divini nominis ad confirmandam promissionem factam. Notabilis differentia inter utrumque est, quod in violatione juramenti assertorii materiæ parvitas nulla detur.

Quæres *secundò*. An Juramentum sit licitum?

℟. Non solùm licitum est in judicio jurare, ùt constat ex Jure tam civili quàm Canonico, in quibus Jusjurandum tanquam res licita, & in foro omninò necessaria supponitur: sed etiam extra judicium jurare peccaminosum non est; utì patet ex variis S. Scripturæ locis, scilicet *Deuteron. 6. Rom. 1. 1. Thessal. 2.* Ratio est: quia jurans DEUM tanquam testem infallibilem, qui nec falli, nec fallere potest, advocando exercet actum religionis, DEO debitum deferendo honorem, dum illum primam veritatem esse profitetur. Vocatur autem DEUS in testem ad faciendam fidem dictis vel promissis aut expressè aut tacitè. Invocatur expressè, dum dicitur: Juro per DEUM: DEUM in testem invoco; testor DEUM: per DEUM ita est: juratò assero: juratò promitto &c. tacitè invocatur: Juro per fidem Catholicam, per Sanctos, per Evangelium, per animam, per salutem meam, per cælum & terram, aliásque creaturas cum ordine & relatione ad Creatorem, quatenus ejus virtus & sapientia in eis relucet. Asserere aliquid interponendo fidem su-

am : ut per fidem Sacerdotalem, per fidem Principis hoc affero vel promitto, non est juramentum.

Quæres *tertiò*. Quid ad valorem juramenti requiritur?

R. *primò*. Extra Judicium quælibet persona usûs rationis cadax jurare potest. *arg. cap.* 1. *de delictis pueror.* ubi pueri ante 14. ætatis annum pejerare posse dicuntur. 2*dò* requiritur intentio jurandi. Ideo qui fingit se jurare absque animo jurandi, vi juramenti non obligatur: quia intentio & voluntas ad omnem actum humanum concurrere debet. *arg. can. humanæ aures.* 11. *caus.* 22. *q.* 5. Attamen ratione scandali vel damni tertiæ personæ per juramentum obvenientis sæpius quis indirectè juramento ficto obligatur: quia & is, qui juravit promittendo non habens animum sese obligandi est perjurus, cum DEUM in testem invocet, quod alteri se obstringere velit, quam tamen voluntarem actu non habet. 3*tiò*. Materiam juramenti capacem intervenire necesse est : in juramento siquidem promissorio res jurata licita & honesta esse debet. Unde invalidum est juramentum inprimis de facienda re indifferente, quæ nec cedit in honorem DEI, nec in propriam nec in proximi utilitatem: deinde invalidum est juramentum de re etiam venialiter illicita. Exempla sunt : juramentum Principis de moneta conservanda, quam vitiatam esse novit. *cap. quanto.* 18. *h. t.* Juramentum Religiosi se in Monasterio non permansurum. *cap. sicut.* 13. *h. t.* Juramentum Prælati se res, quas malè alienatas novit, non petiturum. *cap. pervenit*, 2. *h. t.* Juramentum Regis se bona & jura ad Coronam pertinentia non recuperaturum. *cap. si verò.* 8. *h. t.* Juramentum filii se parentibus debita obsequia non præstiturum. *cap. cum quidam.* 12. §. *illi verò, h. t.* Juramentum conjugum officiis matrimonialibus se non satisfacturos. *cap. tua nos.* 24. *h. t.* Juramentum Beneficiati Dignitati, Ecclesiæ aut reditibus beneficialibus præjudicans. *cap. tua nos.* 11. *cap. sicut nostris.* 27. *h. t. cap. prohibemus.* 7. *de censibus.* Juramentum subditi tertio obedientiam vel fidelitatem in Domini vel Superioris sui præjudicium jurantis. *cap. venientes.* 19. *cap. ea te.* 22. *h. t* Ratio generalis est : quia juramentum non est institutum, ut sit vinculum iniquitatis. *cap. quantò.* 18. *cit.* & injuriam facit Deo, qui illum in testem invocat malitiæ, & velut patronum facit iniquitatis. Demum invalidum est juramentum de re propter publicam authoritatem principaliter prohibita : sic invalidum est juramentum Judicis jurantis se crimina manifesta non puniturum. *cap. ad nostram.* 21. *h. t.* Juramentum mariti promittentis uxori se eam de nullo crimine committendo accusaturum. *cap. quemadmodum.* 25. §. *illud autem. h. t.* Item juramentum testis jurantis se non dicturum testimonium in judicio. Dixi : *principaliter ob publicam utilitatem* : quia si quid principaliter ob privatam utilitatem prohibeatur, juramentum præstitum super tali actu à lege principaliter in favorem jurantis infirmato validum est & observandum. *cap cum contingat.* 28 *h. t.* Juri enim principaliter pro se introducto quilibet renuntiandi habet facultatem.

Quæ-

Quæres *quartò*. Quid requiritur, ut licitum sit juramentum?

℟. Tres debet habere comites, veritatem, justitiam & judicium. *can. animadvertendum. 2. cauſ. 22. q. 2. Primò* requiritur veritas: ne in confirmationem falsi vel mendacii DEUS adducatur; ideo in juramento assertorio factum, de quo juratur, juranti pro conditione & qualitate ejusdem certum esse oportet, ita, ut major requiratur certitudo, dum de proprio actu, de quo evidens potest haberi cognitio, quàm dum de facto alieno fit juramentum, ad quod moralis sufficit certitudo. In juramento promissorio duplex requiritur veritas: una de præsenti, videlicet, quod jurans illud, quod promittit, adimplendi habeat intentionem: altera de futuro, ut jurans id, quod juramento promisit, faciat esse verum, promissionem exequendo; ex quo perjurium committitur, non tantùm si non servetur, quod est promissum, sed etiam si ab initio promissum servandi habita non fuerit intentio, quamvis promissum ex post servetur: quia DEUS in testem illius rei, quæ secundùm intentionem jurantis falsa erat, fuit invocatus.

2*dò*. Justitia exigit, ut res jurata licita justa sit & honesta, sive ne in testem dicti aut facti injusti, iniqui, & peccaminosi DEUS adducatur.

3*tiò*. Judicium requirit, ne temerè, inconsultò, irreverenter, sine justa causa & reverentia adducatur divinæ testimonium Majestatis, ad quem finem certæ solemnitates adhiberi solent: ut quod masculi jurent erectis primis digitis, videlicet pollice cum duobus manûs dexteræ sequentibus: fœmina dexteram manum ponat ad sinistram pectoris partem: pectus tangat Sacerdos: hoc juramentum corporale vocatur. Si juramentum solemniter fiat, jurans sacra, scilicet crucem, reliquias vel Evangelia tangere debet dicendo: *Sic me DEUS adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia: In principio erat verbum &c.* qui ritus adhibentur, ut cum majori deliberatione, reverentia, & timore juramentum præstetur.

Quæres *quintò*. Quos juramentum habet effectus?

℟. Sequentes. *Primò*. Juramentum assertorium jurantem perjurum & perjuriæ pœnis reddit obnoxium, si falsum juret, aut veritatem non fateatur.

2*dò*. Juramentum contractui valido adjectum obligationi justitiæ, quam inducebat contractus, religionis superaddit obligationem, ut si contrahens à violatione contractûs turpitudine injustitiæ non abstrahatur, saltem turpitudine perjurii deterreatur. Porrò contractus ille juratus in quantùm obligat ex virtute religionis, tantùm astringit jurantem, nec vinculum religionis ad successores, hæredes, vel alios, qui non jurârunt, transit, quantumvis jurans suo & successorum nomine aliquid promiserit. Ratio est: quia obligatio juramenti, quæ ex virtute religionis oritur, non nisi propriâ voluntate suscipitur, cùm sit merè personalis, licèt obligatio justitiæ, quæ ex jurato pacto nascitur, ad hæredes vel successores paciscentis transire noscatur.

3*tiò*. Juramentum pacto additum nudo præter obligationem religionis obligationem etiam civilem justitiæ, sive in foro externo actionem parit. 4*tò*.

4tò. Juramentum contractui de jure civili infirmo vel irrito adjectum præter obligationem religionis obligationem justitiæ inducit : quia juramentum contractui solo jus positivo irrito vel irritando accedens ex utriusque juris privilegio vitium purgat nullitatis, & contractum confirmat, ut non tantùm ex virtute religionis tatione juramenti, sed etiam ex virtute justitiæ ratione contractûs obliget confirmati. Probatur ex *cap. cum contingat. 28. de h. t.* & *cap. quamvis. 2. de pactis in 6.* Fiunt sequentes exceptiones. *1ma.* Juramentum non confirmat contractum jure positivo irritum, si lex vel consuetudo pactum illud velut turpe prohibeat : ut prohibetur jurata promissio matrimonii facta fœminæ, uxore vivente, sub conditione, si uxor moriatur. *2da.* Si leges non solùm contractum, sed etiam adjectum irritent juramentum. *3tia.* Si pactum turpitudinem contineat ex parte Creditoris, in cujus favorem est juramentum : ut juramentum solvendi usuras. Ratio est: quia quod contractus alioquin humano jure invalidus per juramentum confirmetur, non præcisè ex virtute juramenti, sed ex lege provenit, quæ in favorem juramenti valorem suum contractui restituit, quod non facit, quando contractus bono publico nocivus, vel in favorem malè agentis est, ne malitiæ Patrocinari videatur.

5tò. Juramentum in contractu jure naturæ irrito vel irritabili, si ex parte jurantis turpitudinem habeat, nullam obligationem nec justitiæ nec religionis inducit : si ex parte jurantis turpitudinem non contineat, ex sola religionis obligat virtute, ut juramentum solvendi usuras. *cap. debitores. 6. h. t.* promissio jurata metu vel dolo extorta. *Cap. cum contingat. 28. de jurejur. cap. quamvis. 2. de pactis. in 6.* Ideo sublato religionis vinculo non est contractûs obligatio : ut si debitor juramenti obtinuerit remissionem, ex contractu non tenetur, &, si, ut satisfaceret juramento, solverit, solutum repetere potest. Ratio est : quia in his casibus juramentum tantum ob reverentiam divini nominis obligat, nullúmque jus vel actio juramentum recipienti acquiritur.

6tò. Juramentum de actu aliquo non ponendo illum reddit illicitum, si juramento non obstante ponatur, invalidum tamen non facit, si aliàs secluso juramento de se licitus fuerit. Ut : quis juratò sponsalia promittit, contra quæ cum alia de præsenti matrimonium contrahit: Matrimonium contra sponsalia jurata contractum validum est ; econtra si actus, qui contra prius fit juramentum, per se & secluso juramento invalidus sit, per juramentum posterius non confirmatur.

Quæres *7otò*. Quando & quomodo cessat juramenti obligatio ?

R. Modis sequentibus : 1. Mutatione materiæ, si materia juramenti propter supervenientem circumstantiam illicita reddatur, *cap. quantò. 18. cap. venientes. 19. h. t.* vel impossibilis fiat, cum ad impossibile nemo teneatur, *Reg. Jur. 6. de reg. Jur. in 6.* vel materia ita difficilis evadat, ut si jurans id prævidisset, non jurasset, quia juramento hæc tacita inest conditio : Rebus sic stantibus. *cap. querelam. 10. cap. brevi. 17. cap. quemadmod. 25. h. t.*

2dò. Condonatione ; si is in cujus favorem & gratiam præstitum est juramentum, expressè vel tacitè juranti obligationem

nem remittat: quia in omni promissione jurata tacita intervenit conditio: nisi is, in cujus favorem est juratum, favori renuntiet. *Arg. cap. præterea. 2. de Sponsal.*

3tiò. Violatione juramenti: violatâ videlicet fide juratò datâ ab una parte, ab altera parte, quæ fidem servavit, cessat juramenti obligatio: quia in contractu reciproco hæc conditio subintelligitur: si promissis suis alter steterit; non enim fides debetur, ei qui fidem frangit. *Cap. pervenit. 3. cap. sicut. 29. §. jurament. h. t.*

4tò. Dispensatione. Juramentum homini præstitum, si ex parte recipientis turpitudò, dolus, metus, aut vis non intercessit, invito eo cui præstitum est, solâ S. Pontificis dispensatione relaxari potest. Per tale enim juramentum jus tertio quæsitum est, ideóque non sine injuria, nisi à suprema in Spiritualibus potestate, idque ex causa gravissima relaxari potest. Aliàs tale juramentum Episcopus ei, à quo vi, dolo & injuria extortum fuit, remittendi potestatem habet; imò Magistratus politicus indirectè juramentum relaxat, si res per juramentum promissa ad sæculare forum pertineat: tunc enim loco illius, qui juramentum per injuriam extorsit, illud remittere potest.

Quæres *septimò.* Quot sunt juramentorum judicialium genera?

R. *1mò.* Aliqua sunt judicii præparatoria, ut juramentum calumniæ, juramentum malitiæ, juramentum dandorum & respondendorum: alia in judicio probatoria, ut juramenta testium; alia litis decisoria, quæ partes vel à se invicem exigunt, vel à Judice deferuntur, ut mediante tali juramento litis fiat decisio.

R. Juramentum litis decisorium dividitur in voluntarium & necessarium: voluntarium subdividitur in extrajudiciale & voluntarium judiciale: juramentum necessarium subdividitur in suppletorium purgatorium, & juramentũ in litem.

Quæres *octavò.* Quid est juramentum voluntarium.

R. *1mò.* Voluntarium extrajudiciale est, quod pars parti extrajudicium defert, vel præstari petit, sub ea conditione, quod ab ulteriori processu desistere, & juramento stare velit. Absolutè voluntarium dicitur, quia pars, cui hoc juramentum delatum, illud invita præstare, aut deferenti referre non tenetur, hoc est: petere, ut pars, quæ illud præstari petit, simile dicat juramentum; nam juramentum illud à parte una delatum, & ab altera acceptatum transactionis species est: nemo autem invitus transigere cogitur. Imò si is, cui hoc juramentum primitus delatum, illud delatori referat, etiam hic recusare potest, cum ab utraque parte sit liberum: semel tamen acceptatum recusari nequit.

2dò. Juramentum voluntarium judiciale est, quod authoritate Judicis à parte parti in judicio eâ defertur lege, ut si jurare ausit, absque ulteriori processu victoriam obtineat. *Cap. fin. h. t.* Vocatur hoc juramentum voluntarium, sed cum addito: judiciale, quia à parte parti delatum, etiam illud non referendo, liberè recusari potest; attamen pars, quæ à principio deferendo per juramentum litis decisionem elegit, illud sibi relatum sine justa causa recusare non potest. Si juramentum relatum adversarius non præstat, ex juris dispositione in causa principali amplius non auditur. Eodem modo

sin, Judice approbante, reo juramentum deferatur, si illud absque causa neque præstare, neque adversario referre velit, pro confesso habetur; quod verum, si Actor ab initio statim nihil probare conatus, reo juramentum deferat, tunc reus aut jurare, aut juramentum Actori referre cogitur: Si neutrum absque causa faciat, pro victo habetur, secus si Actor probare inceperit, & in probatione defecerit, tunc reus est absolvendus. Dixi: *Absque causa.* Nam justa causa deciſorium recusandi juramentum sunt: 1*mò.* Si deferens juramentum de calumnia jurare nolit. 2*dò.* Si quis semel delatum juramentum revocaverit, & revocatum iterum deferat. 3*tiò.* Si is, cui defertur juramentum, ante intentionem suam plenè probavit, vel alio modo intentionem suam legitimè probare velit. 4*tò.* Si juramentum super facto alieno ignoto deferatur, ut quando hæredi super facto testatoris defertur juramentum 5*tò.* Demum si in actione famosa sive infamante reo ab Actore delatum sit juramentum, illúdque reus referat Actori, hic juramentum relatũ jurare non obligatur. Ut: Titio infamato de furto commisso juramentum defertur, quod ille Actori refert; hic juramentum relatum susscipere non tenetur. *Cap. fin. h. t.*

Quæres *nonò.* Quodnam juramentum necessarium suppletorium?

℟. Hoc Judex defert parti, quæ semiplenè probavit, ut ejus adminiculo probatio compleatur. Ut hoc juramentum suppletorium imponi valeat, requiritur, ut is, cui defertur, semiplenè probaverit intentionem suam, & semiplena probatio per contrariam præsumptionem non fuerit elisa vel diminuta.

Quæres *decimò.* In quibus casibus juramento suppletorio locus non est?

℟. In sequentibus. 1*mò.* Si is, cui deferendum esset, non sit fide dignus, sed vilis, infamis, perjurus, &c. ob perjurii periculum. 2*dò.* In causis civilibus arduis: quia in his ob periculum perjurii juramentum non plenam probationem, sed tantùm indicium facit & præsumptionem. 3*tiò.* In causis matrimonialibus, quando de impediendo vel dissolvendo agitur matrimonio. 4*tò.* Demum in causis criminalibus, in quibus juramentum suppletorium ad probationis complementum Actori deferri non potest: eò quod plenissimæ & luce meridianâ clariores in his requirantur probationes.

Quæres *undecimò.* A quibus juramentum voluntarium decisivum litis præstari potest?

℟. Illud solùm deferre potest, qui de re controversa liberam habet dispositionem: quia hoc juramentum ex conventione defertur, & habet se per modum transactionis. Ideo pupillus, minor, prodigus declaratus, Filiusfamilias, Religiosus jnramentum litis decisivum offerre non possunt, deferri tamen potest omnibus, qui ex conventione sibi vel aliis actionem aut exceptionem quærere possunt, sine sexûs ætatis vel conditionis differentia.

Quæres *duodecimò.* Quid est juramentum purgatorium?

℟. Quod Judex imponit ei, qui suspicionibus oneratus, ut ad ostendendam innocentiam se purget. Hoc defertur, quando contra reum Actor minùs quàm semiplenè probavit, & tales suspiciones contra ipsum militant, qnæ probabiliter

redd-

reddant suspectum. Quænam autem tales suspiciones sint, Judicis relinquitur arbitrio.

Quæres *ultimò*. Quid est juramentum ad litem?

℟. Est, quo lis aut res, de qua in judicio agitur, æstimatur. Dividitur in juramentum affectionis, & veritatis. Juramentum affectionis est, quo res in judicium deducta, quia in individuo haberi non potest, juxta Domini æstimatur affectionem. Ut: probavi, quod Titius meum equum abstulerit, quem ille, ne reddere teneretur, Gallis vendidit: in hoc casu Judex juramentum in litem mihi defert, quo talem equum non tantum secundùm se, sed etiam secundùm affectum meum æstimem, sicque juro, quod ipsum equum quàm 100. Imperiales habere mallem, etsi secundùm communem æstimationem equus ultra 100. Florenis non valuerit. Hoc juramentum à Judice in pœnam fraudis solùm deferri potest. Juramentum veritatis est, quo lis vel res litigiosa æstimatur, quanti est, vel quanti Actoris reverà interest, secundùm verum rei valorem.

TITULUS XXVI.

De Sententia & re Judicata.

POst probationes, exceptiones, & replicationes factas, per quas de meritis causæ Judici constat, in causa fit conclusio, quam sententia subsequitur; à qua si appellatum non fuerit, ea transit in rem judicatam.

QUæres *primò*, Quid est conclusio in causa?

℟. Et submissio controversiæ ad decisionem à partibus Judici facta. Ut enim dicit Pontifex in *Can. judicantem. 1. caus. 30. q. 5.* Judicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plenâ inquisitione discutere: interrogandi, respondendi, objiciendíque præbita patientia ab eo, ut ibi actio ambarum partium illuminata sit pleniter: nec litigantibus Judex prius velit suâ sententiâ obviare, nisi quando ipsi jam peractis omnibus nihil habeant in quæstione, quod proponant, & tamdiu actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perveniatur.

Quæres *secundò*. Quot modis fit conclusio?

℟. Hæc conclusio fieri potest vel expressè, quando explicitis & expressis verbis omnibus probationibus & exceptionibus juris & facti renuntiatur: vel simpliciter, aut conditionatè cum protestatione & reservatione: si etiam pars adversa concludat: si nihil novi emergat, &c. vel tacitè fit conclusio, quando partes nullâ interpositâ protestatione de amplius deducendo jure suo, simpliciter causam referunt ad sententiam. Quod si partes litem nimium protrahant, Judex terminum præfigit, quo elapso non amplius exspectans causam habet pro conclusa, & ad sententiam procedit; quod in Judice Ecclesiastico maximè verum, qui partibus vel alterâ ipsarum invitâ, ex quo sufficientes datæ dilationes, in causa conclusum pronuntiat. *Gloss. in Clement. sæpe contingit. 2. de V. S. Verb. conclusione.*

Quæres *tertiò*. Quanta conclusionis necessitas ?

℟. In processu ordinario est de substantia judicii conclusio in causa ad acta referenda. *Cap. auditis. 8. de Procurat. cap. Pastoralis. 5. de caus. poss. & propriet. cap. quoniam. 11. de probat. cap. cum dilectus. 9. de fide instrum. Clem. unic. de caus. poss. & propr.* In causis Summariis omitti potest conclusio.

Quæres *quartò*. Quis conclusionis in causa effectus ?

℟. Factâ conclusione nulla amplius admittitur probatio: quia de causa plenè constat. *Gloss. in cap. significaverunt. 36. de testib. V. liquere.* Excipiuntur casus sequentes : *1mus.* Judex ex causa legitima, postquam in causa conclusum, probationes admittere potest. Constat ex *cap. cum Joannes. 10. de fide instrum.* Conclusio enim in causa Judicem non arctet, qui usque ad sententiam universa rimari debet, & de facto interrogare potest, quoties aliqua occurrit dubitatio. *2dus.* Post conclusionem in causa juris allegationes exhibere, & aliquod juridicum facultatis juridicæ consilium offerre licet : quia per exhibitionem talium conclusioni in causa non contravenitur, cum nihil facti adferatur. *3tius.* Postquam in causa conclusum, noviter inventa recipiuntur instrumenta : tempus enim ad producenda instrumenta concessum à die notitiæ currit. *Cap. Pastoralis. 4. de Except. 4tus.* In causa criminali, quantumvis in causa conclusum, donec sententia pronuntietur, instrumenta, testes, aliæque probationes à reo oblatæ admittuntur; idem est in causa matrimoniali.

Quæres *quintò*. Quid & quotuplex est sententia ?

℟. Sententia est Judicis super causa in judicio controversa pronuntiatio. Alia est definitiva : alia interlocutoria. Definitiva est, quæ totam causam principalem dirimit, litémque finit : & hæc vel est absolutoria, vel condemnatoriâ : Absolutoria reum ab intenta actione absolvit: condemnatoria reum condemnat ; quod in criminalibus dupliciter fieri potest, vel declarando crimen, & non damnando reum, neque ei pœnam infligendo, sed commissum crimen, & pœnam à lege inflictam esse incursam solùm declarando : & tunc sententia quoad effectum pœnæ ad momentum, quo crimen est patratum, retrotrahitur. E. g. Hæreticus beneficiis eorúmque fructibus ipso facto privatus ; quamvis is se iis ante sententiam criminis declaratoriam privare non teneatur, postquam tamen sententia probata, omnes fructus à die commissi delicti restituere debet. Vel sententia condemnat reum pœnámque infligit, quæ antea inflicta non erat, quamvis forsan lex eandem infligi jusserit. Sententia interlocutoria est, quæ super certo articulo controverso fertur, causâ principali in litis pendentia manente, & hæc est vel merè interlocutoria vel definitivæ vim habet sententiæ : merè interlocutoria præjudicium quidem parit, quod tamen per sententiam definitivam reparabile, & ab eodem Judice revocari potest, ut si Judex per Decretum certâ die partes adesse jubeat : si exceptionem aliquam admittat, vel non admittat.

Quæres *sextò*. Quæ interlocutoria vim habet definitivæ ? ℟. Quæ

℟. Quæ parit præjudicium per sententiam definitivam irreparabile. Talis est, quæ causâ pronuntiatur desertâ: item mandatum de solvendo, & generaliter omnis sententia, quæ definit unum principalis negotii articulum, à cujus definitione solutio quoque alterius dependet: ut si Judex minorem, qui in integrum restitui petit non esse minorem pronuntiet.

Quæres *septimò*. Quæ forma in sententiæ pronuntiatione observanda?

℟. *1mò*. Judex probationibus, exceptionibus, &c. maturè discussis utramque partem litigantem ad certum diem pro sententia per se vel Procuratorem audienda citare debet. *Cap. cum Bertholdus*, 18. *h. t. cap. causam*. 3. *de dolo & contum*. 2*dò*. Utraque parte præsente sedentem pro tribunali Judicem sententiam in scriptis ferre oportet. *Cap. fin. h. t. in 6*. Ubi dicitur, quod sententia definitiva in scriptum redacta ab ipso Judice (nisi sit persona illustris vel Episcopus) recitari debeat, idque sedendo, non stando vel obambulando: & sententia, quam scriptam edi à Judice litigatoribus, non recitari: vel quam ab ipso stando, non sedenda proferri contingit, nullius penitus est momenti. In causis summariis hoc non observatur. *Clem. sæpe contingit*. 2. *de V. S.* 3*tiò*. Tempore congruo, h. e. die non feriatâ, sed juridicâ ferri debet. *Cap. fin. de feriis*. Diurno non nocturno tempore. *Cap. consuluit*. 24. *de Offic. deleg.*

Quæres *octavò*. Quæ inter sententiam invalidam & injustam differentia?

℟. Vel sententia contra ordinem juris, sive contra jus constitutionis lata est; & jam ipso jure nulla est, nec nomen meretur sententiæ. *Cap*. 1. *h. t.* Vel contra jus partis lata est, ut pronuntiando testamentum esse validum, quod reverà invalidum est: & tunc sententia de jure subsistit, & nisi ab illa appelletur, in rem transit judicatam. *Cap. cum inter*. 13. *h. t.*

Quæres *nonò*. Quid est res judicata?

℟. Res judicata est ipsa causa, quæ per pronuntiationem sententiæ à Judice factam controversiæ finem accepit, & pro veritate habetur: sententia enim postquam intra 10. Dies ab illa non fuerit appellatum, transit in rem judicatam, & pro veritate habetur. *L. res judicata*, 207. *ff. de Reg. Juris*.

Quæres *decimò*. Quis rei judicatæ effectus?

℟. Res judicata ulterius impugnari vel iniquitatis argui non potest, sed pro re judicata stat præsumptio juris & de jure: inter partes jus facit, adeo, ut id quod antecedenter ex solo debebatur contractu, nunc ex re judicata solvendum sit; nec res judicata per instrumenta vel Privilegia noviter reperta rescinditur. *Cap. inter Monasterium*. 20. *Cap. suborta*. 21. *h. t.*

Quæres *undecimò*. In quibus casibus res judicata non præjudicat?

℟. In sequentibus. *1mò*. In causa matrimoniali, quamvis Judex Ecclesiasticus secundùm allegata & probata divortii tulit sententiam, si tamen postea non subesse impedimentum appareat, sententia rescinditur. *Cap. lator*. 7. *cap. tenor*. 10. *cap. consanguinei*. 11. *h. t.* Ratio est: quia animæ adest periculum, & matrimonium semel validum nec per senten-

tiam, nec ullâ ratione dissolvi potest. 2dò. Quando Judex actori non plenè probanti juramentum suppletorium detulit, & propterea ei causam adjudicavit. *L. admonendi. 31. ff. de jurejur.* 3tiò. Sententia pretio empta, licèt appellatum non sit, infirma manet, nec transit in rem judicatam. *L. venales. 7. C. quando provocat. non est necess.* 4tò. Si Judex errorem falsamve causam, quæ ipsum ad pronuntiandum movit, sententiæ inseruit. *L. 1. ff. quæ sentent. sine appell. rescind.*

Quæres *duodecimò*. Qualiter sententia executioni mandanda?

R. *primò*. Postquam sententia in rem judicatam transiit, fit execntio à Judice, qui illam tulit, vel ejus delegato, nisi fuerit Judex appellationis, qui si sententiam, à qua appellatum, confirmet, causæ executionem ad priorem Judicem, ut eam faciat, remittere debet.

2dò. Merus executor, cui nulla omninò cognitio causæ commissa, contra sententiæ executionem exceptiones admittere non potest. Executor mixtus, cui cognitio de facienda executione committitur, exceptiones illas cognoscere potest, quæ non ad impugnandam sententiam, sed solùm ad retardandam vel impediendam tendunt executionem. *cap. de cætero. 5. h. t.*

3tiò. Tertius quoque, qui Judicio ab initio non interfuit, cujus tamen interest, neque infra 10. dies appellavit, quia nescivit, sententiæ executionem impedire potest: cùm juxta constitutiones canonicas & civiles res inter alios acta non noceat regulariter alii. *cap. cum super. 17. h. t.*

Quæres *ultimò*. Quæ pœna Judicis malè judicantis?

R. De jure civili litem facit suam, id est, periculo litis se obstringit, & litem damnumque partis læsæ in se transfert. De jure canonico per annum ab officii suspenditur executione, ad æstimationem litis parti quam læserit, nihilominus condemnandus. *cap. cum æterni. 1. h. t. in 6.*

TITULUS XXVII.

De Appellationibus.

HUcusque explicavimus, qualiter juris litigium in prima instantia sive primo judicio sit deducendum & definiendum; quia verò partes per Judicum sententias aliquando gravari contingit, ideo jurium Conditores eis secundam instantiam, sive remedium appellationis ad Judicem superiorem, per quem prioris sententiæ reformetur iniquitas, non minùs prudenter quàm salubriter constituerunt. De hac

QUæres *primò*. Quid est appellatio?

R. Est à gravamine inferioris ad superiorem provocatio. Dupliciter enim pars per sententiam Judicis gravari potest. *Primò*. Quia sententia contra se lata ob defectum alicujus ad sententiæ valorem requisiti nulla est, ut quia ab incompetente Judice, aut post recusationem

nem Judicis ſuſpecti, aut ad inſtantiam Procuratoris falſi, aut contra reum indefenſum, aut contra priorem, quæ in rem judicatam tranſiit, lata fuit ſententia: & tunc gravatus de nullitate vel apud eundem Judicem, qui ſententiam tulit, *L. 1. ff. quæ ſentent. ſine appell. rescind.* vel coram Judice ſuperiore opponere poteſt, maximè ſi non ex errore, ſed ex Judicis inferioris malitia ſententiæ nullitas proveniſſe noſcatur. In Judice delegato hoc ſpeciale eſt, quod is ſententiam à ſe nulliter prolatam reformare nequeat, ſed delegans ſit adeundus. Cujus ratio eſt: quia delegatus poſtquam ſententiam ſive bene, ſive malè pronuntiavit, officio ſuo functus eſt, & juriſdictio exſpirat. *cap. in literis. 9. de offic. deleg.*

2dò, gravari poteſt; quia licèt proceſſus & ſententia contra gravatum lata valida ſit, cùm omnes juris ſolemnitates obſervatæ ſint, ideoque ſententia non ſit contra jus conſtitutionis, attamen eſt contra jus litigatoris, ùt loquitur *cap. cum inter. 13. h. t.* & tunc locum habet remedium appellationis, quæ eſt à minore & inferiore Judice ad majorem & ſuperiorem ratione gravaminis vel illati vel inferendi facta provocatio.

Quæres *ſecundò*. Quotuplex eſt appellatio?

R. Alia judicialis, alia extrajudicialis. Colligitur ex *cap. cordi. 1. cap. concertationi. 8. h. t. in 6. Clement. ſicut. 3. eod tit.* Judicialis eſt, quæ ab actu ſit judiciali, videlicet ſententia definitiva vel interlocutoria. Extrajudicialis eſt, quæ ab actu vel decreto extrajudiciali, ut ab electione vel beneficii collatione interponitur; impropriè autem eſt appellatio, quia Judicem, à quo fiat, non neceſſariò requirit, cùm etiam à parte litigante, quæ gravamen infert, appellari poſſit: ideoque non propriè appellatio, ſed potiùs ad cauſam eſt provocatio, quia ad cauſam pertinet inchoandam.

Quæres *tertiò*. Qui appellare poſſunt?

R. Regulariter omnibus, qui per iniquitatem vel imperitiam Judicis gravati ſunt, appellare permiſſum eſt. *can. Omnis oppreſſus. 3. & ſeqq. cauſ. 2. q. 6.* appellatio enim defenſionem continet, quam natura omnibus indulſit. Unde

Primò. Non ſolùm ille, qui per ſententiam definitivam condemnatus fuit, ſed etiam quorum intereſt, appellare poſſunt. *L. 1. ff. de appell. recip.* ſic fidejuſſor pro eo, qui fidem interpoſuit: Procurator mandatum habens pro Principali: Tutor & Curator pro pupillo & minore: Dominus pro ſubdito: Pater pro filio: & perſona conjuncta cum cautione de rato pro conjuncto ritè appellant; imò humanitatis ratione receptum eſt, ut pro reo ad ſupplicium damnato quilibet provocare valeat. *L. non tantùm. 6. ff. de app.*

2dò. Excommunicato appellationis datur beneficium. *cap. cum inter. 5. cap. dilectæ. 10. cap. ſignificaverunt. 11. de excepr.* Excommunicato enim in Judicio omnis conceditur defenſio: Attamen appellatio extrajudicialis, cùm potiùs ſit quædam ad cauſam provocatio, quàm appellatio, ideo ſicut excommunicato non licet aliquem ad judicium provocare; *cap. intelleximus. 7. de judiciis.* ita quoque extrajudicialiter appellare eidem denegatur.

3tiò. Conſors ejuſdem litis appellare poteſt, & cæteris conſortibus hæc prodeſt

appel-

appellatio. *cap. una sententia. 72. de appell.* si enim unus solus ad appellationis beneficium convolaverit, illius victoria jure communi suffragatur, si communi jure juventur, idemque negotium & eadem causa defensionis existit.

4tò. Qui se mandatis Ecclesiæ parituru juravit, hoc juramento non obstante à sententia vel præcepto, quo se injustè gravari arbitratur, appellandi habet facultatem. *cap. ad hæc. 20. de appell.* nam juramentum generaliter præstitum juxta & justitiæ limites explicandum, nec ad mandatum injustum extendendum est. Si tamen frivolè & solùm subterfugii causâ facta appellatio, illa nulla foret. *cap. quæstioni. 21. h. t.*

Quæres *quartò*. Quibus appellationis denegatur remedium?

℟. Sequentibus: *Primò*, qui appellationis beneficio voluntariè vel tacitè vel expressè renuntiavit: ut si appellans Apostolos non petat, aut intra tempus præfixum appellationem non prosequatur. *cap. personas. 4. cap. cum sit. 5. h. t.* vel si condemnatus post appellationem adhuc coram Judice *à quo* litiget. *cap. gratum. 20. de offic. delegat.* aut ad solvendum judicatum petat dilationem. 2*dò* contumaces, in pœnam contumaciæ condemnati, appellare non possunt. 3*tiò* nec qui sententiam contra se latam tacitè vel expressè approbaverunt. 4*tò* nec qui legitimæ adversarii appellationi non detulerunt, si postea in eadem causa appellare vellent: ut in illo puniantur, in qua deliquerunt. *cap. constitutis. 23. cap. an sit. 42. h. t.* 5*tò* demum appellare nequeunt, qui in Judicio sponte confessi & plenè convicti, si confessi non tamen convicti, & appellatio interposita, illa non suspensivum, sed devolutivum tantùm habet effectum.

Quæres *quintò*. A qua sententia appellandum?

℟. A quacunque sententia, nisi in Jure prohibeatur, appellare licet. Appellatio enim est defensio, quæ nemini facilè deneganda est. Appellatio autem vel quoad omnem effectum tam judicii ad superiorem Judicem devolutivum, quàm sententiæ Judicis gravantis suspensivum, vel quoad effectum sententiæ à Judice *à quo* latæ suspensivum tantùm in sequentibus denegatur casibus. 1*mò*, frivola, hoc est: quæ sine legitima causa est interposita *cap. cum appellationibus. 5. h. t. in 6.* ideo ob frivolam appellationem interpositam subditus ab obedientia sui Superioris non excusatur. 2*dò*. De jure civili solùm à sententia definitiva vel interocutoria vim definitivæ habente hoc est: gravamen per definitionem irreparabile imponente appellatur: Jus autem canonicum super quolibet gravamine etiam ab interlocutoria appellare permittit. *cap. super eo. 12. h. t.* quod limitatum videtur per *Trident. sess. 13. cap. 1. d. reform.* ubi statuitur non licere appellare ab Ordinariis locorum ante sententiam definitivam ratione gravaminis per interlocutoriam impositi, nisi interlocutoria talis esset, à qua etiam de jure civili daretur appellatio.

3*tiò*. De jure communi etiam in causis minimis appellationi locus est. *cap. de appellationibus. 11. h. t.* veruntamen de jure particulari certa summa, infra quam in minoris valoris causis appellatio non admittitur, in quolibet Dicasterio est determinata. 4*tò*.

4tò. De jure communi tam in criminalibus quàm civilibus datur appellatio. *can. liceat. 20. cauſ. 2. q. 6. cap. cum ſit. 5. §. præterea. h. t.* aſt de conſuetudine in noſtra Germania in cauſis criminalibus capitalibus reprobatur appellationis beneficium.

5tò. A legitima correctione, quæ fit regularis diſciplinæ gratiâ, non datur appelatio: quia remedium appellationis non ideo eſt inventum, ut alicui à religionis & ordinis obſervantia exorbitanti debeat in ſua nequitia patrocinium exhibere. *cap. ad noſtram. 3. h. t.* ita nec Clericus ſæcularis à diſciplina eccleſiaſtica appellare poteſt. *cap. reprehenſibilis. 26. h. t.* & *Trident. ſeſſ. 13. de reform. cap. 1.* in cauſa viſitationis & correctionis prohibet appellationem. Si tamen Superior in corrigendo excedat, gravatus appellare non prohibetur. *cap. de Priore 31. h. t. cap. irrefragabili. 13. de offic. Ordinar.* quæ ordinariè non impedit, aut executionem ſententiæ ſuſpendit, *Trident. ſeſſ. 22. de reform. cap. 1. & ſeſſ. 24. de reform. cap. 10.* ſed ſolum devolutivum habet effectum; exceſſus autem ille, ob quem appellatum in libello appellationis non ſolùm exprimendus, ſed etiam cum non præſumatur, probandus incumbit appellanti.

6tò. A ſententia excommunicationis, aut interdicti poſt latam ſententiam non datur appellatio effectum habens ſuſpenſivum. *cap. ad hæc. 37. h. t. junct. Gloſſ. V. interdictum. cap. is cui. 20. de ſent. excom. in 6.* Quapropter Judex, qui excommunicavit appellatione non obſtante ad denuntiationem procedere poteſt. *cap. paſtoralis. 53. §. verum. h. t.* appellatio tamen à cenſurato interpoſita devolutivum obtinet effectum.

7timò. In cauſis notoriis non admittitur appellatio. *cap. pervenit. 13. cap. conſuluit. 14. h. t.* attamen à declaratione notorii bene appellatur. Eſt autem aliquid notorium 1mò. per facti evidentiam. *cap. cum olim. 24. de V. S.* 2dò per judicialem rei confeſſionem. *cap. Romana. 3. §. ſi autem. h. t. in 6.* 3ò. per ſententiam condemnatoriam, quæ in rem judicatam tranſiit. *cap. fin. de cohabit. Cleric. & mulier.*

8vò. Contra executionem juris non datur appellatio. *cap. conſuluit. 29. h. t.* Unde Religioſi à ſuis ſtatutis & legibus appellandi non habent facultatem. *cap. quia nos 32. de probation.* nec reus à pœna per legem definita. *Gloſſ. in cit. cap. quia nos. V. in communi capitulo.*

9nò. A ſententia Judicis cauſam jurejurando decidentis appellare nequit is, qui juramentum detulit, bene tamen ille, cui juramentum delatum, quod ex rationabili cauſa admittere noluit, & ideo condemnatus fuit. *L. generaliter. 12. §. fin autem. C. de reb. cred.* cùm enim ſponte viam illam ad cauſæ elegerit deciſionem, meritò illi appellationis negatur refugiū.

10mò. De jure à ſententia in poſſeſſorio lata non datur appellatio, jus tamen canonicum in poſſeſſorio appellare concedit. *cap. ad ſedem. 15. de reſtit. ſpol. cap. ſignificaverunt. 36. de teſt. Clem. unic. de ſequeſt. poſſeſſ. & fruct.* Aliqui diſtinguunt inter poſſeſſorium in ſummariiſmo, in quo appellatio non admittitur, & poſſeſſoriū, ordinarium, in quo locus eſt appellationi.

11mò. Tertiò ab una eademque ſententia ſive definitiva ſive interlocutoria

appellare non licet. *cap. sua nobis. 65. h. t.* quia Judices toties gravasse non est verisimile.

Quæres *sextò*. An à Judice delegato, cui facta commissio cum hac clausula : *Appellatione remotâ* ; valeat appellatio ?

℟. De hac clausula agitur in *cap. pastoralis. 55. h. t.* & sequentes obtinet effectus. *Primò*. Judex, à quo appellatur, hujusmodi appellationi deferre non tenetur : quia talis appellatio Judicis à quo jurisdictionem non suspendit, sed sententiam suam, antequam appellatio à Judice ad quem recepta fuerit, executioni mandare potest. *cap. pastoralis. 28. §. præterea. de offic. delegat.*

2dò. Huic non deferens appellationi non punitur, nec incidit in pœnam. *can. decreto. 11. caus. 2. q. 6.* cùm non peccet, qui legis aliquid facit authoritate. *can. qui peccat 40. caus. 23. q. 4.*

3tiò. Illa, quæ à Judice à quo interpositâ, & nondum receptâ fiunt appellatione, attentata non sunt, ideoque per viam attentati & nullitatis non sunt revocanda ; quia ex quo per talem appellationem jurisdictio suspensa non erat, gesta tenuerunt, quamvis à Superiore per viam querelæ valeant revocari. Econtra non obstante hac clausula : *appellatione remotâ* : datur appellatio *1mò*, in omni casu, in quo factum aliquod pro gravamine à Jure agnoscitur. Sunrque exempla *in cap. postremo. 36. cap. ex parte. 47. h. t.* ac plura referuntur à *Gloss. in cap. pastoral. 53. h. t. V. expresè*. *2dò*, à sententia interlocutoria licitè adpellatur. *3tiò*. Tertius quoque, cujus interest, appellare potest. *4tò*. Clausula hæc supplicationem ad Superiorem, aut restitutionis in integrum petitionem non impedit. Porrò in causis Ecclesiasticis solus Summus Pontifex, & in profanis solus Imperator aut Princeps superiorem non agnoscens causam cum hac clausula : *appellatione remota* : committere potest. *cap. super quæstionum. 27. §. si verò. de offic. deleg.*

Quæres *septimò*. A quo Superiore appellandum ?

℟. Regulariter ab omni Judice, qui sententiam tulit, appellari potest, sive sit ordinarius sive delegatus, sive communi partium consensu electus, sive de mutua voluntate illius prorogaverint jurisdictionem. *cap. causam. 14. de sent. & rejudic.* licèt enim partes approbaverint Judicem, non tamen approbaverunt sententiam, contra cujus gravamen sibi appellationis reservârunt remedium. Excipiuntur casus sequentes : *1mò* à Judice Superiorem non agnoscente appellare non licet. *can. ipsi sunt. 16. can. cuncta. 17. caus. 9. q. 3.* quia de essentia appellationis est, ut sit ad Superiorem, ergo ubi non est Superior, non est appellatio. *2dò*. Ab eo, qui non Judex, sed merus sine causæ cognitione executor est, nisi fines mandati excedat, appellari nequit. *cit. cap. super quæstionum. 27 §. verùm. de offic. deleg.* non enim ille, sed Principalis, qui executionem mandavit, gravare dignoscitur. *3tiò*. A sententia Arbitri compromissarii à partibus electi non appellatur : aliud est de Arbitro Juris. *cap. ab Arbitris 11. de offic. deleg. in 6.*

Quæres *octavò*. Ad quem Superiorem appellandum ?

℟. Appellatio ad immediatum Judicis

cis prioris instantiæ Superiorem est facienda; sic à sententia Archidiaconi ad Episcopum, ab Episcopo ad Archi-Episcopum fit appellatio. *cap. dilecti. 66. h. t.* Excipiuntur casus sequentes: *Primò.* In causis ecclesiasticis immediatè ad Summum Pontificem appellare licet. *can. ideo* 10. *can. si quis putaverit.* 15. *caus.* 2. *q.* 6. propter Sedis Apostolicæ reverentiam, quæ cum quolibet inferiore Judice concurrit. Aliud est in foro sæculari, in quo ordo & gradus appellationis indistinctè est observandus. *L. Imperatores.* 21. *ff. de appellat.* 2*dò.* Ab Officiali vel Vicario Episcopi non ad ipsum Episcopum, sed ad ejus Superiorem est appellandum. *cap. Romana.* 3. *h. t. in* 6. quia tribunal Episcopi & ejus Vicarii Generalis idem est. *cap. non putamus.* 2. *de consuet. in* 6. & universim ab eo, cui quis jurisdictionem suam mandavit, ut Judex vel Præfectus, quem Princeps territorium habens suo tribunali præfecit, non ad ipsum mandantem, sed ad ejus Superiorem est provocandum. *L.* 1. *ff. quis & à quo appelletur.* 3*tiò.* Ad Legatum Papæ in Provincia omissis Judicibus intermediis appellari potest: ille enim, cùm Papæ vices in Provincia gerat, cum omnibus Provinciæ suæ Ordinariis concurrit. *cap. Legatos.* 2. *de officio Legati in* 6. 4*tò.* Pupilli & aliæ personæ miserabiles à quovis inferiore Judice ad summum Principem immediatè recurrere possunt. *L. unic. C. quando Imperator. inter pupill.* 5*tò.* Si Judex intermedius palam deneget justitiam, vel apertè sit inhabilis, aut absit, ad mediatum Superiorem provocare licet. 6*tò.* Demum de Jure canonico de appellationis non est substantia, ut fiat ad immediatum Judicis *à quo* Superiorem, sed ad mediatum valet appellatio, si pars adversa vel appellata nihil opponat, hoc ipso enim quo non excipit, in jurisdictionem consentire censetur.

Quæres *nonò.* Quâ formâ appellandum?

R. Forma appellationis consistit in duobus. *Primò* in observantia fatalium, 2*dò* in modo appellandi. Fatalia sunt tempus, quo elapso appellandi exspirat facultas. Hoc quadruplex est: 1. Primum tempus interponendæ appellationis tam de Jure canonico quàm civili sunt 10. dies à die latæ sententiæ vel facti gravaminis computandi. *cap. quod ad consultationem.* 15. *de sentent. & rejudicat. cap. significaverunt.* 36. *de testib. junct. Gloss. V. decem dies.* Hoc decem dierum tempus utile est, ideoque à die scientiæ latam esse sententiam currit.

2*dum* Tempus est petendi & recipiendi Apostolos. A Jure vocantur Apostoli literæ dimissoriæ, quas Judex *à quo* ad Judicem *ad quem* dirigit in testimonium interpositæque appellationis fidem. Hoc tempus utroque Jure 30. dies complectitur à notitia latæ sententiæ numerandos, infra quos si Apostoli non petantur, appellationi renuntiatum, & causa censetur esse deserta. Apostoli ab appellante ejusque expensis instanter, instantiùs, instantissimè sunt postulandi. *Clementin. quamvis.* 2. *h. t.* & Judex *à quo* petenti Apostolos extradere renetur; adeo ut si debitè requisitus non tradat, sed in causa ulterius procedat, processus sit nullus. *cap. ut super.* 4. *h. tit. in* 6. Hodie in Ca-

mera Imperiali non est in usu hæc Apostolorum petitio, sed quando condemnatus suam appellationem per libellum Judici *à quo* proponit, is appellationem vel admittit, vel rejicit; si admittit, acta primæ petuntur instantiæ, quæ ad superiorem Judicem deferuntur, in quorum petitione etiam tempus 30. dierum observatur; si appellationem rejicit, appellans Superiorem simpliciter adit, & coram eo per libellum appellationem non esse admissam conqueritur: Judex superior ab inferiore petit informationem, quare appellationem non admiserit, & simul inhibet, ne sententiam exequatur.

3*tium* Tempus introducendæ appellationis, hoc est: Apostolos Judici *ad quem* præsentandi continet sex menses, qui non à die latæ sententiæ, sed interpositæ appellationis currunt. *L. tempora. 2. C. de temporib. appellat.* quod tamen tempus à Judice ex causa justa restringi potest.

4*tum* Tempus appellationis prosequendæ de Jure communi annus est, ex causa rationabili biennium, ita tamen, ut à Judice *à quo* brevius tempus ad appellationem prosequendam præfigi possit. *cap. cum sit. 5. cap. ad aures. 33. h. t.* Si intra illud tempus appellans appellationem non prosequatur, eam deseruisse censetur. *Clement. sicut. 3. h. t.* Annus vel biennium non currit legitimè impedito. *cap. ex ratione. 8. h. t.* Modus appellandi duplex est: primus fit vivâ voce, stante pede, coram Judice *à quo* adhuc pro tribunali sedente, & sententiam promulgante. Hic modus servatur, quando à definitiva sententia appellatur. *cap. 1. h. t. in 6.* nec tunc causam gravaminis specificare, nec nomen Adversarii aut Judicis exprimere necesse est, sed sufficit dicere: *Appello.* Secundus modus fit per scripturam, aut appellationis libellum Judici à quo porrectum, de cujus substantia est, ut contineat, quis, à quo Judice ad qnem, in qua causa appellet, & si appellatio ab interlocutoria fiat sententia, requiritur, ut in libello appellatorio causa gravaminis exprimatur, & quidem talis, quæ si foret probata, legitima reputari deberet. *cap. ut debitus. 59 h. t.*

Quæres *decimò.* Qui appellationis effectus?

℟. Appellationis effectus sunt, *primò.* Appellatio interposita, sive illa à Judice superiore recepta, sive à Judice inferiore approbata sit sive non, officium & jurisdictionem Judicis à quo suspendit, ita, ut ab eo in causa ultetius procedi nequeat, & si Judex, appellatione non attentâ, ulterius procedere præsumpserit, id ante omnia per Judicem superiorem revocandum est ac rescindendum, cum hac inter appellationem ab interlocutoria & definitiva differentia, quòd appellatio à definitiva manus Judicis à quo statim liget, ejusque jurisdictionem suspendat, ut ad executionem procedere non valeat: appellatio verò ab interlocutoria etiam quidem jurisdictionem *à quo* suspendit, ut in causa principali nihil agere possit; attentata tamen medio tempore non aliter revocantur, nec priùs inhibitio concedenda, quàm si appellans causam gravaminis in appellatione expressam probaverit. *cap. non solùm. 7. h. t. in 6.* Deinde

inde post interpositam à sententia interlocutoria appellationem Judex *à quo* gravamen emendare potest, quo facto Judex *ad quem* ulterius in causa procedere impeditur, quia gravamen jam sublatum; sententia definitiva revocari nequit, cum Judex jam suo functus sit officio.

2dò. Appellatio devolutivum habet effectum, eo quod causam, in qua appellatum, cum suis accessoriis ad superiorem devolvat, eique in ea cognoscendi & procedendi tribuat potestatem. *Cap. dilectis. 55. h. t.* Appellatio ab interlocutoria quandoque etiam ipsam causam principalem ad Judicem *ad quem* devolvit, videlicet, si benè appellatum esse constiterit: ne gravatus remittatur ad gravantem. *Cap. ut debitus. 59. h. t.* Si verò malè appellatum constiterit, tunc causa principalis devolvitur eo tantùm casu, quo Judex inferior appellationi detulerit, cum per talem delationem à se abdicârit jurisdictionem. *Cap. cum Appellationibus. 5. h. t. in 6.*

3tiò. Appellatione pendente nihil est innovandum, sed omnia in eo statu, in quo tempore introducendæ vel introductæ erant appellationis, quamdiu illa cognoscitur, manere debent, & Judex appellationis omnia, quæ medio tempore inter sententiam latam & appellationem interpositam facta fuerant, revocet, necessè est, cum ab incompetente facta sint Judice; si autem partes pendente appellatione quid tentent, distinguendum est: si pars appellans aliquid, quod immediatè sit contra appellationem, agere præsumat, ut si appellatione pendente adversarium possessione, de qua lis est, spoliare ausa fuerit, appellationem deseruisse censetur, & sententia Judicis, à quo appellatum, transit in rem judicatam: si attentata appellationi non sunt contraria, vel pars appellata pendente appellatione aliquid innovavit, ea per Judicem appellationis cassanda, & attentans in expensas est condemnandus.

Quæres *undecimò.* Quod negato vel cessante appellationis medio supereſt remedium?

℟. Supersunt tria. *1mò.* Supplicatio, per quam allegatâ læsione sive gravamine à Principe petitur, ut sententia contra supplicantem lata ex mera gratia & benignitate Principis retractetur. Cum enim quandoque ordinarium appellationis remedium gravato non competat, æquum est, ut extraordinario supplicationis medio eidem succurratur. *2dò.* Beneficium revisionis, à supplicatione differens, quod supplicatio sententiæ non suspendat executionem, revisio verò suspendat, donec causâ cognitâ constare possit, an rescindenda & reformanda, an confirmanda sententia. *3tiò.* Remedium restitutionis in integrum. De hoc titulo sequenti plenius agemus.

Quæres *duodecimò.* Quid est confirmatio?

℟. Est sententiæ ab inferiore Judice latæ approbatio. Sententiam enim, à qua appellatum, Judex appellationis vel reformat dicendo: *Benè appellatum, & malè judicatum*, vel confirmat pronuntiando: *Benè judicatum, & malè appellatum.*

TITULUS XXVIII.

De in Integrum Restitutione.

REstitutio in integrum est extraordinarium Juris remedium, quo læsi aut decepti in, vel extra judicium in eum statum, in quo ante læsionem fuerant, ex justa causa per officium Judicis reponuntur. Causa efficiens remota est edictum prætorium, ex quo omnis restitutio in integrum descendit. *L. utilitas, 1. & L. omnes. 3. ff. de in integr. restitut.* Causa proxima est Judex restituens. Subjectum, persona læsa, cui hoc Juris remedio subvenitur. Materia & objectum restitutionis est actus sive negotium civile validum, sed rescindibile, in, & ex quo læsus restituitur. Forma est: ut petatur à Judice competente illius, contra quem petitur, & detur cognitâ causâ. Finis est, ut læso subveniatur. Effectus restitutionis postulatæ est, quod eâ pendente omnia in eodem statu permaneant; effectus impetratæ est, quod cuilibet jus suum salvum maneat, tam illi, qui restituitur, quàm illi, contra quem Impetrata est restitutio.

QUæres *primò*. Quænam requiruntur, ut restitutioni in integrum locus sit?

℟. Tria. Requiritur *1mò*. ut actus vel contractus, in quo quis restitui petit, validus sit. Si enim actus jure sit invalidus, ordinarium competit medium: non est autem locus medio extraordinario, in subsidium medii ordinarii invento, quâdiu per medium ordinarium subveniri potest. Si dubium, an actus validus sit aut invalidus, vel ut in integrum restituatur, vel ut declaretur, quod actus sit nullus, alternativè petendum est. Exemplum est in *cap. constitutus, 8. de in integr. restitut. 2dò.* Læsio probanda est, damnum scilicet emergens & lucrum cessans, nec sufficit hoc per ipsius læsi probari juramentum, cum, quod actus fuerit validus, *in* contrarium sit præsumptio, *3tiò*. Læsio gravis sit, oportet: quia juxta commune proloquium, modicum non curat Prætor, qui per remedium restitutionis in integrum subvenire rogantur.

Quæres *secundò*. Quibus conceditur beneficium restitutionis in integrum?

℟. Sequentibus, *1mò*. Minoribus 25. Annis. *Cit. cap. constitutus.* Quò imperiti & rudes, qui jura ignorant, quales sunt rustici, milites, mulieres, &c. reducuntur. *2dò*. Ecclesiis aliisque locis piis cum Episcopo Ecclesiæ conditionem deteriorem facere non liceat, & illa jure minoris debeat semper illæsa servari. *Cap. 1. h. t. 3tiò*. Reipublicæ: Respublica enim minorum jure uti solet. *L. 4. C. quibus ex causis maj. restituant. 4tò*. Majoribus 25. Annis ex quadam justa causa, ut si Reipublicæ causa absentes, aut in captivitate fuerint, tempore pestis abfuerint, &c. Hæc est autem inter restitutionem quæ conceditur Majoribus, differentia, quod illa solùm ad instantiam partis intervenientе justâ causâ fiat: restitutio verò, quæ fit minoribus ex Judicis detur officio, quam-

quamvis læsio ex culpa minoris, vel Rectoris Ecclesiæ facta fuerit. *L.* 1. *C. quibus ex causis maj. &c. cap. ex literis.* 4. *h. t.*

Quæres *tertiò*. Quibus in causis datur restitutio in integrum?

℟. Quandocunque minor vel Ecclesia est enormiter læsa, sive in contractu, sive alio actu judiciali vel extrajudiciali, & quidem si læsio ex Procuratoris, Curatoris, Tutoris, vel Administratoris facta negligentia, in optione læsi est vel agere ad interesse contra Procuratorem, aut in integrum petere restitutionem contra tertium. *Cap. cum venissent.* 2. *h. t.* Ubi in causa electionis, postquam in causa concluſum, Ecclesia in integrum restituitur ob negligentiam Procuratoris, qui ante conclusionem omnia probationum instrumenta non produxerat.

Quæres *quartò*. An contra sententiam definitivam in integrum detur restitutio?

℟. Si sententia valida, nec propter lapsum fatalium amplius sit locus appellationi, etiam contra Papæ aut Supremi Principis sententiam datur restitutio. *cap. tum ex literis.* 5. *h. t.* Ac tunc petitâ restitutione sententiæ executio suspenditur, nisi de malitia fuerit præsumptio, quod videlicet differendæ executionis causa restitutio petatur; quo casu sententiæ executio fit præstitâ prius cautione de restituendo, si petens restitutionem obtinuerit. *Cap. suscitata.* 6. *h. t.* Hoc notandum, quod per solum supremum Principem restitutio, de qua hic sermo est, concedi possit.

Quæres *quintò*. An, si petita restitutio per sententiam denegata, iterum peti possit?

℟. Si restitutio semel per sententiam denegata, secundò in judicio peti non potest, nisi defensiones novæ emergant; attamen si à sententia condemnatoria non sit legitimè appellatum, Ecclesia vel minor læsus restitutionem in integrum ad appellationem instituendam petere potest. *Cap. fin. h. t.*

Quæres *sextò*. An ob lucrum cessans detur restitutio?

℟. *Affirmativè*. Dummodo res adhuc sit integra. *L. ait Prætor.* 7. *ff. de minorib.* Ut quando Administrator vel Tutor Ecclesiæ aut minoris hæreditatem lucrosam Ecclesiæ vel minori obvenientem repudiavit.

Quæres *septimò*. An Privilegiatus contra Privilegiatum restituendus?

℟. Sicut minor contra minorem, ita Ecclesia restituitur contra Ecclesiam: imò si utraque pars Privilegiata fuerit læsa, utraque restituitur. Exemplum est in *cap. auditis.* 3. *h. t.* Ubi utraque Ecclesia, postquam in causa concluſum esset, ob probationum omissionem restituitur. Si tamen minor temerè credidit pecuniam minori, & minor debitor creditam pecuniam inutiliter consumpsit, in hoc casu minor creditor læsus contra minorem debitorem læsum non restituitur: quia in pari causa melior est conditio possidentis. *L. verum.* 11. §. *item quæritur. & L. si minor.* 34. *ff. de minor.*

Quæres *octavò*. Intra quod tempus petenda restitutio?

℟. Sicut minor, ita quoque Ecclesia quadriennium continuum ad petendam habet restitutionem. *Cap.* 1. *h. t. in* 6. Hoc quadriennio elapso Ecclesia ad restitutionis beneficium non admittitur, nisi

nisi prævaricationis vel fraudis manifestæ probetur super hoc interveniſſe commentum, aut alia rationabilis causa subsit, quæ Superiorem movere debeat ad idem beneficium concedendum. *Cit. cap.* 1. Tempus quadriennii à minore ab adepta majorennitate, ab Ecclesia à facta læsione computandum est. *Cap. si adversus.* 2. *h. t. Clement. unic. eod.*

Quæres *nonò.* Coram quo Judice petenda restitutio?

℟. Ordinariè, ut supra dictum, restitutio coram illo Judice fieri debet, qui est proprius illius, contra quem petitur, ex Regula Generali: Actor sequitur forum rei. Ecclesia à Laico læsa contra illum coram Judice Ecclesiastico ex speciali favore restitutionem petit. *Cap. ad nostram.* 11. *de rebus Eccl. non alienand.* Aliàs Judex Ordinarius administrationem sive imperium merum & mixtum habens, Hoc est, qui punire potest, & ab eo delegatus, dant restitutionem, sive principaliter, sive incidenter petatur; qui autem simplicem habent jurisdictionem, nec ab aliis delegatis, uti nec arbiter restituere possunt, nisi incidenter petatur restitutio. *Cap. causa.* 9. *h. t.*

Quæres *decimò.* An in restitutione in integrum res cum fructibus restituenda?

℟. *Negativa.* Ex *cap. ad nostram.* 11. *de reb. Eccl. non alienand.* Probari videtur, at cum communiori facienda est distinctio: vel res per gratuitum contractum alienata est, & tunc cum fructibus est restituenda: vel per onerosum contractum in alium translata, & in pretio facta est læsio, tunc fructus cum proportione ad pretii injustitiam restituendi sunt: vel per contractum onerosum facta est læsio, & non in pretio, sed quia Privilegiato non conducit alienatio, & tunc fructus non sunt restituendi: quia res fructificat suo Domino, qualis est possessor rei ante restitutionem.

Quæres *undecimò.* In quibus casibus minor non restituitur?

℟. In sequentibus minori negatur restitutio. 1*mò.* Si minor major factus acta in minorennitate ratificat. *L.* 1. *C. si major fact. rat. habuer.* 2*dò.* Si minor simulet, vel dolo in contractum inducat, quasi major esset. *L. si alterius.* 3. *C. si minor. se major. dixerit.* 3*tiò.* Si minor veniam ætatis vel dispensationem à Principe obtinuerit. *L.* 1. *C. de his qui veniam æt. &c.* 4*tò.* Non restituitur adversus casum omnino gratuitum, *L. verum.* 10. §. 4. *ff. de minor.* 5*tò.* Si minor pubes absque vi vel dolo se contractui staturum juravit, restitutionem petere nequit. *Authent. Sacram. puber. C. si adversus venditionem, &c.* Ubi notabilis est differentia inter Prælatum Ecclesiæ, qui quamvis se contractui nomine Ecclesiæ inito staturum juravit, Ecclesia tamen læsa restitui potest. *Gloss. in cap.* 1. *h. t. in* 6. *V. contractuum.* 6*tò.* Minor in delictis, quæ dolo commisit, non restituitur. *L.* 1. *cum Gloss. V. extravenit. C. si adversus delicta, &c.*

Quæres *duodecimò.* An à restituto expensæ necessariæ & utiles unà cum laboris æstimatione restituenti refundendæ?

℟. *Affirmativè.* Estque expressus textus in *cap.* 1. *h. t.* Indecens enim foret, ut Ecclesia vel minor suum recuperaret, & restituens pretio, quod solvit, aut labore vel sumptibus, quibus rem restituram fecit meliorem, defraudaretur.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER IV.

LIBER QUARTUS.

INSTITUTIONUM CANONICARUM DE Causis Criminalibus.

POstquam in tribus præcedentibus Institutionum Canonicarum libris de personis, rebus, Ecclesiasticisque actum est Judiciis, ad causas criminales properamus, de quibus in hâc ultimâ operis nostri parte brevibus tractantes præfixum totius doctrinæ finem assequemur.

TITULUS PRIMUS.

DE *Accusationibus, Inquisitionibus & denuntiationibus.*

TRibus modis contra delinquentem puniendum proceditur, 1o. Accusatione. 2o. Inquisitione. 3o. Denuntiatione. De his §phi sequentes.

§. Primus. DE *Accusatione.*

QUæres *primò*. Quid est Accusatio?

R. Est Criminis determinati à determinato homine commissi apud competentem Judicem interveniente subscriptione in ordine ad vindictam publicam facta denuntiatio. Dicitur *1mo: Criminis*, quia in delictis privatis non

accusatio, sed civilis locum habet actio, quâ non ad vindictam publicam, sed ad privatam agitur utilitatem. *2do: à determinato homine commissi*; nam qui non delinquentem, sed solum crimen sine personæ nominatione factum esse novit, simpliciter quidem denuntiare, accusare autem non potest. *3tio: interveniente inscriptione.* In hoc enim accusator à denuntiatore distinguitur, quod accusator in scriptis sese ad pœnam obliget talionis, hoc est; ad pœnam, quam crimen, de quo accusat, meretur, subeundam, si in probatione defecerit. *4to: ad vindictam publicam.* Quia per hunc finem Judicium Criminale à Civili distinguitur, quod Criminale instituatur, ut publicæ satisfiat Justitiæ, Civile vero, ut privati, quorum Jus læsum est, suam obtineant satisfactionem.

Quæres *secundo*: quis modus in accusatione servandus? ℟. Hic consistit in sequentibus. *1mo*: Accusator libellum accusatorium in scriptis offerre debet, nisi levius foret delictum, aut aliud permitteret consuetudo, *Can. 1. caus. 2. q. 8. 2do* in libello accusatorio accusantis, accusati & Judicis nomen, deinde species delicti cum complicum & circumstantiarum, temporis ac loci designatione exprimenda. Demum accusator ad pœnam talionis sese subscribere debet. *Can. quisquis. 3. caus. 2. q. 8. cap. super his. 16. de accusat. 3tio* accusator per fidejussores aut pignora de accusatione ad finem Judicii prosequendâ, expensis solvendis ac restitutione damni & injuriæ in casu succumbentiæ cavere debet, si hanc cautionem accusator præstare nequeat, cum reo in custodiâ est detinendus, usque dum delictum probaverit, vel urgentia commissi delicti demonstraverit indicia, nisi foret persona in magna dignitate constituta, quæ vadem paris cum accusata conditionis dare potest *Cit. can. quisquis. 3. caus. 2. q. 8.*

Quæres *tertio*: qui ob defectum naturalem accusare non possunt?

℟. *1mo.* Furiosi, amentes. *2do* ob sexum fœmina. *Can. prohibentur 14. caus. 2. q. 1.* nisi in criminibus exceptis, ut læsæ Majestatis, Simoniæ, Sacrilegii, aut si suam, suorúmve prosequatur injuriam. *3tio* ob ætatem pupillus, nisi de authoritate tutoris suam vel suorum injuriam prosequatur, vel de excepto crimine accuset.

Quæres *quarto* qui ob animi vitium accusare nequeunt?

℟. *1mo* excommunicati. *Can. nullus. 6. Can. omnes. 7. caus. 3. q. 4. cap. à nobis. 2. cap. exceptionem 12. de exception. 2do* infamis sive Juris sive facti infamiâ. *Can. si qui sunt. 17. can. quærendum. 18. caus. 2. q. 7.* nisi sint crimina excepta, ut læsæ Majestatis, hæresis, simoniæ, &c. *Cap. tanta. 7. de Simon. 3tio* accusatus criminaliter, antequam se purgaverit, accusatori aliisque crimen gravius inferre nulli tamen par vel minus crimine de quo est accusatus, impingere potest. *Can. neganda 21. & seqq. caus. 3. q. 11. can. quod autem. 2. caus. 4. q. 1. cap. fin. de testib.*

Quæres

Quæres *quinto*; qui ratione status accusare prohibentur?

℟. 1*mo*. Clericus, maximè si delictum pœnâ Sanguinis puniendum. *Can. Sacerdotes.* 51. *caus.* 2. *q.* 7. *can. his, à quibus.* 30. *caus.* 23. *q.* 8. *cap. Sententiam.* 9. *ne Clerici vel Monachi.* Quamvis autem Clericus ad retarciendam suam suorúmque injuriam agere possit, si tamen causa Sanguinis fuerit, expressè protestari debet, quod non ad vindictam publicam, sed ad damni illati reparationem præcisè agere velit, alioquin secutâ Sanguinis pœnâ, hoc est: mutilationis aut mortis, irregularitatem incurrit. *Cap. postulasti.* 21. *de homicid. cap. prælatis.* 2. *eod. in* 6. 2*do* Monachi accusare non possunt nisi suum Prælatum in causâ Monasterii. *Cap. ex parte.* 11. *de Accusat.* aut extraneum de licentiâ sui Prælati ob Monasterii utilitatem. *Can Monachi.* 35. *caus.* 16. *q.* 1.

Quæres *sexto*: qui ratione suspicionis, quod accusatio fiat calumniandi animo, accusare prohibentur?

℟. 1*mo*. Inimicus capitalis. *Can. accusatoribus.* 2. *& seqq. caus.* 3. *q.* 5. *cap. repellantur.* 7. *cap. cum. Manconella.* 10. *cap. meminimus.* 13. *cap. cum oporteat.* 19. *de accusat.* 2*do*. Cohabitatores inimici. *cit. cap. repellantur.* tales accusatoris amici & accusati inimici præsumuntur. *Can. si inimicus.* 1. *dist.* 93. 3*tio*. pauper, ob suspicionem quod potius spe lucri & præmii, quam studio utilitatis publicæ crimen deferat. *Can prohibentur.* 14. *caus.* 2. *q.* 1. 4*to*. Paganus, Judæus, hæreticus Christianum accusare non possunt. *Can. pagani.* 25. *caus.* 2. *q.* 7. *can. beatus.* 5. *caus.* 6. *q.* 1. *cap. cum* 10. *de accusat.* demum liberi parentes, liberti patronos, Vasalli & servi dominos accusandi non habent potestatem.

Quæres *septimo*. Qui accusari nequeunt?

℟. Sequentes. 1*mo*. Qui in terris coram quo conveniatur, Superiorem non habet, sic summus Pontifex nequidem in Concilio generali accusari, & ab illo Judicari potest. *Can. nunc autem.* 7. *dist.* 21. *si Papa.* 6. *dist.* 40. *can. nemo.* 13. *& seqq. caus.* 9. *q.* 3. *Extrav. unam sanctam.* 1. *de Majorit. & obedient. inter com.* nisi deprehendatur à fide devius. *Cit. can. si Papa*; aut nisi seipsum altetius subjiciat Jurisdictioni. *Can. nos, si* 41. *caus.* 2. *q.* 7. Quod tamen de temporalium administratione intelligendum videtur, uti *cit. Canonis* verba innuunt, ubi sic Imperatori loquitur: *Nos si incompetenter aliquid egimus, & subditis justæ legis tramitem non conservavimus, vestro ac Missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio. &c.* 2*do* rationis usu carentes, & doli nondum capaces, ut infantes, puberes, aut pubertati proximi, non aliter quam dato Curatore accusari possunt. 3*tio* absens ita accusari nequit, ut contra eum processus formetur, ac Sententia feratur. *Can accusatori.* 1. *& seqq. caus.* 3. *q.* 9. 4*to* accusatus de crimine & postmodum absolutus, de ipso iterum accusari non potest. *Cap. de his.* 6. *de accusat.* nisi accusator vel suorum injuriam prosequatur, vel institu-

tam prius accusationem se ignorâsse, vel priorem accusatorem prævaricatorem fuisset, & cum accusato collusisse probaverit. 5to. Qui ante plures annos delictum perpetravit, accusari nequit, cum tempore 20. annorum à die commissi delicti regulariter accusatio Criminalis præscribatur, si patratum semel crimen totum jam transierit, nec continuam habeat Successionem, ut habet hæresis, apostasia, contractum contra Canones Matrimonium &c.

Quæres *octavo* de quibus Criminibus accusatio fieri potest?

℟. Illa solum delicta accusationi subjecta sunt; ex quibus agitur vel ad pœnam capitis, aut ad pœnam corporis afflictivam, aut ad pœnam infamiæ, vel etiam ad mulctam pecuniariam fisco inferendam: quia delicta, quæ in judicium deducuntur, vel lædunt directè & principaliter Jus hominis privati, ita tamen ut per consequentiam etiam Reipub., cujus interest non habere cives facinorosos, repugnent utilitati, vel directè & principaliter Reipub. saluti & tranquillitati opponuntur; delicta priora privata vocantur, & pariunt actionem ad pœnam civilem, aut ipsi læso, aut Reipub., quæ quodammodo læsa est, pro actoris arbitrio applicandam. Si actor sibi pœnam applicari velit, civiliter, si Reipub., criminaliter agere dicitur. Posteriora delicta propriè appellantur crimina, suntque Judicii publici vel criminalis objecta, alia sunt Capitalia, quæ pœnam mortis, sive naturalis per gladium, laqueum, ignem, rotam &c. sive Civilis per condemnationem ad triremes, promerentur; alia sunt non Capitalia, quæ mitiori pœnâ ut fustigationis vel pecuniariâ puniuntur. Item delicta alia sunt ordinaria, quibus pœna certa est à Jure constituta, alia extraordinaria, quibus non est certa pœna in jure dictata, sed pro Judicis arbitrio restat infligenda.

Quæres *nono*: An si Crimen mixti fori; & accusatus in foro Ecclesiastico punitus vel absolutus fuerit, apud tribunal Judicis Laici de eodem crimine denuo accusari valeat?

℟. Quando à Judice Ecclesiastico non quidem condigna, sed potius medicinalis quædam, magis ad animæ salutem quam ad vindictam publicam tendens pœna reo condemnato imposita fuit, tunc iterum apud Judicem Sæcularem accusari & conveniri potest, secus, si semel condignam sustinuerit pœnam. *Arg. cap. fin. de Except. in 6.*

Quæres *decimo*: quid factâ accusatione Judici agendum?

℟. Propositâ accusatione Judex accusatum, ut personaliter compareat, citare debet. *Cap. 1. de Judic in 6.* imo accusatus, si delictum atrox & indicia fuerint sufficientia, quod illud perpetraverit, per apparitores ad Judicium ducendus & custodiæ causâ carceri est mancipandus.

Quæres *undecimo*: quod officium accusatoris?

℟. Primo quidem crimen, de quo accusavit, probare debet. *Can. sciant cuncti. 2. caus. 2. q. 8.* & si in probatione defecerit, ad Satisfactionem tenetur

tur accusato. Non autem quælibet sufficientes sunt probationes, sed debent esse vel per facti evidentiam, vel per spontaneam & liberam rei Confessionem. *Cap. evidentia 9. de accusat. cap. super eo. 3. de testib. cogend.* vel per duos testes, de proprio visu & auditu deponentes. Deinde post litis contestationem, vel postquam oblato Judici libello facta inscriptio, accusator prosequi cogitur accusationem, hanc enim non intermitti non parum interest publico, sive, vera sit, ut delictum puniatur, sive falsa, ut injusti castigetur Calumniatoris impudentia.

Quæres *duodecimo*: quem ex parte accusati accusatio habet effectum?

℟. Accusatio pendens licet non infamet, existimationem tamen gravat accusati, ita, ut ad novas dignitates promoveri nequeat. *Can. tantis. 3. dist. 81. cap. omnipotens. 4. de accusat.* Si Crimen grave, promotio, Collatio aut assecutio novæ dignitatis non tenet, nec convalescit, quantumcunque promotus postea per Sententiam definitivam absolvatur, aut innocens declaretur. *Arg. cap. si eo tempore. 45. de elect. in 6.*

§. Secundus.

DE

Inquisitione.

QUæres *primo*: quid est Inquisitio?

℟. Est legitima Judicis ex officio procedentis super delicto facta investigatio.

Quæres *secundo*: quotuplex inquisitio?

℟. Est triplex. *1mo*: Generalis, quæ fit ex mero Judicis officio, dum nec personâ certâ, neque certo crimine expresso in genere inquiritur, an aliqua delicta in Communitate committantur, ut dum Superiores Regna, Provincias, Diœceses &c. Visitantes inquirunt, an Leges & statuta observentur, an aliqui defectus & crimina invalescant, &c. *2do*. Specialis, quando Judex vel ex mero officio, vel ad alterius querelam, aut officialis publici denuntiationem indagat, an talis persona tale crimen perpetraverit. De hâc in *Cap. cum dilecti. 18. & cap. qualiter & quando. 24. de accusat. 3tio*. Inquisitio Mixta, partim generalis, partim specialis, Generalis quoad personas, & particularis quoad delictum, dum de delicto in specie v. g. homicidio, furto, Sacrilegio &c. patrato constat, quia autem latet author, Judex in genere inquirit, quis probabiliter aut præsumptive tale crimen commiserit. Aut est generalis quo ad delicta, & specialis quoad personam, ut si à Superiore electi Prælati confirmatio petatur, Confirmans in-

quisitionem mixtam, inquirendo, an electus sit criminosus, instituat.

Quæres *tertio*: qualiter generalis instituenda inquisitio?

℟. Ad inquisitionem generalem non est necessarium, ut infamia, indicia, denuntiatio vel accusatio præcedat, sed eam Judex ex solo officio instituere potest. *Cap. sicut olim. 25. de accusat. cap. 1. de censib. in 6.* Ratio est: quia talis inquisitio quia non contra certas personas, sed ad emendandos mores, restaurandam, ubi collapsa est, conservandam, ubi viget, disciplinam instituitur: nulli est injuriosa &c. deinde in generali inquisitione, Inquisitores ab inquisitis recipiunt juramentum, quod super his, quæ sciunt & credunt in Ecclesiâ suâ esse reformanda, tam in Capite, quam in membris, criminibus occultis exceptis, meram & plenam velint dicere veritatem.

Quæres *quartò*: qualiter mixta sit inquisitio?

℟. In inquisitione mixta, scilicet generali de persona, & speciali de delicto. *1mo* inquirendum est in delictum, ut inquisitori prius constet de corpore delicti, quod adeo necessarium est, ut licet reus delictum sponte sit confessus, contra eum tamen Judex procedere nequeat, priusquam in locum, in quo commissum asseritur delictum, miserit, & illic, an perpetratum sit delictum inquisiverit. Si delictum occultum & difficilis probationis, aut ejusmodi sit, ut post se vestigia nulla relinquat, tunc satis est corpus delicti præsumptionibus & conjecturis probari. *2do.* postquam certum est delictum, nec probabilis suspicio vel infamia contra personam particularem emergat, specialis inquisitio contra personam determinatam fieri nequit, sed generaliter solum inquirendum, quis delictum commiserit, aut contra quem probabilis patrati criminis stet suspicio vel infamia, ut sic Reipub. per generalem inquisitionem consulatur, nulli tamen in specie injuria inferatur, si nemo publica de patrato delicto laboret infamiâ.

Quæres *quinto*: quomodo in inquisitione generali ex parte delicti, & speciali ex parte personæ procedendum?

℟. Quando non ad puniendum, sed ad emendandum, vel damnum avertendum, aut propter interesse aliorum super aliquo defectu vel personæ delicto inquiritur, ut de impedimento, ne matrimonium, cum impedimento contrahatur. *Cap. cum inhibitio. 3. de clandest. desponsat.* aut ne indignus ad Prælaturam promoveatur, aut indigni electio confirmetur. *Cap. postquam 3. cap. nihil. 44. de elect. Trident. sess. 24. de reform. cap. 1.* inquiratur, non requiritur, ut infamia vel indicia præcesserint.

Quæres *sexto*: qualiter ad inquisitionem specialem procedendum?

℟. In inquisitione speciali quando agitur de crimine ad vindictam publicam, sive ad pœnam imponendam, sive ad amovendum ab administratione &c. Judex se solo ad inquisitionem procedere nequit. Rationem dat *S. Thom. 2. 2. q. 67. a. 3.* quia Judex contra nullum viâ specialis inquisitionis pro-

procedere potest, quando nec formalis, nec virtualis est accusator. Judicium enim ex tribus personis, Judice, Accusatore & Reo constare necesse est, cum igitur inquisitio specialis Judicium quoddam sit, accusatorem aut denuntiatorem, vel aliquid, quod ejus vices suppleat, intervenire oportet.

Quæres *septimo*: qualiter accusator suppleri potest?

R. Suppletur accusator *1mo* quando ex visitatione seu inquisitione generali crimen, à subdito commissum esse constat, cum enim jam delictum Judici sit notum, contra delinquentem sic infamatum necessario procedere debet, quamvis crimen sive bene, sive malè in Judicium sit deductum, reus juridice est diffamatus, effectus enim inquisitionis generalis est, præparare viam ad inquisitionem specialem, emergentibus ex inquisitione generali induciis vel probationibus, ex quibus vel verè vel præsumptivè apparet, quodnam, quale, & à quo delictum admissum, & illa loco diffamationis succedunt, ac tamquam causæ impulsivæ ad inquisitionem specialem sunt sufficientes.

2do. Quando de delicti infamiâ Judici constat. *Cap. cum oporteat* 19. *Cap. inquisitionos.* 21. *cap. qualiter & quando.* 24. *de accusat.* infamia autem non à malevolis & maledicis, sed à providis & honestis viris ortum habere debet, quia propter dicta paucorum eum infamatum reputare non debemus, cujus apud bonos & graves læsa opinio non existit. *Cit. cap. inquisitionis. §. quæsivisti etiam.* & quidem sola non sufficit infamia, sed clamorosa apud Judicem insinuatio præcedere debet, quâ scilicet non semel, sed sæpius delictum defamati aures Judicis pulsavit. *Cit. cap. inquisitionis. Cap. licet Heli.* 31. *de Simon.* Primò ut contra Prælatum Ecclesiæ specialis fiat inquisitio, requiritur, quod talis ac tanta sit infamia, ut sine scandalo & periculo tolerari aut dissimulari non possit. Cujus hanc dat rationem Pontifex *in cit. Cap. qualiter & quando. quod quasi signum sint positi ad sagittam, & quia non possunt omnibus complacere, cum ex officio suo teneantur non solum arguere, sed etiam increpare, quin etiam interdum suspendere, nonnumquam vero ligare, frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur, & ideo sancti Patres providè statuerunt, ut accusatio Prælatorum non facile admittatur, ne concussis columnis corruat ædificium: nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solum falsæ sed etiam malignæ criminationi fanua præcludatur.*

3tio. Quando gravia indicia seu tales præcedunt circumstantiæ, ex quibus aliquo modo colligi potest, quis Criminis sit Author. Illa autem indicia, ut infamiæ æquivaleant, quam Canones specialem inquisitionem præcedere volunt, gravia multis nota, & in publico delicto esse oportet.

4to. Quando facti adest evidentia, ita, ut Crimen sit notorium, & reus illud aliquâ tergiversatione negare non valeat; notorium enim plus est, quam infamia. *Cap. evidentia. 9. de accusat.*

5to. Si publici Officialis præcedat denun-

denuntiatio, ad specialem inquisitionem à Judice legitimè proceditur.

6to. Demum dicunt communiter Criminalistæ, ob delicti atrocitatem, scandalum aut damnum publicum, leviora indicia, ut complicis confessio, aut assertio alicujus minus fide digni sufficiunt, ut ad specialem procedatur inquisitionem. Hoc autem generaliter est observandum, quod his requisitis non existentibus, inquisitionis specialis processus sit nullus, dummodo reus contra protestatus, nec Crimen ultro confessus fuerit, si enim reus delictum ultro fateatur, propriam confessionem sub prætextu non procedentis infamiæ propugnare nequit. *Cap. postquam 1. de accusat. in 6.* similiter si reus Crimen quidem non confiteatur, nec tamen etiam contra inquisitionis processum protestetur, sed per testes crimen, de quo inquiritur, legitimè probetur, ex post facto excipere amplius non potest

Quæres *octavo*: An, si duo vel tres denuntient, ad inquisitionem procedi valeat?

℟. Si duo vel tres ad Judicem extra visitationem veniant, & se Cajum v. g. tale crimen committentem vidisse deponant, ideo Judex Ecclesiasticus ad specialem inquisitionem procedere nequit. *Cap. inquisitionis. 21. §. tertiæ. de accusat.* multo minus si ex litteris sine Authoris nomine scriptis Criminis tantum habeatur notitia, quantumvis in illis testes, qui delictum testificari veleant, notificentur.

Quæres *nono*: qualiter testes in judicio inquisitionis recipiendi?

℟. *1mo*: In causa inquisitionis testes recipiuntur lite non contestatâ *Cap. quoniam. 5. § sunt & alii. ut lite non contest.* *2do.* Quando fit inquisitio tam in Capite quàm in membris vel super statu Ecclesiæ, testes alias minus idonei recipiuntur. *3tio.* Testes super infamiâ deponens eos, apud quos inquisitus infamiâ laborat, nominare debet, in genere enim deponens bonam dicti sui causam reddere non videtur, Ratio est: quia aliter sciri non potest, an illi, apud quos inquisiti est infamia, sint vlles & malevoli, an vero fide digni, de quo ante omnia Judici constare debet. Quamvis non desint Canonistæ, qui probabiliter dicunt: satis esse, ut testes, nullis etiam personis expressis, dicant: rumor & infamia est per viciniam: reservatur enim alteri parti facultas probandi infamiam hanc tantum esse apud viles & malevolos, vel ab ipsis ortum habuisse, quo probatio non procedit inquisitio.

Quæres *decimo*: An inquisitio, ut ad interrogata respondeat, juramentum imponi valeat?

℟. Si infamia præcessit, & Judex ex mero officio procedit, juramentum ab inquisito recipere potest, vel ut dicat super statu Ecclesiæ nudam & plenam veritatem, vel ut ad interrogata respondeat. In primo juramento factam Confessionem postmodum excusare non potest, bene tamen in secundo. Est decisum *in Cap cum dilecti 18. de accusat.*

Quæres *undecimo*: An Judicium inquisitionis communicandum inquisito?

℟. Ei,

R. Ei, contra quem inquiritur, exponenda sunt illa Capitula de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi se ipsum, & non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei (ut quid, & à quo sit dictum, appareat) publicanda, nec-non exceptiones & replicationes legitimæ admittendæ, ne per suppressionem nominum, infamandi, per exceptionum vero exclusionem deponendi falsum audacia præbeatur. *Cap. qualiter & quando 24. de accusat.* Quamvis autem nullus puniendus sit, antequam convictus, vel confessus fuerit, attamen ob Criminis atrocitatem inquisitus de Crimine Simoniæ inquisitione pendente suspensus est. *Cap. quoties 5. de Simon.* quemadmodum & accusatus de eodem Crimine pendente accusatione est suspensus. *Cap. accusatum. 4. de Simon.*

Quæres *duodecimo*: qualiter contra Regulares instituenda inquisitio?

R. Postquam Pontifex in *cit. cap. qualiter & quando* modum ac formam contra Prælatos sæculares inquisitione procedendi præscripsisset, his formalibus concludit: *hunc tamen ordinem circa Regulares personas non credimus usquequaque servandum, qua, cum causa requirit, facilius & liberius à suis possint administrationibus amoveri.* Ex his *Pagn. in cit. Cap. qualiter & quando q. 99. & seqq.* tria deducit specialia. *1mum.* Quod in inquisitione, quæ fit contra Regulares, ordo juris non sit usquequaque, id est: omnino seu ad unguem servandus, scilicet quoad substantialia judici, non autem quoad veritatis probationem, illa enim nequaquam est omittenda, sicut nec justæ defensionis media sunt inquisito deneganda. *Secundum.* Quod Prælati Regulares ab administratione facilius quàm Sæculares removeri possint, unde leviores causæ ac probationes sufficere videntur. *3tium.* Quod contra Regulares non tot, quot contra Sæculares, recipiantur exceptiones, nec in ipsis exceptionibus ordinem ad unguem servare necesse sit.

Hæc autem de Prælatis, qui per electionem Canonicam instituuntur, non autem de prioribus aut minoribus intelligenda sunt Officialibus, quia tales ad libitum Abbatis sine ullâ causâ & juris ordine à suis administrationibus removentur.

§. Tertius.

DE

Denuntiatione.

QUæres *primo*: quid est denuntiatio?

R. Est Criminis apud judicem sine inscriptione ad emendationem, vel damnum imminens avertendum legitimè facta delatio. *Cap. super his. 16.*

de accusat. ab accusatione potissimum differt ex fine, accusatio namque fit ad puniendum & vindictam publicam, denuntiatio vero ad correctionem; in denuntiatione enim attenditur emendatio fratris, in accusatione punitio Criminis.

Quæres *secundo*: quotuplex est denuntiatio?

℟. Triplex est. 1*ma* denuntiatio Evangelica fundata in illis Christi verbis Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus es fratrem tuum, si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ &c.* de hâc agitur *Can. si peccaverit.* 19. *caus.* 2. *q.* 1. *& cap. novit ille.* 13. *de judiciis.* Quando præmissâ charitativâ admonitione, & emendatione non secutâ judici Ecclesiastico, non ad vindictam, sed ad Spiritualem proximi utilitatem, ut frater emendetur & peccare cesset, delictum denuntiatur.

2*da.* Denuntiatio Canonica, in Sacris fundata Canonibus, dum ad Superiorem peccans defertur, non solum pro correptione privatâ ac personali emendatione, sed etiam ad Ecclesiæ damnum aliúdve malum avertendum.

3*tia* Denuntiatio Civilis, à Jure Civili inventa, nec ab accusatione multum distans fit per constitutos ad id Ministros publicos, ut delicta publica, quæque in publicum vergunt detrimentum, non maneant impunita; Officiales illi Fiscales seu fisci promotores appellantur, eò quod juramento adstricti commissa Crimina nomine Fisci deferant, ac vices sustineant accusatorum. His quidam 4*tam* addunt speciem, videlicet denuntiationem regularem, quæ à personis religiosis fit ad correptionem excessus contra disciplinam regularem commissi, secundum cujuslibet ordinis regulas & communes constitutiones.

Quæres *tertio*: An denuntiationem Canonicam Charitativa præcedere debeat monitio?

℟. Distinguendo: si est denuntiatio specialis, quæ competit subditis contra Prælatum. *Cap. si quis Episcopus.* 2. *cap. illa* 3. *cap. olim.* 26. *de accusat.* Superiori contra subditos. *Arg. cap.* 1. *de offic. custod.* Patrono contra Ecclesiæ Ministros. *Can. filiis.* 31. *caus.* 16. *q.* 2. Laicis contra Clericos dissolutos. *Can. quapropter.* 47. *caus.* 2. *q.* 7. tunc bina vel trina monitio præcedere debet juxta regulam generalem in *Cap. qualiter & quando.* 24. *de accusat.* Sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic & denuntiationem Charitativa monitio, & inquisitionem clamorosa insinuatio prævenire. Ratio est: quia lex Charitatis dictat, ut correctio fiat, cum minori quantum potest fieri, corrigendi incommodo. *Cit. cap. si quis Episcopus.* Nisi ex circumstantiis præviam admonitionem nihil appareat profuturam, vel admonitio in notabile periculum aut detrimentum denuntiantis cessura prævideatur, ut si timeatur gravis offensa denuntiati, qui alias plurimum prodesse vel obesse potest denuntianti; Lex

enim

enim Charitatis neminem obligat, ut se gravis mali, ad famæ vel honori proximi parcendum, exponat periculo.

Si vero denuntiatio Canonica sit generalis, ut quando ante contractum matrimonium denuntiatur Matrimonii impedimentum. *Cap. cum inhibitio. 3. de clandest. desponsat.* vel impedimentum Canonicum in personâ electâ, quæ Matrimonium spirituale cum Ecclesia contrahere intendit, prævia non requiritur monitio. Colligitur ex *Cap. ad dissolvendum. 13. de desponsat. impuber.*

Quæres *quarto*: an denuntians Crimen denuntiatum probare debeat?

℟. Quamvis denuntians ad pœnam talionis non teneatur, si tamen in probatione deficiat, ab officio & Beneficio est suspendendus, donec Canonicè suam purgaverit innocentiam, scilicet, quod non calumniandi animo ad crimen proponendum processerit, ut cæteri simili pœnâ perterriti ad infamiam aliorum non facile prosiliant.

Quæres *quinto:* an semper opponens crimen, si in probatione deficiat, sit puniendus?

℟. Juxta *Cap super his. 16. de accusat.* Si Crimen in judicio per modum exceptionis opponitur, ut ab accusatione vel testificatione aliquis repellatur, excipiens non probans exceptionem nullâ pœnâ afficitur. Si crimen opponitur, ut à dignitate vel officio excludatur, distinguendum est: Si exceptio fiat ante Confirmationem, tunc opponens ad pœnam sese non obligat, quia Crimen probatum solum impedit promovendum, sed non dejicit jam promotum. Si vero post Confirmationem opponit, in probatione deficiens, ad pœnam extraordinariam juxta arbitrium Judicis obligatur.

Quæres *sexto*: quinam Evangelicè denuntiare possunt?

℟. Omnis homo, sive vir, sive mulier, sive bonus, sive malus, infamis aut criminosus, dummodo in Crimine non perseveret, quamvis se non denuntiaturum juraſſet, tale siquidem juramentum præjudicioſum, & de re illicitâ est. *Cap. quemadmodum. 25. §. illud autem. de jurejur.* Cum quilibet ex præcepto charitatis expresso *Matth. 18.* & relato in *Cap. in omni. 4. de Testib.* pro salute animæ proximi omne periculum avertere obligatus existat.

Quæres *septimo*: quinam Canonicè denuntiare possunt?

℟. Quibus cura incumbit, ne Ecclesia, Collegium vel communitas patiatur, Canonicè denuntiare possunt ac debent. Sic Clerici Episcopum, religiosi Prælatum, Parochiani Parochum, patronus Beneficii Beneficiatum, possunt & debent Canonicè denuntiare, ex quo ipsorum interest habere bonum pastorem, Prælatum, Rectorem &c. *Can. quapropter. 47. caus. 2. q. 7. can. filiis. 31. caus. 16. q. 7.* in hoc enim potissimum denuntiatio Evangelica differt à canonicâ, quod hæc magis sit publica, & spectet non tam animæ denuntiati salutem, quam boni publici conservationem, quod in rectâ gubernatione, Sacramentorum administratione, & laudabili secundum Canones conversatione consistere nemo dubitare potest.

Quæres *octavo*: an denuntiationem infamia præcedere debeat?

℟. *Negativè*: sicut enim in viâ inquisitionis infamia vel indicia præcedentia requiruntur, ut vices suppleant accusatoris, sine quo nemo est condemnandus, ita in casu denuntiationis vices accusatoris sustinet denuntiator, quamvis totum probandi onus in se non suscipiat. *Cap. super his. 16. de accusat.*

Quæres *nono*: An subditi, qui Superiorem suum apud altiorem Judicem denuntiarunt, pendente denuntiatione imperio denuntiati parere teneantur?

℟. In illis, quæ causam denuntiationis concernunt, Jurisdictio Superioris denuntiati pendente denuntiationis judicio est suspensa, in reliquis denuntiantes sub denuntiati manent imperio & obedientiâ Prælati. Est expressum in *Cap. olim. 26. de accusat.*

Quæres *decimo*: An Prælato denuntiato pendente denuntiationis Judicio, statim interdicenda alienatio?

℟. Si Prælatus de dilapidatione bonorum Ecclesiæ à subditis fuerit denuntiatus, pendente denuntiatione ob Ecclesiæ periculum, potestas vendendi, dandi, infeudandi seu quomodocumque alienandi bona Ecclesiæ denuntiato penitus interdici potest. *Cap. fin. de accusat.*

Quæres *undecimo*: An Judex vel Prælatus denuntiantis nomen aut personam revelare teneatur?

℟. *Negativè*: attamen in Inquisitione, quæ ad quærelam partis denuntiantis fit, si infamia vel indicia præcesserint, danda est Copia articulorum, nominum, attestationúmque testium. *Cap. olim. 26. de accusat. junct. Gloss. verb. ei copiam dari faciatis.*

Quæres *duodecimo*: An & qualiter denuntiatus, si Crimen per modum exceptionis denuntietur, puniendus?

℟. Crimen denuntiatur vel objicitur per modum exceptionis, quando non ad puniendum, sed ad repellendum accusatorem ab accusatione, testem à testificatione, electum à Confirmatione &c. Crimen detegitur, & ob hanc denuntiationem Criminalis Sententia ferri non potest, etiamsi denuntiatus de crimine convictus, aut idipsum confessus fuerit, nisi nova inquisitio aut processus contra denuntiantem instituatur. *Cit. cap. super his. 16. de accusat.*

TI-

TITULUS SECUNDUS.

DE

Simoniâ, & ne aliquid pro Spiritualibus exigatur vel promittatur.

SImonia nomen accepit à Simone Mago, qui dona Spiritus Sancti auro emi ac vendi posse putavit, ideóque à S. Petro audivit *Actor. 8. pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum DEI existimasti pecuniâ possideri.* Definitur: Studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale aut Spirituali annexum, quam sit Crimen illud enorme ac detestabile, indicant prædicata illa, quibus Jura extraordinario quodam Zelo idipsum prosequuntur. Sic appellatur rabies simoniaca. *Cap. si Dominus. 3. de Simon.* Lepra Giezi. *Can. cum ordinaretur. 14. caus. 1. q. 1.* Sacrilegium. *Can. audivimus. 1. caus. 1. q. 3.* execrabile flagitium. *Can. reperiuntur. 7. caus. 1. q. 1.* Simoniaca pestis *Cap. sicut. 6. de simon.* Simoniaca Hæresis. *Can. presbyter. 3. can. quisquis. 5. can. qui studet. 11. caus. 1. q. 1.* Omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur. *Can. fin. caus. 1. q. 7.* Demum idololatria sive idolorum servitus. *Can. cito. 16. can. cum omnis 20. caus. 1. q. 1.*

Variæ sunt simoniæ species. *1mo:* Simonia mentalis, quæ non est nudum propositum, vel desiderium dandi aut recipiendi spirituale pro temporali, sed potius simonia interna, quam mentalis dici potest, & tunc est: quando res spiritualis in compensationem rei temporalis, vel res temporalis ex obligatione propter rem spiritualem acceptam absque ullâ externâ datur pactione, ut si Patronus beneficium propter acceptam rem temporalem conferat, item si quis serviat patrono, ut ab eo beneficium vel accipiat, vel acceptum compenset. *Secundo.* Simonia conventionalis est, vel nuda de dando spirituali pro temporali conventio, ut promissio rei spiritualis pro temporali vel conventio ab una parte completa, ut, si datum pro promissa pecunia beneficium, aut data pro beneficio promisso pecunia. *3tio.* Simonia realis, est conventio simoniaca ab utraque parte completa. *4to.* Simonia confidentialis, quæ committitur ab illis, qui alicui beneficium Ecclesiasticum, eligendo, præsentando, instituendo, confirmando, resignando &c. procurant cum certa confidentia, id est expresso vel tacito pacto, ut is, cui procuratur, elapso quodam tempore ipsi cedenti, procuranti, resignanti &c. aut ejus Cognato vel amico resignet, aut pensionem vel fructum ex eo præbeat. *5to.* Simonia juris humani, quando res spi-

ritualis cum re item spirituali contra Ecclesiæ prohibitionem propriâ commutatur Authoritate. *Cap. quæsitum. 5. cap. cum olim. de rerum permutat.* vel res merè temporalis contra prohibitionem Ecclesiæ in reverentiam rei sacræ factam venditur, ut, cum pro materia Olei sacri vel Chrysmatis, aut pro officio temporali Oeconomi, Sacristæ vel aliqua temporalium rerum Ecclesiæ administratione pecunia porrigitur. *Cap. consulere. 38. de Simon.*

Quæres *primo*: quænam res in pactione simoniaca habet rationem mercis?

℟. Res spiritualis rebusque spiritualibus annexa. Tria autem rerum spiritualium sunt genera. *1mo.* Aliæ sunt res spirituales per essentiam, ut gratia sanctificans, gratiæ gratis datæ, virtutes supernaturales, potestas ordinis & jurisdictionis Ecclesiasticæ tam pro foro in - quàm externo. *2do.* Spitituales secundum causam, ut Sacramenta, Sacrificium Missæ, Sacramentalia. *3tio.* Sunt spirituales secundum effectum, ut opera meritoria, actus ordinis & jurisdictionis, administratio Sacramentorum, susceptio ad religionem, dispensatio vel commutatio votorum, absolutio à censuris &c.

Quæres *secundo*: quænam spiritualibus annexa sunt Simoniæ materia?

℟. Illa, quæ quamvis in se temporalia, cum re tamen spirituali, vel antecedenter, vel concomitanter, vel consequenter connectuntur, sic *1mo* antecedenter cum spiritualibus annexa sunt Ecclesiæ, Altaria, vasa Sacra, Jus patronatus, præsentatio, electio, renuntiatio, beneficii collatio, hæc enim res spirituales, Sacramentorum administrationem, divinorum celebrationem antecedunt, atque ad illa ordinantur. *2do* concomitanter connexa sunt, quæ cum re spirituali unum totum morale constituunt, sicut actio Sacramentalis baptizantis v. g. cum baptismo, labor corporalis cum recitatione officii Divini, materia calicis cum illius consecratione. *3tio* consequenter annexa sunt, quæ spiritualia præsupponunt & ab illis dependent, ita in Beneficiis Jus percipiendi reditus temporales cum officio divino connectitur, ratione cujus reditus percipiuntur: Jus decimandi spiritualem præsupponit titulum, quia decimæ dantur DEI Ministris in divini recognitionem dominii.

Quæres *tertio*: An res spiritualibus connexæ nullo modo absque Simoniaca pravitate vendi possint?

℟. Pro hoc sequentes serviunt regulæ:

1ma. Connexum cum spirituali quâ tali & ratione suæ connexionis vendi nequit, sic enim ipsum spirituale venditionis subjiceretur contractui; ideo Simoniacus est, qui prædium, cui Jus patronatus annexum est, calicem benedictum propter spiritualis rei connexionem pretio vendit majori.

2da. Illa, quæ per se antecedenter sunt connexa cum re spirituali, vendi non possunt, suntque materia simoniæ, ideo Jus patronatus, præsentatio ad beneficium & similia sunt invendibilia, secus est, si quid tantum per accidens

&

& remotè cum spirituali sit connexum.

3*tia.* Quæ rebus spiritualibus concomitanter, sed per se & intrinsecè connectuntur, vendi nequeunt, sic actio corporalis, quæ in dicenda Missa, Sacramentorum administratione per se intervenit, pretio æstimari non potest; si tamen aliquod onus merè extrinsecè accedat, ut si quis longum iter ad celebrandum facere debeat, illud aliquo temporali licitè compensatur. Vasa Sacra sunt concomitanter & per se cum spirituali connexa consecratione, ideo humano non subjiciuntur commercio. *Can. placuit.* 102. *caus.* 1. *q.* 1. *Can. si quis objecerit.* 7. *caus.* 1. *q.* 3. *cap. non satis.* 8. *cap. ea quæ.* 16. *cap. in tantum.* 36. *de Simon.* Si tamen vasa Sacra tali accipiantur modo, quo ante consecrationem fuerunt, vendi possunt, sic una Ecclesia alteri calicem aureum licitè vendit.

4*ta.* Quæ cum spiritualibus consequenter connexa sunt, durante connexione venditionem non recipiunt: quia in talibus spirituale est principale, & temporale est accessorium, à spirituali dependens, & spiritualitatem necessario participans, cum accessorium naturam sequatur principalis. Unde beneficium, Jus decimandi &c. etsi Jus, aliquod temporale percipiendi, contineant, vendi vel emi non possunt. *Cap cum essent.* 12. *cap. insinuatum.* 13. *cap. ex insinuatione.* 26. *cap. nobis.* 27. *cap tua nos. de Simon.* Dixi: *durante connexione*, si enim temporale à spirituali separetur, ut reditus temporales à beneficio, decimæ à spirituali titulo, non est dubium, quin venditionis contractum admittant.

Quæres *quarto*: quid in Conventione Simoniaca pretii habet rationem?

Rt. Pretium temporale in labe Simoniaca interveniens munus appellatur, & dividitur in munus à manu, à lingua, ab obsequio. *Can. Salvator.* 8. *caus.* 1. *q.* 3. Munus à manu dicitur pecunia, & res quælibet æstimabilis & utilis, sic remissio debiti, concessio mutui &c. sub munere à manu hic comprehenduntur. Munus à linguâ sunt laudes, preces, commendationes apud tertium in causa quadam eo pacto interpositæ, ut dignitas, beneficium, aut alia res spiritualis interponenti conferatur. Munus ab obsequio sunt quælibet servitia aut obsequia, aliáve præstita vel præstanda sub conditione & obligatione rem spiritualem v. g. beneficium conferendi. *Cit. cap. cum essent.* 12. *de Simon.*

Quæres *quinto*: qualis in Simoniæ vitio intervenit conventio?

Rt. Ut Simoniaca sit conventio, aliquod pactum onerosum tacitum, vel expressum, quo res spiritualis cum temporali commutatur intervenire oportet. *Cap. fin. de pactis.* Unde Simonia non committitur in seqq. 1*mo.* Si conferens aliquod spirituale, munus à manu, lingua vel obsequio gratis omnino, ex benevolentia, amicitia aut gratitudine, sine ulla intentione recipientem obligandi, admittat, quia illud gratanter recipi poterit, quod fuit sine taxatione gratis oblatum, talis autem intentio præsumitur, si post rem spiri-

spiritualem gratuita fiat muneris oblatio, aut si antecedat quidem, sed sit de re modica, quæ animum accipientis non facile ad Simoniacum valeat movere affectum. *Cap. etsi quæstiones. 18. de Simon.* alias intentio & simoniaca affectio rarò abest, & est plerúmque saltem tacita promissio & pactum implicitum, si offeratur res consideratione digna titulo amicitiæ & benevolentiæ illi, qui rem spiritualem dare potest, ut eandem conferre non gravetur, ideo merito ab Innoc. XI. damnata est hæc propositio: *dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed duntaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale est solum gratuita compensatio pro spirituali aut è contra.*

2do. Ministri Ecclesiæ pro Sacramentorum administratione, Missis, aliisque spiritualibus fuuctionibus Titulo sustentationis, & per modum stipendii licitè temporalia recipere possunt ex declaratione Christi *Matth. 10. Dignus est operarius cibo suo*, & *Luc. 10. Dignus est operarius mercede suâ* Ubi nomine mercedis non intelligitur aliquid correspondens & opere spirituali proportionatum, sed stipendium correspondens Conditioni personæ operantis, quæ ob labores spirituales sustentatione & stipendio digna est, quantitas hujus stipendii à consuetudine aut superioris taxatione sumenda est. *Cap. ad Apostolicam. 42 de simon.* attamen omne turpe pactum & rigorosa avaritiæ præferens speciem, exactio abesse debet, nec à Ministris servitia spiritualia, antequam pecunia numeretur aut de illa cautio præstetur, sunt neganda, quia per similia animus & affectus simoniacus exprimitur. *Cap. in tantum. 36. cap. audivimus. 41. de simon.*

3tio. Absque labe simoniaca res temporalis adjecta conditione, vel modo præstandi operis spiritualis dari, promitti aut legari potest. *Cap. cum sit. 2. cap. verum. 4. de condit. appos.* quia in hujusmodi casibus pactum onerosum, absolutam imponens obligationem non intervenit, nec res temporalis habet rationem pretii, sed solum sub conditione aut modo licito & honesto donatur vel legatur.

Quæres *sexto.* Qualiter in receptione ad Collegium Ecclesiasticum Simonia committitur?

R. *1mo.* In Monasteriis utriusque Sexus dare aliquid pro ingressu, receptione habitus acceptatione ad professionem sine dubio est simoniacum. *Can. nullus Abbas. 3. caus. 1. q. 3. Cap. non satis. 8. Cap. veniens. 19. Cap. de regularibus. 25. Cap. quoniam. 40. cap. audivimus. 41. de sim.* nec hæc simonia pallio sustentationis velari potest, cum religio hoc sustentandi onus in se per religiosi receptionem suscipiat, quem proinde ex suis bonis, aut si sit mendicantium, ex ordinariis Eleemosinis sustentare obligatur, ideo alimentationis titulo nihil exigi potest, nisi Monasterium sit tam tenue, vel tam paucæ Eleemosynæ, ut Religiosi jam recepti sustenrari nequeant, unde docet *Doctor Angel. 2. 2. q. 100. a. 3. ad. 4.* Si Monasterium

sterium sit tenue quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere possunt, sed licet accipere aliquid pro victu personæ, quæ fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes. Præterea in Religiosorum receptione absque vitio Simoniæ quædam temporalia pro superioribus aut aliis religiosis exigi non possunt. *Extrav. sanè. 1. de Simon. inter com.* non licet in personarum receptione aut ante vel post illam, quoscumque pastus, prandia seu Cœnas, pecunias, jocalia aut res alias, etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda, directè vel indirectè petere vel exigere. Illa duntaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes, purè & sponte & plenâ liberalitate omnique pactione cessante, dare vel offerre Ecclesiis voluerint, cum gratiarum actione recipere licet.

2*do.* In Collegiis Canonicorum Sæcularium dare bona temporalia, ut quis in Canonicum recipiatur, est Simonia damnata per *Cap. tua nos. 34. de Simon.* In Clerico, qui Ecclesiæ sua bona obtulerat, ut in Canonicum receptus, sic oblata ad tempus vitæ in præbendam retineret. Ubi additur: Si is, qui absque tali conditione donationem puram & absolutam fecisset, ea tamen intentione, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum purè sic offerentem admisissent, non fuissent tamen recepturi nisi commoda temporalia perciperent, sine dubio tam ille, quam isti apud districtum judicem, qui scrutator est cordium & cognitor secretorum, culpabiles judicantur. Deinde Simoniacum est, si à Canonico neo: recepto temporalia quædam pro singulis Canonicis, quæ pecuniæ statutorum vocari solent, antequam ad fructiferam Canonicatus sui admittatur possessionem, exigantur. Est expressum in *Cap Jacobus. 44. de Simon.*

Quæres *septimo*: An Consuetudo hæc & similia non excuset?

R. Nequaquam. Patet *ex Cap. non satis. 8. cap. cum in Ecclesiæ. 9. cap. in tantum. 36. cap. sicut. 39. cap. Jacobus. 44. de Simon.* Ratio est: quia Simonia vel Jure naturali & divino, vel Jure solum Ecclesiastico prohibita est, nulla autem legitima & rationabilis consuetudo contra Jus divinum, vel Ecclesiæ prohibitionem ipsam consuetudinem velut corruptelam reprobantem, induci potest. *Cap. cum tanto. fin. de consuetud.*

Nec obstat. Quod in *Cap. ad Apostolicam. 42. de Simon.* Consuetudines laudabiles aliquid temporale in receptione spiritualium offerendi, approbentur, quia consuetudines laudabiles sunt, vel quando initium habent à gratuitis fidelium oblationibus, ex mera eorum liberalitate profectis, vel quando talia oblata non velut pretium, sed in Ministrorum Ecclesiæ dantur sustentationem. Aliæ exactiones, sub cujuscunque consuetudinis prætextu fiant, reprobantur, sic enim loquitur Alexand. III. in *Cit. cap. non satis*: nec sub obtentu cujusquam consuetudinis reatum suum quis tueatur: quia diuturnitas tem-

poris peccata non minuit *sed auget.* Ideo *Trident. sess. 24. de Reform. cap. 1.* cum in pluribus Ecclesiis tam Cathedralibus quam Collegiatis & parochialibus, ex earum Constitutionibus aut ex prava consuetudine observari intelligeret, ut in electione, Præsentatione, Nominatione, Institutione, Confirmatione, vel aliâ provisione, sive admissione ad possessionem alicujus Ecclesiæ Cathedralis, vel Beneficii, Canonicatuum vel præbendarum vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas certæ conditiones, seu deductiones, ex fructibus solutiones, promissiones, compensationésque illicitæ interponantur, hæc cum Sancta Synodus detestaretur, mandat Episcopis, ut quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui Simoniacæ labis aut solidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant, ipsíque diligenter de eorum constitutionibus sive consuetudinibus super prædictis cognoscant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas & scandalosas rejiciant & aboleant.

Quæres *octavo:* An & qualiter absque Simoniaca pravitate ad redimendam vexam in receptione rei spiritualis temporale tribui possit?

℟. *1mo:* Qui circa Beneficium Jus spirituale plenè est consecutus, ut, quia est electus & confirmatus, illi, qui Juris quæsiti possessionem injustè turbare intendit, absque Simoniæ vitio aliquod temporale offerre potest. Ratio est: quia talis temporale non pro consequendo beneficio, utpote quod jam habet, sed solum pro avertenda tribuit injuria. *Cap. dilectus. 28. de Simon. 2do.* Si quis Jus plenum in beneficio nondum est consecutus, ut electus, sed nondum Confirmatus, præsentatus, sed nondum institutus &c. injustam vexam à confirmatore vel institutore, vel aliis, à quibus Jus spirituale, quod deest, expectat, aliquo temporali redimere non potest, siquidem per hujusmodi redemptionem ad spirituale sibi viam pararet, *Cap. Matthæus. 23. de Simon.* quamvis ab aliis qui Jus eligendi, conferendi vel confirmandi non habent, sed aliunde injustè impediunt, vexa redimi valeat, quia tunc sola injusta redimitur vexatio, & injuriosum removetur impedimentum.

Quæres *nono*: An omnis provisio Beneficii, ut electio præsentatio, confirmatio &c. irrita sit & nulla, si ab uno vel pluribus ad hos actus concurrentibus commissa Simonia?

℟. Omnis provisionis Beneficii, in qua pactio intervenit Simoniaca, quia ab uno vel pluribus aut aliquid temporale datum, aut iisdem temporale quid promissum, actus ex Jure Ecclesiastico ipso facto nulli sunt & invalidi, ita, ut taliter provisus beneficium ante omnem Judicis Sententiam dimittere & fructus perceptos restituere teneatur. *Cit. cap. Matthæus.*

Quæres *decimo*: quid si ignorante provisо ab amicis promissa vel data electoribus pecunia?

℟. Quantumvis ignorante provisо commissa sit Simonia, provisio nihilominus

minus irrita est & nulla. *Cap. ex insinuatione. 26. de Simon. Extrav. cum detestabile. 2. eod. tit. inter Com.* etiamsi provisus Simoniam ignoraverit inculpabiliter, nec resciens postea ratificaverit. Excipiuntur duo casus. 1mus. *In Cap. nobis. 27. de Simon.* si quis inscio provisо in ejus odium & dispendium per fraudem pecuniam malitiose dedisset aut promisisset, ut ejusdem provisio postmodum casseretur. 2*dus.* In *Cap. sicut tuis. 33 de Simon.* si provisus ante provisionem Simoniacæ contradixerit pactioni, & se nolle ut quisquam in sui favorem aliquid temporale det vel promittat, serio fuerit protestatus. Rationem exceptionis dat Pontifex in *cit. Cap. sicut tuis.* inquiens: alioquin contingeret, quod alicujus factum insidias inimico parantis ei damnosum existeret, cui penitus displiceret, & sic aliquis de fraude suâ commodum reportaret.

Quæres *undecimo*: quæ Simoniacorum pœnæ?

℟. 1*mo*: Simonia mentalis in foro externo est extra omnem pœnam. *Cap. fin de Simon.* Ratio est: quia enim intentio simoniaca, quæ operi conjungitur externo, non manifestatur exterius, cum externum opus sit indifferens, Ecclesiasticæ haud subest punitioni, cum Ecclesia sese de internis non judicare confiteatur. In *cit. Cap. sicut tuis. 33. de Simon.*

2*do*: Simonia conventionalis, licet ex parte unius sit completa, certam pœnam à jure non habet determinatam, quamvis provisio ex conventionali simonia facta nulla sit, & provisum ad aliud beneficium reddat incapacem. Pœnæ Simoniæ realis ad Conventionalem extendendæ non sunt, tales enim pœnæ, ut dicitur *Extrav. 1. & 2. de Simon. inter com.* dantibus & recipientibus, qui non sunt in simonia conventionali nondum completâ, infliguntur, in pœnis autem benignior facienda interpretatio. L. *Sancimus. 22. Cod. de pœnis.*

3*tio*: Simonia realis sequentibus subjacet pœnis: si in susceptione ordinum commissa Simonia, ordinans per triennium à collatione ordinum suspenditur. *Cap. si quis ordinaverit. 45. de Simon.* Ordinatus vero si conscius vel complex, tam à susceptis quam suscipiendis suspenditur ordinibus. *Cap. per tuas. 37. de Simon.* Non Simoniacè, scienter tamen à Simoniaco ordinatus Episcopo, ab ordinum suspenditur executione *Can. si qui. 108. caus. 1. q. 1.* si simonia in beneficiorum contigerit collatione, præterquam quod collatio omnino nulla sit & invalida, tam simoniam committentes, quam mediatores seu procuratores excommunicationem Summo Pontifici reservatam incurrunt, ab altaris ministerio perpetuo sunt deponendi, & beneficiis ante obtentis privandi. *Can. presbyter. 3. caus. 1. q. 1. Cap. de hoc. 11. cap. insinuatum. 13. de Simon. Extrav. cum detestabile. 2. eod. tit. inter com.* Si in ingressu religionis Simonia commissa, præter excommunicationem Conventus Simoniacè aliquem recipiens suspenditur, à quibus non nisi à Sede Apostolica absolutionem impetrare potest. *Extrav. sane. 1. de Simon.*

mon. inter com. Professio simoniacè, facta valida quidem est, sed taliter professus arctiori Monasterio est recludendus. *Cap. de Regularibus. 25. de Simon.* Contra Simoniam Confidentialem à Pio IV. in Bulla: *Romanum Pontificem,* & à S. Pio V. in Bulla: *intolerabiles.* Latæ sunt pœnæ sequentes. *1ma* excommunicatio Summo Pontifici reservata in inferioribus, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ in Episcopis aliisque Prælatis. *2da* annulatio actus, ut collationis, resignationis &c. *3tia* inhabilitas, quâ simoniacus ad omnia alia beneficia redditus incapax. *4ta* privatio omnium beneficiorum habitorum *5ta* beneficiorum Simoniacè collatorum vel resignatorum reservatio.

Quæres *duodecimo*: an, & qualis ex simonia oriatur restituendi obligatio?

R. *1mo*: est obligatio restituendi, si pretium pro re spirituali non tantum simoniace sed etiam injuste acceptum, v. g. pro Sacrificio Missæ, Sacramentis &c. sive ad ea pretium recipiens ex officio obligatus erant, sive non. Quia venditio hæc invalida est, & retentio esset pretii contra justitiam commutativã, quod quantum est de Jure naturæ danti restituendum est, respectu enim illius commissa est injustitia.

2do: de Jure saltem positivo, pretium pro collatione, electione, Confirmatione vel renuntiatione acceptum etiam in foro conscientiæ ante omnem judicis Sententiam restitui debet. *Cap. de hoc. 11. de Simon.* Ratio est: quia Jus impedit, quo minus recipiens pretii sic accepti dominium acquirere valeat, cum Pontifex in *cit. cap. de hoc*, illud quod pro præstito in electionem assensu acceptum erat, restitui mandet, eo quod sine gravi salutis periculo retineri non possit. Est autem pretium Simoniacum non danti, sed Ecclesiæ illi, in cujus simonia commissa est, injuriam, restituendum. *Cit. cap. de hoc.*

3tio: Si res temporalis pro Beneficio Ecclesiastico ex parte unius tradita, nec tamen subsecuta beneficii collatio, pretium est restituendum, at si econtra beneficium vel alia res spiritualis tradita, pretium verò non sit solutum, quæstio est, an spirituale restituendum. Quidam affirmant, eo quod collator animum conferendi non habuerit, nisi ex contractu vel pacto oneroso, ac proinde ex defectu voluntatis in dante beneficium, si pretium non solvatur, beneficium retineri nequit. Alii verius negant, cum conditio pretii de re turpi sit, ideoque habetur pro non adjecta, unde non impedit, quo minus collatio sit absoluta.

3tio. Ex simonia mentali non oritur restituendi obligatio: quia licet dantis vel accipientis intentio sit, rem spiritualem dare pro temporali, ex quo tamen hæc intentio in pactum non est deducta, res non titulo simoniaco, sed potius simpliciter acquisita censetur, in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori *Cap. fin. de Simon.*

***

TITULUS TERTIUS.

DE

Magistris, & ne aliquid exigatur pro Licentia docendi.

ALia pretii exactio, quæ speciem Simoniæ habet, est, quando pro licentiâ docendi petitur pretium, unde propter materiæ connexionem titulo de simonia, præsentem subjiciendum duximus.

Quæres *primo*: quinam appellantur Magistri?

℟. Illi, qui gradum, & insignia doctoralia legitimè sunt consecuti: Magister & Doctor Synonima sunt, quamvis hodiernus usus Theologis, Jurisconsultis & medicis titulum Doctoratus, Magisterii autem solis Philosophis & artium Professoribus attribuat.

Quæres *secundo*: quanta Magistrorum necessitas?

℟. In qualibet Cathedrali & Collegiata de Jure constituendi sunt Magistri, qui Grammaticam & Theologiam doceant, ac clericos in eis, quæ ad animam pertinent, solerter instruant. *Cap. quoniam. 1. cap. prohibens. 2. cap. quia. 4. hoc tit.* quæ innovata sunt à *Trident. sess. 5. de Reform. cap. 1. & sess. 23. de Reform. cap. 18.*

Quæres *tertio*: An pro doctione vel licentia docendi aliquid temporale recipere sit licitum?

℟. Dare vel accipere pretium pro concessione licentiæ vel facultatis docendi, aut pro ipsa Doctione, non est simonia; actus enim docendi non est res Sacra, nec actus potestatis spiritualis vel supernaturalis, pro quo pretium dari vel recipi nequit. Attamen Canones præcipiunt, ut in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis constituantur Magistri, qui pauperes Clericos gratis doceant, illis præbendâ pro stipendio assignata. *Cit. cap. quoniam. & Trident. loc. cit.* pro licentia docendi nihil exigi, vel promitti debet, exactum etiam non obstante quâlibet consuetudine restituendum est. *Cap. 2. & 3. h. tit.*

Quæres *quarto*: quæ pœnæ pro licentia docendi aliquid exigentium?

℟. In *Cap. quoniam. 1. h. tit.* statuitur, ut pro licentia docendi nullus pretium exigat, qui autem contra hoc venire præsumpserit, ab Ecclesiastico fiat beneficio alienus, dignum quippe videtur, ut in Ecclesia fructum sui laboris non habeat, qui cupiditate animi, dum vendit docendi licentiam, Ecclesiasticum profectum nititur impedire. In *Cap. quanto. 3. h. tit.* ita loquitur Alexand. III. dignos esse animadversione censemus, qui nomen Magistri Scholarum & dignitatem assumunt, &

sine certo pretio Ecclesiasticis viris, docendi alios licentiam non impendunt. Cum autem hæc prava consuetudo à cupiditatis radice processerit, & decorem admodum Ecclesiasticæ honestatis confundat, mandamus, quatenus, consuetudine ipsâ de vestris Ecclesiis extirpatâ, sub Anathematis interminatione hoc inhibere curetis. Si qui hujusmodi prohibitionis vel præcepti extiterint transgressores eos officiis & dignitatibus spolietis.

Quæres *quinto*: An Magister præbendatus stipendium absque Simoniæ vitio pro doctione exigere possit?

℟. Quamvis officium seu obligatio, Theologiam, Jus Canonicum aut etiam Grammaticam docendi beneficio annexa sit Ecclesiastico, non est tamen Simonia contra Jus naturale vel divinum, si talis Magister præter stipendium, quod Ecclesia ei præsentat à discipulis pecuniam exigat, semper enim temporale pro temporali accipitur, etiamsi functio illa propter stipendium, quod ab Ecclesia accipit, ex justitia sit debita, si tamen Magister pro docendi munere cum hoc expresso vel tacito pacto, ut gratis doceat, condignum ab Ecclesia accipit stipendium, injustè pretium exigere non dubitatur.

Quæres *sexto*: An pro doctione Theologica, aut Consilio Theologico aliquid exigere sit Simonia?

℟. *Negative:* Ille enim actus est mere naturalis, cum à scientia labore humano acquisitâ procedat, adeoque pretio est æstimabilis, modus etiam instruendi, sive cognitionem illam tradendi per modum humani est magisterii, effectus quoque seu finis intrinsecus illius actûs est in cognitione talis veritatis instruere intellectum, quod autem à Discipulo vel consulente ad curam animarum vel propriam ordinetur conscientiam, per accidens est & intrinsecum.

Quæers *septimo*: An simoniacum sit vel illicitum, accipere pretium pro gradus licentiæ vel doctoratus in aliqua Facultate collatione?

℟. *Negativè*: Quia *1mo* isti gradus nihil spiritualis in se continent. *2do.* Ordinantur ad actum docendi, qui spiritualis non est. *3tio.* Gradus sunt solum publica scientiæ studio & labore acquisitæ testimonia, cum quibusdam privilegiis, facultatibus, atqui ita hi gradus sunt pretio æstimabiles, non minus quam doctrina ad quam ordinantur.

Quæres *octavo:* Qualiter sumptus in promotione ad gradus in Universitate sint moderandi?

℟. Juxta *Clement. cum sit. 2. h. tit.* Ille ad quem dare magisterium vel doctoratum spectat, prius à doctorando juramentum recipere debet, quod in doctorali sua solemnitate ultra Summam 3000. Turonensium argenteorum non expendet, quæ summa juxta *Gloss. in cit. Clement.* facit 250. aureos, quod si promotor non fecerit, etsi sit Episcopus, à collatione Magisterii per sex menses est suspensus. Quidam hanc Clementiam in plerisque locis non esse receptam volunt. In Universitate nostra Colonienſi juramentum prædictum ante promotionem per Pedellum prælegi-

legitur, & stipulatâ manu post prælectionem juratur.

Quæres *nono*: Quo Magistri Theologiam docentes gaudent Privilegio?

℟. *juxta Cap. super specula. 5. hoc titulo.* docentes in Facultate Theologica, toto tempore, quo in Scholis docuerint, præbendarum suarum proventus, alia consuetudine vel statuto non obstante percipiunt. Additur Ratio: cum denario fraudari non debeant in vinea domini operantes, hoc privilegium ad illos etiam extenditur, qui non sunt stipendiati, aut ex obligatione suo beneficio adhærente in Universitate publice docent.

Quæres *decimo*: Quod est Candidatorum Theologiæ Privilegium?

℟. Prælati & Capitula ad Theologicæ professionis studium aliquos dociles destinare jubentur in *cit. cap. super specula.* qui cum docti fuerint, in Dei Ecclesia velut splendor fulgeaut firmamenti, ex quibus postmodum Capita possit haberi Doctorum, qui velut stellæ in perpetuas æternitates mansuri ad justitiam valeant plurimos erudire. Quod si proprii proventus Ecclesiastici non sufficiant, Prælati & Capitula necessaria subministrent, & integrè per annos quinque percipiant præbendarum & beneficiorum suorum proventus.

Quæres *undecimo*: An Privilegia docentium & studentium Theologiæ, ad jus Canonicum audientes extendenda?

℟. *Affirmativè*: ut sæpius declaravit S. Congregatio: quia non minus prodest Ecclesiæ universali, Juris Canonici quam Theologiæ scientia, cum ad regimen Ecclesiarum & bonam officiorum Ecclesiasticorum administrationem Juris Pontificii omnino necessaria sit notitia, quæ est pars Theologiæ, & iisdem, quibus Theologia, nititur principiis, videlicet sacrâ scripturâ utriusque Testamenti, Decretis summorum Pontificum, generalium Conciliorum, Statutis, ita, ut in quæstione, quisnam in promotione ad Episcopatum. Idem est de alio quocumque beneficio curato: præferendus sit Theologus, an Canonista, responderi soleat: in locis hæresi infectis præferendum Theologum, in aliis Canonistam, quamvis melius dicatur, nullum promovendum, qui non sit Theologus & Canonista, cum nec Theologus sine jure Canonico, nec Canonista valeat esse perfectus.

Quæres *duodecimo*: An prædictis privilegiis gaudeant ubique locorum docentes & studentes?

℟. Qui Privilegio, fructus beneficiorum in absentia percipiendi, gaudere volunt, in celebri Universitate quædam vel studio generali Theologiam aut jus canonicum docere vel audire debent, ut declaravit S. Congregatio. Ideo prudenter in pluribus Cathedralibus & Collegiatis est statutum, ut nullus Canonicus ad residentiam fructiferam admittatur, qui non habet testimonium, quod per biennium in Universitate Catholica studuerit.

Quæres *ultimo*: Quid circa studium linguarum Canones ordinaverunt?

℟. Clemens *V.* in *Clement. 1. de Magistr.* ad fidem inter infideles propagandum

gandam statuit, ut in præcipuis totius Europæ Universitatibus, nempe in studiis Romanæ Curiæ; Universitate Parisiensi in Italia, Oxoniensi in Anglia, Salmanticensi in Hispania Viri Catholici & periti constituantur, qui Scholas in lingua Hebraica, Arabica, Chaldaicâ regant, aliosque instruant, quibus de stipendiis & sumptibus ab Ecclesiarum Prælatis & Rectoribus Monasteriis, Capitulis Collegiis, etiam exceptis in prædictis Regnis sitis, juxta facultatum exigentiam providendum, privilegiis & exemptionibus quibuscumque contrariis nequaquam obstantibus.

TITULUS QUARTUS.

DE

Judæis & Saracenis.

TRes sunt infidelium classes *1mo.* Judæi, qui Legem Mosaycam ad litteram tenent absque fide in CHRISTUM, sic dicti à Tribu Juda, quæ inter duodecim Tribus erat præstantior. *2do.* Saraceni, qui falsos Deos colunt, maxime vero qui impii Mahometis deliria sequuntur, veluti Turcæ, Persæ, Arabes, Tartari, &c. *3tio.* Hæretici, videlicet Christiani in fide pertinaciter errantes, de his posterioribus Titulo sequenti.

Quæres *primo*: An in Repub. bene ordinatâ tolerandi sint Judæi?

℟. *Affirmativè.* Liquet ex *Cap Judæor. 13. h. t. Cap. Judæi 21. de testib.* Ratio est: quia Judæorum inter Catholicos habitatio fidem confirmat Christianam, & veritatem illorum, quæ vetus continet testamentum, ut cum S. Aug. observat *D. Thom. 2. 2. 9. 10. a. 11. O.* ex hoc quod Judæi ritus suos observent, in quibus olim præfigurabatur veritas fidei, quam tenemus, hoc bonum provenit, quod testimonium fidei habeamus ab hostibus, & quasi in figura, nobis repræsentatur, quod credimus, & ideo in suis ritibus tolerantur.

Quæres *secundo*: An justè Judæi ex quibus Regnis ejecti?

℟. Non est dubium, perfidam & induratam Judæorum gentem, ob plurima mala, quæ fideles ex eorum cohabitatione sunt passi, laudabiliter ex quibusdam Regnis Provinciis & Civitatibus esse eliminatam. Hinc *Innoc. III. in cap. etsi Judæos. 13. h. t.* sic inquit: alia insuper detestabilia & inaudita committunt, propter quæ fidelibus est verendum, ne divinam indignationem incurrant, cum eos perpetrare patiuntur indignè, quæ fidei nostræ confusionem inducunt. Ex his facile ac justè Princeps Christianus ad generis non solum subditis Catholicis tam pernitiosi

nitiosi, sed etiam in Salvatorem nostrum maximè blasphemi ejectionem & extirpationem commoveri posset.

Quæres *tertio*: In quibus casibus est interdicta cum Judæis communicatio?

R. Quamvis in externis commerciis Christianis cum Judæis negotiari licitum sit, cavenda tamen nimia ob periculum perversionis cum ipsis familiaritas, ideoque plures in Jure expressi sunt casus, in quibus Christianis cum Judæis communicare non licet. Sic prohibetur *1mo.* Christiani cum Judæo in eadem domo cohabitatio. *Cap. Judæi. 5. h. t. 2do.* Extra casum necessitatis uti operâ Judæi in medendo. *3tio.* Cum eo balnea frequentare. *4to.* Vesci azymis Judæorum. *5to.* Eorum nuptias frequentare, eos ad prandium invitare, cum illis convivari. *Can. nullus eorum. 13. can. omnes. 14. caus. 28. q. 1.* quia ut dicitur in *cit. can. omnes.* Indignum atque Sacrilegum est eorum cibos à Christianis sumi, cum ea quæ permittente Apostolo nos sumimus, ab illis judicentur immunda, ac sic inferiores incipiant esse Christiani, quam Judæi, si nos quæ ab illis apponuntur, utamur, illi vero à nobis oblata contemnant. *6to.* Judæis famulari. *Cap. multorum. 2. cap. ad hæc. 8. cap. etsi. 13. h. tit. 7mo.* Eorum filios nutrire. *Cit. cap. etsi.*

Quæres *quarto*: quæ causæ & pœnæ hujus prohibitionis?

R. *1mo* Causa vitandi peccati: ne videlicet fœminæ præsertim pauperes in Judæorum servitio constitutæ libidinem carnali populo prostituant; deinde ne eorum participatione subvertantur Christiani *cit. cap. ad hæc.* tertiam causam exprimit Pontifex *cit. cap. etsi.* his verbis: ne filii liberæ filiis famulentur ancillæ, sed tamquam servi à Domino reprobati, in cujus mortem nequiter conjurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant servos illorum, quos Christi mors liberos, & illos servos effecit. *2do*: huic prohibitioni contravenientes excommunicari jubentur. *Cit. can. nullus eorum, cap. Judæi. 5. cap. etsi. 13. h. t.*

Quæres *quinto*: An Judæus vel alius infidelis publico officio inter Christianos præfici possit?

R. Nequaquam. Est enim nimis absurdum, ut blasphemus Christi in Christianos vim potestatis exerceat, infideles quoque sub tali prætextu Christianis plurimum sunt infesti. Ille, qui in publicis negotiis Judæum præfecerit, districtione, quâ convenit, compescendus est. Officiali vero hujusmodi tamdiu Christianorum communio in commerciis & aliis denegetur, donec in usus pauperum Christianorum, secundum providentiam Diœcesani Episcopi, convertatur, quidquid fuerit à Christianis adeptus ratione officii sic susceptí, & Officium cum pudore dimittat, quod irreverenter assumpsit. *Cap. cum sit nimis. 16. h. t.*

In cap. ex speciali. 18. h. t. jubetur, ut si forte Rex aut alius Princeps Christianus reditus suos Judæis vendiderit, vel paganis, Christianum tunc deputet de gravaminibus inferendis Clericis & Ecclesiis non suspectum, per quem Judæi

sive Saraceni sine Christianorum injuria Jura regalia consequantur.

Quæres *sexto*: quæ præterea Judæis in Christianis Principis territorio habitantibus specialiter à Jure interdicta?

R. 1*mo*: prohibentur erigere novas Synagogas, veteres tamen habere aut reparare permittuntur. *Cap. Judæi.* 3. *cap. consuluit.* 7. *h. t.* 2*do*. In Hebdomada sancta maximè in die Parasceves domos & ostia clausa habere debent. *Cap. quia super his.* 4. *cap. in nonnullis.* 15 *h. t.* 3*tio*: in omni Christianorum Provincia & omni tempore habitum distinctum, quo à Christianis discerni valeant, portare præcipiuntur. *Cit. cap. in nonnullis.* 4*to*: in *cap. quanto amplius.* 18. *de usur.* præcipitur Magistratibus Sæcularibus, ut Judæos compellant ad satisfaciendum Ecclesiis pro decimis & oblationibus debitis, quas à Christianis de domibus & possessionibus aliis percipere consueverant, antequam ad Judæos quocumque titulo devenissent, ut sic Ecclesiæ conserventur indemnes.

Quæres *septimo*: quænam habitantibus inter Christianos Judæis sunt permissa?

R. 1*mo*: Judæi inviti & nolentes ad baptismum cogendi non sunt: quia credere est liberæ voluntatis, & Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire. *Cap. sicut Judæi.* 9. *h. t.* hinc proles Judæorum, quamdiu rationis usum non attigerunt, invitis parentibus non sunt baptizandi, tamdiu enim sub parentum curâ existunt, si post usum rationis baptizari petunt, baptizandi sunt, & per baptismum à patria liberantur potestate, nec in Successione proximorum agnatorum impediri possunt.

2*do*: In *cit. cap. sicut Judæi.* §. *nullus etiam.* Præcipitur quoque, ut nullus Christianus Judæorum quemlibet sine judicio terrenæ potestatis vel occidere, vel vulnerare, vel pecunias auferre præsumat, aut bonas, quas hactenus habuerunt, consuetudines immutare: præsertim in festivitatum suarum celebratione quisquam fustibus vel lapidibus nullatenus eos perturbet, neque aliquis ab eis coacta servitia exigat. Nemo Cœmiterium eorum mutilet aut invadat, sive obtentu pecuniæ corpora humana effodiat, alias honoris & officii sui periculum patiatur, aut excommunicationis Sententiâ plectatur.

Quæres *octavo*: quid de Judæis ad Christi fidem conversis?

R. 1*mo*: Judæi ad fidem Christi conversi omnem communionem & familiaritatem cum Judæis in suâ cæcitate perseverantibus penitus declinare debent. *Can. sæpe malorum.* 12. *caus.* 28. *q.* 1. quia sæpe malorum consortia etiam bonos corrumpunt, quanto magis eos, qui ad vitia proni sunt. Nulla igitur communio sit Hebræis ad fidem Christianam translatis cum his, qui adhuc in veteri ritu consistunt, ne forte eorum participatione subvertantur. 2*do* Judæorum filiæ vel filii baptizari, ne parentum ultra involvantur erroribus, ab eorum consortio separandi & deputandi sunt, aut Monasteriis, aut Christianis viris sive mulieribus Deum timentibus

mentibus, ut sub eorum conversatione cultum fidei discant, atque in melius instituti tam in moribus quam in fide proficiant. *Can. Judæorum.* 11. *caus.* 28. *q.* 1.

3tio. Judæi conversi à possessionibus suis nullatenus excludantur, cum melioris conditionis ad fidem conversos oporteat esse, quàm, antequam fidem susceperint, habebantur: unde Principibus sub pœna excommunicationis injungitur, ut portionem hæreditatis suæ & bonorum suorum ex integro eis faciant exhiberi. *Cap. Judæi.* 5. *h. t.* séque ipsis in his & aliis favorabiles exhibentes, ipsos ab injuriis & molestiis protegant & defendant, ut sic de servitute ad libertatem se transisse percipiant. *Extrav. dignum.* 2. *eod. inter com.*

Quæres *nono*: An præter Judæos alii infideles tolerandi?

℟. Cum *S. Tho.* 2. 2. *q.* 10. *a.* 11. *O.* quod aliorum infidelium ritus, qui nihil veritatis aut utilitatis afferunt, non sint aliqualiter tolerandi, nisi forte ad aliquod malum evitandum, scilicet ad vitandum scandalum, vel dissidium, quod ex hoc provenire possit, vel impedimentum salutis eorum, qui paulatim sic tolerati convertuntur ad fidem, propter hoc etiam hæreticorum & Paganorum ritus Ecclesia aliquando toleravit, quando erat magna infidelium multitudo.

Quæres *decimo*: quæ fidelibus cum Saracenis interdicta communicatio?

℟. 1*mo.* Tempore belli inter Turcas & Christianos illicita sunt cum ipsis mercimonia, merces ad eos per se vel per alios deferendo, aut rerum subsidia seu consilia impendendo, qui hoc facere præsumpserit, non solum ipso jure incidit in excommunicationem, verum etiam iram DEI viventis incurrit *Cap. quod olim.* 12. *h. t.* 2*do.* tempore etiam pacis sub pœna excommunicationis prohibitum est, tales ad Saracenos vel Turcas deferre merces, per quas Barbari isti contra Ecclesiam sese armare, & ad Christianos impugnandos fieri possunt validiores. *Cap. ita quorumdam.* 6. *cap. ad liberandam* 17. *h. t. Extrav. un. eod.* his quoque falsis & impiis Christianis gremium non est aperiendum Ecclesiæ, nisi totum, quod ex commercio tam damnato percepperint, & tantumdem de suo in subsidium belli contra Turcas transmiserint, ut æquo Judicio, in quo deliquerunt, puniantur. Quod si solvendo non fuerint, ita reatus eorum castigandus est, ut in ipsorum pœna aliis interdicatur audacia similia præsumendi. *Cit. cap. ad liberandam.*

Quæres *undecimo*: An licitum Christianis cum Paganis inire confœderationes?

℟. Fœdera pacis & confœderationes de non offendendo, de tuendis finibus, de negotiorum ac commerciorum publica utilitate ac libertate, cum Saracenis, Turcis, Tartaris, aliisque infidelibus salvâ conscientiâ iniri possunt, ac inita servari debent quamdiu infideles fidem non frangunt, quippe pacem & tranquillitatem colere indifferenter cum omnibus jubet Apostolus *Rom.* 12.

Quæres *duodecimo*: An liceat Principi Christiano in bello contra alium Christianum Principem cum Turcis inire fœdus?

℟. In bello ut putatur, justo contra alium Christianum Principem Saracenos vel Turcas in auxilium vel subsidium advocare illicitum videtur, DEUS enim tales confœderationes & pacta cum infidelibus inita in veteri prohibuit Testamento. *Exod* 23. *Deuter.* 7. *&c.* Ratio est: quia infidelium auxilia contra Christianos maximè semper sunt & fuerunt Christianis nociva propter perversionis, invasionis aut desertionis periculum.

TITULUS V.

DE

Hæreticis, Schismaticis, & Apostatis.

QUæres *primo*: Quid, quantum, & qualiter eradicandum hæreseos crimen?

℟. *1mo:* Nomen hæresis, græcè ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. *Can. hæresis.* 27. *caus.* 24. *q.* 3. ut in præsenti sumitur, est error voluntarius & pertinax, hominis Christiani contra doctrinam & aliquam fidei catholicæ veritatem; si quis ex mera ignorantia aut simplici apprehensione, eorúmve ductus authoritate, apud quos educatus, aut apparente quâdam veritatis ratione deceptus, propositionem aliquam contra Catholicam teneat Ecclesiam, manifestâ veritate corrigi paratus, materialis est hæreticus, nec juris pœnas incurrit, ideóque à quocumque absolvi potest. Tales hæretici materiales, plures inter simplices maximè in Regionibus, ubi pauci sunt Catholici, inveniuntur. Si autem errori Catholicæ fidei contrario voluntariè, scienter, & cum pertinacia quis adhæreat, hæreticus est formalis, tales plerique sunt, qui in Catholicis habitant Regionibus, & cum Orthodoxis quotidianam habent conversationem, quibus veræ fidei sufficienter proponuntur veritates. Hæreticus autem appellatur, licet de Ecclesia non recesserit, quicumque aliter scripturam intelligit, quam sensus Spiritûs Sancti flagitat, quo scripta est. *Can. hæresis.* 27. *caus.* 24. *q.* 3.

2do: Sicut crimen atrocissimum in Repub. politica crimen Læsæ Majestatis terrenæ, quod in ipsam principis committitur personam, ita in foro Ecclesiastico crimen atrocissimũ læsæ Majestatis divinæ est hæresis, quod in ipsam DEI personam committitur, cui, quamvis infinitæ authoritatis existat, per hæresin fides denegatur, & ideo in hoc crimine non datur parvitas materiæ, sed qui-

quilibet articulo revelato dissensus, imo quodlibet deliberatum dubium de veritate aliqua revelata, & per Ecclesiam ad credendum propositâ, mortale est peccatum; & sicut omnes, etiam illi, qui Jus accusandi non habent, in Crimine læsæ Majestatis pro accusatoribus, denuntiatoribus & testibus admittuntur, ita quoque servi contra dominos, Laici adversus Clericos, hæretici adversus hæreticos, aut alias criminosi de hæresi accusare possunt: quia hæresis est crimen publicum, in omnium redundans injuriam. *Cap. in fidei favorem. 5. de hæret in 6.*

3tio. Remedia opportuna ad eradicandam hæresin Canones præscribunt sequentia. *1mo.* Omnibus laicis interdicitur; ne sibi prædicandi verbum DEI vendicent authoritatem, neque conventus aut occulta foveant conciliabula, Sacerdotum simplicitate aut familiaritate contemptim habitâ, cum scriptum sit: *diis non detrahes*, per quod Sacerdotes intelliguntur, qui propter excellentiam Ordinis & Officii dignitatem Deorum nomine nuncupantur. *Cap. cum ex injuncto. 12. h. t. 2do.* Jubetur Archi-Episcopus & Episcopus per se vel Archi-Diaconos suos, aliásve personas idoneas bis aut semel saltem in anno, suam circuire & visitare Diœcesin, in hæreticos ac de hæresi suspectos inquirere. *Cap. excommunicamus. 13. §. adjicimus. h. t. 3tio.* Moniti ac requisiti per Ecclesiam Principes vel potestatem aliquam in Repub. habentes terram suam ab hæreticis pravitate purgare tenentur. *Cit. cap. excommunicamus. 13. §. moneantur.*

Quæres *secundo*: quæ pœnæ hæreticorum temporales?

℟. Sequentes. *1ma.* Infamia Juris, quâ hæretici ante omnem Judicis Sententiam ipso jure sunt infames. *Cit. cap. excommunicamus. 2da.* Confiscatio omnium bonorum. *Cap. vergentis. 10. h. t. Cap. accusatus. 8. cap. cum secundum. 19. eod. in 6. 3tia.* Inhabilitas testandi, & ex testamento vel ab intestato succedendi. *Cit. cap. excommunicamus. 4ta.* Exemptio à patria potestate, eo ipso enim quo parens fit hæreticus, filii desinunt esse in ejus potestate. *Cap. quicumque. 2. §. illorum. h. t. in 6. 5ta.* Amissio potestatis Dominicæ, sic Dominus factus hæreticus dominium in servos, & Dominus directus in Vasallum amittit. *Cap. absolutos. fin. h. t 6ta.* Pœna Corporalis, Carceris vel mortis, pœnâ mortis plectuntur hæretici obstinati & impœnitentes, aut in hæresin relapsi vel verè vel fictione juris, ut quia hæresin abjurare jussi ad vomitum rediere, aut post abjurationem unius hæresis in aliam inciderunt *Cap. ad abolendam. 9. h. t. cap ut commissi. 12. eod. in 6. L. Ariani. 5. & seqq. C de hæret.*

Quæres *tertio*: Quæ spirituales hæreticorum pœnæ?

℟. Sequentes: *1ma.* Excommunicatio Major Summo Pontifici reservata, quam omnes hæretici, iis credentes, eorum receptatores, defensores, fautores ipso facto incurrunt. *Cap. quicumque. 2. cap. cum Contumacia. 7. cap. accusatus. 8. h. t. in 6. 2da*: Irregularitas & inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica. *Cap. quicumque. cit. §. hæretici. cap statutum. 15. h. t. in 6.*

3tia. Privatio omnium Beneficiorum Ecclesiasticorum & dignitatum, sive ante, sive post hæresin obtentarum. *Cit. cap. si commissi.*

4ta. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. *Cap. quicumque. 2. h. t. in 6.* ubi: qui hæreticos, credentes, receptatores, defensores vel fautores eorum scienter præsumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam excommunicationis Sententiæ subjiciuntur, nec absolutionis beneficium merentur, nisi propriis manibus publicè extumulent & projiciant hujusmodi damnatorum corpora, dummodo ab aliorum fidelium Corporibus discerni valeant. *Cap Sacris 12. §. unde de sepult.* ut autem hæ pœnæ incurrantur requiruntur sequentia. *1mo*: debet esse verus & formalis hæreticus, nec sufficit esse materialem, qui aliquid contra fidem etiam ex ignorantia vincibili asserit, si contra fidem esse nosset, corrigere paratus. *2do.* Eum hæresin suam verbis vel aliis externis signis manifestasse oportet. *3tio.* Actus externus hæresin internam manifestans ex se, & non prout subsat actui interno mortaliter malus esse debet. *4to.* Requiritur, ut hæresis interna exterius manifestata sit animo eam profitendi.

Quæres *quarto*: Qualiter hæreticus à Catholicis vitandus?

℟. Quam: vis spirituales hæreticorum pœnæ in nostris partibus eisdem non censeantur remissæ, per hoc enim quod Lutherani & Calvinistæ per pacificationem Osnabrugensem à statu politico in Imperio tolerentur, non ideo ab Ecclesia tolerati sunt, quæ in memoratam pacificationem, quatenus hæreticis favet, nunquam consensit, quin potius Innoc. X. pacem istam rescindere conatus fuit. Hæreticus tamen de Jure Canonico vitandus non est à Catholicis, nisi publicè fuerit denuntiatus, juxta Constitutionem Martini V. in Concil. Constant. quæ incipit: *ad evitanda.* Ast de Jure naturæ & divino in frequentibus sunt vitandi casibus. *1mo.* Si ex communicatione apud Catholicos scandalum oriatur & offensio, vel nascatur suspicio, quod Catholici hæreticorum ritus, mores aut dogmata verbo, signo factóve profiteantur. *2do.* Si ex communicatione in his rebus spirituale animæ periculum, videlicet perversionis in fide, aut Catholicæ religionis immineat contemptus. *3tio.* Si Catholicus cum hæretico in crimine, ob quod excommunicatus fuit, habeat commercium.

Quæres *quinto*: quæ libros Hæreticorum legentium pœna?

℟. Omnes illi qui Hæreticorum libros, hæresin continentes vel de Religione tractantes, absque Sedis Apostolicæ authoritate scienter legunt, aut eos retinent, ac eos imprimentes & quomodolibet defendentes excommunicationem Papæ reservatam incurrunt; ad quam requiritur *1mo*: ut liber sit Authoris Hæretici, quia damnato Authore, liber quoque ejus & omnia scripta de Religione tractantia damnata censentur. *Cap. fraternitatis. 4. h. t. 2do.* Ut de Religione tractet, vel si de re alia agat, hæresin contineat. *3tio.* Ut scien-

scienter legatur, defendatur, imprimatur aut detineatur. 4to. Et absque legitima Summi Pontificis facultate.

Quæres *sexto*: quis ab hæresi, eique annexa absolvere potest excommunicatione?

R. *Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 6.* concedit Episcopis ab occulto hæreseos crimine absolvendi facultatem his verbis: *idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.* Germani Doctores sustinent, quod Germaniæ Episcopi, tamquam Sedis Apostolicæ delegati pro utroque foro absolvendi habeant potestatem.

Quæres *septimo*: Quid est Schisma?

R. Est nomen Græcum quod scissuram significat. *Can. schisma. 34. caus. 24 q. 1.* ut in præsenti sumitur est divino, quâ quis ab unitate Ecclesiæ se separat, in quantum illa est corpus mysticum ex fidelibus tamquam membris, & summo Pontifice velut Capite constitutum, differt ab hæresi, quia tametsi omnis hæreticus sit schismaticus, eo quod sese ab Ecclesia Romana per dogma falsum separaverit. *Can. loquitur. 18. Can. alienus est. 19. caus. 24. q. 1.* non tamen omnis schismaticus est hæreticus, si nimirum dogma contra fidem non sustineat. Hæresis ergo fidei & schisma soli opponitur unitati, quam charitas operatur. *Cit. Can schisma.*

Quæres *octavo*: Quæ schismaticorum pœnæ?

R. Sequentes 1ma. Excommunicatio reservata in Bulla Cœnæ. 2da. Ordinationes factæ à schismaticis quoad exercitium gradus collati sunt irritæ, nisi cum taliter ordinatis misericorditer fuerit dispensatum, vel ordinatus, se nescivisse ordinatorem fuisse schismaticum, probaverit. *Can. Ordinationes. 5. caus. 9. q. 1. cap. quod à prædecessore. 1. Cap. fraternitati. 2. h. t.*

Quæres *nono*: Quid est Apostasia?

R. Apostasia græcè desertionem, & Apostata desertorem significat, in præsenti pro desertione vel à fide, vel statu Regulari aut Clericali accipitur. Prima dicitur Apostasia perfidiæ, de qua in *Cap. quidam. 4. de Apostat.* 2da. Apostasia inobedientiæ, cum quis à statu Religioso semel suscepto deficit. 3tia. Apostasia Clericatus, dum quis à statu Clericali ad matrimonium, militiam vel habitus dimissionem deflectit.

Quæres *decimo*: Quis est Apostata à fide?

R. Ille qui à fide Christiana omnino deficiens ad Judaismum vel Paganismum transit. *Can. non potest. 24. caus. 2. q. 7. cap. contra Christianos. 13. h. t. in 6.* Et hoc inter Apostatam & hæreticum est discrimen, quod hic à fide nonnisi in parte, ille vero in toto deficiat. porro pœnæ à fide apostatantium eædem sunt, quæ hæreticorum.

Quæres *undecimo*: Quæ pœnæ Apostasiæ ab Ordine Clericali?

R. Qui à statu Clericali seu Ordine Sacro ad conjugalem vel conversationem laicalem dimisso habitu & tonsura transeunt, eorum pœnæ sunt sequen-

quentes: 1*ma*. Excommunicatio. 2*da*. Infamia. 3*tia*. Amissio Privilegii Clericalis. *Cap. 1. de Apostat. Cap. in audientia. 25. de sentent. excom.* 4*ta*. Si incorrigibiles, carcer. *Cap. à nobis 5. de Apostat.* ut in illo pane doloris & aquâ angustiæ sustentetur. *Cap. novimus. 27. de verb. significat.*

Quæres *duodecimo*: Quæ pœna Apostasiæ à Religione?

R. Apostata à Religione est, qui propriâ authoritate ordinem deserit, animo nunquam ad aliquem ordinem religiosum revertendi, per quas ultimas particulas apostata differt à fugitivo, qui quamvis sine Superioris licentia ordinem deserat, intentionem tamen habet, ad illud, quod deseruit, Monasterium, vel ad aliud redeundi. Perinde autem est, an habitum dimittat vel non, cum solus habitus Religiosum non faciat. Talis apostata pœnas incurrit sequentes: 1*mo*: Si habitum dereliquit, per temerariam ejus depositionem, pœnam excommunicationis ipso facto incurrit. *Cap. ut periculosa. 2. ne Clerici vel Monachi. in 6.* 2*do*. Apprehensione corporali vel aliis mediis deficientibus, censuris Ecclesiasticis, ut ad Religionem redeat, est cogendus. *Cap. quando. 7. de offic. ordinar. cap. fin. de Regul.* 3*tio*. Religiosus in apostasia ordinatus, etsi postmodum redierit, ac pœnitentiam egerit, nunquam in suscepto taliter ordine ministrare permittitur, nisi Summus Pontifex cum eo dispensaverit. *Cap. fin. de Apostat.*

TITULUS VI.

DE

Sortilegis, Maledicis & Sacrilegis.

QUæres *primo*: Quis est Sortilegus?

℟. Qui sub fictæ Religionis nomine per quasdam, quas Sanctorum vel Apostolorum sortes appellant, divinatoriam profitentur scientiam, aut quarumcumque Scripturarum inspectione futura promittit. *Can. Sortilegi. un. caus. 26. q. 1.* Exemplo autem Jonæ & Matthiæ Apostoli non est credendum Sortibus, cum privilegia singulorum non possint legem facere communem. *Can. non statim. 2. Can. non exemplo. 4. caus. 26. q. 2.* huc omnes reducuntur divinatores, sive per astrorum, sive per manuum, sive per aliarum rerum inspectionem, sive quocunque alio modo fiat divinatio.

Quæres *secundo*: Quotuplex sint sortes?

℟. Triplices. 1*mo*. Divisoriæ, quarum eventus à solo casu pendet, ut cum

cum sortem velut judicem facimus in litibus dirimendis, in bonis communibus dividendis, ut sciatur, quid cuique sit tribuendum, his per se nihil mali inest.

2*do*. Consultoriæ, quando divina voluntas per sortes consulitur, ut quid agendum, vel fugiendum sit, cognoscatur, quod licitè fit quando cogit necessitas, ut in veteri ac novo Testamento exempla habemus, attamen in Electionibus Ecclesiasticis nec Prælatus, nec Compromissarii per sortes sunt eligendi propter Ecclesiæ prohibitionem expressam in *Cap. fin. h. t.*

3*tio*. Divinatoriæ, ex quarum inspectione futura prænuntiantur, vel præsentia aut præterita occulta deteguntur, quod, quia sine tacito vel expresso cum dæmone pacto non fit, semper sunt prohibitæ. Exempla sunt in *cap. 1. & 2. h. t.*

Quæres *tertio*: Quæ Sortilegiorum pœnæ?

℟. Sortilegium est crimen mixti fori. Clerici ab omni ordine deponuntur, & beneficio officioque exuti ad perpetuo agendam pœnitentiam in Monasterium detruduntur. *Can. non oportet. 4. & seqq. caus. 26. q. 5. in cap. ex tuarum. 2 h. t.* hæc pœna ita mitigatur, ut Sortilegii reus per annum & amplius, si Episcopo visum fuerit, ab altaris Ministerio abstinere præcipiatur, & ex tunc liberum sit ei exercere officium Sacerdotis. De Jure civili Sortilegiorum, Ariolorum & similium pœna est Capitalis. *L. nemo. 5. C. de Maleficis & Mathemat.*

R. D. Schnorrenberg. Instit. 7. Can.

Quæres *quarto*: Quis est Maleficus?

℟. Qui arte dæmonis aliis nocet, & dicitur Veneficus, Magus, Saga &c. Crimen hoc est atrocissimum, quia plerumque conjuncta sibi habet gravissima scelera, ut sunt Apostasia, Idololatria, hæresis, horendæ blasphemiæ, abusus Sacramentorum, homicidia, peccata contra naturam &c. ac infinita damna, quæ proximo in bonis fortunæ inferuntur. Hodie à solo Magistratu politico per rogum punitur.

Quæres *quinto*: quis est Maledicus?

℟. Maledicus à maledicendo nomen habet, & est is, qui injuriosè loquitur contra Superiores, vel contra Deum, & tunc est blasphemia, vel contra homines ætate, moribus, scientia vel nobilitate cæteris præstantiores. *Cap. 1. & 2. de Maledic.*

Quæres *sexto*: Quotuplex est blasphemia?

℟. Alia est in Deum, alia in Sanctos, quæ si sit cum respectu ad Deum, & quatenus Sancti sunt amici DEI, à blasphemia in DEUM specie non distinguitur. Alia est hæretica, alia simplex. Hæretica est, quæ assertivè aliquid Deo tribuit, quod ejus perfectioni repugnat, aut de creatura quid asserit, quod soli Deo proprium existit.

Quæres *septimo*: Quæ maledicorum pœnæ?

℟. Maledicens homini pœnâ punitur arbitrariâ. Blasphemia in Deum & Sanctos est mixti fori. Si publice fiat, jure Canonico gravissimè punitur, secundum præscriptum *Cap. statuimus. 2.*

de Maledic. aliæ pœnæ statutæ sunt in *Conc. Later. sub Leone X. & à S. Pio* V. innovatæ.

Quæres *octavo*: Quid est Sacrilegium ?

R. Est violatio rei Sacræ, de qua in *Cap. quæ multoties. 7. de Regulis. Juris: quidquid in sacratis DEO rebus injustè agitur, pro Sacrilegio reputatur.*

Quæres *nono*: Quotuplex est Sacrilegium ?

R. Dividitur in tres species, rei, loci & personæ. *Can. sicut. 12. caus. 17. q. 4.* quia non solum res sed etiam loca & personæ Deo consecratæ sunt, & sacrilegio violari possunt.

Quæres *decimo*: Quot modis committitur sacrilegium personale ?

R. Persona vel per ordinationem, vel per professionem aut ingressum in religionem approbatam Deo consecrata violatur. *1mo.* Per violentam & injuriosam manuum injectionem. *Can. si quis suadente 29. caus. 17. q. 4. 2do.* Per tractionem ad forum Sæculare. *Cap. si diligenti. 12. de foro competent. 3tio.* Per impositionem onerum personalium à potestate laica factam. *Cap. non minus. 4. cap. adversus. 7. de Immunit. Eccles. 4to.* Per actum venereum. *Can. Virginibus. 14. caus. 27. q. 2.*

Quæres *undecimo*: quot modis fit sacrilegium locale ?

R. Locus Deo consecratus violatur *1mo.* Per rei, criminis non excepti, ad illum pro asylo confugientis extractionem *Can. definivit 35. caus. 17. q. 4. 2do.* Per occisionem, injustam Sanguinis, & illicitam seminis effusionem, quibus Ecclesia polluitur, & antequam divina in illa rursus peragantur officia, ab Episcopo est reconcilianda. *3tio.* Per exercitium actuum locum Sacrum dedecentium, ut si in eo Judicia celebrentur sæcularia, maximè pœnam Sanguinis concernentia, habeantur nundinæ, exerceantur ludi profani, &c.

Quæres *duodecimo*: quot modis Sacrilegium reale committitur ?

R. Res Deo Sacræ, sunt Sacramenta, vasa sacra, bona temporalia ad Ecclesiam pertinentia, hæc violantur *1mo.* si Sacramenta in statu disgratiæ, vel absque Cæremoniis ab Ecclesia præscriptis indecenter administrentur aut suscipiantur. *2do* si vasa sacra, ad divinum deputata cultum, sine prævia confractione ad usus profanos convertantur. *3tio.* Si bona temporalia ad Ecclesiam pertinentia, vel ejus Custodiæ concredita furto auferantur vel injustè invadantur.

T I-

TITULUS VII.

DE

Homicidio Voluntario & Casuali.

HOmicidium est ab homine facta hominis occisio. Si homo à bestia occidatur, non homicidium, sed pauperies appellatur de quo *ff. Lib. 9. tit. 1. si quadrupes pauperiem &c.* Variæ sunt homicidii species. 1*mo.* Dividitur in Voluntarium, quod scienter & ex intentione committitur, & casuale, quod præter intentionem accidit.

2*do.* Voluntarium subdividitur in liberum, quod dolo malo libero occidendi animo perpetratur, & sequentes sub se continet species: homicidium *simplex*, quod in rixa temere ex subito iræ impetu orta, cum sufficienti tamen rationis advertentia contingit. Homicidium *præmeditatum* quod sedato iracundiæ calore deliberatè per mortis machinationem committitur. Homicidium *ex insidiis*, cum quis inimicum expectat, eumque ex improviso aggreditur. Homicidium *proditorium*, quo quis simulatâ amicitiâ & propter hoc incautum interficit. *Veneficium*, cum quis venenum occidendi causa præparat vendit, propinat. *Assasinium*, nomen hoc derivatur à gentilibus quondam in Italia existentibus, qui, ut tendentes Romam occiderent, pretio conducebantur, significat homicidium quod ab aliquo mercede ad hoc conducto ad alterius patratur mandatum. Homicidium necessarium, quod fit vel authoritate Superioris Jus gladii habentis, vel in bello justo tam offensivo quam defensivo, vel pro privata sui defensione, servato moderamine inculpatæ tutelæ.

3*tio.* Homicidium casuale sub se culpabile & inculpabile comprehendit, culpabile quidem præter intentionem, interveniente tamen culpâ vel negligentiâ committitur, ut si quis rei licitæ dans operam suâ negligentiâ vel imperitiâ mortis causam præbeat, aut si quidem omnem diligentiam, ne quis læderetur, adhibuit, læsio tamen est secuta, dum dabat operam rei illicitæ. Homicidium casuale inculpabile est, quod nullo dolo aut culpâ intervenient, casu inopinato accidit.

Ad homicidium reducitur mutilatio, per quam homini membrum quoddam, id est, talis pars corporis, quæ distinctum in corpore humano obtinet officium, ut manus, pes, oculus &c. aufertur.

Quæres *primo*: Quæ pœna homicidii?

℟. De Jure Civili est pœna Capitis, quæ si fuerit homicidium proditorium,

vel ex insidiis, vel per venenum, vel per assasinium aut lattocinium, exasperatur & gladius in rotam vel rogum commutatur. De Jure Canonico præter pœnitentiam publicam pro circumstantiarum diversitate graviorem vel mitiorem juxta *Cap. sicut dignum. 6. de homicid. 1mo.* Irregularitatem inducit. *Can. nimor. 4. dist. 50. Cap. suscepimus. 10. cap. de cætero. 11. cap. significasti 18. de homicid. Trident. sess. 14. de Reform. cap. 7. & sess. 24. de Reform. cap. 6. 2do.* qui ex insidiis, proditorie, per assasinium nihil tale suspicantem occidit, confugiens ad locum sacrum, non gaudet asyli privilegio. *Cap. 1. h. t. & Trident. cit. sess. 14. de Reform. cap. 7.* ubi talis homicida ab Altari dicitur evellendus, ut moriatur.

Quæres *secundo*: quinam ex homicidio injusto directè voluntario irregularitatem incurrunt?

R. *1mo.* Non solum qui natum occidit hominem, sed etiam qui fœtu animato procurat abortum, fit irregularis. *Cap. sicut. 20. h. t.* Dixi: *fœtu animato*, licet enim ante animationem fœtus procurans abortum virtualiter sit homicida, cum generationem hominis impediat, uti etiam sunt illi, qui per maleficium conjuges reddunt impotentes, aut per sterilitatis venena humani generis impediunt propagationem. *Cap. si aliquis. 5. h. t.* irregularitate tamen non afficiuntur, quia hæc non contrahitur, nisi actu fœtus jam animâ informatus interficiatur. *Cit. cap. sicut. & Glossa in cit. cap. si aliquis. verb. ut homicida.*

2do. Qui aliquem lethaliter percussit, etsi ab aliis supervenientibus fuerit examinatus, irregularis est, si vulnerans sufficientem dederit mortis causam, vel si animo occidendi percusserit, aut si per suam percussionem causa sit, quod alii interfecerint, aut quamvis de his non constet, sit tamen dubium, an ex ictu prius percutientis, an vero ex posteriori percussione sit mors subsecuta. Est casus notabilis in *Cap. significasti. 18. h. t.* de Sacerdote, qui furem in Ecclesia percusserat, quem alii supervenientes interfecerunt.

3tio. Irregularitatem incurrit, qui aliquem occidi mandat, si mandatum efficax, & ex vi mandati occisio fiat, & non tantum, qui directè & expresse occisionem imperat, eâ subsecuta, sed etiam is, qui aliquem verberari mandat, licet expresse caverit ne occidatur, vel membro mutiletur, si mandatarii, mandati fines excedentes, mutilaverint vel occiderint, irregularitatis impedimento constringitur. *Cap. is qui mandat. 3. h. t. in 6.* ubi ratio additur; quia mandando in culpa fuit, & hoc evenire posse, debuit cogitare. Quod D. D. extendunt ad casum, quo non percussus, sed Mandatarius percutiens interficitur, quia eodem modo occisio Mandatarii à percusso facta est mandanti indirectè voluntaria, cum cogitare potuerit, quod mors Mandatarii ex mandati executione sequi non raro consueverit, ob defensionem propriam percussi.

4to. Qui in homicidium, quod suo nomine vel ad vindicandum perficitur consentientem, præbet consensum, irregularis efficitur: quia nisi sese invitum

esse

esse contestetur, ad interfectionem moraliter cooperari censetur. Secus est de eo, qui homicidium suo quidem nomine, sed se inscio jam ante factum, ratificat, quamvis enim juxta *Regulam juris* 10. *in* 6. ratihabitio retrotrahatur & mandato æquiparetur quoad culpam, non tamen quoad juris pœnas, nisi id exprimatur. Exemplum ejus, qui occisionem in sui gratiam factam prohibuit, est in *Cap. Petrus. 17. h. t.* ubi iniquè spoliatus beneficio, ab irregularitate ob occisionem spoliatoris ab amicis & consanguineis prohibente spoliato factam, excusatur: Cum non debeat alicui imputari, quod contra expressam ejus prohibitionem, eo causam vel occasionem non dante, ab ipsius consanguineis fuit attentatum. Ex quo textu à sensu contrario Canonistæ inferunt, quod si Dominus v. g. per rixam inceptam famulis occasionem dedit, ut corrixantem occiderent vel mutilarent, irregularitatem incurrat, quia occisioni causam vel occasionem dedit.

5*to*. Qui Consilium pro homicidio vel mutilatione dedit, irregularis est, si secutus vi & influxu Consilii effectus, utpote quia is, cui consilium datum, alioquin non erat, vel non tam cito, tam animosè aut crudeliter occisurus. *Can. pernitiosè. 23. de pœnit. dist. 1. can. si quis viduam. 8. dist 60. cap. Henricus. 2. de cleric. pugnant.*

6*to*. Qui ad homicidium opem auxiliúmve præstant irregulares efficiuntur. Est expressum in *Cap sicut dignum. 6. §. illi etiam. h. t.* ubi dicuntur rei homicidii patrati in persona S. Thomæ Martyris Archi-Episcopi Cantuarienſis in Anglia, non tantum illi, qui venerunt animo occidendi, feriendi &c. sed etiam qui venerunt, non ut ferirent, sed ut opem percussoribus ferrent, si forte per aliorum violentiam impedirentur, sicut & illi, qui licet fuerint homicidii ignari, iis tamen, quos sicarios esse sciebat, in sarcinis vel rebus eorum custodiendis ministerium præbuerunt.

7*mo*. Qui homicidium ex justitia impedire tenentur, ut Dominus servi, & è contra, Judex subditi &c. Si id absque gravi suo incommodo possint, & non impediant, rei sunt homicidii & irregulares, tunc enim per solam omissionem concurrunt ad injuriosam occisionem, secus est si ex sola charitatis lege impedire obligabantur.

Quæres *secundo*: An ex homicidio involuntario & inculpabili oriatur irregularitas?

℟. Si furiosus, infans aut dormiens aliquem occidat, vel mutilet, non fit irregularis. *Clement. un. h. t.* Idem est in plenè ebrio, nisi talibus homicidium indirectè sit voluntarium, ut si quis sciat, quod in ebrietate digladiare, in furore arma arripere, in somno surgere aliisq; nocere consueverit, si enim tunc ante somnum, furorem aut ebrietatem sufficientem cautionem non adhibeat, ne occidat aut mutulet, homicidium vel mutilatio secuta indirectè est voluntaria, ac proinde irregularitatem inducit.

Quæres *tertio*: An & quando ex homicidio casuali ad opus litium secuto oriatur irregularitas?

℟. Si dans operam rei licitæ ad vitandum læsionis periculum, debitam adhibuit diligentiam, secuto casuali homicidio, nullam incurrit irregularitatem. *Cap. lator. 9. cap. dilectus. 13. cap. ex litteris 15. cap. significasti. 16. cap. exhibita. 22. cap. Joannes. 23. cap. fin. h. t.* Si verò culpa vel negligentia in præcavenda ulterius læsione intervenerit, irregularitatis contrahitur impedimentum. *Cap. Presbyterum. 7. Cap. continebatur. 8. h. t.* Advertendum tamen quod ob solam culpam juridicam irregularitas non incurratur, sed culpa Theologica, & quidem gravis requiritur, cum irregularitas, quæ ex homicidio justo contrahitur, sit pœna gravis.

Quæres *quarto*: An in dubio commissi homicidii quis irregularis censendus?

℟. Ad minus in dubio facti, videlicet quando certum est, quod homicidium vel mutilationem committens irregularitatem incurrat, sed dubitatur, an ego hic & nunc homicidium perpetraverim, in hoc inquam casu certum est, quod dubitans tam pro foro inquam externo se tanquam irregularem gerere debeat. Est textus clarus in *cap. ad audientiam. 12, h. t.* quia in dubio tutior pars est eligenda. *Cap. significasti. 18. h. t.* cum in hoc casu cessare sit tutius quam temere celebrare. *Cap. petitio. 29. h. t.*

Quæres *quinto*: Qualiter ex homicidio casuali ad opus illicitum secuto incurratur irregularitas?

℟. Qui dat operam rei illicitæ, ad minus si illa ad mortem vel læsionem inferendam de se apta sit & ordinata, ideoque propter homicidii periculum specialiter prohibita, si casualiter occidat, licet omnem, ne occisio sequeretur, adhibuerit diligentiam, incurritur irregularitas. *Cap. tua. nos. 19. h. t.* ubi Religiosus artis chirurgicæ peritus, contra status Religiosi decentiam infirmæ incisionem fecerat, quæ non ex culpa vel negligentia incidentis, sed ex propria incuria ob incisionem est mortua, & tamen irregularis declaratur. Simile est in *Cap. sicut. 20. h. t.* ubi religiosus contra suam decentiam cum muliere jocum habuit, quæ exinde abortum est passa, qua de causa Religiosus ille irregularis pronuntiatur.

Quæres *sexto*: An homicidium quod ad justam sui sit defensionem irregularitatem inducat?

℟. Qui aggressorem ob necessariam sui corporis & vitæ, vel propriæ, vel suorum defensionem occidit aut mutilat, dummodo moderamen inculpatæ tutelæ servaverit, non fit irregularis. *Clement. un. h. t.* Ratio est: quia defensio est juris naturalis & ipsa natura etiam brutis contra aggressorem indidit defensionem, Additur: *Si moderamen inculpatæ tutelæ servaverit*; nam si in moderamine excessus committitur, irregularitas incurritur. Patet ex *Trid. Sess 14. de Reform. cap. 7.* ubi disponitur qualiter in irregularitate ex occisione in sui defensionem contractâ dispensandum.

Quæres *primo*: Quid requiritur, ut in defensione occisiva moderamen inculpatæ tutelæ servetur? ℟. Præ-

℟. Præcipuè tres requiruntur conditiones. 1*ma.* Actualis vel physicè vel moraliter invasio aut aggressio esse debet, non enim necessarium est, quod primum ictum expectet invadendus, sed si aggressorem jam ad invadendum videat esse paratum, quem aliter effugere nequit, eum salvo moderamine inculpatæ tutelæ prævenire potest. 2*da.* Requiritur, ut aggressio alio mitiori modo v. g. Clamore fugâ &c. averti non possit: quia dicitur in *cit. Clement. un.* mortem aliter evitare non valens occidendo invasorem irregularitatem non incurrit. 3*tia.* Invasus majori vi, quàm sit opus, injuriam repellere non debet, ideoque si mutilare aggressorem sufficiat, ut ab aggressione desistat, occidi non debet, si baculo repelli potest, non est gladio invadendus.

Quæres *octavo:* An alias res temporales ut honorem, famam, bona fortunæ citra irregulatitatis periculum occisivâ liceat tueri defensione?

℟. *Negativè*: cum *cit. Clement. un.* dicatur: qui mortem aliter vitare non valens suum occidit vel mutilat invasorem. Et ratio est: quia cum pro pecunia aufertur vita, moderamen inculpatæ tutelæ non servatur, majus enim damnum infertur invasori, quam ille volebat inferre invaso. Jura pro hac doctrina, ut videtur probabiliori sunt in *cap. interfeciſti. 2. cap. perfodiens. 3. Cap. suscepimus, 10. h. t.* quoniam expedit potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus rebus & transitoriis tam acriter in alios exardescere.

Quæres *nono*: An ex homicidio authoritate publica facto irregularitas oriatur.

℟. Judex, Advocatus Fisci, non rei, Accusator, Assessor, Notarius, & omnes qui ad sententiam sanguinis ejusve executionem, & lictor, milites ducentes ad supplicium, concurrunt non ex delicto, sed ex defectu lenitatis irregulares efficiuntur: quia visum est Ecclesiæ, quod, qui voluntariè extra casum propriæ defensionis hominem licet justè mulitant vel occidunt, non satis CHRITI repræsentent mansuetudinem, qui velut Agnus innocens in Altari DEO Patri offertur, ideoque omnes sanguine maculatos ab ordinum susceptione & susceptorum arcet executione. *Cit. Cap. suscepimus. cap. Clericus. 5. cap. sententiam. 9. ne Clerici vel Monachi. Cap. in Archi-Episcopatu. 4. de Raptor.*

Quæres *decimo:* quando Clericus ad pœnam capitis vel mutilationis concurrens ab irregularitate excusetur?

℟. In casibus sequentibus. *Primo.* Prælatus vel Collegium Ecclesiasticum in territorio temporalem meri vel mixti imperii habens jurisdictionem absque irregularitatis periculo jurisdictionem delegat, mandando, ut Officialis suus veritate inquisitâ justitiam exequatur. *Cap. Episcop. 3. ne Cler. vel Monach. in 6.*

2*do.* Prælati Ecclesiastici, qui Clericum propter enorme delictum degradatum Curiæ sæculari extradunt, irregularitatem non incurrunt, pro reo tamen, ut Curia sæcularis, citra mortis periculum, sententiam moderetur, ab

ipsis

ipsis efficaciter est intercedendum. *Cap. novimus. 27. de V. S.*

3*tio.* Clericus à Laico damnificatus absque irregularitatis metu malefactorem coram Judice laico pro suo interesse civiliter convenire potest, quamtumvis Judex sæcularis ex hoc malefactorem pœnâ sanguinis puniendi accipiat occasionem. *Cap. postulasti. 21. h t.* Si tamen tale foret crimen, cui sanguinis debetur pœna, à Clericum damnificatum Judicis officium implorantem expresse protestari oportet, quod sanguinis effusionem non intendat, etiamsi eam ex post, justitia sic exigente, sequi contigerit *Cap. Prælatis 2. h. t. in 6.*

4*to.* Clericus non fit irregularis, qui à Judice sæculari interpellatus commissi delicti dat signa, est exemplum notabile in *cap. tua. 19. §. ad ultimum h. t.* ubi Clericus à fure nocturno vulneratus ad requisitionem Judicis, cultrum & crepidas, quæ in domo vulnerati prædo reliquerat, extradidit: quia talis non est propinqua mortis causa, cum nec accusator, nec testis existat.

5*to.* Quamvis clericalem statum dedeceat, quod Clericus executioni sententiæ capitalis intersit, extra casum, quo pro spirituali, solatio assistit, attamen corporaliter præsens spectansque executionem irregularis non efficitur, nisi authoritate suâ vel consilio ad executionem concurrat. *Cap. ex litteris. 10. de excess. Prælat.*

Quæres *undecimo*: An & qualiter milites irregularitatem incurrant?

℟. 1*mo.* In bello injusto omnes, qui qualecunque ferunt auxilium, sive arma præbendo, ad pugnam adhortando, sarcinas custodiendo, vel alio quovis modo adjuvando, etiamsi ex propriis manibus non occiderint, sunt irregulares, si vel unicus homo in tali bello fuerit interfectus. *Can. si quis. 4. dist. 51. cap. sicut dignum. 6. h. t. cap. quod in dubiis. 5. de pœn.*

2*do.* Si bellum sit justum, tunc vel est purè defensivum, ut in casu necessitatis hostibus irrumpentibus, cum Laici ad vim repellendam sufficientes non sint, Clerici arma capiunt & occidunt, hi necessarii defensores irregularitatem non incurrunt; si enim in privata defensione irregularitatis absit periculum multo magis in necessaria Reip. & communis boni defensione aberit. Si bellum non est purè defensivum, irregularitatem contrahunt illi, qui aliquem propriâ manu occidunt, aut in conflictu feriunt, ita, ut sciri non possit, an quem occiderint. *Cap. petitio. 24. h. t. cap. præsentium. 3. Cap. continentia. 4. de cler. percuss.* Sicut enim qui malefactorem authoritate publicâ occidit, ex defectu mansuetudinis irregularis efficitur, ita etiam ille, qui in bello licet justo hostem Reipub. invadit

Quæres *duodecimo*: Quis in irregularitate ex homicidio ortâ dispensandi habet facultatem?

℟. Si irregularitas ex homicidio injusto directè voluntario orta, sive publicum, sive occultum fuerit, solus Summus Pontifex dispensat, si autem provenerit ex homicidio casuali, culpâ

pâ interveniente, aut ex homicidio defensivo, in quo in moderamine inculpatæ tutelæ fuit excessum, dispensationis beneficium ab Episcopo obtineri potest. *Trident. Sess. 14. de Reform. cap. 7.* ibid. qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri, sed omni ordine ac beneficio & officio Ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum & Altaris Ministerium, & beneficia quæcunque ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui non nisi causa cognitâ & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit. Et *Sess. 24. de Ref. cap. 6.* liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.

TITULUS VIII.

DE

Adulteriis & Stupro.

ADulterium est injusta alieni thori, seu fidei in matrimonio datæ violatio. Aliud est simplex, quod vel à conjugato cum soluta, vel à conjugata cum soluto committitur; aliud est duplex, quod à marito cum alterius uxore perpetratur. Circa Adulterium hæc est Juris Canonici à Civili differentia, quod de Jure Civili ad violationem thori, ex qua prolis incertitudo oritur, maximè attendatur, ideóque secundum Jus civile solum propriè est Adulterium, si uxor conjugata cum alio sive soluto sive conjugato carnaliter peccet. Jus vero Canonicum fidei in contractu Matrimoniali præstitæ violationem potissimum considerat, ut ita propriè sit adulterium, sive conjugatus cum soluta, sive cum conjugata peccet, & in pœnis & jure accusandi maritus & uxor pares sunt, quicumque fidem violârunt matrimonialem.

Stuprum est violatio vel corruptio Virginis aut Viduæ honestè viventis. Aliud est violentum, quod infertur invitæ, aliud voluntarium, cum consentiente commissum.

Quæres *primo*: quinam ad accusandum adulterium admittuntur?

℟. Ante quos vis alios uxorem de

Adulterio accusare potest maritus. *L. ex lege. 2. §. si simul. ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* quod per Jus Canonicum extenditur ad uxorem, quæ virum adulterum accusare potest, alios omnes excludendo. 2*do.* Marito non accusante, adulteræ parens admittitur. *Cit.* L. *ex lege.* post patrem reliqui cognati, non accusantibus propinquis quilibet extraneus: quia adulterium est crimen publicum, cum publico interest ut hoc scelus vindicetur.

Quæres *secundo:* Coram quo Judice de adulterio instituenda accusatio?

R. Vel contra Adulterium criminaliter ad pœnam Sanguinis agitur, & tunc solus Judex Sæcularis cognoscere potest, vel ad pœnam mitiorem, & tunc adulterium est mixti fori, ideóque tam Judex Ecclesiasticus *Cap. 1. de off. Ord.* quam Sæcularis per *Cap. tuæ. 5. de procurat.* de eo cognoscit. Vel denique agitur civiliter in ordine ad divortium, & accessoriè ad amissionem dotis, & hoc casu solus Judex Ecclesiasticus de Adulterio cognoscit. *Cap. 1. ut lite non contest. cap. de prudentia. 3. de donat. inter vir. & uxor.*

Quæres *tertio:* qualiter adulterium est probandum?

R. Adulterium est unum ex illis delictis quæ propter suam obscuritatem, sicut cætera opera tenebrarum, non directè, sed solis præsumptionibus & conjecturis probari possunt; hinc ad condemnationem de adulterio sufficit, si per violentam probatum fuerit suspicionem. *Cap. maritus. 4. de Adulter. cap. litteris. 12. de Præsumpt.* vel per judiciale confessionem, quæ plenè contra adulterum confitentem, non tamen contra alteram partem probat. Exemplum est in *Cap. significasti. 5. de Adulter.* ubi ob solam mulieris confessionem, quod cum Sacerdote peccavit, dicitur: quod Sacerdos puniri non possit, tum quia mulier est, *Cap. forus. 10. de V S.* tum quia complex & socia criminis, cum de reatu proprio confitentis periculosa confessio non sit contra quemlibet admittenda. *Cap. 1. de confess.* tum quia est unicus testis. *Cap. licet universis 23. de testib.*

Quæres *quarto*: quæ pœnæ Adulterii?

R. Aliæ sunt publicæ, aliæ privatæ. Pœna publica de jure Civili antiquitus erat gladii supplicium. L. *quamvis. 30. Cod. ad Leg Jul. de adulter.* idque conformiter Juri divino Legis veteris. *Levit. 20. & Deuter. 22.* hodie adulteria mitius puniuntur. De Jure Canonico Laici in adulterio perseverantes excommunicantur *Cap. intelleximus. 6. de Adulter.* Mulieres adulteræ Monasterio ad agendam perpetuo pœnitentiam includuntur. *Cap. gaudeamus. 19. de convers. conjug.* Clerici adulteri deponuntur & in Monasterium toto vitæ suæ tempore detruduntur. *Can. si quis clericus. 10. & seqq. dist. 81. cap. cum non ab homine 10. de Jud.*

Pœnæ privatæ sunt: 1*ma* Pater adulterum cum filia in sua potestate constitutâ deprehendens impunè occidit. L. *quod ait Lex. 23. ff. ad Leg. Jul. de adulter.* Maritus adulterum cum uxore repertum impunè necat. *L. maritus. 24. ff. ibidem.*

ibidem. imo si maritus aliquem suspectum habens, eundem ter in scriptis, tribus testibus præsentibus monuerit, ut à frequentatione suæ domûs abstineat, & postea in domo sua cum uxore inveniat, impunè interficit. *Authent. si quis. C. ad Leg. Jul. de aduler.* hæc quidem per Jus Canonicum correcta noscuntur, si tamen maritus Clericum in adulterio deprehensum percutiat, excommunicationem non incurrit. *Cap. si vero. 3. de Sentent. excomm.*

2*da.* Divortium & juris debitum exigendi amissio, inter quæ hæc assignatur differentia. Quod divortium authoritate judicis Ecclesiastici pronuntiari debeat. *Cap. porro. 3. de divort.* debitum autem Matrimoniale propriâ authoritate conjux innocens adultero occulto, quem talem novit, negare potest.

3*tia.* Dotis aut donationis propter nuptias amissio. *Cap. plerumque. 4. de donat. inter vir. & uxor.* præterea liberis non existentibus ex bonis adulteræ viro innocenti tanta debetur portio, quanta est tertia pars dotis. *Novell.* 117. *cap.* 8. E contra uxor innocens, præter lucrum donationis propter nuptias, ex bonis mariti tantum recipit, quantum tertia pars donationis propter nuptias esse cognoscitur.

4*ta.* Si proles ex adulterio secuta, est obligatio restituendi tam in adultero, quam in adultera omne damnum ratione alimentorum, dotis &c. vel liberis legitimis ratione diminutionis Legitimæ vel hæreditatis causatum.

Quæres *quinto*: quæ causæ à pœnis adulterii excusant?

℟. Sequentes. 1*mo.* A privata adulterii pœna excusat compensatio, si enim altera pars adulterium ante commiserit, vel post committat, delicta mutuâ compensatione delentur. *Cap. significasti. 4. de divort. cap. intelleximus. 6. cap. fin. de Adulter.* 2*do.* si uxor ab adultero violenter oppressa, vel materiale commisit adulterium, non sciens, quod suus non esset. 3*tio.* Si uxor marito consentiente adulterata est. Cum adulterium ei non possit objicere qui eam adulterandam tradidit. *Cap. discretionem. 6. de eo qui cognovit.* 4*to.* Si maritus cognito adulterio, adulteræ sit reconciliatus. *arg. cap. quemadmodum. 25. de Jurejur.* 5*to.* Si contra Crimen adulterii præscriptum per elapsum quinquennium à die commissi criminis computandum. L. *adulter. 5. c. ad Leg. Jul. de adulter.*

Quæres *sexto*: Quæ pœna stupri?

℟. De Jure Civili stuprum vi illatum pœnâ gladii punitur, juxta *constitut. pœnal. Caroli V. art.* 119. stuprum vero, in quo non intercessit vis, mitiori pœnâ plectitur. De Jure Canonico defloror defloratam dotare & ducere tenetur, quod si facere renuat corporaliter castigatus, excommunicatúsque in Monasterium, in quo agat pœnitentiam, est detrudendus. *Cap. 1. & 2. h. t.*

Quæres *septimo*: An qui cum consentiente stuprum commisit, ad reparationem teneatur?

℟. Qui virginem ultro consentientem corrumpit, nec defloratæ nec parentibus ejus ad aliquam in conscientia tenetur reparationem, nulla enim in-

tervenit injuria, cum corrupta in sui liberè consenserit corruptionem, quamvis de Jure Civili qui pretium pro comperto stupro accepit, pœnâ Legis Juliæ de Adulteriis teneatur. L. *de crimine.* 10. C. *ad Leg. Jul. de adulter.*

Quæres *octavo*: ad quam satisfactionem tenetur corruptor, si dolo vel minis virginem seduxerit, sed crimen occultum, aut seducta mortua sit?

℟. Neque tunc in Conscientia ad aliquam satisfactionem obligatur: quia revera nulla damnificatio est secuta, cum integritas corporis sit irreparabilis & incompensabilis, nec propter corruptionem, quamdiu occulta manet, à condigno rejiciatur Matrimonio.

Quæres *nono*: Ad quid in foro conscientiæ virginem seducens obligatur, si corruptio publicetur?

℟. Tenetur ad omnis damni compensationem, quæ vel per dotationem sufficientem, vel per matrimonium cum illa initum præstatur Ad neutrum tamen determinatè obligatur cum in alternativis debitoris sit electio, & sufficiat alterum adimpleri. *Reg. Jur.* 70. *in* 6.

Quæres *decimo*: Quid si seducta ducere nolit seductorem?

℟. Nisi sub promissione Matrimonii seduxerit, dotem augere debet, ut cui vult, competenter nubere valeat, uti poterat ante seductionem.

Quæres *undecimo*: Quid si sub promissione vera vel ficta Matrimonii seduxerit?

℟. Seductam determinatè ducere debet, si ipsa velit, nec sufficit, si pecuniâ pro damno per stuprum illato satisfacere velit justitia exigit non tantum, quia ut reddatur æquale, sed etiã ut idé in specie præstetur, quod est promissum, si præstabile sit; quamvis autem promissio facta ex se non obliget, obligat tamen ex consequenti, quia fictè promittens sub conditione onerosa, onere ab altera parte impleto, veram promissionem facere, illamque exequi tenetur. Solet hæc addi limitatio, *nisi vir* promittens fictè, fœminæ conditionem notabiliter excederet, tunc enim illa hunc sciens excessum, facilè suspicari poterit promissionem fieri fictè.

Quæres *duodecimo*. Ad quid tenetur adolescens, qui voto castitatis adstrictus, vel alteri personæ desponsatus, honestam filiam sub promissione Matrimonii seducit?

℟. 1*mo*. Corruptam petitâ & obtentâ in voto dispensatione ducere tenetur, cum votum implere nequeat sine gravi damnificatione corruptæ, quæ dum corrumpebatur, voti ignara fuisse supponitur.

℟. 2*do*. Primam ducere & secundam dotare tenetur, cum prima ex sponsalibus Jus habere noscatur, quæ tamen, si nullum aliud inde damnum patiatur, sponsalibus ex Charitate renuntiare tenetur, ut secunda honestum ineat mattimonium, & proles forsan secuta legitimetur.

T I-

TITULUS IX.

DE

Raptoribus, Incendiariis, Violatoribus Ecclesiarum & de Furtis.

DElicta, quibus proximus in bonis fortunæ damnificatur, sunt: Rapina, incendium, Sacrilegium sive violatio Ecclesiarum & furtum. De his

Quæres *primo*: Quid est furtum?

R. De Jure Civili est contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionisve. L. 1. § *furtum. ff. de furtis.* Clarius *S. Thom. 2. 2. q. 66. a. 3.* occulta acceptio rei alienæ invito domino. Dicitur *1mo.* Occulta acceptio, sive translatio rei de loco ad locum animo sibi appropriandi vel dominium vel usum, vel possessionem, Domino rei aut usûs invito. Ex hac definitione sequitur furtum esse *1mo*: si creditor re sibi oppignoratâ, & depositarius deposito utatur. L. *si pignore. 54. ff. de furtis.* Modo tamen depositum sit signatum. *2do.* Si Commodatarius re commodata ad alium usum vel modum, quam commodata sit, utatur, L. *qui re. 76. ff. de furt.* vel si rem sibi commodatam absque voluntate Domini commodaverit. *3tio.* Qui rem alienam aut in publico aut in privato loco invenit jacentem, & eam lucri causâ sustulit, fur est, non autem, si eam Domino, vel ei qui suam esse ostenderit, animo restituendi acceperit. L. *falsus. 43. §. qui alienum. ff. de furt. 4to.* Qui mandat vel Consilium ad furtum suggerit, vel ex furto scienter participat, vel fures aut res furtivas recipit, vel eas Domino quærenti occultat, sunt furti complices. *Cap. qui cum fure. 4. de furtis. §. 4. & 11. Institut. de oblig. quæ ex delict. 5to.* Si filiusfamilias rem patris, uxor rem mariti, aut communem, Servus rem Domini, socius contra leges rem societatis eripiat, furtum committunt. L. *servi 17.* & L. *si. Socius. 45. ff. de furt. L. eos qui. 14. Cod. eod. tit.* quamvis fures domestici non tam severè puniantur, & inter personas proximè conjunctas, non furti, sed loco illius rerum amotarum detur actio. L. *Divortii. 2. C. Rerum amotarum. 6to.* Dominus rem propriam auferens, reus est furti, si ejusdem rei usus vel ususfructus aut detentio ad alterum pertinebat, ut si res erat Creditori oppignorata. L. *creditoris. 15.* L. *si debitor. 79. de furt. 7mo.* etiam ille furti reus est, qui ob necessitatem famis vel paupertatis rem aufert alienam. *Cap. si quis. 3. de furt.* dummodo necessitas non fue-

rit extrema, in ea enim usus rei alienæ jure naturæ est communis. *Can. non satis. 14. can. pascæ. 21. dist. 86. arg. can. discipulos. 26. de consecr. dist. 5.*

Quæres *secundo*: Quæ furti pœna?

℟. 1*mo.* Pœnæ civiles sunt: ob furtum manifestum cogitur fur præter rem furto ablatam reddere quadruplum, ob furtum non manifestum duplum, & ad hoc merè pœnalis furti datur actio. §. *pœnam. §. fin. Instit. de obligat. quæ ex delict. &c.* deinde fur rem ablatam cum omni interesse restituere tenetur, & ad hoc competit Domino rei ablatæ, & ei, cui furtum non esse factum interest, rei vindicatio non solum adversus furem, sed etiam contra quemcumque rei furtivæ possessorem. *Cit.* §. *fin.* præter actionem rei vindicatoriam habet Dominus rei furtivæ condictionem furtivam ad restitutionem rei ablatæ, si extet, vel æstimationem, si haberi nequeat, & omne interesse adversus furem omnésque ejusdem complices, & quidem adversus singulos in solidum, præterea contra quoscunque hæredes furis, non modò in id, quod ad eos ex defuncti delicto pervenit, sed in solidum, licet non possideant. *Cit.* §. *fin. Institut.*

2*do.* Pœna Criminalis propter furtum, si sit magnum vel sæpius iteratum, aut periculosum, quia cum effractionem vel armis factum. Juxta *constitut. crim. Carol. V.* est pœna Capitis.

3*tio.* Pœna Canonica in Clericos furti comdemnatos est ab officio & ordine depositio. *Can. Presbyter. 12. dist. 81. & infamia, can. infames, 17. caus. 6. q. 1. cap. fin. de furt.*

Quæres *tertio*: Quæ furti species?

℟. Sequentes: 1*mo.* Sacrilegium, quod fit tribus modis. 1*mo.* auferendo rem sacram de loco sacro. 2*tio.* Auferendo rem sacram de loco non sacro. 3*o.* Auferendo rem non sacram de loco sacro, cujus custodiæ concredita erat. *can. quisquis. 21. caus. 17. q. 4.* hoc crimen est mixti fori ita ut laicus Sacrilegus à Judice Ecclesiastico puniri valeat. *Cap. conquestus. 17. de for. competent.*

2*do.* Plagium, si liber homo furripiatur vel abducatur, vel servus *alienus* occultetur, aut detineatur. De quo in *cap. 1. de furt.*

3*tio.* Abigeatus, dum quis dolo malo de grege vel armento ex stabulo aut pascuis pecora deprædatur & abducit.

4*to.* Peculatus, quo pecunia vel res ad ærarium Reipub. pertinentes ab eo, cujus fidei & periculo commissæ non sunt, furripiuntur.

5*to.* Crimen de residuis, quando pecunia publica ad certum Reipub. usum destinata ab eo, cujus fidei & periculo est concredita, retinetur vel in proprium usum convertitur.

6*to.* Crimen expilatæ hæreditatis, quando ante hæreditatem aditam vel nondum possessam res mobilis ad hæreditatem pertinens aufertur.

7*mo.* Sepulchri violatio, dum lapides sepulchrales aliaque monumenta auferuntur, aut cadavera sepultorum effodiuntur & spoliantur.

8*vo.* Termini amotio, quando quis dolo malo terminos vel lapides limitaneos eruit, aufert aut transponit, vel solum ut alteri noceat, vel ut, quod fundo vicino detrahit, suo adjiciat.

Quæ

Quæres *quarto:* Quid est rapina?

R. Est contrectatio rei alienæ mobilis, in quo convenit cum furto; sicut enim hoc sine translatione rei de loco ad locum non committitur, ita nec rapina absque tali contrectatione fieri potest. Deinde est contrectatio dolosa; quia rem alienam rapiens, quam putat esse suam, sive juris sive facti sit error, à rapinæ delicto excusatur. Denique est violenta rei alienæ contrectatio, in quo distinguitur à furto, cum rapina, præter furti injustitiam, quâ proximi bona læduntur, realem importet contumeliam, lædens proximi personam & honorem, eidem vim & violentiam inferendo, ideoque rapina Clerico facta, Canonis. *si quis suadente* excommunicationem inducit.

Quæres *quinto*: Quæ Raptorum pœnæ?

R. Rapinam passus contra raptorem civilem vel criminalem instituere potest actionem. *1mo* Raptor actione civili intra annum utilem conventus in quadruplum, post annum in simplum condemnatur. *2do.* Actione criminali contra raptorem, institutâ, rapina cum tumultu & armis facta pœnâ capitis punitur.

De Jure Canonico raptores excommunicationis feriuntur sententiâ. *Cap. 1. 2. & 3. de Raptor.* ex Bulla cœnæ Raptores sive pyratæ in mari, Ecclesiæ Romanæ rapinas agentes, & bona Christianorum naufragantium vel in mari vel in littore inventa surripientes, aut scienter sibi ipsis accipientes, aut ab aliis rapta recipientes Summo Pontifici reservatam incurrunt excommunicationem.

Quæres *sexto*: Quæ delicta ad rapinam referuntur?

R. *1mo.* Latrocinium, quo homo ab homine spe prædæ occiditur, hujus sceleris pœna juxta *constitut. Crimin. Carol. V. art. 130. & 137.* est rota. *2do.* Vis, quæ vel privata, vel publica est, privata sine armis, publica cum armis infertur. *3tio.* Concussio, dum alicui ad quid faciendum, vel omittendum terror incutitur, quod fit vel à privatis, dum schedulæ incendiariæ vel mortis comminatoriæ mittuntur, nisi in tali loco pecuniæ reponantur, vel à Magistratibus aut eorum Officialibus, quando aliquid à subditis extorquetur, ut justitiam obtineant, creditum recipiant, in distributione onerum communium ultra condignum non graventur &c.

Quæres *septimo*: Quid est incendiarius?

R. Incendiarius à causato voluntariè dicitur incendio, hoc vel est culposum solum, vel dolosum simul, culposum est, quando absque directa intentione ex imprudentia vel negligentia cujusdam incendium oritur, quod fit vel ex culpa lata ut in L. *si fortuito. 11. ff. de incend. ruin. naufrag.* vel ex culpa levi, ut in *L qui occidit. 30. §. in hac quoque. ff. ad L. Aquil.* vel ex culpa levissima, ut in L. *si Servus. 27. §. 5. 9. & 11. ff. ad Leg. Aquil.* incendium dolosum est, quando quis datâ operâ sciens & prudens apposito igne ædes, aliudve ædificium sive urbanum, sive rusticum, aut segetes, sylvas, vineas

neas & incendit, vel ad hoc mandatum, auxilium, vel consilium præstat. *Can. cum. devotissimam* 8. 12. q. 2. *Can. pessimam.* 32. *caus.* 23. q. 8. *cap. si egressus.* 5. *cap. si quis.* 6. *de injur. & damn.*

Quæres *octavo*: Quæ incendiariorum pœnæ?

℟. Ob incendium malitiosum & dolosum incendiarius & omnes illi, qui consilium vel auxilium præstiterunt, sublata & incensa restituere & tribus annis pœnitere debent, incendiarius insuper, si priusquam satisfecerit mortuus fuerit Ecclesiasticâ privatur sepulturâ. *Can. si quis membrorum.* 31. *Can. pessimam.* 32. *caus.* 23. q. 8. *cap. in litteris.* 5. *de Raptor.* incendiarius locorum piorum ipso facto excommunicatus est. *Cap. tua nos.* 19. *de sentent. excomm.* locorum profanorum incendiarii excommunicandi sunt.

Quæres *nono*: Quæ pœna incendii casualis, in quo tamen culpa intervenit.

℟. Si dans occasionem incendii casualis, culpam latam commiserit, ad restitutionem etiam ante Judicis sententiam, si culpam levem & leviſſimam, post sententiam Judicis tenetur. Ex culpa incendium accidit quando ex imprudentia vel negligentia oritur.

Quæres *decimo:* Quinam sunt violatores Ecclesiæ?

℟. Sunt illi, qui Ecclesias vel loca religiosa & pia violentè effringunt & spoliant, de quibus in *Can. Canonica.* 107. *caus.* 11. q. 3. *Can. omnes.* 5. *Can. quisquis.* 21. *caus.* 17. q. 4.

Quæres *undecimo*: Quæ sunt Ecclesias violantium pœnæ?

℟. Si spolium cum effractione factum, sunt ipso facto excommunicati & per solum Papam post denuntiationem absolvuntur. *Cit. Cap. tua nos. Cap. conquesti.* 22. *de sentent. excom.* si non restituant, aut ante mortem de restituendo caveant, Christianorum privantur sepulturâ, & si quis Presbyterorum vel Clericorum eis in vita vel morte pœnitentias, seu absolutionem dare, aut sepulturæ interesse vel eorum Eleemosynas accipere attentaverint, seu hujusmodi rapinæ participes inventi fuerint, ordinis sui damnum irreparabiliter patiantur & Ecclesiastico beneficio careant. *Cap. super eo.* 2. *de Raptor.*

Quæres *duodecimo*: An raptores jure Asyli gaudeant?

R. A Jure Asyli per constitutionem Gregor. XIV. excluduntur *1mo.* publici latrones, id est, qui homines spoliandi causâ homicidia committere solent. *2do.* Viarum grassatores, qui itinera frequentata publicasque stratas obsident & viatores prædæ causâ & violenter ex insidiis absque cæde tamen aggrediuntur. *3tio.* Agrorum depopulatores, qui segetes agrorum vel fructus vinearum comburendo vel destruendo devastant.

TI-

TITULUS X.

DE

Usuris.

USura vel materialiter, pro eo lucro, quod ad sortem mutuatam accedit, vel formaliter, pro ipso actu aut usuraria conventione accipitur, & est actus voluntatis interior vel exterior conventio dandi, aut accipiendi lucrum aliquod temporale ultra sortem ex vi mutui principaliter, dividitur in mentalem & conventionalem, mentalis est: quando mutuans citra ullam conventionem eo animo dat mutuum, ut ultra sortem aliquid accipiat, aliàs non daturus, de quo in *cap. consuluit.* 10. *h. t.* Urban. III. interrogatus an ille in Judicio animarum quasi usurarius judicari debeat, qui non aliàs mutuum traditurus eo proposito mutuam credit pecuniam, ut, licet omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat respondet: quod hujusmodi pro intentione lucri, quam habet, judicandus sit male agere, & ad ea, quæ taliter accepta, restituenda in animarum Judicio efficaciter sit inducendus. Conventionalis est, quando cum pacto tacito vel expresso aliquid ultra sortem accipiendi mutuatur pecunia. De qua in *Can. fin. caus.* 14. *q.* 3.

Quæres *primo*: Quo Jure prohibitæ sunt usuræ?

R. D. Schnorrenberg. Instit. J. Can.

R. Usuræ omni Jure vetantur & damnantur. 1*mo.* Naturali; quia usurarius neque retento pecuniæ dominio, ejusdem fructum, uti in rebus fructiferis, vendere potest, quia pecunia de se res sterilis est, nec fructificat, nisi in quantum humanæ substat industriæ, fructus autem industriales sunt ponentis industriam, neque translato pecuniæ dominio & proprietate per mutui traditionem erga æquivalens, summam videlicet similem refundendam pro fructibus pecuniæ, etiamsi illa fructificare posset, aliquid exigere licet, translato enim rei dominio, fructus ejus ad Dominum pertinent, sicut justo pretio vendens arborem pro fructibus ejus aliquid exigere non potest, quia translato dominio Domino arboris debentur, & ideo qui ultra id, quod mutuo dedit, à Mutuatario exigit, injustè extorquet.

2*do.* Jure divino Legis Veteris & novæ, usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestatur, inquit Alex. III. in *Cap. super eo. 4. h. t. Exod.* 22. *si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. Levit.* 25. *Pecuniam tuam non dabis ad usuram. Deuter.* 23. *non fœ-*

neraberis fratri tuo ad usuram pecuniam. Luc. 6. date mutuum nihil inde sperantes.

3tio. Jure Canonico, ut constat ex tota *dist. 47. & caus. 14. q. 4.* ubi notabilis est *Can. 11.* quid dicam de usuris? aut crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore? Titulo *de usuris in decretalibus & sexto.* imo in Concil. Viennens. sub Clem. V. anno 1311. hæreseos damnati sunt, qui usuras peccatum non esse, pertinaciter asserere ausi fuerint. *Clement. un. §. sanè de usur.*

4to. Jure quoque Civili contractus usurarii damnati sunt per novissimas Imperii Constitutiones in Comitiis Augustanis Anno 1500. 1539. 1548. promulgatas, quamvis L. *eos, qui. 26. & seqq. C. de usur.* usura centesima, aliæque moderatæ permittantur, in quibus tamen Jus civile Canonum Authoritas correxit.

Quæres *secundo:* Quid requiritur, ut contractus sit usurarius?

℟. Ad rationem usuræ duo requiruntur *1mum:* ut sit mutuum vel formale vel virtuale. *2dum:* ut sit intentio ex formali vel virtuali mutuo, aliquid pretio æstimabile acquirendi, si nec formale nec virtuale mutuum sit, contractus injustus, non tamen usurarius esse potest, etsi in pactum aliquid ultra sortem deducatur, quod si non in compensationem mutui, sed alio dandum titulo, usura non est.

Quæres *tertio:* Quomodo usura in mutuo committitur virtuali?

℟. Quoties contractus à mutuo distinctus celebratur, in quo propter prorogatam pecuniam vel creditum pretium aut interesse, certum lucrum deducitur, palliata est usura. Sic

1mo: Mercator propter dilatam solutionem merces carius vendens, usurarius est, nisi dubium sit, an tempore solutionis valor rei auctus, & venditor rem venditam usque ad tempus augmenti servaturus erat. *Cap. in civitate. 6. h. t.* quia hujusmodi pretii expectatio mutui rationem habet. *2do:* Emptor anticipatâ solutione rem emens vilius, usurarius est, quia & anticipatio ista habet rationem mutui, cujus quoddam pretium est justi pretii diminutio. *Cap. naviganti. fin. h. t.* ubi hæc fit exceptio: qui pannos, granum, vinum, oleum & alias merces vendit vel emit, ut amplius vel minus quam tunc valeant, in certo termino det, vel recipiat, si dubitetur verosimiliter utrum plus vel minus tempore solutionis vel traditionis, sint merces valituræ, ratione istius dubii usurarius reputari non debet. *3tio:* Usurarius est, qui rem eo emit pacto, ut eandem venditori pretium augendo restituat post tempus. *Cap. illo. 4. de pignor. 4to.* Creditor usurarius est, qui à debitore pro mutuato Capitali accipit pignus, quo interea fruatur, fructibus in sortem Capitalis non computatis. *Cap. plures. 1. cap. quoniam. 2. h. t. Cap. cum contra. 6. de pignor.*

Quæres *quarto:* An ad causam piam v. g. pro pauperibus, captivis redimendis &c. in mutuo ultra sortem quid exigi valeat? ℟. Quia

℟. Quia usuræ sunt intrinsecè malæ, etiam ad causam piam non licent, cum enim scriptura Sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur. *Cap. super eo. 4. h. t.* ideoque contractus usurarius nec Juramento de non repetendis usuris confirmatur. *Cap. tuas. 13. h. t.* nec consuetudo nec statutum ab usura excusare possunt. *Clement. un. de usur.*

Quæres *quinto*: An à debitore Creditori gratis & ex benevolentia mutuanti aliquid ultra sortem oblatum recipi possit?

℟. Affirmativè dummodo in mutui concessione remunerationem non intendebat, & alias mutuum, nisi sub spe secuturæ remunerationis non dedisset. *Cap. consuluit. 10. h. t.* neque remunerationem in contractum deduxerit, ob damnatam ab Innoc. XI. propositionem. 42dam: *usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.*

Quæres *sexto*: An in pactum deduci possit, ut debitor ultra sortem solvat, si in mora solvendi fuerit?

℟. Affirmativè, quia talis pœna ultra sortem non solvitur vi mutui, sed ob moram & culpam mutui non soluti, dummodo tamen nulla fraus aut usuraria subsit intentio, si enim mutuans lucrum illud principaliter intendebat, & terminum brevem & captiosum mutuatario præscripsit, eo solum fine, ut causam lucri ex mutuo captaret, absque dubio usuram committere dicendus est.

Quæres *septimo*: An ob periculum sortis aliquid ultra sortem in mutuo exigere liceat?

℟. Ob periculum amittendi Capitalis licet aliquid ultra sortem pacisci, tam eo casu, quo in genere jacturam sortis rationabiliter timet mutuans, ut quia Mutuatarius aliis debitis onustus securitatem de sorte nec per pignora, nec per fidejussores dare potest, quam etiam eo casu, quo mutuans certum & speciale periculum sortis, quod alias penes mutuatarium, utpote rei mutuatæ Dominum esset, in se suscipit, v. g. mutuat quis ad nundinas proficiscenti centum, si navis pereat vel sors ab hostibus auferatur, mutuatarius nihil solvet, si omnia salva manent cum Capitali solvet quinque pro centum. Ratio est: quia tali casu auctuarium non propter mutuum, sed propter periculum pretio æstimabile, quod mutuans in gratiam mutuatarii in se recipit, solvitur. *Cap. naviganti. fin. h. t.* intelligendum est, quando quis aliter non vult mutuare, nisi pro periculo in se suscipiendo aliquid ultra sortem detur, in quo apparet implicitam usuræ intervenire intentionem.

Quæres *octavo*: An propter lucrum cessans & damnum emergens ultra sortem aliquid exigi possit?

℟. Si creditor pecuniâ creditâ certum quæstum facere potuit (quod est lucrum cessans) aut propter datum

credito mutuum damnum incurrat, quod dicitur damnum emergens, aliquid ultra sortem ratione interesse exigere iniquum non est, cum nemo alteri cum proprio damno benefacere teneatur; quare tale interesse mutuans tempore, mutuationis in contractum deducere potest, & certam summam loco interesse stipulari eo casu, quo pluris vel minoris, quam taxatum est, interesse potest: quia incertitudo conjuncta cum spe majoris lucri vel timore majoris damni facit, ut pluris æstimari possit, & si ex post minus fuisse facto appareat. *Arg. cap. fin. h. t.* quod si tempore contractus de interesse non sit conventum, illud in foro conscientiæ licitè exigi & recipi potest, non tamen pro foro externo, nisi mutuatarius sit in mora, & ratione moræ damnum emergens aut lucrum cessans intervenerit.

Quæres *nono*: An Usurarius usurarum acquirat dominium?

℟. *Negativè*, nunquam enim nuda traditio transfert dominium, nisi justus titulus aut causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur. L. *nunquam. 31. ff. de acquir. rer. dom.*

Quæres *decimo*: Quæ usuras restituendi obligatio?

℟. *1mo*: non solum Christiani, sed etiam Judæi & infideles usuras restituere tenentur, vel his, à quibus extorserunt, vel eorum hæredibus, aut iis non superstitibus, pauperibus erogari debent, in quem finem possessiones, quæ de usuris comparatæ sunt, vendi, & ipsarum pretia his, à quibus usuræ extortæ sunt, restitui debent. *Cap. cum tu. 5. h. t. 2do.* filii usurariorum, & qui in crimine usurarum defunctis succedunt, ad restituendas usuras eâ sunt districtione cogendi, quâ parentes, si viverent, cogerentur. *Cap. tua nos. 9. h. t. 3tio.* Judæos ad restituendas Christianis usuras Principes & potestates Sæculares compellere debent. *Cap. post miserabilem. 2. cap. quanto. 18. h. t. 4to.* Non obstante juramento de non reperendis usuris per debitorem præstito, potest Judex ex officio usurarium ad restituendas usuras compellere. *Cap. tuas. 13. h. t. 5to.* pro foro externo, si repetens usuras etiam fuerit usurarius, per exceptionem repelli potest, ut non audiatur, quousque ipse usuras restituerit, quas ab aliis noscitur recepisse, quia frustra legis auxilium invocat qui committit in legem. *Cap. quia frustra. 14. h. t.*

Quæres *undecimo*: An usurarius solum mentalis ad restitutionem teneatur?

℟. Si revera titulo mutui accepit, nec Mutuatarius alio titulo auctuarium obtulit, restituere obligatur. Ratio in promptu est: quia alio titulo, quam usurario illud, quod supra sortem est, non recepit, cum igitur injustè receperit, injustè receptum restituere tenetur. Et ita intellelligendus est textus in *Cap. consuluit. 10. h. t.* at si Mutuatarius mutuanti aliquid ultra sortem gratuito dare voluit, licet usurarius mentalis sinistro oculo ad lucrum respiciens, ex hoc sese ad dan-

dum

dum mutuum resolvit, est quidem usurarius mentalis, non tamen restituere debet, quod gratuito oblatum cum gratiarum actione acceptavit.

Quæres *duodecimo*: quæ usurariorum pœnæ?

℟. Sequentes: *1mo* Clerici usurarii suspenduntur. *Cap. præterea. 7. h. t.* ab officio deponuntur & beneficio privantur. *Can. quoniam. 8. caus. 14. q. 4. Cap. 1. h. t.* ubi à pœna hac excipitur Clericus, qui usuras exercet, ut hoc modo beneficium Ecclesiæ de manu laici redimere possit. *2do*: Magistratus per statutum vel alias dispositiones usuram approbantes excommunicationem incurrunt per *Clement. un. h. t. 3tio.* Usurarii Manifesti communione etiam in extremis & ecclesiastica privantur sepultura. *Cap. quia. 3. h. t.* omnes autem religiosi & alii, manifestos usurarios contra Sacrorum Canonum formam ad Ecclesiasticam sepulturam admittentes pœnæ Lateran. Conc. contra Usurarios promulgatæ subjiciuntur. *Cap. quamquam. 2. eod. in 6. 4to*: Testamenta & ultimæ voluntates usurariorum manifestorum, nisi ante mortem restituerint, aut de restitutione sufficienter caverint, non valent & ipso jure irrita existunt. *Cit. cap. quamquam. §. fin. in 6.*

TITULUS XI.

DE

Crimine Falsi.

CRimen falsi publicum est delictum, quo quis dolo in alterius præjudicium veritatem immutat, contra specialem Legum aut Canonum prohibitionem. Dividitur in personale & reale, personale circa personam committitur, ut nominis mutatio, partus suppositio, testium suborvatio, judicis corruptio. Reale fit circa res, aut verbo, dando falsum testimonium aut scripto, authoritate publica falsum scribendo, aut facto, monetam, scripturas publicas in toto vel in parte falsificando.

Quæres *primo*: Quæ ad crimen falsi requiruntur?

℟. Requiruntur sequentia. *1mo.* Ut pervertatur veritas, aut negativè occultando, aut positivè, fallum manifestando. *secundo:* Ut hoc fiat dolo malo animo veritatem in alterius præjudicium corrumpendi. *3tio.* Ut grave & notabile alterius interveniat præjudicium, & Lege vel Canone aut statuto talis verì immutatio veluti punibilis pœnâ falsi sit declarata, qui extrajudicialiter aliquid est contestatus ac postea in Judicio contrarium asserit, pœnam falsi non incurrit, quamvis ut mendax puniendus sit, cum lege, pœnam

falsi huic testi irrogandam esse, non demnostretur.

Quæres *secundo*: Quando crimen falsi circa personas committitur?

℟. In casibus sequentibus: *1mo.* Si fœmina partum alienum in mariti, ejus hæredum vel Successorum, aut propriorum prolium præjudicium supponat. L. *qui falsam. 19. L. Cornelia. 30. ff. ad L. Cornel. de falsis.* *2do.* Si quis nomen suum aut cognomen in alterius præjudicium fraudulenter mutet, vel nomen alterius assumat, aut proprium dissimulet. L. *un. C. de mutat. nom.* *3tio.* Si quis aliud familiæ genus, aliosve Parentes fingat, se pro nobili, Doctore, Medico, aut alterius artis experto gerat, alterius insignibus dolosè utatur. *Arg. Cap. dilecta. 14. de excess. Prælat.*

Quæres *tertio*: Quando circa testes sit crimen falsi?

℟. Testis falsum committit dupliciter. *1mo.* Si falsum deponat, falsidicus testis tribus personis est obnoxius primum Deo, cujus personam contemnit, deinde Judici, quem mentiendo fallit, postremo innocenti, quem falso testimonio lædit. *Cap. 1. h. t.* *2do.* Qui testem falsum donis aut pretio ad dandum testimonium falsum subornat. *3tio.* Qui testem falsum scienter producit, aut falsi testis dicto utitur. *4to.* Testis obscurè & versutè eo fine deponens, ut ejusdem depositio non prosit testem producenti.

Quæres *quarto*: Quando Judex & Advocatus crimen falsi admittunt?

℟. *1mo.* Judex est falsarius, si pecuniâ corruptus vel aliàs dolo malo contra leges & constitutiones injustam fert sententiam. L. *1. §. sed & si Judex. ff. ad Leg. Cornel. de falsis.* *2do.* Advocatus falsum committit, si parti adversæ causam vel secreta causæ sui Clientis prodat. *Cit.* L. *1. §. 1. ff. ad Leg. Cornel de fals.*

Quæres *quinto*: Qualiter Apostolicæ falsificantur litteræ?

℟. Variis falsificantur modis. *1mo.* In modo, quo obtinentur, si nempe litteræ non immediatè à Pontifice vel illis, ad quos hoc ex officio de mandato Pontificis spectat, impetrentur. *Cap. dura. 4. h. t.* *2do.* In sigillo, si scilicet bulla vel plumbum affigi solitum vitiatum & non recte expressum sit, de quo in *Cap. licet. 5. h. t.* *3tio.* In stylo, exemplum est in *Cap. quam gravi. 6. h. t.* ubi litteræ Apostolicæ declarantur falsæ, quia in illis Archi-Episcopus filius nuncupabatur, qui de stylo Curiæ à Pontifice solet nominari frater. Vel si uni scribitur in plurali, quando enim Summus Pontifex ad unum tantum litteras dirigit numquam ei loquitur in plurali, ut vos, sive vester. *4to.* Ob rasuram si videlicet in litteris Papalibus litteræ quædam deletæ vel expunctæ in loco suspecto, hoc est, in quo per talem disputationem sensus mutari potuit. De quo in *Cap. inter dilectos. 6. de fid. instrum. Cap. cum venerabilis. 7. de Relig. domib. Cap. fin. h. t.*

Quæres *sexto*: Quis propter vitiatam Scripturam est falsarius?

℟. Sunt illi, qui testamentum vel instrumentum publicum corrumpunt, destruunt, falsum testamentum vel instrumentum scribunt, signant, recitant

tant, falso sigillo muniunt, falsas litteras scienter recipiunt, iis, maximè in Judiciis, utuntur, in quibus ex documentis falsis lata nulla est sententia. *Cap. super eo. 2. h. t.*

Quæres *septimo*: Quomodo falsificatur moneta?

℟. Quatuor maximè modis; *primo*, si quis authoritatem publicam non habens, monetam, quamvis justæ probæ & pretii, cudat: quia monetam cudere est Regale summis reservatum Principibus in temporalibus superiorem non agnoscentibus, & iis quibus vel ex Privilegio vel ex immemoriali consuetudine idipsum competit. Ad justam igitur monetam duo requiruntur, valor intrinsecus, seu materiæ, ex qua cusa est, bonitas, & publica forma, seu signum publicum authoritate summi Principis impressum. L. 1. *ff. de contrah. Empt.* 2*do*. Multo magis falsarius est, cudens monetam ex cupro vel aliâ minoris valoris materiâ, quam justæ monetæ. 3*tio*. Qui genuinam monetam radendo corrumpit, ita, ut justi amplius ponderis non existat. 4*to*. Qui falsâ aut vitiatâ monetâ scienter utitur, illam expendendo, commutando, in solutionem dando, &c.

Quæres *octavo*: Quæ pœna falsi in Judicio commissi?

℟. Falsum in Judicio committens causam perdit, sive falsum in electione Prælati, vel beneficiati, sive in causa civili, sive in causa contra Fiscum, vel etiam contra aliam privatum fuerit commissum, & præterea pœnâ mulctatur arbitrariâ. De jure Canonico Clericus falsarius deponitur, & Monasterio ad agendam pœnitentiam includitur. *Can. si Episcopus. 7. dist. 50.* Clericus, qui in Judicio sæculari falsum commisit v. g. dicendo falsum testimonium, non à laico, sed Ecclesiastico puniendus est Judice. *Cap. nullus. 2. de foro competent.*

Quæres *nono*: Quæ litteras Apostolicas falsificantium pœnæ?

℟. Omnes, qui litteras Apostolicas per se vel per alios falsificarunt, eorumque defensores & fautores sunt ipso facto excommunicati, & si Clerici, omnibus privantur beneficiis, ita, ut qui per se falsitatis vitium exercuerunt, postquam per Ecclesiasticum judicem fuerint degradati, sæculari potestati tradantur, secundum Constitutiones legitimas puniendi. Præterea similibus litteris ab aliis falsatis utentes, si Clerici fuerint, officiis & beneficiis Ecclesiasticis spolianrur, si laici tamdiu sunt excommunicati, donec competenter satisfaciant. *Cap. ad falsariorum. 7. h. t.*

Quæres *decimo*. An in dubio præsumendum, esse commissam in litteris Apostolicis falsitatem?

℟. Si quis litteras Apostolicas formam simplicis justitiæ habentes, id est; in quibus petitur ut justitia administretur, impetraverit, & in illis falsitas deprehendatur, præsumi non debet, quod pro talibus litteris, quæ possunt facile obtineri, fraudem quis commiserit falsitatis, nec ideo impetrans est puniendus, si eis usus non fuerit, postquam illas falsas cognovit *Cap. accedens. 8. h. t.*

Quæ-

Quæres *undecimo:* Quæ pœna sigillum Principis fallantium?

℟. Si Clerici fuerint, non quidem mutilantur, nec eis corporalis pœna per quam periculum mortis possint incurrere, infligitur, sed degradantur, & in signum maleficii infami notâ & stigmate consignantur, & in exilium mittuntur. *Cap. ad audientiam. 3. h. t.*

Quæres *duodecimo:* Quæ pœna falsantium monetas?

℟. In Jure Civili monetarum falsificatio scelus dicitur clandestinum. L. 1, *C. de fals. monet.* cui obnoxii in majestatem delinquunt, & præmio accusatoribus proposito, quicunque solidorum adulter poterit reperiri, vel à quocunque fuerit publicatus, omni dilatione submota, flammarum exustionibus mancipandus est. L. *si quis. 2. C. de fals monet.* in Jure Canonico falsarum monetarum fabricatores in Regno Franciæ maledictioni & excommunicationi summo Pontifici reservatæ subjiciuntur per *Extrav. Joannis XXII. un. de crim. fals. inter Com.* graviter prohibetur ars Alchimiæ, & omnes illi, qui ex auro chymico monetam cudunt, perpetuâ notantur infamiâ, & si Clerici fuerint, ultra pœnas in *Extrav.* memoratas privantur beneficiis habitis & prorsus inhabilitantur ad habenda.

TITULUS XII.

DE

Injuriis & Damno dato.

INjuria late sumpta est omne id, quod non jure, sed contra jus factum, & hoc modo injuriam in bonis animæ, corporis, famæ, honoris & fortunarum sub se comprehendit, quæ omnes injuriæ specie morali distinguuntur. Injuria strictius sumpta, ut hoc titulo accipitur, est alicui dicta vel facta contumelia. *Instit. lib. 4. de injur. in princ.* hæc Injuria tribus committitur modis: *re, verbis & scriptis. Re*, cum quis manus violentas alicui injicit. *Verbis:* cum per criminis exprobrationem aut defectus naturalis objectionem sit convitium. *Litteris:* per libellum famosum, carmen aut historiam ad cujusdam dehonorationem compositam. Damnum, de quo altera pars tituli, est delictum, quo quis servum, vel quadrupedem alterius occidit vel vulneravit, aut ejus res læsit, rupit, confregit &c. de his criminibus

Quæres *primo*: qualiter injuria committitur?

℟. Ad formalem injuriam, de qua hic agitur, requiruntur duo: 1*mo.* Dolus & animus injuriandi. L. *si non convitii*

vitii 5. C. de injur. ideo nemo injuriam facit, qui se eam facere nescit sufficit autem quod se injuriam facere sciat, etsi cui, nesciat. L. *illud. 3. §. itaque ff. de injur.* animus autem injuriandi præsumitur, si verba aut facta ex se sint injuriosa, unde talia faciendi se ea absque animo injuriandi feciſſe, probare incumbit. *it.* L. *si non convitii.* dicens verbum, vel factum committens injuriosum, licet protestationem: *Salvo honore*, addiderit, ab injuria non excusatur, talis enim protestatio est facto contraria, nec relevat protestantem. Porro non tantum nos injuria directè in propriam personam detorta afficit, sed etiam in conjunctis, honoris & famæ patimur læsionem; sic injuria facta filio in patrem, uxori in maritum, testatoris Cadaveri in hæredem redundat, spectat enim ad nos injuria, quæ in his fit, qui vel potestati nostræ vel affectui sunt subjecti. L. *1. §. item. 3. ff. de injur.* 2*do.* Ex parte injuriati requiritur revocatio contumeliæ ad animum. *Instit. de injur. §. fin.* hoc est, quod injuriam passus ægrè & graviter ferentis animi signa dederit, nam si ab initio factum vel dictum non pro injuria, sed pro joco habuerit, postea ex pœnitentia remissam injuriam non poterit recolere.

Quæres *secundo*: Quis effectus injuriæ?

R. Ex injuria duplex oritur actio, Civilis & Criminalis, in actione civili injuriatus, vel injuriæ revocationem, vel ejusdem petit æstimationem, determinando, quantum æstimet injuriam, ut quod potius 100. imperialibus carere, quam talem injuriam sustinere maluisset, & tunc Judicis est æstimationem injuriati moderari, eique Juramentum deferre, qui usque ad summam à Judice taxatam, non ultra jurare potest. Criminaliter injuriatus agit ad pœnam vel corporis afflictivam, vel pecuniariam Fisco applicandam. Si injuriatus actione civili agere cœpit, ad criminalem transire nequit, aut econtra.

Quæres *tertio*: An qui verum crimen objicit injuriarum teneatur actione?

R. Vel prodest Reipub. sciri crimen verum, & puniri, & tunc non tenetur injuriarum actione, modò crimen objectum probaverit; L. *eum qui. 18. ff. de injur.* Vel non interest Reipub. ut crimen sciatur, & tunc propter veritatem convitii objiciens non excusatur: quia in injuriarum actione, non tam Convitii veritas, quam calumniandi attenditur animus, & injuriandi voluntas, nemo enim alium sine causa vel boni publici vel defensionis propriæ aut proximi dehonorandi habet facultatem.

Quæres *quarto*: An injuriato illatam injuriam retorquendi sit potestas?

R. Non præsumitur injuriandi animus in illo, qui injuriis ab altero illatis ad iram concitatus statim in continenti regerit: *tu mentiris ut nequam, vel talem te habeo, qualem me vocas, usque dum mihi satisfacias.* Quia animo magis se defendendi, quam in-

juriandi talia protuliſſe cenſetur, & inconſultus calor calumniæ vitio caret. *Can. ſi quis iratus. 5. caus. 2. q. 3.* in his tamen retorſionibus moderamen inculpatæ tutelæ ſervandum eſt, quod non fit, ſi convitium à provocato provocanti objectum ad innocentiæ non ſpectat defenſionem.

Quæres *quinto*: An alicui pro injuria alteri illata competat injuriarum actio?

℟. Una perſona actionem injuriarum pro injuria ſibi conjunctæ illata intentare poteſt, ut pater pro filii, Dominus pro ſervi, Maritus pro uxoris, Epiſcopus pro Clerici ſibi ſubjecti, Prælatus pro ſui Religioſi injuria. In quibus caſibus, quamvis inferior injuriam remiſit, Superior nihilominus actionem injuriarum contra injuriantem inſtituere poteſt, cum læſo Superioritatis juri nondum ſatisfactum.

Quæres *ſexto*: Quænam atrox dicitur injuria?

℟. Injuria aut perſonâ, aut tempore, aut reipsâ fit atrox. *Perſonâ* atrocior fit injuria, ut cum Magiſtratui, parenti aut patrono fit. *Tempore*, ſi Ludis, & in conſpectu communitatis fit, *reipsâ*, ſi v. g. vulnus latum inflictum, aut os alicui percuſſum. ſi quis in foro vel theatro cæſus. L. *prætor. 7. §. atrocem. ff. de injur.* atrox quoque eſt injuria quæ infertur Sacerdoti, dum eſt in officio, aut dignitatis habitum & ornamenta præfert. L. *atrocem. 3. C. de injur.*

Quæres *ſeptimo*: Quomodo injuriarum tollitur actio?

℟. Actio injuriarum ceſſat *1mo*: Si ſui defendendi causâ alteri crimen objecit: quia quod quis ad finem defendendæ bonæ cauſæ, neceſſario aut utiliter objicit, ad injuriam non pertinet, ſic juſtè & ſine honoris læſione teſti infamia, & teſtandi incapacitas, actori excommunicatio, petenti dotem adulterium opponitur.

2do: Ceſſat morte tam injuriantis, quàm injuriati: injuriarum enim actio neque hæredi, neque in hæredem datur. L. *injuriarum. 13. ff. de injur. 3tio*: Tollitur condonatione vel expreſsâ per pactum aut tranſactionem factâ, vel tacitâ, ut ſi injuriatus cum injuriante iterum familiariter converſatus fuerit. L. *non ſolum. 11. ff. de injur. 4to*: Præſcriptione vel laplu temporis, ſcilicet actio injuriarum ad pœnam lapſu unius anni utilis, id eſt, quo actionem potuit proſequi injuriatus, aboletur. L. *ſi non convitii. C. de injur. 5to*: Retorſione, quia per eam injuriato cenſetur ſatisfactum. *6to*: injuriæ revocatione in continenti facta, ex intervallo facta, actionis non purgat injuriam. Condemnatus actione injuriarum, ſaltem ſi injuria ſit gravis, infamium Catalogo adſcribitur.

Quæres *octavo*: Quando quis alteri ex damno illato tenetur?

℟. Si culpa cujuſquam datum eſt damnum vel injuria irrogata, vel aliis irrogantibus quis opem tulit, aut hæc imperitiâ ejus ſive negligentiâ evenerunt, jure ſuper his ſatisfacere illum oportet, nec ignorantia excuſat, ſi ſcire debuerit ex facto ſuo injuriam veri-

verisimiliter posse contingere vel jacturam. *Cap. fin. de injur.*

Ex his habes, quod ad rationem damni requiratur, ut læsio sit facta cum culpa vel dolo, ideoque nulla restituendi obligatio, si damnum fortuito accidat casu, dummodo casui alterius culpa causam non dederit, aut si jure permittente vel ipsius læsi culpâ damnum sit causatum.

Quæres *nono:* An & qualiter damnum per alterius animal causatum sit resarciendum?

℟. Si animal damnum vel pauperiem fecit, contra Dominum ejus datur actio. L. 1. *ff. si quadrupes. &c.* explicatur. Damnum illud, quod ab animali rationis experte factum, pauperies vocatur: quia fit absque injuria, quæ in animal cadere non potest. Per animal ergo læso datur actio ex lege duodecim tabularum, quæ vult, aut dari id, quod nocuit, id est, illud animal, quod noxam commisit, aut æstimationem noxæ; si igitur animal naturâ suâ mansuetum, gregatim pasci solitum; contra naturam damnum fecerit, v. g. equus calce percussit, bos cornibus animal vel hominem læsit, datur damnum passo actio adversus Dominum animalis, quod damnificavit, alternativè concepta, vel ad refusionem damni dati, vel ad tradendum animal noxæ. Quod si aliud animal non quadrupes, vel gregatim pasci non solitum, v. g. Canis damnum fecerit, non datur quidem directa actio ex verbis Legis duodecim tabularum, sed utilis. Quando animal facto hominis ad ferocitatem motum vel concitatum damnum intulit, cessat contra Dominum actio *de pauperie*, sed adversus concitantem est actio *Legis Aquiliæ.*

Quæres *decimo*: An qui damno dedit occasionem, ex damno teneatur?

℟. Qui occasionem damni dedit, damnum dedisse videtur, ita, si quis effoderit cisternam, nec cooperuerit eam, alteriúsque bos aut asinus in illam ceciderit, Dominus Cisternæ dabit pretium animalis, quod autem mortuum est, illius erit. *Cap. si quis. 2. cap. si egressus. 5. cap. olim. 7. de injur. arg.* L. *qui foveas. 28. ff. ad Leg. aquil.* secluso tamen pacto vel contractu ad restitutionem damni, quantumvis gravis, ex culpa levi vel levissima aut juridica præter intentionem illati, in foro conscientiæ ante Judicis Sententiam nemo tenetur. Ratio est: quia secluso peculiari pacto, nemo alterius damnum majori diligentiâ cavere obligatur, quam ordinariè homines ejusdem conditionis in simili materia proprium damnum præcavere consueverunt. Leges & Canones non obstant, cum loquantur de culpa in foro externo præsumpta, quæ præsumptio in foro Conscientiæ locum non habet, in eo enim veritas stat contra præsumptionem. Lex ergo Aquilia, dum culpa Theologica in actione damnificativa non intervenit, solum post Judicis Sententiam obligare probabiliùs dicenda est. Quod si quis jurato damna accepta remiserit, adhuc litis expensas, Juramento non obstante, exi-

gere potest; aliud enim est damnorum reparatio, quam satisfactio expensarum. *Cap. in nostra, 8. de injur.*

Quæres *undecimo*: An damni dans occasionem ad lucrum cessans quoque teneatur?

℟. *Affirmativè. Arg. cap. 1. de injur.* Si quis in rixa percusserit proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, si jacuerit in lecto, qui percusserit, operas ejus & expensas in medicos *restituat.* Damnum enim consequimur, & amisisse dicimur, quod aut consequi potuimus, aut erogare cogimur. L. *si servum. 33. ff. ad Leg. aquil.* unde lucrum cessans ex lege Aquilia parit actionem.

Quæres *duodecimo*: An licitæ sint repressaliæ?

℟. Repressaliæ latinè pignorationes dictæ, sunt litteræ, in quibus Princeps vel Respub. in subditis suis damnum passa, militibus suis vel subditis dat potestatem invadendi terras eorum, qui damnum intulerunt, & occupandi bona incolarum etiam innocentum, in illati damni compensationem. Hæ Repressaliæ in his licitæ sunt circumstantiis: *1mo.* Si dentur à Supremo Principe, qui Jus pacis & belli habet. *2do.* Si Princeps, cujus subditi damnum intulerunt, admonitus petitam præstare recuset satisfactionem. *3tio.* Si servetur moderamen, nec majus, quam fuerit illatum, damnum reciprocetur. Alias repressaliæ, in quibus unus præ altero gravatur, sunt illicitæ *Cap. un. de Injur. in 6.*

2do. Repressaliæ cæteroquin *justæ* ad personas Ecclesiasticas, neque ad earum bona sunt extendendæ, non obstante quâcumque contrariâ consuetudine, quæ potius abusus est, & Ecclesiasticæ immunitati repugnans corruptela. Imo qui tales Repressalias concedunt, vel ad ecclesiasticos extendunt, si intra mensem non revocent, & sint personæ singulares, excommunicationi; si universales, interdicto subduntur. *Cit. cap. un. de injur. in 6.*

TITULUS ULTIMUS.

DE

De duplici Purgatione, Canonica & vulgari.

POstquam Accusatio vel denuntiatio & inquisitio facta; si actor intentionem suam probare non potuerit, jura modum invenerunt, quo & diffamati consulatur honori, & læsorum provideatur indemnitati. Publico enim interest, ne persona diffamata maneat suspecta propter scan-

scandalum, & privati patiantur propter detrimentum. Utrique obviatur per Canonicam purgationem. Huic similem vulgus ad levia trahi solitum excogitavit, quam cum jure ecclesiastico vulgarem appellamus. De utraque brevem tractatum ad calcem operis pro Coronide subjicimus.

Quæres *primo*: Quid est purgatio Canonica?

℟. Est suæ ab objecto Crimine vel defectu aut macula innocentiæ ostensio, quæ iis, qui de crimine graviter diffamati & suspecti, accusatore, vel probationibus deficientibus convinci non possunt, à Judice competente indicitur. *Can. si legitimè. 12. can. nobilis. 15. can. si mala. 16. can. quoties. 17. caus. 2. q 4. cap. inter sollicitudines. 10. cap. accedens. 14. de purgat. Can.*

Quæres *secundo*: A quo purgatio Canonica indicenda?

℟. A competente Judice, id est, illo, qui de objecto crimine cognoscendi & judicandi habet potestatem, hinc etiam Laicis à Judice Ecclesiastico super delicto ad forum spirituale pertinente imponi potest. *Cap. nos inter. 6. de purgat. Can.* indicitur autem purgatio Canonica vel ad instantiam purgandi, qui quia de crimine aliquo malevolè infamatus, ultro se offert, & petit, ut sese purgare, sicque suam innocentiam demonstrare, sibi permittatur. *Cap. cum in juventute. 12. de purgat. Can.* vel ex officio Judicis personæ de gravi noxâ diffamatæ imponitur, dummodo, fide digna, nec suspicio sit, quod sit pejeratura. *Cap 1. de purgat. Can.*

Quæres *3tio*: Quid ad Canonicam requiritur purgationem?

℟. *1mo*: Ut purgandus apud bonos & graves viros de crimine publicè sit diffamatus. *Cap. cum dilectis. 15. eod. tit.* & talis debet esse infamiæ clamor, ut non à malevolis & maledicis, sed à providis & honestis adeo ascendat, ut diutius sine scandalo dissimulari, vel sine periculo tolerari non possit. *Cap. qualiter & quando. 24. de accusat.* vel ad minus suspicio aut gravis de admisso scelere præsumptio existat. *Cap. si quis. 4. de purgat. Can.* *2do.* Requiritur, ut crimen, de quo infamia circumfertur, notorium aut manifestum non sit, nec per accusatores aut testes probari valeat. *Cap. nos inter. 6. eod.* Si enim crimen usque adeo publicum fuerit & notorium, ut nullus inficiationi sit locus, utpote cujus universæ viciniæ populus testis est, reo non purgatio Canonica indicenda, sed in eum condemnationis sententia est promulganda. *Cit. cap. cum dilectis.*

Quæres *quarto*: Quæ forma purgationis Canonicæ?

℟. Purgatio Canonica hâc fieri debet formâ. *1mo*. Infamatus vel suspectus tactis sacris Evangeliis jurat se crimen objectum non perpetrâsse. *Cap. quoties. 5. de purgat. Can.* nec sufficit, quod sese à crimine immunem juramento interveniente asserat, sed positivè jurandum, quod v. g. post suam promotionem tale crimen non admiserit, nec etiam requiritur, ut Clericus

de incontinentia diffamatus juret, quod à nativitate sua nunquam passus fuerit lapsum carnis. *Cap. fin. eod. tit. Secundo.* Purgandus Compurgatores plures, vel pauciores secundum Judicis arbitrium, spectatâ qualitate personæ purgandæ, & gravitate criminis vel infamiæ, offerre debet. *Cap. inter sollicitudines. 10. cap. cum. in juventute. 12. de purgat. Can.*

Quæres *quinto*: Quæ compurgatorum qualitates & obligatio?

℟. 1*mo.* Compurgatores debent esse ingenui. *Can. nobilis. 15. caus. 2. q. 4.* boni ac vicini. *Can. omnibus 19. cit. caus. & q.* Purgatores illius honestatis & opinionis sint, quod verosimile sit, eos nolle amore vel odio, seu obtentu pecuniæ pejerare, & ut idonei appareant, necesse est, ut ejus, quem purgare debent, vitam & conversationem agnoscant. *Cap. cum manconella. 7. de purgat. Can.* Purgatores ab Ecclesia tolerati, bonæ famæ, in suis Ordinibus ministrantes, nec in Judicio pro crimine condemnati esse debent. *Cap. constitutus. 19. eod.*

2*do.* Compurgatores oblatos, Juramentum non quidem de veritate, sed de credulitate deponere oportet, quod videlicet credant veritatem eum dicere, qui purgatur, nec eum, quod objicitur, crimen admisisse, *Can. quoties. 17. caus. 2. q. 4. cap. de testibus. 13. de purgat. Can.*

Quæres *sexto*: Qualiter purgatio Canonica in crimine hæreseos instituenda?

℟. Formam hujus exprimit, *Cap. inter sollicitudines. 10. de purg. Can.* quando vulgata infamia, grave scandalum & vehemens suspicio ex testium dictis suboritur, quod Clericus in hæresin fuerit dilapsus, Judex Ecclesiasticus, licet contra eum nullus accusator legitimus appareat, ex officio, famâ publicâ deferente, plenius potest inquirere veritatem, & sic diffamatum non tantum ab officio, sed etiam à beneficio propter immanitatem criminis justè suspendit, eique purgationem Canonicam, ibi faciendam, ubi noscitur infamatus, imponit. Compurgatores autem, sive illi, qui ad ejus purgationem processerint comprobandam, sint fide Catholici & vitâ probati, qui vitam & conversationem purgandi non tam moderno tempore noverint quam transacto. Purgatione rei receptâ beneficium illi statim restituitur, si autem familiaritatem cum hæreticis habuerit, in pœnam ipsius ab officio manet suspensus, donec scandalum sopiatur, ita tamen, ut familiaritatem Hæreticorum abjuret. Insuper in locis infamiæ debet profiteri & prædicare fidem Catholicam, ac confundere & detestari hæreticam pravitatem, sic deinceps vitam suam bonis adornans moribus, ut infamia convertatur in bonam famam, & omne scandalum & suspicio de Catholicorum mentibus deleatur. Quod si in purgatione deficiat, nominatim excommunicatur, & ab officio & beneficio depositus ad agendam pœnitentiam, in arctum detruditur Monasterium.

Quæres *septimo*: Quis purgationis Canonicæ finis? ℟. Quia,

℟. Quia, ut dicitur in *Cap. qualiter & quando. 24. de accusat.* Clerici in officiis positi & præsertim Prælati, qui quasi signum positi sunt ad sagittam, omnibus complacere non possunt, cum ex officio suo teneantur non solum arguere sed etiam increpare, frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur, & ideo S.S. Patres & Canonum statuerunt Decreta, ut non facile accusatio contra hujusmodi admittatur. Verum ita voluerunt providere Prælatis, ne criminarentur injustè, ut tamen caverent, ne delinquerent insolenter. Cum igitur non raro fieri soleat, quod Ecclesiastici Viri diffamentur innocenter, & quidem tanto magis, quanto diligentiori curâ & majori districtione suæ incumbunt vocationi, salubriter provisum est, ut, si forte fama de eis mala feratur, coram suo Judice purgationem facerent Canonicam, quâ pusillorum sublatis scandalis, diffamatorum consuleretur innocentiæ, & nocentium, si in purgatione sui deficerent, absque dissimulatione punirentur delicta, & communis omnibus Ecclesia ab omni purgaretur infamiâ.

Quæres *octavo*: Quis purgationis Canonicæ effectus?

℟. Purgatione legitimè factâ purgatus liberatur ab infamia, declaratur innocens ac boni testimonii, & in pristinum statum restituitur, ideoque à suspensione absolvitur, si propter gravitatem infamiæ, donec se purgaret, suspensus fuerit, *Cap. si quis. 2. cap. inter sollicitudines. 10. de purgat. Can.* si in purgatione defecerit, habetur pro convicto. *Cap. de hoc autem. 11. cap. insinuatum. 13. de Simon.*

Quæres *nono*: An purgatus super eodem crimine accusari possit?

℟. *Negativè*: Nisi accusator suam, suorumque prosequatur injuriam, vel emergant nova commissi delicti indicia, vel nova superveniat infamia, aut accusator probet, quod purgatus pejeraverit.

Quæres *decimo*: Quid est vulgaris purgatio?

℟. Est demonstratio innocentiæ ex quasi usurpatione & observatione superstitiosa vulgi introductâ & à sacris Canonibus reprobata.

Quæres *undecimo*: Quot sunt purgationis vulgaris species?

℟. Sequentes. *1mo.* Per Monomachiam, sive duellum, quod accusatus cum accusatore inibat, in quo, qui occumbebat nocens, & qui vincebat, innocens habebatur. *2do.* Per aquam frigidam, quando suspecti de magiâ, colligatis manibus & pedibus, in aquam dejiciuntur, ut, si supernatent, nocentes existant. *3tio.* Per ferrum candens. *4to.* Per attactum cadaveris, si nempe in præsentia de homicidio suspecti, cadaver sanguinem emittat, illud commissi homicidii signum esse volunt. *5to.* Antiquitus fiebat purgatio per sumptionem Eucharistiæ, sub communione dicendo: Corpus Domini sit mihi hodie ad probationem.

Quæres *duodecimo*: An purgatio vulgaris licita sit vel unquam fuerit?

℟. *Gloss.*

R. *Gloss. in cap.* 1. *de purgat. vulg. verb. aliquatenus tolerare, inquit*, fabricante diabolo facta est vulgaris purgatio, ideo ab Ecclesia semper est rejecta & damnata fuit; 1*mo* quidem Monomachia. (*an. Monomachiam. 22. caus.* 2 *quæst. 4. cap.* 1. *& 2. de purgat. vulg.* quia per hanc DEUS tentatur, qui nunquam pollicitus est se duello innocentiam patefacturum, & innocens ob defectum virium, artis aut dexteritatis facile succumbet. 2*do.* Immissio in aquam ferventem aut frigidam Apostolicâ authoritate prohibetur severissimè per (*an. Mennam. 7. & Can. consuluisti. 20. caus. 2. q. 4.* 3*tio.* Contractus ferri candentis per *cit. Can. Mennam. & Can. consuluist.* rejectus est & interdictus, ubi hæc & alia popularis inventionis argumenta fabricante invidiâ ficta esse dicuntur. Judicium quoque ferri candentis, utpote quo DEUS tentari videtur, reprobat. *Cap. dilecti.* 3. *de purgat. vulg.* cum enim ferrum candens juxta vim naturalem tangentes adurat, intenditur, ut DEUS vim naturalem per miraculum impediat, in quo est manifesta divini Numinis tentatio. 4*to.* Cruentatio cadaveris occisi non caret superstitioso abusu, cum quandoque etiam in præsentia innocentissimi sanguinem ex cadavere occisi fluxisse docente compertum sit experientâ. 5*to.* Probatio per sumptionem Eucharistiæ de qua in *Can. sæpe 23. caus. 2. q. 4.* ob periculum irreverentiæ merito hodie in desuetudinem abiit, quamvis alias licitus fuisse probabilius sit, sicut *enim in* Juramento purgatorio licitè DEUS in innocentiæ testem invocatur, ita etiam CHRISTUS in Eucharistia præsens sine peccato in probationem sive innocentiæ testimonium invocari potuit. Quia igitur reprobata purgatio non facit fidem, ille qui se vulgari aquæ frigidæ aut ferri candentis Judicio purgavit, per aliam Canonicam purgationem innocentiam suam ostendere præcipitur in *Cap. tuarum.* 8. *de purgat. Can. junctâ Gloss. verb. non putantes.*

Finis Libri quarti.

IN-



INDEX TITULORUM ET PARAGRAPHORUM INSTITUTIONUM CANONICARUM.

QUæstiones præliminares Juris Canonici. *à pag. 1. uſq. 10*

LIBER PRIMUS.

DE

Perſonis Eccleſiaſticis.

TITULUS I.

DE

EPISCOPIS. *pag.* 10

§. 1. De dignitate Ordinis Epiſcopalis. 11

§. 2. De Munere & poteſtate Epiſcopali. 17

TITULUS II.

DE

SUMMO PONTIFICE. 21

TITULUS III.
DE
CARDINALIBUS. 27
TITULUS IV.
DE
ELECTIONE. 30
§. 1. De Electionis essentiâ & divisione. 31
§. 2. De formâ Electionis. 34
§. 3. Qui eligere possint. 37
§. 4. Qui eligere & eligi prohibeantur. 41
§. 5. De Actu electionis. 50
§. 6. De Electione per Scrutinium. 53
§. 7. De iis, quæ fiunt post electionem. 57
TITULUS V.
DE
POSTULATIONE PRÆLATORUM. 60
TITULUS VI.
DE
Translatione Episcopi. 63
TITULUS VII.
DE
Authoritate & usu Pallii. 67
TITULUS VIII.
DE
Vitâ & honestate Prælatorum. 70
TITULUS IX.
DE
Renuntiatione. 75
§. 1. De Renuntiatione in comuni. *ibid.*
§. 2. De Renuntiatione in specie. 82
TITULUS X.
DE
Degradatione & Depositione. 88
TITULUS XI.
DE
Officio Archi-Diaconi. 91
TITULUS XII.
DE
Archi-Presbyteris. 94
TITULUS XIII.
DE
Officio Vicarii. 96
§. 1. De Vicario Episcopi dato. 97
§. 2. De Vicario Capituli Sede vacante. 99
§. 3. De Vicario in divinis. 101
§. 4. De Vicariis Religionum. 103
TITULUS XIV.
DE
Officio Coadjutoris. 106
TITULUS XV.
DE
Sacerdotibus & Presbyteris in inferiori gradu constitutis. 109
§. 1. De Simplici Presbytero. *ibid.*
§. 2. De proprio seu Parochiali Presbytero. 103
§. 3. De functionibus Parochialibus. 119
TITULUS XVI.
DE
Iis, qui in Sacris & minoribus Ordinibus constituti. 124
TITULUS XVII.
DE
Ordinationibus. 128
§. 1. De eo, qui Ordines conferre potest. *ibid.*
§. 2. De iis, qui ordinari possunt. 132
§. 3. De qualitatibus Ordinandorum. 141
TITULUS XVIII.
DE
Beneficiis. 150
§. 1. De naturâ beneficiorum. *ibid.*

§. 2. De

§. 2. De Personis, quibus & à quibus beneficia conferri possunt. 161
§. 3. Quâ formâ & modo beneficia acquirantur. 173
§. 4. De modis, quibus beneficia amittuntur. 187
§. 5. De Actionibus & Judiciis beneficiariis. 193

TITULUS XIX.
DE
Regularibus. 196
§. 1. De Regularibus in communi. *ibid.*
§. 2. De Religionis ingressu. 202
§. 3. De Voto. 211
§. 4. De Professione Religiosa. 216
§. 5. De obligationibus Religiosorum. 227

APPENDIX
De Sanctimonialibus. 249

LIBER SECUNDUS.
DE
Rebus Ecclesiasticis.

TITULUS I.
DE
Sacramentis in genere. 249

TITULUS II.
DE
Baptismo. 251
§. 1. De diversitate, excellentiâ, & Institutione Baptismi. *ibid.*
§. 2. De essentialibus Baptismi. 255
§. 3. De Baptismi Cæremoniis. 263

TITULUS III.
DE
Sacramento Confirmationis. 268

TITULUS IV.
DE
Sacramento Eucharistiæ. 273
§. 1. De Nominibus Eucharistiæ. 274
§. 2. De ratione Sacramenti. 275
§. 3. De Transubstantiatione. 278
§. 4. De præsentiâ Christi. 279
§. 5. De susceptione Eucharistiæ. 281
§. 6. De Sacrificio Missæ. 285
§. 7. De Auditione Missæ. 287

TITULUS V.
DE
Sacramento Pœnitentiæ. 290
§. 1. De virtute Pœnitentiæ. *ibid.*
§. 2. De Sacramento Pœnitentiæ. 295
§. 3. De Confessione. 298
§. 4. De Contritione. 305
§. 5. De Satisfactione. 314
§. 6. De Ministro Pœnitentiæ. 321

**
*

APPENDIX
DE
Censuris Ecclesiasticis. 340

§. 1. De Censuris in communi. *ibid.*
§. 2. De Excommunicatione. 346
§. 3. De Suspensione. 353
§. 4. De Interdicto. 357
§. Ult. De Irregularitate. 362

TITULUS VI.
DE
Sacramento Extremæ Unctionis. 370

TITULUS VII.
DE
Sacramento Ordinis. 373
§. 1. Essentialia Sacramenti Ordinis. *ibid.*
§. 2. De Ordinandis. 376

TITULUS VIII.
DE
Sacramento Matrimonii. 381
§. 1. De Sponsalibus. *ibid.*
§. 2. De Matrimonio ùt est Contractus. 385
§. 3. De Matrimonio ùt Sacramento. 389
§. 4. De impedimentis Matrimonii. 391
§. 5. De obligationibus conjugum. 396

TITULUS IX.
DE
Rebus Ecclesiæ non alienandis. 398

TITULUS X.
DE
Peculio Clericorum. 402

TITULUS XI.
DE
Sepulturis. 407

TITULUS XII.
DE
Decimis, Primitiis, & Oblationibus. 411

TITULUS XIII.
DE
Religiosis Domibus & Capellis Monachorum. 417

TITULUS XIV.
DE
Jure Patronatûs. 421

TITULUS XV.
DE
Censibus, Exactionibus & Procurationibus. 424

TITULUS XVI.
DE
Consecratione Ecclesiæ vel Altaris. 428

TITULUS XVII.
DE
Ecclesiis ædificandis vel reparandis, earúmque immunitate. 434

LIBER

Et Paragraphorum.

LIBER TERTIUS.

DE *Judiciis Ecclesiasticis.*

TITULUS I.

DE

Judiciis. 438

§. 1. Quid & quotuplex Judicium. *ibid.*

§. 2. De Judicio Ecclesiastico. 445

§. 3. De Judicio Delegato. 450

TITULUS II.

DE

Procuratoribus. 462

TITULUS III.

DE

Pactis. 469

TITULUS IV.

DE

Transactionibus. 475

TITULUS V.

DE

Arbitris. 478

TITULUS VI.

DE

In Jus vocando sive Citatione. 483

TITULUS VII.

DE

Dolo & Contumacia. 486

TITULUS VIII.

DE

Libelli Oblatione. 490

TITULUS IX.

DE

Mutuis Petitionibus. 493

TITULUS X.

DE

Litis Contestatione. 497

TITULUS XI.

DE

Juramento Calumnia. 500

TITULUS XII.

DE

Dilationibus. 502

TITULUS XIII.

DE

Exceptionibus. 505

TITULUS XIV.

DE

Feriis. 507

TITULUS XV.

DE

Ordine Cognitionum & plus petitionibus. 510

TITULUS XVI.

DE

Causâ possessionis & proprietatis. 512

TITULUS XVII.

DE

Restitutione Spoliatorum. 516

TITULUS XVIII.

Ut lite pendente nihil innovetur. 521

TITULUS XIX.

DE

Probationibut. 523

TITULUS XX.

DE

Confessione, Prima probationum Specie. 526

TITULUS XXI.

DE

Testibus, & Attestationibus, Secunda Probationum Specie. 531

TITULUS XXII.

DE

Fide Instrumentorum, tertia probationum specie. 538

TITULUS XXIII.

DE

Præsumptionibus, quarta probationum specie. 543

TITULUS XXIV.

DE

Præscriptionibus, quinta probationum specie. 547

TITULUS XXV.

DE

Jurejurando, sexta probationum specie. 549

TITULUS XXVI.

DE

Sententia & Re judicata. 555

TITULUS XXVII.

DE

Appellationibus. 558

TITULUS ultimus.

DE

In integrum Restitutione. 566

LIBER

Et Paragraphorum.

LIBER QUARTUS.

DE

Causis Criminalibus.

TITULUS I.

DE

Accusationibus, Inquisitionibus, & Denuntiationibus. 569

§. 1. De Accusatione, *ibid.*

§. 2. De Inquisitione, 573

§. 3. De Denuntiatione. 577

TITULUS II.

DE

Simoniâ, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur. 581

TITULUS III.

DE

Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentiâ docendi. 589

TITULUS IV.

DE

Judæis & Saracenis. 592

TITULUS V.

DE

Hæreticis, Schismaticis & Apostatis. 596

TITULUS VI.

DE

Sortilegis, Maledicis, & Sacrilegis. 600

TITULUS VII.

DE

Homicidio voluntario & casuali. 605

TITULUS VIII.

DE

Adulteriis & Stupro. 609

TITULUS IX.

DE

Raptoribus, incendiariis, violatoribus Ecclesiarum, & de furtis. 613

TI-

Index Titulorum & Paragraphorum.

TITULUS X.

DE

Usuris. 617

TITULUS XI.

DE

Crimine falsi. 621

TITULUS XII.

DE

Injuriis & damno dato. 624

TITULUS ultimus.

DE

Duplici Purgatione, Canonicâ & vulgari. 628



REGULÆ
JURIS CANONICI
PER VARIAS QUÆSTIONES, ET
casus ex ipsis Regularum Visceribus resolutos
explicatæ

AB

Admodùm Reverendo & Eximio Domino
D. ANNONE SCHNORRENBERG,
CANDIDI ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS,
Ecclesiæ Steinfeldensis Canonico, in Alma Universitate Colonienſi SS. Theologiæ Doctore, Professore Ordinario & Publico, Examinatore Synodali & Collegii S. Norberti intra Coloniam Præside.

OPUS, JURIS UTRIUSQUE CANDIDATIS perquàm utile.

EDITIO ALTERA.

COLONIÆ,
EX OFFICINA NOETHENIANA,
Unter gölden Wagen. M.D.CC.XXXX.
Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis speciali.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO

In Commentarium AD Regulas Juris.



Ummi Pontifices Canonum Conditores Decretalibus suis Epistolis breves quasdam sententias, quas Regulas dixerunt, pro Coronide subjunxerunt, quibus, quæ singulariter statuerunt, universaliter complexa, quia ultimò dicuntur, meliùs memoriæ commendarentur; ideo verò hunc Ordinem observarunt, ut ostenderent, quod non ex Regula jus sumatur, sed ex Jure quod est, Regula fiat. *L.* 1. *ff de Reg. jur.* ne igitur Eximius Institutionum Canonicarum Author ejus videretur negligere Ordinem, cujus secutus fuerat Doctrinam, Institutionum operi succinctam Regularum Juris Canonici interpretationem subnectere voluit, quam, cum præfati juris scriberet Candidatis, ita temperavit, ut amputatâ tam sententiarum quàm verborum superfluitate, apertiorem redderet veritatem, & faciliorem traderet intellectum: utque ab universalibus rediret ad particularia & in Exemplis demonstratæ clarius caperentur Regularum sententiæ, eisdem casus speciales subjecit, quos quia inter domesticos parietes Collegii sui, cui præerat, Alumnis prælegit publico hucusque ut plurimum ignotos, illos sine invidia omnium communicamus notitiæ &, ut confidimus utilitati.

Si quid benevole Lector, justè & rectè sine defectu actum velis, Regulas has cape, & secundum veriorem earum intellectum operare, ac DEUM Dominum cœli & terræ Conditorem qui sine Regula & sine mensura infinitè justus & rectus sine Regula tamen nihil constituit, sed omnia ad Regulam exactissimè in numero, pondere & mensura disposuit, prudenter imitaberis, & optimam humanæque Societati perquam necessariam virtutem justitiam tractabis optimè Vale.

TRAC-

TRACTATUS CANONICUS

DE

Regulis Juris Pontificii.



Egulam Juris appellamus, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. *L. 1. ff. de Reg. Jur.* Sive est sententia generalis, quæ de variis rebus eandem rationem habentibus diversis legibus vel Canonibus jus constitutum brevis Orationis complectitur & proponit compendio. Exempla sunt: Aliqui Canones removent infames à beneficiis Ecclesiasticis, alii à Magistratu, alii ab officio Judicis, alii à munere Advocati, Notarii, &c. Repellunt eosdem, quæ jura diversis Canonibus statuta paucis verbis *Reg. 87. de Reg. Jur. in 6.* comprehendit: *Infamibus portæ non pateant Dignitatum.* Item aliæ leges fœmineum sexum ab officio Judicis, aliæ à tutela, aliæ à fidejubendo excludunt, quæ breviter in se una continet *Regula. 2. ff. de Reg. Jur. Fœminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ sunt.* Porrò Regulæ Juris Canonici in Quinto Decretalium undecim, in Sexto octuaginta octo sunt, quarum brevem in præsenti Tractatu dabimus explicationem.

R.D. Schnorrenberg in Reg. Jur. A DE-

DECRETALIUM LIB. V.

REGULA I.

Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.

CONcordat *Regula 35. ff. de reg. jur.* *Nihil tam naturale est, quàm eo genere quidve dissolvere, quo colligatum est, ideo verborum obligatio verbis tollitur, nudi consensûs obligatio contrario consensu dissolvitur.*

QUæres *primo.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Omnis res omnisque obligatio temporalis, per quascunque causas contrahitur, per easdem & dissolvitur; hujusmodi enim obligationes temporales sive contractus Contrahentium constituuntur consensu, & dissensu dissolvuntur. Sic sponsalia mutuo consensu ineuntur, & eodem rescinduntur. *Cap. praterea. 2. de sponsal.* Emptio & venditio pacisscentium consensu perficitur, & tollitur ante traditionem, & post traditionem eorundem per redditionem mercis & pretii consensu. *L. prout. 80. ff. de solut.*

Quæres *secundo.* Quæ ad hanc Regulam exceptio?

℟. Regula non tenet in Spiritualibus: sic Sacramenta Baptismi & Ordinis semel suscepta, sicut non iterantur, sic non remittuntur. *Gloss. ad Reg. verb. omnis res.* Matrimonium carnale mutuo consensu contractum non dissolvitur: quia si consummatum, Christi cum Ecclesia, per carnis humanæ assumptionem, significat conjunctionem. *Cap. si debitum. 5. de bigam.* Si verò ratum, unionem inter DEUM & hominem justum per dilectionem repræsentat. Matrimonium quoque spirituale Episcopi cum Ecclesia consentientium non dissolvitur dissensu; dubitari enim non debet, quin Omnipotens DEUS spirituale conjugium, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, suo tantùm judicio reservaverit dissolvendum. *Cap. inter corporalia. 2. de translat. Episcop.* Demum Regula in Religiosa habet exceptionem Professione.

CA-

CASUS.

Achatius cum Caja jurata contraxit sponsalia, quæ interveniente postmodum personarum displicentiâ mutuo dissolvunt consensu. (A) *Achatius* quidem per verba de præsenti ducit Semproniam, quam consummato matrimonio leprosam esse invenit, ad avertendam autem Achatii infectionem Sempronia consentit, ut eodem, quo matrimonium contractum erat, dissolveretur consensu. (B) Caja Titio simplici castitatis voto obstricto desponsatur, quia vi præsentis Regulæ ipsum voti obligationem à se excutere posse arbitratur. (C) *Achatius* dissoluto cum Sempronia matrimonio Religionem ingressus profitetur. (D) Postmodum instructus à Confessario, quòd attentata matrimonii dissolutio nulla sit & invalida, facti pœnitens ad Sæculum redit. (E) Semproniâ leprosâ interim mortuâ peregrinationem ad limina Apostolorum suscipiens domum cum agris & possessionibus sine custode & administratore relinquit, quæ proin tanquam derelicta Nepos ejus occupat, & velut propria possidet. (F) Romæ à summo Pontifice ad Episcopatum promotus, inclinatâ jam ad finem ætate pro satisfactione peccatorum strictiorem Cistercienſium Ordinem ingreditur. (G)

RESOLUTIO.

(A) *Achatius* & Caja sponsalia de futuro, adinstar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, licitè mutuo dissolvunt consensu per *Regulam & Cap. 2. de sponsal.* Nec obstat adjectum sponsalibus juramentum, cùm illud in hoc passu contractui accessorium naturam sequatur principalis.

(B) Matrimonium validum est, quamvis Sempronia scienter cum lepra contrahendo gravem commiserit deceptionem, ideóque ex parte Achatii ad divortium agi valeat. *Cap. fin. de conjug. leprof.* Matrimonialis tamen vinculi in vim præsentis Regulæ absque effectu attentata fuit dissolutio.

(C) Similiter Caja Titio castitatis voto obligato ineptè *Regulam* applicat; licèt enim universis liberum sit arbitrium in vovendo, usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut sine propriæ salutis dispendio alicui non liceat resilire. *Cap. licet. 6. de voto.*

(D) Quanquam Regula matrimonii non operetur dissolutionem, Achatius tamen validè professus est. *Arg. cap. ex parte. 9. cap. consuluit. 10. de convers. conjugat.* Cùm in hoc casu Sempronia viro suo omnem, quam potuit, licentiam ad Religionem convolandi dedisse sit existimanda.

(E) *Achatius* propriâ authoritate monasterium deserere, & ad Sæculum redire nequibat, sed formam *à Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 19.* contra Pro-

 fessionem

fessionem reclamare volentibus præscriptam observare debebat. Nec Regula ei suffragatur, cùm nec ipse, nec Religionis Superior per vota factam DEO obligationem remittendi habeat facultatem.

(F) Si Achatius bona sua adhuc possidere poterat, ea sine custode & administratore quasi vacua deserendo, illorum amisit possessionem; hìc enim subintrat *Regula cum Gloss. in eand. verb. omnis res.* Nam sicut acquiritur possessio animo & corpore. *L. possideri. 3. ff. de acquir. vel amitt. possess.* Ita quoque amittitur, si in ea utrumque in contrarium actum est. *L. quemadmodum. 8. ff. ibid.* dicitur: *Si possidere adhuc poterat:* quia suppositâ Religiosæ Professionis validitate bona *Achatii* cum proprietate & possessione ad monasterium transiêrunt conformiter *Reg. 42. de Reg. Jur. in 6. Accessorium naturam sequi congruit principalis.*

(G) Episcoporum translatio, depositio & cessio soli Rom. Pontifici noscitur esse reservata. *Cap. inter corporalia. 2. de translat. Episcop.* Quamvis igitur Episcopus pennas habeat, quibus satagat in solitudinem Religiosam avolare, ita tamen strictæ sunt nexibus præceptorum, ut liberum non habeat absque Papali permissione volatum. *Cap. nisi cum pridem. 10. de renunt.*

REGULA II.

Facta, de quibus dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretamur.

QUæres *primo.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Quando actiones ita sunt indifferentes, ut bono vel malo animo aut intentione fieri valeant, & dubium, an animo bono vel malo factæ fuerint, eas in partem meliorem interpretari oportet, judicando scilicet, quòd bono intentionis oculo sint exercitæ, conformiter monito Christi: *Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini. Matth. 7.*

Quæres *secundo.* Quæ hujus Regulæ ratio?

℟. Lex charitatis dictat, quemlibet innocentem & bonum habendum, donec malus esse probetur; cùm enim homo naturâ suâ sit bonus, jus ad famam & bonam habet existimationem, donec criminis reus appareat, aut probetur.

Quæres *tertio.* Quæ à Regula exceptiones?

℟. *1ma* est: Pro securitate sua res proprias quilibet ita custodire potest, ac si proximus malus esset, v. g. hominem peregrinum hospitio excepturus cistas observandi libertatem habet, cùm cautela hæc rerum propriarum amore, earúmque

rúmque conservandarum studio adhibeatur, absque eo, quòd fur temere judicetur excipiendus, aut de eo siniſtra concipiatur opinio.

2da: quando exterior in se mala est operatio, eam pravo animo factam esse judicare licet, quia in maleficiis animus non præsumitur; quod enim scriptum est: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, ùt stuprum, blasphemiæ, furta, ebrietates & similia, de quibus nobis judicare permittitur. *Cap. estote. 2. de reg. jur.*

CASUS.

Bertulphus Caupo Gallicus proles suas, quoties Titia à majori & saniori communitatis parte pro saga habita domum ejus ingreditur, occultè cruce signat. (A) Germano peregrino vinum promere recusat, eò quòd Nationem Teutonicam potationibus & ebrietatibus assuetam esse audiverit. (B) Servum & ancillam nunquam sine tertio collaborare permittit. (C) Quo servus offensus herum suum in juventute parum valuisse judicat, cùm modò sit tam suspiciosus. (D) Unde hero diu noctúque invigilat, quem tandem circa medium noctis ex horreo vicini maldero tritici onustum prodire conspicit, ideóque eum furem esse proclamat. (E)

RESOLUTIO.

(A) Consensus sive sententia majoris & sanioris partis de communitate actum facit legitimum. *Cap. quia propter. 42. de elect.* Unde Bertulphus ob suspicionem magiæ in majorum & saniorum de communitate judicio fundatam proles suas occultè per signum Crucis contra veneficium muniendo non peccat.

(B) Non quadrat hìc Regula 80. *In toto partem non est dubium contineri.* Hæc enim de partibus, quæ ejusdem omnino sunt rationis, eandémque in omnibus participant naturam, intelligenda est, quamvis autem quilibet Germanus in Germanorum continetur Natione, attamen Germani, sicut & Galli, in moralibus differunt: de Natione Gallica fertur proverbium, quòd sicut Germani potui, sic illa sit addicta Veneri, sicut ergo ex hoc, quòd Natio Gallorum ad Venerem dicatur esse proclivis, vitiosè infertur per distributionem, ergo & hic, & iste, & ille Gallus luxuriosus est, ita quoque ebriositas Nationi Teutonicæ adscripta de quolibet in particulari ineptè asseritur. Quapropter contra *Regulam* Bertulphus deliquit.

(C) Sicut Paterfamilias res suas ita custodire & recludere potest, ac si domus furibus plena foret, absque eo, quòd quenquam suorum furem esse judicet, ita laudabiliter solitarias conventiones servum inter & ancillam prohibendo de

nullo eorum crimen præsumit, sed omnem, quæ fragilitati intervenire posset, levitatis occasionem præcavere studet, sicóne *Regulæ* optimè sese conformat.

(D) Servus herum judicando contra *Regulam* impingit; non enim suspicione criminis commissi aut committendi eum herus ab ancilla separat, cùm utrumque probum esse judicet, sed omne periculum, quod in liberiori conversatione etiam probissimo imminet, removere satagit. Nec ex hoc sequitur eum in juventute incontinentem, sed potiùs castum & temperantem fuisse, cùm ex juventute præsumatur vita senectutis. *Cap. cum in juventute. 15. de præsumpt.*

(E) Servus quidem hero ex infundata criminis suspicione invigilando peccavit, veruntamen postquam eundem tempore nocturno ex horreo alieno triticum auferre vidit, violentam & certam furti suspicionem habebat, ex qua sententia sine peccato ferri poterat. *Arg. cap. litteris. 12. de præsumpt.* Quia autem crimen occultum erat, ipsum ùt furem proclamando, gravem detractionem commisit.

REGULA III.

Utiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.

QUæres *primo*. Quid est scandalum? R. Est operatio, vel operationis omissio, quâ spiritualis ruinæ sive peccati proximo præbetur occasio. Dividitur in scandalum activum & passivum. Activum seu datum est externa actio, vel omissio minùs recta, ex se mala & prohibita, aut saltem mali præ se ferens speciem, proximo ruinæ spiritualis præbens occasionem, quod vel fit directè, ùt si ex intentione alterum in peccatum inducendi scandalosa exercetur operatio, ùt quando quis proximum jussu, consilio, suasione, litteris amatoriis ad peccatum pellicit, & tunc non solùm contra charitatem, sed etiam contra virtutem, quam scandalizatus offendit, delinquitur, ideóque in sacro Tribunali, in qua materia proximus fuerit scandalizatus, semper est exprimendum. Vel fit indirectè, absque intentione positiva in peccatum inducendi. V. g. Actio coram aliis exercetur, quæ ex natura sua peccandi ansam præbere potest, sic puella ex levitate immodestum gerens vestitum, quamvis alios in peccatum trahere non intendat, indirectum tamen committit scandalum, quia prævidet, vel prævidere potest, quòd proximus ex tali ornatu in peccatum facilè sit pertrahendus. Scandalum passivum sive acceptum est actio ex se bona, nec mali speciem habens, ex qua alius delinquendi sumit occasionem, ùt si mulierecula in Ecclesiis fre-

frequentiùs & attentiùs orat, ex quo aliqui eam sagam esse judicant. Scandalum hoc passivum vel est ex malitia alterius, & tunc Pharisaicum appellatur; quia Judæi in actionibus Christi & Apostolorum mali speciem non habentibus peccandi sumebant occasionem; vel est scandalum passivum ex fragilitate alterius, & tunc pusillorum dicitur scandalum, si nempe proximus ex opere bono vel indifferente spiritualis ruinæ ansam accipiat ob fragilitatem vel ignorantiam, eò quòd illicitum aliquid existimet, quod nullo reperitur jure prohibitum.

Quæres *secundo*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Scandalum passivum potiùs permittendum, quàm actione peccaminosâ vitæ honestas & integritas destruenda vel minuenda, vel breviùs & clariùs: nunquam peccare licet ad vitandum aliorum scandalum.

Quæres *tertio*. Quæ veritas ob scandalum non est deserenda?

℟. *Cum Gloss. in hanc Reg. verb. Veritas.* Veritas triplex est: Veritas justitiæ, sive æquitas Judicis in bonis præmiandis, & malis puniendis. Veritas vitæ, sive rectitudo conscientiæ. Veritas disciplinæ, seu cura Prælati aut Superioris, ut à subditis omnia debito ordine & modo præstentur, & immorigeri corrigantur. Addere possumus quartam: Veritas doctrinæ, vel cum sacra Theologia doctrinæ conformitas. Veritas vitæ vel conscientiæ nunquam est deserenda; nunquã enim facienda sunt mala, ut eveniant bona, vel mala majora cv tentur. Veritas disciplinæ quandoque propter scandalum licitè deseritur, dum Prælatus disciplinæ rigorem temperat aut remittit, quia subditi magis exacerbantur, & deteriora timentur. Veritas quoque justitiæ quandoque in pœnæ mitigatione aut condonatione absque peccato remittitur. Demum Veritas doctrinæ quandoque prudenter celatur, dum Concionator vel Catechista doctrinam illam non proponit, quæ pusillis & infirmis peccati dare potest occasionem.

Quæres *quarto*. An ergo nunquam licitum est scandalum?

℟. Sub distinctione: Scandalum activum, quo proximus vel expressè, jussu, aut consilio, vel tacitè actionis peccaminosæ coram illo exercitæ pravo exemplo ad peccandum inducitur, nunquam licet, quod satis indicant verba Domini. *Matth. 18. Væ homini, per quem scandalum venit.* Ratio est: quia proximum in malum maximum, æternæ videlicet salutis periculum vel peccatum inducere Christianæ charitati non repugnare non potest. *2do*. Scandalum passivum non solùm Pharisaicum, sed etiam pusillorum potiùs permittendum est, quàm actio, quæ nec mala est, nec mali præfert speciem, omittenda, si eam non omitti vel propria vel aliena poscat necessitas; sic Pastor in Concione justè in peccatores invehitur, quamvis paucos ex invectiva non emendandos, sed exasperandos prævideat. Ita etiam licet cooperari proximi peccato materialiter solùm exhibendo objectum, aut ministrando materiam, ùt petere mutuum, quod mutuans sine usuris non est daturus, suscipere Sacramentum ab illo, qui idipsum sacrilegè mi-

ministrabit, dummodò hæ concurrant conditiones : *1ma.* Si actus cooperationis in se moraliter bonus sit, aut indifferens. *2da.* Si non fiat ex intentione ad peccatum alliciendi. *3tia.* Si cooperans peccatum, ad quod materialiter concurrit, ex officio impedire non teneatur, & adsit causa necessitatis vel utilitatis, ob quam peccatum proximi permittitur, & non impeditur.

3tio. Ad cavendum scandalum passivum actio ex se bona & indifferens est omittenda, quando nec aliena, nec propria illam exigit necessitas. Ratio est: quia cùm in tali casu spirituale proximi detrimentum sine incommodo nostro impedire possimus, ad id ex charitatis lege tenemur; quemadmodum si per omissionem actionis aliàs licitæ & honestæ absque ullo damno meo fratris spiritualem ruinam, quam per accidens eidem obventuram prævideo, avertere possem, procul dubio ad omissionem hujusmodi actionis ex præcepto charitatis obligarer.

CASUS.

Christophorus Cœnobii Virginum Nobilium Abbas relaxatam in eo clausuram introducere studet, sed Monialium & Nobilium Consanguineorum pro libertate, ùt ajunt, suarum filiarum decertantium graves oppositiones & tumultus pertimescit, ideóque bonæ suæ intentionis in aliud tempus differt executionem. (A) Dum igitur tempus commodum exspectat, Caja filia nobilis in eodem monasterio debitè admissa ex joco habitum induit, quem postea usque ad tempus professionis Christophoro Abbate sciente & tolerante seriò portat. (B) Mortuis autem duobus Monialium libertati maximè faventibus Nobilibus Abbas summo zelo ad clausuræ introductionem accingitur, quo conterrita Titia Monialis ad Consanguineos in partes Hollandicas aufugit, quam Abbas reducere conatur. (C) Cùm autem Clausuram jam introduci cœptam audiret, ad suum monasterium redire renuit, sed in aliud similiter non clausum transferri petit. (D) Annuit Abbas, qui Clausurâ jam perfectè introductâ à juniori Moniali interrogatus, an & quale peccatum esset, indies bibere herbam Thee, respondit, malum esse cum excessu hanc *herbam* bibere. (E) Postquam Theæ abusum per triennium dissimulâsset Abbas, eum quâdam die graviter pro futuro prohibuit, flentibus, & tanto fulmine penè enectis Monialibus. (F)

RESOLUTIO.

(A) Laudabilis est Christophori pro Clausura introducenda zelus; est enim conformis *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 10.* Ubi Sanctimonialium Superioribus sub obtestatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis æter-

æternæ præcipitur, ut in omnibus monasteriis Clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè procurent, inobedientes atque contradictores per censuras Ecclesiasticas aliásque pœnas, quâcunque appellatione postpositâ, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Quapropter gravissimè peccant non tantùm Moniales, sed etiam quicunque earum Fautores, si optimæ Abbatis intentioni sese opponere præsumant. Ipsi autem Monialium parentes & consanguinei Nobiles tumultus & oppositiones ex solius Nobilitatis capite foventes specialiter notent, quòd *Trident. loc. cit.* ipso facto excommunicet omnes Magistratûs Sæculares auxilium Superioribus Ecclesiasticis pro Clausuræ reparatione denegantes, videant, an non ipsi in horum numero comprehendantur, eò quòd non tantùm auxilium negent, sed etiam arma Monialibus contra Superiores suos subministrent, & capita rebellionis existant. Ad evitanda autem majora mala per Regulæ præsentis intellectum rectè disciplinæ æquitatem temperando Abbas ad tempus Clausuræ differt introductionem.

(B) Quamvis Novitii ad habitum receptio ad immediatum cujuslibet monasterii Prælatum pertineat, *cap. ad Apostolicam. 16. de Regular. cap. fin. eod. in 6. junct. gloss.* in præsenti tamen congruenter *Regulæ* ab Abbate simplicitati Cajæ conniveri, eaq; in habitu taliter susceptò relinqui, & absoluto probationis anno ad Professionem Religiosam admitti potest.

(C) Justè post mortem Fautorum *Christophori* zelum resumit disciplinæ. Interim Titia fugitiva sine ulla dissimulatione reducenda, & secundùm Ordinis sui statuta, quòd obedientiæ se subtraxerit, punienda est. *Cap. non est vobis. 2. cap. ne Religiosi. fin. de Regular.*

(D) Infirmitati Titiæ condescendi, & æquitas disciplinæ ita temperari potest, ut ad aliud monasterium non clausum translata, nec sibi, nec aliis Monialibus in Parthenone jam Clausurâ munito deinceps scandalum creet, aut inquietudinem, *Arg. cit. cap. ne Religiosi. fin. de Regular*

(E) Per *Regulam* nostram prudenter respondit Abbas Moniali fortè magis ex curiositate, quàm veritatis amore interroganti; Monialium enim animus ex recenti Clausuræ introductione adhuc saucius, nec ad quamvis perfectionis & disciplinæ particulam dispositus per enumerationem peccatorum, quæ in abusu herbæ Thee intercurrere solent, nec unâ die tolli possunt, magis percutiendus non erat.

(F) Postquam sacratæ DEO Virgines per toleratam triennii spatio Clausuram ad majus perfectionis studium paulatim accensæ erant, benè ipsis veritas abusuum, qui in quotidiano Theæ usu rarò absunt, explicatur; fovet enim confabulationes, & silentii contemptum, otiositatem, æmulationes, superfluitates & voti paupertatis transgressiones, præsertim in sexu fragili, muliebri huic potui plùs, quàm vino & siceræ addicto.

cto. Præcepto igitur justo obediendum est. Verùm cùm malum istud ubique ferè in Monialium Claustris fortiter radicaverit, Achilles erit Abbas ille, qui hoc totaliter eradicaverit.

REGULA IV.

Quod non est licitum in lege, necessitas licitum facit.

QUæres *primo*. Quid & quotuplex est necessitas?

℟. Necessitas est vis aut circumstantia, quæ ita actionem, vel ejus omissionem inducit, ut aliter fieri non possit. Necessitas alia est moralis, alia absoluta; hæc actionem vel omissionem illius ita inducit, ut aliter simpliciter, ad minus secundùm cursum ordinarium fieri nequeat: moralis ita actionis exigit positionem, ut aliter absque difficultate poni non valeat, & quidem si absque vitæ periculo aliter fieri non possit, est necessitas extrema, si sine magno honoris, famæ, bonorum fortunæ, est necessitas gravis, si sine labore aut molestia communiter accidere solita, communis appellatur.

Quæres *secundo*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Urgente morali necessitate communiter licitæ & honestæ sunt actiones, aut omissiones, quæ lege positivâ, sive humanâ sive Divinâ prohibitæ existunt.

Quæres *tertio*. Quæ Regulæ ratio?

℟. Omnis lex ad communem hominum salutem & prosperitatem ordinatur, & lex in tantum vim & rationem legis obtinet, secundùm quod verò ab hac ratione deficit, virtutem *obligandi* non habet; non est autem ad *commune* semper bonum, quòd lex positiva cum magno subditos obliget detrimento; & inde oritur, quòd necessitas legi non subjaceat, & quod non est licitum in lege, licitum faciat necessitas. Exemplum Regulæ est: Judæis præcepto Divino diem Sabbathi sanctificare incumbebat, & tamen Machabæi bello urgente sine culpa in Sabbatho pugnârunt, sic & hodie si quis jejunium frangit ægrotus, violati jejunii reus non habetur.

Quæres *quarto*. Quæ necessitas à lege excusat?

℟. *1mo*. Actionem quocunque jure jure & lege, sive naturali, sive Divinâ, sive humanâ prohibitam necessitas absoluta licitam facit. Colligitur *ex cap. sacris, 5. de his quæ vi, &c.* Ratio est: quia prædicta necessitas voluntarium & liberum ad formalem peccati rationem requisitum non relinquit: sic cujus manus ad thus Idolo immolandum violenter excutitur, contrà Legem Divinam non peccat: qui detentus in carcere Sacrum non audit, qui non habens copiam Confessarii, annuam omittit

tit Confessionem Ecclesiæ legem non violat.

2*do.* Actionem Jure naturali illicitam nulla necessitas moralis etiam extrema cohonestat; quia hoc Jure illicita intrinsece & essentialiter mala sunt, ideoque nullo casu bona vel honesta evadere possunt: sic nullum perjurium aut mendacium ex quacunque necessitate morali licitum fieri potest, *Can mihi 22. can. si quis. 17. caus. 22. q. 2.*

3*tio.* Actio solâ lege positivâ, sive divinâ sive humanâ prohibita, aut præcepta per necessitatem moralem tam extremam, quàm gravem communiter fit licita. Ita infirmus, vel inopiâ laborans carnes tempore interdicto sine culpa manducat. *Cap. consilium. 2. de observat. jejun.* Ratio est: quia quamvis Legislator maximè divinus ad legum suarum observantiam cum quovis fortunarum, famæ & vitæ periculo absolutè obligare valeat, attamen ordinariè humanæ sese accommodat fragilitati, & in tantum nostræ imbecillitati condescendit, ut obligare non velit cum manifesto vitæ periculo & notabili bonorum detrimento.

4*to.* Lex positiva etiam humana, non obstante extremâ necessitate morali, in duobus casibus adhuc obligat: 1*mus.* Quando bonum publicum etiam in extremæ necessitatis articulo legis exigit observantiam, ita Confessarius sigillum Sacramentale etiam in extrema necessitate violare nequit. Parochus tempore pestis, ut propriæ vitæ consulat, oves deserere non potest. Miles ad evadendum periculum à statione recedere non debet. Ratio est: quia commune animarum, communitatis & exercitûs bonum, famæ, bonis fortunæ & vitæ hominis privati multum præponderare non dubitatur. 2*dus.* Si transgressio legis positivæ in ipsius legis aut potestatis legislativæ contemptum, vel in fidei aut Religionis cedat detrimentum; in tali enim casu intrinsecè mala, & jure naturali prohibita est legis transgressio, Jus quippe naturæ potestatem publicam & Religionem bono privato odit, vetátque postponi.

5*to.* Ab observantia legis positivæ communis non excusat necessitas; si enim ob eam legem transgredi liceret, vilesceret legis authoritas, & quilibet in quovis occurrente casu exlegem sese facere præsumeret.

CASUS.

Dunstanus cum consanguinea sua in tertio gradu voti solvendi causâ ad sepulchrum Domini mari proficiscitur, in via autem tota navis à Navarcho Catholico Pyratis Turcicis prodita traditur, (A) In servitute ergo *Dunstanus* constitutus indies carnes comedit (B) Consanguineam concaptivam gravi mortis metu adactus uxorem ducit. (C) Prolem ex ea suscitatam, ne perversa à Turcis æternum periret, legitimè baptizatam, de consensu matris aquis præfocat. (D) A Domino in civitatem missus, & â latronibus impetitus obvium Turcam ex equo dejecit, ejusque beneficio mortis periculum

evasit. (E) Indies crudeliter vapulat, ut ad Sectam Mahometanam pertrahatur. (F) Miseriis tandem victus, herum de nocte jugulat. (G) Ablataque multâ pecuniâ cum uxore fugit. (H) In via ne pro Catholico agnitus retraheretur, in omnibus Cæremoniis & actibus se Turcam esse simulavit. (I)

RESOLUTIO.

(A) QUi Turcis & Saracenis arma ad impugnandos Christianos aliaque necessaria subministrant, ipso facto excommunicati existunt. *Cap. quod olim. 12. de Juda. & Saracen.* Quâ pœna perfidum Navarchum nomine Christiano gloriantem, eo tamen ob sævam cupiditatem indignum perstringi non dubitamus; quantum enim Catholicæ fidei hostibus accresceret auxilium, si integras eis naves prodere impunè liceret?

(B) Per *Regulam* à præcepto jejunii liberatus est *Dunstanus*, cum non subjaceat legi necessitas. *Cap. consilium. 2. §. de festivitate. de observat. jejun.* Nisi carnes in fidei præcipiantur manducari contemptum; tunc enim intrinsecè mala & Jure naturali vetita est carnium comestio, cùm honor Religionis bono privato, imò & vitæ ipsi sit præponendus.

(C) Si cum vero interno consensu, quantum ex parte sua poterat, contraxit, seu verba consensus sinè animo consummandi protulit non peccavit. *Arg. cap. un. de desp. imp. in 6.* Ubi matrimonium inter impuberes contractum, licèt irritum, nihilominus non reprobatur tanquam inhonestum & illicitum, atque ita per præsentem Regulam lex prohibens hujusmodi Matrimonia in casu metûs non obligat in conscientiâ ad non contrahendum; nihilominus Matrimonium est & manet invalidum, & ideo peccavit consummando, quia vis irritandi non enervatur per metum. Alioquin illum incutientes ex sua malitia reportarent lucrum, nec satis provideretur innocentibus seu metum passis; insuper illuderetur præceptis Ecclesiæ, quæ talem actum volunt esse nullius roboris.

(D) Ptolem, ne perverteretur, aquis præfocando gravissimè deliquit; non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona, neque nostro peccato alienæ saluti consulere debemus. *Can. faciat. 15. caus 22. q. 2.*

(E) Per *Regulam* equum alienum rapere, eóque fugere poterat, extrema námque necessitas jus ad quæcunque vitæ propriæ conservandæ media & auxilia tribuebat. Extra periculum tamen constitutus equum, si valebat, domino restituere debebat.

(F) Non tantùm cruciatus & verbera, sed & ipsam mortem perpeti potiùs *Dunstanus* tenebatur, quàm fide Catholicâ ejuratâ Mahometanam perfidiam amplecti, plus est enim anima diligenda, quàm corpus. *Arg. Can. si quis coactus. 3. caus. 22. q. 5.*

(G) Nisi vitæ propriæ tuendæ causâ, & cum moderamine inculpatæ tutelæ Dominum occiderit, homicidii reus est *Dunstanus Arg. cap. interfecisti. 3. de homicid.* ubi describitur pœnitentia latronem occidentis, cùm aliter sese liberare posset.

(H) Per *Regulam* à furto, dum pecuniam secum sumpsit, excusatur, siquidem necessitas eam partim communem faciebat, partim quoque in mercedem præstiti servitii veniebat. (I)

(1) Simulatio illa externa est publica Sectæ Mahometanæ professio, & exterior à vera fide apostasia, quæ nullo casu, cùm sit essentialiter mala, licere potest. Colligitur ex *cap. contra Christianos. 13. de hæret. in 6.* Ideóque & pœnas Apostatantium à fide incurrit.

REGULA V.

Quod latenter, aut per vim, aut aliàs illicitè introductum est, nullâ debet stabilitate subsistere.

QUæres. Quis hujus Regulæ sensus? R. Quod dolosè, & in occulto, per vim & metum, aut contra prohibitionem juris factum, si non est invalidum, est tamen infirmum. Ratio est: quia dolus, metus, clandestinitas, prohibitio legis in pœnam dispositiones aut contractus non faciunt ipso jure irritos, ita, ut vim, metum, vel dolum passus, si contractui stare velit, pars altera, quæ metum intulit, obligetur. Attamen similes dispositiones infirmæ sunt, & rescindibiles, nec juramento confirmabiles. Valent ergo, nisi juris dispositione ipso facto irritata reperiantur. Quorum exempla sunt: *1mo.* Matrimonium clandestinum, aliter quàm coram proprio unius contrahentium Parocho, aut ex ejus commissione coram Sacerdote, & duobus testibus contractum, ipso facto irritum est & invalidum. *Trident. Sess. 24. de reform. matrim. cap. 1. 2do.* Matrimonium mortis aut alterius gravis mali metu ad hoc injustè incusso extortum (idem est de spirituali sacræ Professionis matrimonio) ipso jure nullum est. *Cap. cùm locum. 14. cap. veniens. 15. de sponsal. 3tio.* Alienatio rei Ecclesiasticæ immobilis, vel pretiosæ sine consensu Capituli celebrata est invalida. *Cap. tua nuper. 8. de his, quæ fiunt à Prælat. &c. 4to.* Sponsalia ex dolo vel metu contracta (idem est de aliis contractibus) sunt quidem valida, sed infirma, & judiciariâ rescindibilia authoritate.

CASUS.

Eulogius Ecclesiæ Cathedralis Decanus adstipulante Imperatore in Episcopum à majore Capituli parte, Seniore & Præposito contradicentibus electus. (A) Ditionis Capitularis Administratorem amovit. (B) Capitulo amotioni sese opponente, cum hac conditione Administratorem toleravit, si neptem

ejus in uxorem duceret. (C) Annuenti Administratori dixit: vade, & clàm cum nepte mea conjungere, quo factum, ut Administrator coram Parocho & solo germano fratre contraheret. (D) Pro dono nuptiali *Eulogius* Administratori argenteam Ecclesiæ crucem, quam propter operis antiquitatem oderat, cum hoc tamen onere dedit, ut Ecclesiæ aliam secundùm novissimam formam parari curaret. (E) Administratoris filiam consanguineam suam, quia lusca erat, monasterium intrare compulit. (F) Valetudinarium Capituli seniorem beneficium in favorem sui Sacellani sub annua pensione resignare coëgit. (G)

RESOLUTIO.

(A) *Eulogium* à majori parte electum esse non sufficit, siquidem & major & sanior pars ad Episcoporum requiritur electionem. *Cap. quia propter. 42. de elect.* Majorem partem numerus, saniorem eligentium constituit authoritas, hanc habent, qui alios dignitate, ætate & tempore præcedunt. *Cap. dudum. 22. de elect.* Unde ex hoc capite *Eulogii* non tenebat electio. Deinde dubium est, an electio non sit celebrata per abusum sæcularis potestatis; licèt enim Imperatori *Eulogium* ad Episcopatum recommendare liceret, si tamen per se, vel per suos electioni interfuit, ut sic eligentes per propriam aut Legati sui præsentiam ad *Eulogium* eligendum cogeret, absque dubio electio facta est per abusum potestatis sæcularis, quæ proinde invalida, & *Eulogius* eidem consentiens ad dignitatem ineligibilis est. *Cap. quisquis. 43. de elect.* Quando autem electio per sæcularis potestatis abusum celebrari dicatur, pulchrè docet *Fagnan. in cit. cap. quisquis. n. 12. & seqq.*

(B) Etiam suppositâ electionis validitate, *Eulogius* nihilominùs sine consensu Capituli Administratorem amovere nequibat; Episcopus enim & Capitulares unum corpus sunt, ita, ut iste *caput*, *hi* membra existant, non decet autem caput omissis membris, aliorum consilio in suæ Ecclesiæ negotiis uti. *Cap. novit. 4. cap. tua nuper. 8. de his, quæ fiunt à Prælat.*

(C) Deficiente Capituli in amotionem Administratoris consensu *Eulogius* cum præfatæ conditionis onere gravare non poterat, quamvis conditio alioquin turpis non esset.

(D) Malè Administrator *Eulogium* intellexit, cujus verba, cùm dubia sint, juxta *Regulam secundam* hìc in meliorem partem, seu pro valore matrimonii explicanda erant. Unde per Regulam præsentem & ordinationem *Trident supra cit.* matrimonium invalidum est, & nullius roboris, cùm substantialiter clandestinum esse non ignoretur.

(E) Rursus impegit contra *Regulam Eulogius* crucem auream propter antiquitatem non odibilem, sed venerabilem & pretiosam donando; Prælatis enim omnis alienatio rei immobilis, aut mobilis pretiosæ, quæ, ùt loquuntur Canonistæ, servando servari potest, interdicitur

terdicitur *cap. nulli. 5. cap. si quis Presbyterorum. 6. de reb. Eccles. alienand. can. Apostolicos. 13. caus. 12. q. 2.* Nec relevat impositum Administratori onus novam reddendi crucem ; est enim equidem alienatio , quam Episcopus non nisi consulto & consentiente facere potest Capitulo. *Cap. 1. de his , quæ sunt à Prælat.*

(F) Et hic offendit Regulam *Eulogius*, cùm *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 18.* anathemati subjiciat eos , qui puellam , viduam aut quamcunque mulierem invitam ad ingrediendum monasterium , vel ad habitum suscipiendum cujuscunque Religionis , vel ad emittendam Professionem coegerint , quíque consilium , auxilium vel favorem dederint , &c.

(G) Resignatio Canonici senioris in Sacellani Episcopalis favorem ex metu facta invalida est , & Canonicatus taliter resignatus repeti potest. *Cap. Abbas. 2. cap. ad audientiam. 4. de his , quæ vi metûsve caus.*

REGULA VI.

In ipso causæ initio non est à quæstionibus inchoandum.

QUæres *primo.* Quid in præsenti Regula nomine *quæstionis* intelligitur?

℟. Juxta communiorem hujus Regulæ interpretationem *Quæstio* denotat torturam , quæ ad eruendam veritatem atrocium criminum reis à judice criminali injungitur , & definiri potest : interrogatio de crimine commisso per tormenta ad eruendam veritatem à legitimo judice instituta.

Quæres *secundo.* Quis hujus Regulæ sensus ?

℟. Judicium criminale à rei tortura non est inchoandum. Ratio est : quia tortura pœna est , tortum infamat , notam civilem & indelebilem incurrit maculam , quòd si autem judicium criminale à quæstionibus sive tortura inchoaretur, plures innocentes pœnam & perpetuam paterentur infamiæ notam , & calumniatorum panderetur ostium multitudini.

Quæres *tertio.* Quæ conditiones ad torturam requiruntur?

℟. Sequentes : *1ma.* Quòd veritas aliter haberi vel indagari nequeat , cùm tortura causâ investigandæ veritatis, & in subsidium probationum , reum non convincentium , inferatur. Unde si reus plenè convictus crimen inficietur , absque ulteriori tortura , quæ confessionem eliciat , condemnari potest.

2da. Crimen , ad cujus confessionem tortura infertur , atrox esse debet , cui imponenda mortis , vel alia corporis afflictiva pœna , quæ in communi æstimatione

matione temporaneâ solùm incarceratione vel relegatione gravior sit, multúmque ipsam torturam excedat; contra reum enim non convictum graviori pœnâ, quàm infligenda foret, si convictus esset, procedendum non est.

3tia. Reus torquendus persona juris privilegio à torturæ carnificina exempta esse non debet, ùt sunt impuberes, furiosi, amentes, fœminæ prægnantes, personæ nobiles & illustres.

4ta. De corpore delicti constare oportet, quod semper requiritur, antequam ad specialem inquisitionem procedatur, ut dùm de homicidio inquiritur, judicii notum esse debet, quòd in tali loco & tempore homicidium sit perpetratum, & ex hoc capite Judices imperium mixtum, ùt vocant, sive jus gladii habentes, occurrente violento mortis casu, cadaver interfecti priùs visitant & inspiciunt, ut de corpore delicti constet in casu, quo quis postmodum de commisso homicidii scelere suspectus redderetur.

5ta. Indicia & argumenta, quibus reus Judici prudenter redditur suspectus, torturam præcedere debent, & si torturam à Judice impositam sustinuerit, ad alteram procedi nequit, nisi nova indicia & argumenta suspicionem augentia emerserint.

6ta. In tortura gradatim procedendum, & reus ad veritatis confessionem à Judice inducendus est: *1mo* verbis adhortatoriis. *2do* torturæ comminatione. *3tio* tormentorum, quibus est torquendus, expositione. *4to.* Si ista non proficiant, ad actualem torturam proceditur: cùm ratio naturalis dictet mitiora remedia priùs esse tentanda, quàm ad severiora deveniatur.

CASUS.

Formosus Judex sæcularis Sempronium lucida intervalla habentem de Assassinii crimine diffamatum incarcerat. (A) Et alterâ die torturæ subjicit. (B) quam Sempronius nihil confitendo passus tertiâ die ad monasterium vicinum confugit, ex quo eum *Formosus* per vim extrahit. (C) Extractum asylo restitui jubet Episcopus, Formosum ob violatam Ecclesiæ immunitatem excommunicationi subjiciens. (D) Sempronium restitutum cùm diutiùs in asylo hærere tæderet, fugam tentans à militibus ad hoc deputatis tenetur, & *Formoso* rursùm sistitur, qui eum alterâ vice torqueri jubet. (E) Ubi cruciatibus victus Assassinium in actuali tortura confitetur, quod tamen extra ipsam negat. (F) Unde tertiò tortus rursùs in ipsa tortura, & simul extra eam, in conspectu tamen tormentorum crimen fatetur, & ad mortem condemnatur. (G)

RE-

RESOLUTIO.

(A) QUia carceris squallor est contra naturalem æquitatem. *Gloss. in L. 1. C. qui bon. cedere poss.* Et species est servitutis, cùm deroget libertati. *L. nihil. 2. ff. de homin. liber.* Ideo *Formosus* Sempronium non absque gravibus indiciis & quasi evidentibus capere & carceri includere poterat; Judici enim, antequàm ad specialem procedat inquisitionem, de delicti infamia constare oportet. *Cap. cum oporteat. 19. cap. inquisitionis. 21. cap. qualiter & quando. 24. de accusat.* Nec sola sufficit infamia, sed clamorosa apud Judicem insinuatio præcedere debet. *Cit. cap. inquisitionis. cap. licet. Heli. 31. de simon.*

(B) Contra *Regulam* peccavit *Formosus*, absque prævio accusationis & inquisitionis processu semifatuum torturæ subjiciendo, siquidem ad tormenta criminosorum ita demùm veniri oportet, cùm suspectus est reus, & aliis argumentis ita probationi admovetur, ut sola confessio criminosi deesse videatur. *L. 1. ff. de quæstion.*

(C) Sempronius ad monasterium confugiens extrahendus non erat. *Can. reum. 9. caus. 17. q. 4. cap. inter alia. 6. de immunitat. Eccles.* Nec in loco sacro existens per sententiam ad mortem aliámve pœnam corporalem condemnari poterat. *Can. id constituimus. 36. caus. 17. q. 4.* Quare *Formosus* tum contra Sempronium, tum contra loci sacri immunitatem, reum vi extrahendo gravissimè deliquit.

R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.

(D) Justè res ad Episcopum delata fuit; dum enim dubium, an confugiens ad Ecclesiam crimen exceptum, quòd asylo non gaudeat, commiserit, observanda sunt sequentia: *1mo.* Rector Ecclesiæ requisitus à Judice reum, ne elabatur, custodire, & negotium ad Episcopi tribunal deferre debet, à quo, an asylo fruatur, vel non, decidendum est. *2do.* Judex Laicus, an delictum commissum immunitate gaudeat, nequaquam cognoscere potest. *3tio.* Episcopus reum Curiæ sæculari tradere nequit, nisi plenè constet, eum crimen exceptum perpetrâsse. *4to.* Reus de crimine excepto convictus, Curiæ sæculari non obstante appellatione ejusdem tradendus est. Benè ergo Episcopus Sempronium asylo restitui jubet. *Can. minor. 8. caus. 17. q. 4.* Ex Regula generali, spoliatus ante omnia restituendus. *Cap. conquerente. 7. de restitut. spoliat.* Præterea *Formosum* excommunicationem summo Pontifici reservatam ipso facto incurrisse constat ex decretis Clement. VIII. & Pauli V. hac in parte emanatis.

(E) Sempronium ex asylo liberè egressum potestas sæcularis comprehendere poterat, quæ tamen non emergentibus novis & fortioribus commissi Assassanii argumentis, eum alteri torturæ subjiciendo contra *Regulam* peccavit. *Gloss. in L. repeti posse. 16. ff. de quæstion. L. unius. 18. ff. ibid.*

(F) Confessio cruciatibus extorta, & in ipsa tortura facta non probat; nam ple-

rique patientiâ, sive duritiâ tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit, alii tantâ sunt impatientiâ, ut quodvis mentiri, quàm pati tormenta velint, ita fit, ut etiam vario modo fateantur, ut non tantùm se, verùm etiam alios commi-nentur. *L. 1. §. quæstioni. ff. de quæstion.*

(G) Iterùm Regulam *Formosus* offendit, ut enim rei probet confessio, eam non tantùm extra torturam, sed etiam locum & conspectum tormentorum, & quidem ex intervallo, ut libera censeatur, fieri oportet.

REGULA VII.

Quidquid sacratis DEO rebus & Episcopis injustè infertur, pro sacrilegio reputatur: quia sacra sunt, & à quoquam violari non debent.

QUæres *primo*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Est sacrilegii descriptio, quod hoc modo definiri potest: Rei DEO sacræ violatio.

Quæres *secundo*. Quid nomine rei sacræ hic intelligitur?

℟. *1mo*. Personæ per sacram ordinationem, Religiosi utriusque sexûs per vota Religionis, Novitii per Religionis ingressum, & ad Professionem tendentiam sunt DEO consecratæ, in has sacrilegium modis committitur sequentibus: *1mo*. Violentâ manuum injectione. *Can. Si quis suadente. 29. caus. 17. q. 4.* *2do*. Tractione ad forum sæculare, & jurisdictionis sæcularis in easdem usurpatione. *Cap. nullus. 2. cap. si diligenti. 12. de foro compet.* *3tio*. Impositione & exactione tributorum aut vectigalium. *Cap. non minus. 4. cap. adversus. 7. de immunit. Eccles.* *4to*. Per actum fornicationis, aut aliam turpitudinem cum personis DEO consecratis exercitam. *Can. Virginibus. 14. caus. 27. q. 1.*

2do. Loca sacra sunt loca cultui Divino vel sacro dedicata, Ecclesiæ & oratoria ad Missæ sacrificium & Divini Officii celebrationem consecrata, vel benedicta, aut ad minus ad hunc finem ab Episcopo deputata. *Cap. cum Ecclesia. 5. cap. Ecclesiæ. 9. de immunit. Eccles.* Item monasteria & hospitalia Episcopali erecta authoritate. In his sacris locis sacrilegium admittitur: *1mo*. In Ecclesia per illicitam seminis, & injustam sanguinis effusionem. *2do*. Extractione hominis ad sacri loci asylum confugientis. *3tio*. Exercitio jurisdictionis sæcularis, nundinarum, & profanarum in eisdem comœdiarum exhibitione. *4to*. Violentâ effractione, spoliatione, incendio, &c.

3tio. In tertia classe sunt res sacræ, ut Sacramenta, sacræ Reliquiæ, Imagines Chri-

Christi & Sanctorum, vasa sacra ad cultum DEI benedicta vel consecrata, & demùm bona temporalia sive mo- sive immobilia Ecclesiæ, quorum invasione, injustâ occupatione, ablatione, usurpatione sacrilegium perpetratur.

Adverte. Si bona temporalia ad Ecclesiam in tutum sint translata, ea surripiens sacrilegio delinquit, non autem qui existenti in templo pileum aufert aut pecuniam. Disparitas est: quia bona priora sub Ecclesiæ sunt custodia, non autem pileus, aut in sacco collata ad templum pecunia.

CASUS.

Gustavus Ecclesiæ Monialium Æditiuus furem nocturnum res Ecclesiæ auferentem ita in eadem percussit, ut post aliquot horas exspiraverit. (A) Egestate pressus ex oblatis Ecclesiæ decem Imperiales surripit. (B) Quod cùm Novitia videret, ideóque eum increparet, irâ incitatus ipsam pede contumeliosè calcat. (C) Hac de causa ab officio amotus Abbatissam apud Consulem civitatis, quòd servum ejus ignominiosè tractâsset, accusat. (D) Abbatisså ad tribunal Ecclesiasticum provocante, *Gustavus* statuam S. Petri, quam antea Ecclesiæ donârat, clàm aufert. (E) Et de incendendo monasterio cum sociis conspirat. (F) Per amicorum tamen preces in gratiam & officium ab Abbatissâ receptus cum Moniali libidinosè vivit. (G) Quam è monasterio occultè abductam ad partes Hæreticorum fugiens in uxorem ducit. (H) Tandem per Judicem sæcularem retractus ad mortem condemnatur, dúmque pœnitere nollet, exhibitam à Confessario Crucifixi Imaginem conspuit, & pedibus conculcat, infœlicem animam inter tormenta exhalans. (I)

RESOLUTIO.

(A) *Gustavus* à reatu homicidii non excusatur. *Arg. cap. significâsti. 18. de homicid.* & immunitatem Ecclesiæ violavit per *Regulam. & cap. fin. de immunit. Eccles.*

(B) Rem Ecclesiæ auferendo sacrilegium admisit, nec penuriæ excusat necessitas.

(C) Novitiam pede calcando personale commisit sacrilegium, & incidit in pœnam *Can. si quis suadente.* Licèt enim Novitii propriè Religiosi non sint, sunt tamen personæ DEO consecratæ, & in favorabilibus nomine Religiosorum veniunt, ideóque fori & Canonis gaudent privilegio. *Cap. Religioso. 21. §. quamvis. de sent. excom. in 6.*

(D) Quia Abbatissam ad forum sæculare trahere præsumit, sacrilegus est. *cap. decernimus. 2. cap. Clerici. 8. de judic.*

(E) Justè ad Ordinis sui tribunal provocat Abbatissa, cùm judicio Laici absque peccato se submittere non possit; personæ enim Ecclesiasticæ non solùm invitæ, sed

etiam voluntariæ pacisci nequeunt, ut sæcularia judicia subeant, cùm non sit beneficium hoc personale, cui renuntiari valeat, sed potiùs toti Collegio Ecclesiastico sit publicè indultum, cui privatorum pacto derogari non potest. *Cap. si diligenti. 12. de foro compet.* Gustavus quoque statuam Ecclesiæ semel donatam sine sacrilegii scelere ab Ecclesia removere nequit. *Can. sunt qui. 3. can. quisquis inventus. 21. caus. 17. q. 4.*

(F) Ob malitiosum & dolosum incendium incendiarius & omnes illi, qui consilium vel auxilium præstiterunt, incensa restituere, & tribus annis pœnitere debent, incendiarius insuper, si ante satisfactionem mortuus fuerit, sepulturâ Christianâ privatur. *Can. si quis membrorum. 31. can. pessimam. 32. caus. 23. q. 8.* Incendiarius locorum piorum ipso facto excommunicatus est. *Cap. tuanos. 19. de sent. excom.* Si ergo Gustavus conspirationem in actum redegisset, præter sacrilegii noxam has pœnas incurrisset.

(G) Gravissimo sacrilegii scelere peccant Gustavus & Monialis, detestabilem libidinem exercendo; hinc notandum, quod ait Cyprianus relatus in *can. nec aliqua. 4. caus. 27. q. 1.* "Si superveniens "maritus sponsam suam jacentem cum "altero videat, nonne indignatur & "fremit, & per zeli dolorem fortassis "& gladium in manum sumit? Quid "Christus Dominus & Judex noster, "cùm Virginem suam sibi dicatam & san-"ctitati suæ destinatam, jacere cum al-"tero cernit, quàm indignatur & irasci-"tur? Et quas pœnas incestis ejusmodi "conjunctionibus comminatur." *In can. si quis Episcopus. 6. ibid.* Laicus, qui cum muliere Deo sanctificata mœchatus fuerit, excommunicari jubetur.

(H) Monialis Apostata est, & ipso facto excommunicationis incurrit sententiam. *Cap. ut periculosa. 2. ne Cleri. vel Monach. in 6.* Deinde corporali apprehensione, censuris Ecclesiasticis aliisque mediis ad claustrum & Religionem redire cogenda est. *Cap. fin. de Regular.* Matrimonium quoque præsumptivè contractum omni caret roboris firmitate. *Cap. unic. de voto. in 6.*

(I) Gustavus & Monialis retracti graviter puniendi erant, hæc quidem pœnâ carceris, nam impudicæ detestabilésque personæ Monacharum, quæ abjecto proposito sanctitatis, illicitâ atque sacrilegâ contagione cum fornicatoribus se miscuerunt, & in abruptum conscientiæ desperatione perductæ, de illicitis complexibus filios procreaverint, à monasterii cœtu eliminandæ sunt, quatenùs retrusæ in ergastulis tantum facinus lamentatione continuâ deflentes purificatorio pœnitudinis igne decoqui possint. *Can. impudicas. 11. caus. 27. q. 1.* Gustavus autem & omnes, qui conscii & ministri hujusmodi criminis reperti & convicti fuerint, vel eos susceperint, vel quamcunque opem tulerint, sive masculi, sive fœminæ sint, cujuscunque conditionis, vel gradûs aut dignitatis capitali afficiendi sunt supplicio. *L Raptores. 54. C. de Episcop. & Cleric.* Sacrilegè sacram Christi effigiem *Gustavus* tractat, & mirum non est, quòd propter tanta & toties repetita ac multiplicata sacrilegiorum horrenda scelera justo DEI judicio derelictus finali immersus fuerit impœnitentiæ.

REGULA VIII.

Qui ex timore præceptum facit, aliter quàm debeat, facit, & ideo jam non facit. Est desumpta ex S. Augustin.

QUæres *primo*. Quotuplex est timor?

℟. Triplex est: Filialis, servilis & mundanus. Filialis patris timet offensam. Servilis verbera & pœnam à Domino metuit infligendam. Mundanus bona temporalia & mundi delicias, famam, vitam, &c. in quibus mundi amatores suam fœlicitatem ponunt, amittere perhorrescit. Timor filialis, quo DEI, summi & infiniti Boni, timetur offensa, in se bonus, & in charitate fundatus est. Servilis, quo pœna metuitur, etiam honestus est, si non plus metuitur pœna, quàm culpa, vel si pœna ad detestandam culpam causa solùm impulsiva, non autem finalis existat. Timor mundanus malus est, si plus bona mundi, quàm Deum amittere timeatur, & consequenter plus mundus; quàm DEUS ametur.

Quæres *secundo*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Qui actum præceptum ex timore mundano, aut merè servili facit, ita constitutus, ut pœnarum metus impletionis præcepti non sit solùm causa impulsiva, sed etiam finalis, cum voluntate virtuali peccandi, si pœnæ non essent, id aliter, quàm debeat, facit, & ideo jam non facit, quia præceptum cum peccaminoso implet affectu, unde sine ullo operis merito facere non ambigitur.

CASUS.

Hautinus postquam studiosè quæsitam in Sæculo promotionem obtinere non potuisset, animum ad Religionem applicavit. Factus ergo Novitius in omnibus, quæ agebat, Superioribus exteriùs placere studebat, in obediendo erat promptissimus, præsertim Superiore spectante, pœnitentias, quas quandoque subibat, coram Prælato suo exemplariter peragebat, occultè tamen carnes, quas comedebat, furabatur. Post Professionem studiis applicatus omnibus præcellere laborabat, hinc medias noctes contra regulæ & Superioris præcepta studiis impendebat, in quo deprehensus pœnam subire debuit, propter quam occultè semper coram sociis suis murmurabat, audiens eos, qui in potando vino temperantiores essent, faciliùs ac citiùs ad curam animarum emitti, in communi mensa rarò vinum bibit, ita, ut Prælatus ipse tantam admiraretur abstinen-

tiam, cùm interim clàm vino & ſpiritu vini ſeu vino aduſto ſeſe ingurgitaret. Semel in familiari colloquio cum fœmina deprehenſus graviter publicè correptus eſt, unde ſe jam omnem Prælati gratiam perdidiſſe clamabat, cúmque ſe contabeſcere ſimularet, ad obedientiam emiſſus eſt, foràs liberior factus exceſſum commiſit, ob quem ad clauſtrum revocatus omnem impendit conatum, ut priorem ſtationem recuperaret, quovis quatriduo, nec niſi Priori confitetur, quo abſente quandoque per menſem confeſſionem differt, &c. &c.

RESOLUTIO.

NOn eſt dubium, quin *Hautinus* pro ſui exculpatione multa ſpeculativè probantia afferre valeat argumenta, de caſu tamen ſubſtrato practicè loquendo, dicendum videtur, valdè timendum, & probabilius judicandum eſſe, quòd omnia, quæ in Religione peragit *Hautinus*, ſolo timore mundano & ſerviliter ſervili faciat, ne videlicet à promotione ſuo tempore excludatur, hæc enim omnium actionum cauſa finalis eſſe apparet, hinc ad oculum obedit promptiſſimè, quamvis animi ſenſum prodat murmurationis argumentum; cur à vino abſtineat, ſat indicat potatio, *quæ fit* coram infallibili oculo; *nec ex motivo* pœnitentiæ Priori ſoli, & quidem adeò frequenter confitetur, ſtudium námque virtutis & ſincera pœnitentia propter abſentiam unius perſonæ non retardantur. Sibi igitur imponit, miſerámque patitur ſervitutem *Hautinus*, ex timore enim facit præceptum, hinc aliter, quàm facere debeat, facit, & ideo jam non facit, ait Legislator Canonicorum Regularium S. Auguſtinus.

REGULA IX.

Defleat peccator, quia offendens in uno factus eſt omnium reus.

Quæres. Quis hujus Regulæ ſenſus? ℟. Dupliciter explicari ſolet: *1mo.* Unum mortale committens peccatum amicitiâ DEIque gratiâ, merito, præmio cœleſti, & omni jure ad ea excidit, perinde ac qui omnia peccata admiſit: quia gratia, meritum totúmque jus ad cælum quovis letifero peccato amittitur. *2do.* Per unicam præcepti Divini voluntariam transgreſſionem legislativa DEI contemnitur authoritas, ita, ut transgreſſor ſublato obſervantiæ legalis motivo jam ad omnium præceptorum transgreſſionem expeditus exiſtat.

CA-

CASUS.

Irmengardis Virgo per simplex castitatis votum DEO devota honestissimè in Sæculo vivit, omnem virorum fugit affatum, orationibus & sacris meditationibus semper dedita: eleëmosynas abundanter tribuit, pauperes & miserabiles personas quovis misericordiæ opere pro posse sublevare studet, facta omnibus honestatis & virtutis exemplum. Huic innocenti Columbæ accipiter miles, ùt dicebat, Capitaneus Borussicus insidiando circumvolabat, qui Hæreticum se simulans apud P. P. Societatis JESU, sub quorum instructione & regimine *Irmengardis* degebat, ad fidem Catholicam converti petebat, quâ occasione in *Irmengardis* conversationem & familiaritatem venit, quâ demùm crescente ab *Irmengarde* blanditiis victa non tantùm mensæ, sed & thori comes factus est, Capitaneo peractâ perfidiæ scenâ fugiente *Irmengardis* lapsum suum amaris lachrymis deflere cœpit.

RESOLUTIO.

Irmengardis experta est, quàm sit periculosa fragili sexui cum viris, præsertim qui castra sequuntur, familiaritas. Juxta *Regulam* ergo defleat, quia offendens in uno facta est omnium rea, per unicum lethale scelus amicitiam DEI & gratiam, præteritorum quantumcunque bonorum operum merita & præmia turpiter perdidit, grande námque peccatum admisit. "Si enim inter homines "solet bonæ fidei contractus nullâ ratione dissolvi, quantò magis ista pollicitatio, quam cum DEO pepigit, solvi "sine vindicta non debet, nam si Apostolus illas, quæ à proposito viduitatis "discesserant, dixit habere condemnationem, quia primam fidem irritam "fecerunt, quantò magis virgines, quæ "pactionis suæ fidem minimè servave-"runt." *Can. hæ verò. 9. caus. 27 q. 1.* Quia verò DEO sacratarum fœminarum corpora per votum propriæ sponsionis & verba Sacerdotis DEO consecrata esse templa, Scripturarum testimoniis comprobantur, ideo violatores earum sacrilegi, & juxta Apostolum filii perditionis esse noscuntur. *Can. sciendum est. 37. caus. 27. q. 1.* Seductor ille portabit iniquitatem suam, Irmengardis autem per peccatum perdita, cum Magdalena flendo, recuperare poterit, semper memor ejus, quam dicit *Regula* Veritatis.

RE-

REGULA X.

Non potest esse justa Pastoris excusatio, si lupus ovem comedat, & Pastor nescit. Est terribilis sententia S. Gregorii in Registro.

QUæres *primo.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Prælatus, & quilibet animarum gerens curam non excusatur, si illo nesciente aliquis subditorum æternùm pereat; intellige, si Pastor competente careat scientiâ, aut mores suorum ignoret, non inquirendo, ut corrigat.

Quæres *secundo.* Quæ Regulæ ratio?

℟. Quia Prælati Ecclesiarum, ac quivis alii Curati ad corrigendos subditorum excessus, morésque reformandos simul ac diligenter intendere debent, ne sanguis eorum de manibus suis requiratur juxta monitum *cap. irrefragabili. 13. de offic. Ordinar.* Ideo ignorantia, quòd subditus pereat, crassa est & culpabilis, cùm sit ejus, cujus noritiam ex officio habere debebat, & facilè habere poterat, cujusmodi ignorantia scientiæ comparatur; ea enim, quæ ex officio quis indagare tenetur, scire, & scire debere, & facilè scire posse paria reputantur. Curatores igitur animarum in tremendo judicio de ovibus sibi commissis rationem reddituri, nullam apud districtum Judicem habebunt excusationem, nisi dicere valeant cum Apostolo *Act. 20. Mundus sum à sanguine omnium vestrum, non enim subterfugi, quò minùs annuntiarem omne consilium DEI vobis.* Sed quis est hic, & laudabimus eum?

CASUS.

Ugulinus Diaconus Baronis territorialis sui Domini œconomus annum agens vigesimum quartum onerosum suscepit Pastoratum. (A) Antequam officium pastorale subiret, per quatuor vel quinque menses in studio Theologico, de quo aliàs parum audiêrat, se præparavit. (B) Dum Parochiam adiit, in ea duos invenit Sacellanos, in quos onus pastorale plurima ex parte divisit. (C) Ipse interim cum priore Domino maximo anni tempore mansit. (D) In absentia Sacellanorum duo infantes sine Baptismi Sacramento mortui sunt. (E) Dum quâdam vice cum Domino suo luderet, vocatus ad infirmæ Parochianæ audiendam confessionem, se ludo absoluto statim venturum respondit, infirmâ interim

sine

sine pœnitentia defunctâ. (F) Parochianos immodestis saltibus & lusibus deditos corrigere neglexit, ex hoc principio: Der seinen Kopff wilt halten gantz, der laß dem Bauren seinen Tantz. (G) Rarò servavit catechesin, unde magna Parochianorum in rebus necessariis ignorantia. (H) Sacellani ejus à Parochianis, dum Sacramentum Extremæ Unctionis ministrarent, pro labore capitellum quâlibet vice exegerunt, quod *Kugulinus*, quamvis improbaret, tamen dissimulavit. (I) Nunquam infirmos post administrata Sacramenta visitavit. (K) Ad extrema deveniens cùm à Confessario moneretur, se multa ignorâsse dicebat. (L)

RESOLUTIO.

(A) TOleratur hodiedum, quòd Clerici Dominis sæcularibus temporale præstent obsequium. Ætas non obstabat, quò minùs Pastoratum *Kugulinus* susciperet; non enim requiritur, ut qui Parochialem Ecclesiam in titulum accipit, actu sit Presbyter, sed sufficit, quòd initiatus primâ tonsurâ in statu sit, ut intra annum ad Sacerdotium promoveri possit. *Cap. si pro Clericis. 8. de præbend. in 6. cap. si is. 2. de institut. in 6.*

(B) Quia regimen animarum est ars artium. *Cap. cum sit. 14. de ætat. & qualit.* Ac animæ sunt omnibus aliis pretiosiores. *Can. præcipimus. 24. caus. 12, q. 1.* Ideo *cap. cum in cunctis. 7. de elect.* in iis, qui curæ animarum præficiendi sunt, competentem requirit scientiam, & hæc tantò major esse debet, quantò Parochia amplior est & onerosior. Unde *Kugulinus* intra memoratum temporis spatium sufficientem pro Pastoratu scientiam, præsertim cùm aliàs parùm studuerit, acquirere non potuit; quamvis corruptela ista hodie inoleverit, ut, qui hâc viâ Parochias adipiscuntur, sufficere sibi putent, quòd per trimestre apud Professorem Theologum Cursum Theologiæ raptim percurrant, tantùm curantes, ut examen synodale taliter qualiter evadant, quo facto de studio parùm deinceps cogitant, propter quam causam tam inertes simul & indocti non rarò dantur Pastores.

(C) Juxta *Trident. Sess. 23. de reform. cap. 1. & Sess. 24. de reform. cap. 12.* Parochus ex præcepto Divino oves suas agnoscere, ac consequenter per semetipsum Pastorale officium exercere debet: Ideo *Kugulinus* illud in Sacellanos dividere non poterat, licèt ratione numerosæ plebis eos in partem sollicitudinis vocare, & minora tantùm per eos facere valeret.

(D) Peccavit contra præceptum de residendo, insinuatum à *Trident. Sess. 23. de reform. cap. 1.* Pastor enim in sua Parochia, in domo propria, si sit, formaliter, & continuò residere tenetur. Hinc *Kugulinus*, etsi Domini domus intra limites Parochiæ existat, in domo Parochiali non habitando peccavit. Deinde non resedit formaliter, sive cum effectu, officium pastorale exercendo,

moribus & actibus gregis invigilãdo, necessitatibus ejus succurrendo, &c. Demũ nec resedit continuò, ùt patet ex casu.

(E) Per *Regulam* gravissimè deliquit *Kugulinus*, de cujus manu animas infantium sine Baptismo defunctorum Dominus requiret; pastoralia enim, quæ per se ipsum exequi debebat, Sacellanis committendo, non tantùm se peccatorum ab ipsis admissorum reum & complicem, sed & caput ac originem constituit.

(F) Enormiter quoque peccavit, voluptuarium ludum Parochianæ suæ saluti præponendo; sanè si medicus corporis ad ægrum vocatus sic respondens culpandus est; quantò majorem medicus animæ ex officio & justitia ad Sacramenta administranda obligatus, si ex negligentia sua ovis pereat, merebitur damnationem?

(G) Principium rusticum est, nec nisi ab indocto, & officium suum negligente Pastore allegatur. Parochus peccata suorum non corrigens, scandalum & ansam mortis præbet eis, quibus causa salutis esse debebat; deteriùs quippè in populis Prælati, ac quicunque animarum curam susceperunt, delinquunt, si perversa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt, unde necesse est, ut tantò se cautiùs à culpa custodiant, quantò per prava, quæ faciunt, non soli moriuntur. *Can. præcipuè. 3. caus. 11. q. 3.* Peccantes ergo in saltu non corrigendo, aut similes saltus non tollendo, ipse peccare facit, & causa damnationis existit.

(H) Sacramenta gratis administranda sunt. *Cap. ad Apostolicam. 42. de simon.* Unde peccant Sacellani mercedem exigendo, graviùs tamen *Kugulinus* eorum peccatum dissimulando, oblationes quidem spontaneè & liberè factas Pastor & quilibet Ecclesiæ Rector recipere potest. *Cap. cùm inter. 29. de V.S.* Cogi tamen non possunt ad offerendum, ubi non est consuetudo.

(I) Pastor animarum debet esse discretus in silentio, utilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat; nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. *Can. sit Rector. 1. dist. 43.* Peccavit itaque *Kugulinus* populum suum non catechizando; qualiter enim Pastor prædicationis & instructionis munus obire debeat, docet & præcipit *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 4.* ibi: *Idem etiam* (Episcopi) *saltem Dominicis & aliis Festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga DEUM & parentes diligenter ab iis, ad quos spectat, doceri curabunt.*

(K) Non sufficit, quòd Pastor infirmis ovibus suis Sacramenta necessaria obiter administret, eâsque quasi jam functus officio, nunquam aut rarò deinceps inviset. Nonne lupus ovem etiam Sacramentis munitam, Pastoris autem assistentiâ, consilio, solatio, auxilio & precibus destitutam propriisque viribus relictam facilè comedet? An Pastori tunc excusatio? Pastor ergo infirmos suos sæpè visitare, in lucta extrema assistere, & omni modo eorum saluti, præsertim in periculoso mortis articulo invigilare tene-

tenetur. Indigentes quoque subsidio temporali & alimentis adjuvare non gravetur juxta doctrinam *Can. nulli Episcoporum. 62. caus. 16. q. 1.* Demùm ad exemplum Christi opportuno tempore animam suam pro ovibus, nisi mercenarius esse malit, exponere obligatur. *Can. suggestum. can. scisciteris. 47. can. adversitas. 48. caus. 7. q. 1.*

(L) Non excusatur per verbum: *Nescio*; ignorantia enim ejus rei, cujus scientiam status & officium requirit, vincibilis est & crassa, ideóque scientiæ æquiparatur. *Cap. eos qui. 2. de tempor. ordinat.* Scire námque, & scire debere, ac scire posse paria sunt. *Cap. fin. §. si quis. de clandestin. desponsat.*

REGULA XI.

Indignum est, & à Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.

QUæres *primo*. Quid est homagium? R. Homagium est quasi hominis ligium, per quod quis quasi homo vel servus fit alterius, sive est juramentum, quo homo se alteri ad præstandam obligat fidelitatem, uti explicat *Gloss. in Clement. 2. de sent. & re judicat.* Duplex est homagium, strictè & latè dictum, latè sumptum est juramentum fidelitatis, obedientiæ ac reverentiæ, quod Beneficiati in adeptione beneficii præstant Episcopo, cui tanquam proprio Prælato & Patri spirituali pro cura paterna & pastorali sollicitudine fidelitas, reverentia & obedientia speciáliter debetur. De hoc homagio intelligendus est textus *in cap. gravem. 15. de excess. Prælat.* Homagium strictè dictum est juramentum, quo alicui velut Domino territoriali subjectio & certæ operæ, vel temporalia spondentur obsequia. De homagio taliter accepto Regula præsens intelligitur.

Quæres *2do*. Quis hujus Regulæ sensus? R. A Clerico pro collatione, nominatione aut præsentatione ad beneficium homagium strictè dictum minimè est exigendum. Ratio est: quia pro collatione rei spiritualis ad temporale sese obligare obsequium simoniacam involvit pravitatem. *Cap cùm essent. 12. cap. ex diligenti. 17. de simon.* Contra quam Regulam non peccant Beneficiati, qui in admissione ad beneficium jurant se præstituros obsequia, quæ suæ Ecclesiæ, Episcopo aut Capitulo de jure exhibere tenentur, cùm ea, quæ sic insunt, in juramento absque labe simoniæ à recipiente spiritualia exprimi possint. *Cap. significâsti. 4. de elect. junct. gloss. verb. conditione.* Ita Episcopi in consecratione sua jurant summo Pontifici, se Legatos Apostolicos honorificè

tractaturos, & in necessitatibus adjuturos. *Cap. Ego. 4. de jurejur.*

Quæres *tertio.* An valeat & obliget juramentum, quod Canonici in receptione ad Canonicatus jurant Capitulo, sese Ecclesiæ statuta & consuetudines servaturos, inter quas numerantur certæ pecuniæ cuilibet Capitularium solvendæ, quas vocant jura statutorum, fructuum duobus vel quatuor primis annis carentiæ?

R. Juramentum illud obligare, quatenùs statuta & consuetudines juri speciali vel generali sunt conformes, quatenùs verò sunt difformes, cessat omnis juramenti obligatio. Innocent. XII. per specialem Constitutionem omnes has capitulationes juri communi difformes sustulit, quam Constitutionem tamen Germani hactenùs non admiserunt.

CASUS.

Liberata Abbatissa Regularis monasterii sui Sacellano Parochiam contulit, exigens ab eo erga monasterium fidelitatis juramentum, & servitium spirituale in Missa quatuor primis anni festivitatibus cantanda præstandum. (A) Dicens sic moris esse, & tres in Parochia Antecessores ita practicâsse. (B) Pastor nominatus cùm onus præstare nollet, *Liberata* collationem revocat. (C) Cúmque moneretur, ut Successori Principi, à quo feudum tenebat, homagium diceret, id facere renuit, eò quòd è monasterio clauso exire non posset. (D) Unde Princeps caducitatem feudi pronuntiavit. (E) Ad placandum Principem Nobilis quidam se obtulit, modò Liberata puellam pauperem ad habitum Religiosum admitteret. (F) Quam quidem admittere voluit, sed cum conditione, si saltem jocalia & consueta donaria dare posset. (G)

RESOLUTIO.

(A) QUid Patrono Ecclesiæ debeatur, exprimitur *in cap. nobis. 25. de jure patron.* ubi dicitur, quòd pro fundatione Ecclesiæ honor processionis fundatori servetur, & si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modestè succurratur. Contra *Regulam* ergo *Liberata* à Neo-Pastore fidelitatis juramentum exigit. Malè quoque spirituale obsequium in quatuor primariis Festivitatibus exhiberi postulat, primò námque in solemnioribus anni Festis, quibus refici maximè, & in Domino gaudere Pastoris præsentiâ oves debent, animarum curam habentes à suis Ecclesiis abesse non possunt. *Trident. Sess. 23. de reform. cap. 1.* Deinde hæc pactio simoniaca esse videtur. *Cap. non satis. 8. cap. audivimus. 41. de simon.* Et Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferenda sunt. *Cap. unic. ut Ecclesiast. benef. sine diminut. &c.* Demùm Patronus nil à præsentato præter id, quod in fundatione est impositum, exigere potest. *Cap. sicut nobis. 2. de supplend*

ne-

negligent. Prælat. cap. præterea. 23. de jurepatron.

(B) Non sufficit, quòd Prædecessores actus à lege alienos exercendo corruptelam fecerint, cùm consuetudinem legitimam nunquam introducere potuerint, siquidem consuetudini, quæ Ecclesiis gravamen inducit, jus positivè resistit, eásque tolli præcipit. *Cap. 1. de consuetud.* Ecclesiam autem Parochialem per prætensam consuetudinem gravari, ipsúmque beneficium cum diminutione conferri manifestum est.

(C) Patrono quidem Laico variare, hoc est, præsentato uno alterum addere potest, & tunc Episcopo instituenti unum ex præsentatis eligere licet. *Cap. cum autem. 24. de jurepatron.* Clerico autem à Patrono Ecclesiastico præsentato statim jus ad institutionem acquiritur, cùm inter præsentatos ab eodem, qui prior est tempore, potior sit jure. *cit. cap. cum autem.* Hinc patet *Liberatam* jus per præsentationem Pastori quæsitum revocare non posse per impatientem præsentationis revocationem.

(D) Homagium in feudali investitura præstandum *Regula* nostra non comprehendit. Qualiter autem à Monialium Præfecta id practicandum, exprimit *cap. periculoso. unic. §. verum. de Stat. Regular.* his verbis: "Quando Abbatissa vel Prio-"rissa cujusvis monasterii pro feudo, quod "monasterium ipsum tenet ab aliquo "Principe, seu Domino temporali, sibi "debebit homagium vel fidelitatis sacra-"mentum præstare (nisi quòd per procu-"ratorem illud præstet, possit efficere "apud eum) de monasterio cum honesta "& decenti societate exire poterit eo casu "licenter, homagio facto, quamprimùm "poterit, ad ipsum monasterium è vesti-"gio reversura."

(E) Quia delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. *Reg. 76. de Reg. Jur. in 6.* Monasterium innocens feudo privari non potest, nec Dominus directus feudo manum applicandi habet potestatem. *Arg. can. si Episcopum. 3. caus. 16. q. 6.*

(F) Simonia est, pro Religionis ingressu aliquid temporale dare vel recipere. *Cap. non satis. 8. cap. de Regularibus. 25. cap. quoniam. 40. de simon.* Hinc Nobilis operam suam in reconciliatione Principis impendendam tanquam pretium pro admissione offerre nequibat. Si tamen puella ad Statum Religiosum vocata ardenter & constanter in monasterium recipi petebat, & propter solam paupertatem repellebatur, Nobilis, practicè loqnendo, peccâsse non videtur, cùm potiùs injustam vexam redimere, quàm pretium pro ingressu offerre voluisse censeatur, eò quòd monasterium fundatum Novitios gratis & sine dote recipere teneatur.

(G) Juxta *Extrav. sanè. 1. de simon. inter com.* Superioribus Regularium sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ ac summo Pontifici reservatæ inhibetur, ne tam à maribus, quàm à mulieribus Religionem eorum ingredientibus quoscunque pastus, prandia & cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda, directè vel indirectè petere

vel exigere quoquo modo præsumant. Quamvis verò salubérrimam hanc Pontificis Sanctionem in hisce partibus cum suo rigore receptam esse negetur, nihilominùs verum manet, quòd, ùt loquitur *Constitutio*, hujusmodi prandiorum & jocalium consuetudo sit detestabilis, & à Canonibus reprobata abusio, quâ decori Ecclesiastico & immaculatæ Religioni detrahitur. Quàm plures etiam tam execratione hujusmodi criminis, quàm expensarum onere à sacræ Religionis proposito retrahuntur, ipsáque Ecclesiæ, monasteria, & loca Famulantium DEO consuetis numeris remanent destituta, & in multorum mentibus Fidelium scandalum generatur.

REGULÆ JURIS EX LIBRO SEXTO DECRETALIUM.

REGULA I.

Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Institutione Canonica obtineri.

QUæres *primo*. Quid est beneficium Ecclesiasticum?

℟. Est jus perpetuum percipiendi fructus seu reditus temporales ratione officii spiritualis, authoritate Ecclesiasticâ institutum, ùt Episcopatus, Decanatus, Canonicatus, Parochia, Vicaria, &c.

Quæres *secundo*. Quid est Canonica Institutio?

℟. Institutio est jurisdictionis Ecclesiasticæ actus, quo alicui beneficium in perpetuum confertur titulum. Hic actus, si omnia à Canonibus ad ejus substantiam habeat requisita, Canonica appellatur Institutio.

Quæres *tertio*. Quotuplex est Institutio?

℟. Triplex: Authorisabilis, rituli collativa, & corporalis. Institutio authorisabilis est jurisdictionis Ecclesiasticæ actus, quo Episcopus vel Ordinarius, præ-

præsentato vel nominato ad beneficium parochiale dat curam animarum, vel animas in foro interno dirigendi jurisdictionem. Institutio tituli collativa est actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, quo Superior Ecclesiasticus alicui confert beneficii titulum, ut electionis confirmatio, postulationis admissio, Apostolica provisio, Prælati Ecclesiastici vel libera, vel ad alterius præsentationem aut nominationem facta collatio. Institutio corporalis vel investitura est in actualem possessionem inductio, quâ Beneficiatus beneficii actualem nanciscitur administrationem, & fit per Altaris attactum, clavium traditionem, stalli & loci in choro & Capitulo occupationem, &c.

Quæres *quarto*. Quæ conditiones ad Canonicam requiruntur Institutionem?

℟. Quatuor. *1ma*. Ut instituens habeat jus, seu instituendi potestatem, eámque vinculo excommunicationis, vel suspensionis ab officio non impeditam. Ex hoc capite non est Institutio Canonica, à Laico sine speciali privilegio Apostolico facta. *2da*. Ut instituendus sit capax institutionis; hanc ob causam, si in beneficio Laicus, conjugatus, debitam ætatem, aliúdve jure requisitum non habens, instituatur, non est Canonica Institutio. *Cap. in Ecclesia. 2. de institut. cap. 1. & 2. de Cleric. conjugat. cap. si eo tempore. 9. de rescript. in 6. 3tia*. Ut beneficium vacet; quia nullus in beneficium viventis non amissum nec dimissum de jure institui potest. *Cap. nulla. 2. de conces. prabend. 4ta*. Ut modus & forma à jure præscripta observetur.

Quæres *quinto*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Beneficium Ecclesiasticum licitè obtineri nequit, nisi actu vacans ab habente potestatem Clerico ejus capaci forma à jure præscripta cum debitis solemnitatibus conferatur. Hinc beneficium nec per cessionem, nec permutationem privatâ authoritate factam. *Cap. admonet. 4. de renunt. cap. quæsitum. 5. de rer. permutat.* Nec per transactionem acquiri potest. *Cap. constitutus. 4. cap. super eo. 7. de transact. cap. fin. de pact.*

Quæres *sexto*. Quæ ab hac Regulæ exceptiones?

℟. Duæ: *1ma*. Beneficium nullâ reservatione affectum, & cum titulo colorato per triennium pacificè possessum juxta *Regulam Cancellariæ 33*. præscribitur. *2da*. Beneficium obtentum ab eo, qui communi errore ejus verus putabatur collator vel institutor, retineri potest, quia propter utilitatem publicam communi interveniente errore, sicut Respub. sæcularis, jurisdictionis supplet defectum. *L. Barbarius. 3. ff. de offic. Prætor*. Ita etiam Ecclesia, si error communis titulúsque coloratus fuerit, defectum spiritualis supplet jurisdictionis.

CASUS.

Maternus postquam à Marchione Pastores suos instituendi privilegium prætendente in Parochia institutus, sed Episcopali authoritate destitutus esset. (A) Canonico valetudinario Nepoti suo persuasit, ut Canonicatum in sui favorem resignaret. (B) Sed opponente se Capitulo Canonicatûs taliter resignati possessionem nanciscì non potuit. (C) Interim personatum familiarem avunculi sui adhuc quidem viventis, sed animam ægrè trahentis, & jam penè in extremis constituti invadit, ejúsque possessionem capit, ut sic Nepotem suum, cum quo de præcedentia litigabat, excluderet. (D) A Personatu quoque dejectus, cùm omnia sibi adversari videret, Religionem ingressus ab Abbate majori licèt Capituli parte contradicente ad Professionem admissus est. (E) Defuncto Abbate à majori eligentium numero *Maternus* Abbas eligitur. (F) Et ab Ordinis Generali inter appellantes ad futurum Concilium adscripto confirmatur. (G) Lapso quinquennio quidam ex Religiosis in Maternum insurgunt, ejúsque electionem infirmare nituntur. (H)

RESOLUTIO.

(A) PAtronus Clericum in Ecclesia patronata, Episcopi authoritate neglectâ, instituere nequit, & taliter instituens excommunicari, Clericus verò institutus deponi jubetur in *cap. præterea. 4. de iurepatron.* Licèt aútem institutio hoc modo attentata omninò sit invalida, patronus tamen pœnitentiâ ductus, alium ad Ecclesiam Rectorem præsentare potest, quem Episcopus instituere debet. *Cap. cum Laici. 10. de jurepatron.* Privilegium, quod Marchio prætendit, produci, ejúsque tenore inspecto judicari oportet. *Cap. porrò. 7. de privileg.*

(B) Rursùs peccavit contra *Regulam*, si renuntiatio in favorem coram Ordinario facta fuerit; hæc enim coram solo summo Pontifice instituenda est, coram alio inferiore facta illicita est & invalida. imò si pactum de non conferendo alteri, quàm designato intervenerit, simoniacâ labe respersa est, cùm in beneficialibus & spiritualibus omnis pactio omnisque conventio debeat omninò cessare. *Cap. fin. de pact.*

(C) Justè se Capitulum, ne possessionem capiat, opponit, cùm Maternus beneficium nulliter sit adeptus. *Arg. cap. post electionem. 7. de conces. prabend.*

(D) Et hic offendit *Regulam Maternus*, vivente Beneficiato beneficium invadendo, siquidem Ecclesiastica ministeria, beneficia & Ecclesiæ nemini tribuendæ aut etiam promittendæ sunt, antequam vacent, ne desiderare quis mortem videatur illius, in cujus locum & beneficium se crediderit successurum: cùm

cùm enim in ipsis etiam legibus Gentilium inveniatur inhibitum, turpe est & Divini plenum animadversione judicii, si locum in Ecclesia Dei futuræ successionis exspectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curârunt. *Cap. nulla. 2. de conces. præbend.*

(E) Contra *Regulam* Prælatus *Maternum* ad Professionem suscipit, cùm sine consensu majoris partis Capituli Professio recepta nulla sit; sit enim hìc exceptio à *Reg. jur. 37. in 6. Utile non debet per inutile vitiari.* Nam consensus Prælati per dissensum Capituli, & consensus Capituli per solius Prælati vitiatur dissensum.

(F) Non sufficit in electionibus habere plura vota respectu aliorum, qui pauciora habuerunt. *Cap. Ecclesia. 48. de elect.* Sed plura vota respectu totius Capituli præsentis habere debet, ita, ut si sint viginti vocales, saltem undecim vota habeat. *Cap. Cumana. 5. de elect.* *Maternus* primo modo nulliter electus est, sicut & si secundo modo electus fuerit, dum Religionis, quam professus est, statuta aliud v. g. duas tertias requirunt. Porrò in electionibus Regularium non attenditur, quænam pars sit sanior, cùm omnes bono zelo & ex consideratione meritorum ad electionem processisse præsumantur. *Arg. Clement. exivi. §. demum. de V. S.*

(G) Quanquam appellantes ad futurum Concilium ipso facto excommunicati existant, Generalis tamen nominatim non denuntiatus, nec ab officio remotus validè *Maternum* confirmavit.

(H) Quia Regula de triennali in favorem possessoris beneficium aut dignitatem titulo à jure approbato pacificè & sine contradictione possidentis inducta est, & invalido juri robur tribuit, licitè se *Maternus* eâ pro manutenenda Prælatura tuetur.

REGULA II.

Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.

QUæres *primo.* Quid est præscriptio?

℟. Est acquisitio dominii, seu juris alieni, sive realis, sive personalis, per possessionis tempore à legibus definito continuationem peremptio, ex quo colligitur tria ad præscriptionem requiri: *1mo.* Possessionem ex titulo colorato, qui ad dominium, si verè subesset, sufficeret transferendum. *2do.* Bonam fidem. *3tio.* Possessionis per totum tempus præscriptum continuationem.

R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.

Quæres *secundo.* Quis malæ fidei possessor?

℟. Cujus conscientia circa rei alienæ

possessionem læsa est, quia vel rem novit esse alienam, vel cum dubio, an aliena esset, nactus est possessionem.

Quæres *tertio*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Dupliciter explicari potest. *1mus* sensus est: Possessor rei alienæ ejus præscriptionem non perficit, nisi toto tempore legibus aut Canonibus definito eam suam esse prudenter existimet. Exemplum est: Cajus 10. vel 20. annis prædium alienum cum colorato emptionis titulo possedit, si quâcunque temporis parte intra illud de- vel vicennium prædium sciverit esse alienum, interrupta, nec elapso decennio completa est præscriptio. *Cap. fin. de præscript.* Per hanc *Regulam* jus civile emendatur, quod bonam fidem solùm in præscriptionis requirit exordio. *L. unic. C. de usucap. transform.* Ratio est: quia generaliter omni constitutioni atque consuetudini est derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari. *Cit. cap. fin. de præscript.* Leges autem istæ civiles peccata nutriunt, dum sub spe lucri seu dominii capiendi animant & excitant ad continuandam malæ fidei possessionem.

2dus sensus est: Possessor malæ fidei rem malè possessam nullo tempore, nec ordinario, 10. vel 20. nec extraordinario, 30. 60. vel 100. annorum spatio, aut etiam immemoriali præscribit: cùm nulla quantumcunque antiqua possessio malæ fidei juvet possessorem. *Cap. vigilanti. 5. de præscript.* Sed possessio malæ fidei eò magis est peccaminosa & animabus periculosa, quantò longiori tempore est protracta. *Cap. fin. de consuetud.*

CASUS.

Nicephorus, Episcopus Basileensis, vacante per triennium Sede Episcopali Genevensi pagos hæreticos duos ad hanc spectantes abjuratâ hæresi ad fidem Catholicam conversos jure præscriptionis suo univit Episcopatui. (A) Decimas quoque ad Zenodochium Genevense spectantes emit, cúmque emptio ob præteritas juris solemnitates irrita declararetur, titulo præscriptionis se tueri posse putabat. (B) Syndico Capitulari Laico in remunerationem obsequiorum villam Capituli in feudum dedit. (C) Post decennium Syndico mortuo filius ejus à *Nicephoro* Episcopo infeudatur, infeudationi resistit Capitulum, re autem in longum protractâ, cùm post aliquot annos iterùm quæstio de villa moveretur, filius Syndici eam jam præscriptam esse respondit. (D) Cùm *Nicephorus* Diœcesin suam visitaret, quidam Pastores visitationem recipere, alii procurationem solvere detrectârunt, eò quòd hoc in puncto contra Episcopum præscripsissent, dum ab immemoriali tempore visitati non fuerunt. (E) In eadem visitatione tres pagos, de quibus dubium erat, ad quam Diœcesin pertinerent, visitavit, sicque præscriptionis jure eos sibi plenè vendicare nititur. Opponit alterius Diœcesis Capitulum, Sedem Episcopalem vacare, ideóque præscriptionem

scriptionem non currere. (F) Cúmque minùs sibi fideret, à summo Pontifice pro studii in conversione Hæreticorum impensi remuneratione prædictos tres pagos Episcopatui suo incorporari impetravit. (G)

RESOLUTIO.

(A) CAsus deciditur *in cap. 1. de præscript.* ubi statuitur, quòd si quis aliquem locum ad Catholicam unitatem converterit, si eum per triennium nemine repetente tenuerit, ulteriùs ab eo non sit repetendus, si tamen per ipsum triennium fuerit Episcopus, qui posset repetere, & tacuit: si autem non fuerit, non præjudicetur Matrici Ecclesiæ, sed eum liceat, cùm locus acceperit Episcopum, ex ipso die intra triennium repetere.

(B) Zenodochia, & quævis loca pia pro pauperum sustentatione Episcopali authoritate instituta Episcopi subsunt ordinationi. Si igitur *Nicephorus* vacante Sede Genevensi decimas etiam absque consensu Capituli emit, contractus invalidus est, nec succedentis Episcopi taciturnitate præscriptionem tueri potest. *Cap. nihil prodest. 2. de præscript.*

(C) Capitulo non consentiente irrita est villæ in feudum concessio, cùm speciem alienationis non habeat, alienationes autem Episcopus Capitulo ignorante facere nequit. *Cap. 1. cap. tua nuper. 8. cap. pastoralis. 9. de his quæ fiunt à Prælat. &c.*

(D) In temporali quidem alienatione, quam facit Prælatus, taciturnitas Capituli habetur pro consensu. *Cap. continebatur. 2. de his, quæ fiunt à Prælat. &c.* Minimè verò in alienatione perpetua, ideo ex hoc capite jus præscriptionis fundari non potest. Deinde obstat mala fides, cùm Syndicus, cui feudum ab initio sine consensu Capituli datum, hanc alienandi formam non tenere benè sciverit, aut facilè scire potuerit, unde bonâ fide possidere nequivit. Tertiò per Capituli oppositionem possessionis quietæ & pacificæ facta est interruptio, ideóque præscriptio non currit. *Cap. vigilanti. 5. cap. illud autem. 8. de præscript.*

(E) Cùm subditus obedientiam contra Prælatum suum præscribere non valeat. *Cap. cum non. 12. de præscript.* Ideo contra visitationem, quæ est actus Superioritatis, jurisdictionis & disciplinæ Ecclesiasticæ, nullo modo præscribi potest. *Cap. cum ex officii. 16. de præscript.* Et nisi per speciale Sedis Apostolicæ privilegium à præstandis procurationibus ostenderint se immunes (etiamsi longissimo tempore procurationis obsequium non impenderint: cùm in talibus præscriptio sibi locum nequeat vindicare) ipsi ad procurationis sarcinam ordine debito subeundam tenentur. *Cap. accedentes. 11. de præscript.*

(F) Quamvis jus Episcopale in Ecclesiis etiam à non Episcopis per quadragenariam possessionem præscribi valeat, tempus tamen illud, quo Sedes Episcopalis vacavit, subduci debet, unde tam diu cessat præscriptio, quàm diu va-

cat Ecclesia. *Cap. auditis. 15. de præscript.*

(G) Qui titulum præscriptionis allegat, & postmodum privilegium impetrat, si consummata erat præscriptio, ejus juri renuntiâsse videtur, si nondum erat consummata, post impetratum privilegium bonam fidem amittit, & ideo secundùm Canones non præscribit. *Cap. veniens. 19. de præscript.* Si igitur *Nicephorus* controversos pagos absque sub- & obreptione Diœcesi suæ Pontificio diplomate uniri impetravit, cessat omne jus & titulus præscriptionis.

REGULA III.

Sine possessione præscriptio non procedit.

QUæres *primo.* Quid est possessio?

℟. Est detentio rei, juris & animi adminiculo. Dicitur: *Juris:* quia gaudens effectibus & fructibus possessionis ad rem possidendam juris impotens esse non debet, quemadmodum Laici jus decimarum aliáque jura spiritualia possidere nequeunt. Dicitur: *Animi adminiculo:* nempe intentione & animo rem ut suam habendi, hinc depositarius non est possessor, quia rem alienam custodiendi tantùm tenet animo; commodatarius, usurarius, conductor, &c. non proprio, sed alieno nomine possident, & tantùm animo re alienâ utendi.

Quæres *secundo.* Quotuplex est possessio?

℟. Alia propria, alia impropria est; propria corporalium, impropria incorporalium rerum est, ut beneficia, juris eligendi, venandi, servitutum possessio, quæ proinde quasi possideri dicuntur. Alia est naturalis, alia civilis. Naturalis est, cùm quis naturaliter animo & corpore rem tenet, & eidem insistit; civilis est, cùm quis rem animo detinet, ut si quis fundum animo & corpore adeptus peregrè proficiscitur, nemine in fundo relicto, animo tamen sibi eundem detinendi.

Quæres *tertio.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Præscriptio sicut non est, dum inchoatur, sic inchoata non procedit, nec perficitur, si possessio toto tempore ad præscriptionem de jure requisito non continuetur, sed quomodocunque amittatur: quia præscriptio in continuatione possessionis tempore & modo à legibus ac Canonibus constituto fundatur, ideo sicut deficiente aut sublato fundamento ædificium necessariò corruit, ita quoque deficiente, ablatâ, amissâ & interruptâ possessione inchoata aufertur, vel interrumpitur præscriptio?

Quæres *quarto.* Quot modis possessio interrumpitur?

℟.

R. Duobus: *Naturaliter & civiliter. Naturaliter* interrumpitur, quando quis vel à possessione violenter, nec eam statim recuperat, vel rem possessam sponte dimittit. *Civiliter* interrumpitur, quando jus possidendi per actum juridicum, ut per citationem, litis contestationem, & maximè per sententiam in dubium vocatur.

CASUS.

Orosius Jurisconsultus defendit Martinum Abbatem contra Ordinarium suum, qui ei officium Præsidis Consilii Ecclesiastici abstulit, quod aliàs Prædecessores ejus ab immemoriali tempore administrârunt, hunc *Orosius* titulo præscriptionis tueri conatus est. (A) Sed litem sumptuosam Abbas perdidit. Pro sumptibus autem Advocatiæ *Orosio* certi pagi decimas Conventu sciente & non contradicente concessit, cum conditione, ut decimæ receptis sumptibus ad monasterium redirent. (B) Cùm decimæ paulatim in oblivionem veniissent, & Martinus vivere desiisset, Successor Abbas easdem repetere cœpit, cui opposuit *Orosius* se eas jam præscripsisse, cùm ipsas ultra 40. annos possedisset. (C) Per amicabilem compositionem monasterium decimas recepit, sed Abbas Personatum filio *Orosii*, qui necdum Clericus erat, nec animum clericandi positivè habebat, contulit. (D) Ex post primâ tonsurâ initiatus pluribus annis mundanis vanitatibus deditus beneficium tenuit, & per substitutum administravit, ab Ordinario tandem vel Ordines ad Personatum requisitos suscipere, vel beneficio cedere jussus, illud dimittere prælegit. (E) Substitutus in Personatu se titulo possessionis & inde juris quæsiti manutenere, nec cedere volebat, donec sibi de alio beneficio provisum esset. (F)

RESOLUTIO.

(A) SI præsidium in consilio Ecclesiastico *Martini* Antecessoribus non intuitu personarum, sed Abbatialis dignitatis collatum, eique perpetuò annexum fuerit, rectè *Martinum* defendit *Orosius*, cùm reale sit privilegium, quod ad Successores transire noscitur, juxta *Reg.* autem *16. de reg. jur. in 6.* decet concessum à Principe beneficium esse mansurum. Quamvis ergo Successor privilegium concedentis hoc ipsum absolutè revocare valeat, requirit tamen naturalis honestas, & Principis dignitas, ut privilegium maneat, ne illudere videatur, & inconstantiæ arguatur.

Si præsidendi officium personale solum fuerit, quia v. g. propter Abbatum istius monasterii dexteritatem, doctrinam & experientiam singularem ipsis committi solitum, contra *Regulam* peccavit *Orosius Martinum* ex capite præ-

scriptionis defendendo, licèt enim *Martinus* officium memoratum cum Antecessoribus suis possederit, non currebat tamen præscriptio, eò quòd non proprio, sed Ordinarii nomine illud possiderent. *Cap. si diligenti. 17. de præscript.*

(B) Quia temporaliis solùm erat decimarum alienatio, taciturnitas Capituli Regularis pro consensu habebatur. *Cap. continebatur. 2. de his quæ fiunt à Prælat.*

(C) Iterùm contra *Regulam* jus præscriptionis opponit *Orosius*, cùm nomine alieno & animo decimis ad tempus tantùm fruendi hucusque possederit, nec ipsas nomine proprio possidere potuerit, utpote incapax juris hujus spiritualis. *cap. quamvis. 17. de decim.*

(D) Si cum implicito pacto *Orosii* filio facta Personatûs collatio, ut decimæ monasterio redderentur, simoniaca est & invalida. *Cap. fin. de pact.* Quamvis ex alio capite simul invalida sit, quia videlicet primâ tonsurâ nondum initiatus erat, *cap. fin. de tempor. ordinat. in 6.* Cùm Laici beneficia Ecclesiastica possidere non possint, qua de causa nec Regulâ Cancellariæ de triennali tueri sese valebat; hæc enim præter titulum coloratum capacitatem supponit possidentis.

(E) Quia beneficia Deo consecratis personis ob sacram & spiritualem functionem conceduntur. *Cap. fin. de rescript. in 6.* Justè Episcopus, cui beneficiorum Canonicam administrationem procurare incumbit, Personatistam vel ad personale personatûs servitium, vel ad beneficii depositionem compellere potuit. Gratis autem disjunctivè præcepit, cùm absolutè tantùm ad deponendum beneficii titulum cogere potuisset, siquidem primæ tonsuræ susceptio non revalidat collationem antè invalidè factam, cùm non firmetur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. *Reg. 18. de reg. jur. in 6.* Quare beneficium toto illo tempore, quo filius *Orosii* ejus titulum gessit, vacavit, & omnes fructus ex eo perceptos exceptâ parte pro salario substituti deputatâ, restituere sive ad causas pias applicare tenetur.

(F) Quia substituti possessio non proprio, sed alieno nomine fuit, ex ea jus sibi acquirere non potuit per *Regulam, & cit. cap. si diligenti, 17. de præscript.* Ex fructibus tamen à principali perceptis præstiti obsequii debet recipere mercedem.

RE-

REGULA IV.

Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

QUæres *primo*. Quid est restitutio?

R. Est rei alienæ vi aut clàm ablatæ redditio, si exstet, vel si non exstet, valoris & æstimationis ejusdem exhibitio, aut si damnum injustè causatum, ipsius reparatio.

Quæres *secundo*. Quot modis damnum injustè inferri potest?

R. Duobus: *Materialiter* & *formaliter*. *Materialiter* damnum infert, qui rem alienam aufert, retinet, destruit, deteriorem reddit, quam bonâ fide putat esse suam, qui restituere solùm tenetur, quod ex re aliena adhuc habet, vel formaliter, si de ea verè quid exstet, vel virtualiter, si ex alieno factus locupletior. *Formaliter* injustè damnum infert, qui alienum aufert, retinet, destruit, deteriorem reddit, dolosè, sciens vel obligatus scire, jus sibi ad illud non competere, & hic tantum, quantum est ablatum, rem cum fructibus, omne damnum reparare, seu tantum, quantum vero domino re non caruisse interest, præstare & reddere obligatur.

Quæres *tertio*. Quis hujus Regulæ sensus?

R. Ut peccatum contra justitiam commutativam commissum quoad reatum culpæ & pœnæ æternæ remittatur, dolor cum proposito emendationis & Sacramentalis Confessio non sufficit, sed insuper requiritur, ut peccator rem ablatam & detentam restituat, aut si ampliùs non exstet, ejus æstimationem ac omne damnum emergens, id est, quidquid damni in rebus occasione injustæ detentionis est passus, & omne lucrum cessans, id est, quod propter injustam detentionem dominus non est lucratus, & aliàs lucratus fuisset, reddat ac resarciat, vel ea saltem proximè restituendi & reparandi voluntatem habeat, nisi legitimâ causâ excusetur. Fundatur hæc *Regula* in doctrina S. Augustini relata in *can. 1. caus. 14. q. 6.* "Si res aliena, propter "quam peccatum est, cùm reddi possit, "non redditur, non agitur pœnitentia, "sed fingitur. Si autem veraciter agitur, "non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum." Ratio est: quia qui rem injustè ablatam non restituit, vel damnum injustè causatum refusione æstimationis non reparat, læsionem proximi continuat, contra præceptum juris naturalis & divini, exigens, ut justitia & æqualitas observetur, & injustitia vel inæqualitas per peccatum introducta resarciatur, quibus nec præstitis, nec propositis peccatum nec quoad culpam, nec quoad pœnam, tanquam non verè pœnitenti, sed malè dispositio relaxatur.

Quæ-

Quæres *quarto.* Quæ à restitutione excusant?

℟. Sequentia : *1mum.* Si damnum sine culpa Theologica datum, ante sententiam Judicis non est restituendi obligatio, nec quod solâ culpâ juridicâ causatum, nisi per contractum se quis ad damnum ex culpa juridica proveniens obligâsset. *2dum.* Si debitor absolutè non habeat, unde restituat, aut satisfaciat, per *Regulam 6. Nemo potest ad impossibile obligari.* *3tium.* Si absque majori damno in fama, vita, &c. quæ altioris Ordinis bona sunt, restitutio fieri nequit. Exemplum est in *cap. officii. 9. de pœnit. & remiss.* Ubi mulier, quæ per alienum partum suppositum, vel ex adulterio susceptum legitimos hæredes ab hæreditate excluserat, ad pœnitentiam admittitur, licèt ad impediendam adulterinæ prolis successionem crimen suum non manifestaverit, cùm sine gravi famæ dispendio nefandum facinus detegere non potuerit. *4tum.* Si in magnum domini bonum restitutionis cederet dilatio, eò quòd v. g. pecuniâ in damnum suum abusurus esset. *5tum.* Si debitor bonis cedat, donec ad meliorem fortunam devenerit. *L. cum & filiusfamilias. 7. C. qui bon. cedere poss.* *6tum.* Si restitutio ab eo, cui facienda est, ultrò & gratuitò remittatur. *7mum.* Si bona in certa ex delicto debita (idem est de fructibus beneficii malè perceptis) ex parte ad causam piam applicata per summum Pontificem condonentur.

CASUS.

Paulinus Judex duobus nepotibus suis super beneficio litigantibus transactionem super ipso beneficio persuasit, hâc in irritum revocatâ unus ex nepotibus à *Paulino* damnum, quod transactionem suadendo causavit, sibi resarciri postulat. (A) *Paulinus* ergo cum nepote litem movens, procuratorem causæ Sempronium constituit, qui causam negligenter instruxit, unde non exiguæ expensæ *Paulino* sunt causatæ. (B) Quare Sempronium revocat, eique ulteriorem causæ procurationem interdicit, qui revocatione non obstante causam nihilominùs procurat, sed sententiam contra *Paulinum* reportat. (C) Sententiâ irritatâ *Paulinus* & Nepos in arbitros Titium & Cajum compromittunt, qui *Paulino* plùs æquò faventes eum à restitutionis onere absolvunt. (D) Contra laudum *Paulini* nepos cùm adhuc minorennis esset, restitutionem in integrum petiit, & obtinuit. (E) Restitutus per definitivam sententiam evicit, quòd *Paulinus* ei primò vacaturum beneficium in Ecclesia Cathedrali procurare teneretur. (F)

RE-

RESOLUTIO.

(A) IN causa beneficiali *Paulinus* transactionem suadendo peccavit, siquidem hujusmodi transactiones simoniæ speciem continent, ideóque nullius sunt momenti. *Cap. constitutus. 4. cap. super eo. 7. cap. præterea. 9. de transact.* Damnum verò emergens & lucrum cessans unus ex Nepotibus transigentibus, qui fructus beneficii, super quo transactum, percepit, & in ejus defectu *Paulinus* reparare tenetur.

(B) Procurator non auditur, nisi mandato legitimo instructus fuerit. *Cap. 1. de procurat.* Damna & expensas *Paulino* ex negligentia causatas juxta *Regulam* resarcire obligatur.

(C) Quantumvis Procurator ante litem contestatam etiam sine causa liberè à Domino revocari possit, post litis tamen contestationem, nisi rationabilis causa subsit, revocandus non est. *Cap. quamvis. 2. de procurat. in 6. Paulinus* autem sufficientem habuit procuratorem revocandi causam, unde temerariè & injustè egit Procurator revocatus, & de revocatione certificatus causæ ulteriùs se ingerendo, nec lata *Paulino* nocet sententia. *Cap. ex insinuatione. 3. de procurat.*

(D) *Paulinus* & nepos in electione arbitrorum juris formam non servaverunt, cùm arbitri in dispari numero sint eligendi, & eis discordantibus stetur majoris partis sententiæ. *Cap. 1. de arbitris.* Juxta *Gloss.* tamen *in cit. cap. 1. de arbitr. verb. Unus eligatur aut tres.* Si compromittatur in duos, tenet arbitrium, &, si non concordaverint, cogendi sunt, ut vel concordent, vel tertiam personam assumant. Nullum est arbitrorum particularium, & uni parti plus quàm alteri faventium; non enim decet sustineri, ut quod perperàm arbitrati sunt, debeat incorrectum relinqui. *Cap. non sine. 2. de arbitris.* Unde injusti arbitri per *Regulam* parti læsæ ad satisfactionem tenentur.

(E) Effectus compromissi quidem est, quòd partes sententiæ arbitrorum, sive æqua, sive iniqua sit, stare obligentur. Ut colligitur ex *cap. per tuas. 9. de arbitris.* nisi iniquitas manifesta sit & omninò notoria. Cùm autem quicunque minorennis in causis aliàs inappellabilibus etiam contra sententiam Papæ restituatur. *Arg. cap. tum ex litteris. 5. de in integr. restitut.* Restitutio non quidem laudi executionem impediendi; sed causæ justitiam prosequendi gratiâ benè indulta fuit.

(F) Provisio de beneficio proximè vacaturo facienda, quia in damnorum temporalium compensationem fieri mandata est, simoniam continebat, quamvis aliàs promissio beneficii vacaturi invalida sit & à jure reprobata *Cap. ex tenore. 13. de concess. præbend. Trident. Sess. 24. de reform. cap. 19.* Idcóque sententia contra *Paulinum* obtenta non subsistit.

REGULA V.

Peccati venia non datur nisi correcto.

QUæres *primo.* Quid est peccatum?

℟. Est voluntaria legis transgressio. Si lex graviter obliget, est peccatum mortale, mortem animæ seu gratiæ sanctificantis privationem inducens, quæ privatio à Theologis peccatum habituale nuncupatur. Si lex leviter obliget, ejus transgressio veniale est peccatum, per quod homo non æternæ, sed temporalis pœnæ, vel in hac, vel in altera vita sustinendæ incurrit reatum.

Quæres *secundo.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Peccatum actuale quoad reatum culpæ & pœnæ æternæ à Deo non remittitur, nisi de eo vel per contritionem perfectam, vel per attritionem Sacramentali absolutioni aut alterius Sacramenti susceptioni conjunctam agatur pœnitentia: quamvis enim Omnipotens DEUS infundendo gratiam sanctificantem absque prævio pœnitentiæ actu peccatum commissum absolutè remittere valeat, attamen de facto peccatum adulto nunquam remittitur, nisi illud per pœnitentiam correxerit; quia conveniens est, ut qui in peccatum actuale consentiendo propriâ voluntate à DEO defecit & apostatavit, absque correctione, sive perversæ voluntatis retractatione veniam peccati nunquam consequatur, quod non tantùm in mortali, sed etiam in veniali peccato procedit; hoc etenim est quoque inordinata quædam ad bonum creatum conversio, quæ licèt absque contritione perfecta, vel Sacramenti susceptione remitti possit, nihilominùs sine omni pœnitentia & virtuali saltem retractatione & correctione nunquam condonatur.

Quæres *tertio.* Quæ Regulæ contraria videntur?

℟. Ex Jure Canonico duo objici possunt: *1mum* sumitur ex *can. fin. dist. 4.* ubi agitur de prava quorundam Laicorum consuetudine, qui in Quadragesima Dominicis diebus se carnibus ingurgitabant, ad quod dicitur: quòd cùm ab hac consuetudine averti non possint, ideo cum venia suo genio relinquendi sunt, ne fortè pejores existant, si à tali consuetudine prohibeantur. Ergo datur venia non correctis. Sed respondendum est, Canonem loqui non de venia culpæ, sed de venia pœnæ temporalis, quâ non inflictâ subditorum peccata majoris mali vitandi causâ quandoque tolerantur.

2do. Opponitur *cap. quidam. 5. de pœnit. & remiss.* ubi de consuetudinariis, qui ad Confessionem venientes confiteri volunt, se tamen abstinere non posse asserunt, de his inquam dicitur, quòd

eorum

corum recipienda sit Confessio. Ergo datur venia non correctis, sed respondendum, quòd similibus peccatoribus per absolutionem Sacramentalem venia non detur, sed eorum Confessio tantùm admittitur, ut eis de criminibus consilium adhibeatur, & paulatim crebris ac salutaribus monitis ad veram pœnitentiam disponantur, quâ habitâ & peccato sic correcto veniam absolutionis beneficio consequantur.

CASUS.

Quiritius ab Episcopo ob homicidium excommunicatus ad extrema deveniens conteritur, & petitam à Pastore reconciliationem obtinuit. (A) Cum conditione, si parti læsæ reconciliaretur, & satisfaceret. (B) Vocati occisi consanguinei reconciliationem rejecerunt, quâ indiscretione *Quiritius* irritatus animum pœnitendi mutavit, & impœnitens exspiravit, sed propter prima pœnitentiæ signa in loco sacro sepultus est. (C) Episcopus de rei exitu certior factus *Quiritii* corpus exhumari, & in locum profanum projici jussit. (D) Quo facto *Quiritii* familia graviter offensa seditionem in urbe excitavit, & ipse Episcopus seditiosorum manibus occisus est. (E) Summus Pontifex delato ad se negotio civitatem Sede & Dignitate Episcopali privavit. (F)

RESOLUTIO.

(A) SI *Quiritius* homicidium proditorium sive Assassinium commiserat, à jure simul excommunicatus erat. *Cap. 1. de homicid. in 6.* Causa autem commissi homicidii rationabilis erat & sufficiens ad ferendam in *Quiritium* excommunicationis sententiam, prout requiritur in *cap. sacro. 48. de sent. excom. cap. fin. de sepult.* Excommunicati in mortis articulo ad pœnitentiam admittendi sunt. *Cap. Alma Mater. fin. de sent. excom. in 6. Arg. cit. cap. fin. de sepult.* Cùm enim per *Regulam* detur venia correcto, correctionis quoque media, inter quæ hìc præeminet pœnitentia, sunt indulgenda.

(B) Justè & necessariò hanc conditionem apposuit, & in reconciliatione exegit Sacerdos, excommunicato enim pœnitentia impendenda non est, nisi de ipso delicto priùs satisfecerit, vel de satisfaciendo idoneam cautionem dederit, aut si satisfacere nequeat, vel hujusmodi cautionem præstare juraverit, quod cùm potuerit, satisfaciet, & ad satisfactionem per eum, vel per eos, qui facere ipsam debent & possunt, dabit cōsilium & auxilium, ac juxta posse suum fideliter laborabit. *Arg. Alma Mater. fin. de sent. excom. in 6.*

(C) Gravissimè contra *Regulam* deliquerunt consanguinei correcto jam *Quiritio* reconciliationis veniam, quam pœnitenti tamen Deus & Ecclesia concedit,

impiè denegantes. *Quiritius* etsi jam ab excommunicatione sub præfata conditione absolutus esset, mutato jam pœnitendi & satisfaciendi animo in priorem excommunicationem reincidit. *Arg. cap. eos qui. 22. de sent. excom. in 6.* Ideóque in impœnitentia decedenti Ecclesiastica deneganda erat sepultura; sacris enim est Canonibus institutum: ut quibus non communicavimus vivis, etiam non communicemus mortuis: & ut careant Ecclesiasticâ sepulturâ, qui priùs erant ab Ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati. *cap. sacris. 12. de sepult.*

(D) Secundùm formam Canonicam & *Regulam* nostram Episcopus incorrecto veniam negando, & excommunicati corpus extra locum sacrum projiciendo processit. In *cit.* námque *cap. sacris.* statuitur, ut si contingeret, quòd excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in cœmeterio Ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni possint, exhumari debeant, & procul ab Ecclesiastica jactari sepultura.

(E) Enormissimus est excessus, quo cives suum occiderunt Episcopum, in quo casu juxta *cap. sicut dignum. 6. de homicid.* in excessibus singulorum non solùm quantitas & qualitas delicti, sed ætas, scientia, sexus atque conditio sunt attendenda, & non solùm secundùm ipsam sceleris atrocitatem, sed secundùm locum & tempus, quo tantum nefas commissum est, unusquisque est puniendus. Pœna Juris Canonici est excommunicatio, Juris civilis capitale supplicium. *L. si quis. 10. de Episcop. & Cleric.*

(F) Quanquam juxta *Reg. 76. de Reg. Jur. in 6.* delictum personæ non debeat in detrimentum Ecclesiæ redundare, justè tamen Pontifex civitatem illam, quæ crudelitate inauditâ proprium interfecit Episcopum, Sede & Dignitate Episcopali privavit, nec venia tanti facinoris, nisi civibus per insignem pœnitentiam & extraordinarium dolorem correctis dari debet. *Can. fin. caus. 25. q. 2.*

REGULA VI.

Nemo potest ad impossibile obligari.

QUæres *primo.* Quid & quotuplex est impossibile?

℟. Impossibile est omne illud, quod ab homine præstari non potest, & hoc triplex est: Impossibile de facto, impossibile de jure, & impossibile moraliter. Impossibile de facto est, quod consideratis personæ facultatibus & loci ac temporis circumstantiis secundùm ordinarium cursum & DEI concursum fieri nequit; sic impossibile est hominem resuscitare mortuum, illuminare cæcum, &c.

Im-

Impossibile de jure est, quod quidem attentis omnibus circumstantiis absolutè, non tamen honestè, ob Legis Divinæ vel humanæ prohibitionem, fieri potest. Colligitur *ex can. faciat. 15. caus. 22. q. 2. junct. gloss. verb. non possit. & cap. fin. de pact.* Demùm impossibile moraliter est, quod quidem de facto & de jure, non tamen absque magna difficultate, damno, ejúsve periculo fieri nequit.

Quæres *secundo.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Nulla lex, præceptum, Judicis sententia, juramentum, ultima testatoris voluntas, nullus contractus obligat ad id, quod de facto, vel de jure fieri non potest. Hunc sensum Gloss. in præsentem Regulam his explicat versibus:

Ultra posse meum non me lex justa coegit,
Nec putat esse reum, qui totum posse peregit.

Quæres *tertio.* An conditio impossibilis in contractum deducta vitiet eundem?

℟. Regulariter loquendo ob consensûs defectum vitiat contractum; quia contrahentes non aliter se obligare voluerunt, quàm sub conditione, quæ vel absolutè, vel saltem absque peccato adimpleri nequit, *L. non solum. 31. ff. de obligat. & action.* Excipiuntur testamentum & matrimonium, in quibus ob favorem ultimæ voluntatis & conjugii conditio impossibilis, nisi substantiæ eorum repugnet, pro non adjecta habetur, *Cap. fin. de condit. appos.* quia jura in his dispositionibus favorabilibus disponentes conditionem turpem vel de facto impossibilem non seriò adjicere voluisse præsumunt.

CASUS.

Rosalia DEO per simplex castitatis votum devota Virgo cum Simplicio sponsalia contraxit. (A) Sponsalia sic contracta esse irrita intelligens matrimonium per verba de præsenti cum Papiniano inivit. (B) Quo cognito Simplicius in furorem actus de Papiniano, quem formosam *Rosaliam* blanditiis sibi abstraxisse arbitrabatur, se vindicaturum juravit. (C) In quem finem Titium, ut Papinianum occultè occidat, pretio post peractum homicidium solvendo conducit. (D) Titius re benè perfungitur, & Papinianum proditoriè peremit. (E) Sicque pretium operis exigit, quod Simplicius ex Regula præsenti solvere recusat. (F) Cum Titio tandem convenit, quòd non tantùm promissum pro homicidio pretium, sed ejus etiam augmentum solvere velit, si matrimonium cum Sorore *Rosaliæ* jam defunctæ sibi procuraret, quod Titius efficit, & Simplicius eidem matrimonio contracto promissas pecunias numerat. (G)

RESOLUTIO.

(A) EX *Regula* sequitur nullam esse sponsalium *Rosaliam* inter & Simplicium initorum obligationem; votum enim simplex contrahendum impedit matrimonium. *Cap. unic. de voto in 6.* Unde cùm objectum sponsalium, matrimonium scilicet contrahendum, de jure sit impossibile, sponsalia ipso facto invalida esse dignoscuntur.

(B) Ex eodem capite promissio matrimonii de futuro facta Papiniano nulla erat, contractum tamen licèt illicitè tenet matrimonium, quamvis durior pœnitentia transgressori debeatur. *Cit. cap. unic. de voto in 6.*

(C) Similiter juramentum de sumenda vindicta impossibile de jure, & illicitum erat, cùm juramentum, ut esset iniquitatis vinculum, non fuerit institutum. *Cap. quantò. 18. de jurejur.* Cùm igitur pro præsenti in alterius redundet præjudicium, & observatum vergat in dispendium æternæ salutis, obligandi non habet facultatem.

(D) Et pactio hæc pernicioſa, de jure impossibilis & per ipsam naturam reprobata, ideóque invalida est. *Cap. fin. de pact.* Cùm illi, qui sic horrendâ inhumanitate detestandâque sævitiâ mortem sitiunt aliorum, ut ipsos faciant per Assassinos occidi, non solùm corporum, sed mortem procurent etiam animarum. *Cap. 1. de homicid. in 6.*

(E) De Assassinio ita statuitur in *cit. cap. 1.* "Quicunque Princeps, Prælatus "seu quævis alia Ecclesiastica sæcularisve "persona quempiam Christianorum per "Assassinos interfici fecerit, vel etiam "mandaverit (quanquam mors ex hoc "forsitan non sequatur) aut eos recepta-"verit, vel defenderit, seu occultave-"rit, excommunicationis & depositio-"nis à dignitate, honore, Ordine, offi-"cio & beneficio incurrat sententias, "ipso facto sit etiam cum suis bonis mun-"danis, tanquam Christianæ Religionis "æmulus, à toto Christiano populo "perpetuò diffidatus, &c." Unde docet *Fagn. in cap. cum non ab homine. 1. de judic. n. 72.* Quod Clericus Assassinus tanquam publicè diffidatus absque ulla depositione vel sententia ipso jure & facto relinquatur Curiæ sæculari non exspectata incorrigibilitate, etsi declarationem Judicis Ecclesiastici, quâ Assassinus pronuntietur, præcedere oporteat.

(F) Culicem colat simplicius, postquam camelum jam deglutivit; non enim ipsi *Regulæ* suffragatur, cùm solutio pacti pretii opere præstito non jam de jure impossibilis, sed debita existat.

(G) Olim sponsalia etiam invalida, modò non fuissent invalida ex defectu consensûs, publicæ honestatis inducebant impedimentum. *Cap. unic. de sponsal. in 6.* Hodie tamen *Trident. Sess. 24. de reform. matr. cap. 3.* statuit, ut quâcunque ratione sponsalia fuerint invalida, nullum ex illis nascatur impedimentum. Quapropter *Regula* nostra matrimonio Simplicii cum Sorore *Rosaliæ* non obstabat.

RE-

REGULA VII.

Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.

QUæres *primo*. Quid & quotuplex est privilegium?

℟. Privilegium est jus singulare in certæ personæ aut causæ favorem à Principe concessum. Dividitur in reale & personale. Reale est, quod personæ ratione rei aut loci, dignitatis, officii, negotii aut Confraternitatis conceditur, talia sunt privilegia, quæ ratione Episcopatûs, Clericatûs, Principatûs, Ordinis Religiosi, studiorum &c. competunt. Personale est, quod ratione singularis ipsius experientiæ, industriæ, fidelitatis aut meriti indulgetur.

Quæres *secundo*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Privilegium in favorem solius personæ datum, personam, in quocunque loco fuerit, comitatur, cum hac extinguitur, nec ad hæredes vel ejusdem transit Successores: quia totum fundamentum hujus privilegii positum est in singularibus personæ privilegiatæ qualitatibus, ideóque illas sequitur, quibus per mortem sublatis privilegium quoque emori necesse est. Econtra si privilegium reale, & ratione loci datum, persona mutans locum perdit privilegium, si ratione officii concessum, succedens in officio succedit in privilegio.

Quæres *tertio*. Quæ Regulæ exempla?

℟. Sequentia in jure notanda sunt: *1mo*. Si privilegium in certo loco per consuetudinem sit introductum, personæ locum egredientes privilegio non fruuntur, cùm tale privilegium non personale, sed reale esse constet. *Arg. can. illa autem. 11. dist. 12.* ubi in certo loco consuetudo erat, quòd in quibusdam diebus ab Ecclesia interdictis Fideles carnes comederent, uti de facto in Belgio à Nativitate Domini usque ad Purificationem diebus Sabbathinis Belgæ carnes manducant, ad hanc consuetudinem respondet *Canon*, ut qui consuetudinis egrediuntur locum, & ad terram, in qua consuetudo ista viget, à carnibus abstinere debeant.

2do. Plurima privilegia habet Archi-Episcopus, postquam à summo Pontifice singulare, quod pallium Archi-Episcopale nominant, obtinuit ornamentum. Hæc privilegia dantur per pallium Archi-Episcopale personæ cum respectu & ordine ad certum locum, quem proinde non egrediuntur; sed *1mo*. Archi-Episcopus ornamentum illud extra Provinciæ vel Diœcesis suæ limites portare nequit. *2do*. Si Archi-Episcopus habens pallium ad alium transferatur Archi-Episcopatum, novum pallium petere debet. *3tio*. Quia hoc privilegium

ex parte est personale, mortuo Archi-Episcopo pallii quoque privilegium desinit, & ipsum pallium cum Archi-Episcopo sepelitur, ita, ut à Successore in dignitate Archi-Episcopali novum pallium sit petendum. *Cap. 1. cap. ex tuarum. 5. de author. & usu pall.*

CASUS.

Sigebertus origine Mediolanensis in Germaniam profectus Moguntiæ Feria 4 & 5. post Cineres carnes comedit, eò quòd Mediolani jejunium Quadragesimale Dominicâ primâ Quadragesimæ priùs incipiat. (A) Propter excellens studium Primas Universitatis Moguntinæ factus casu veniens Argentoratum in eadem Universitate præcedentiam prætendebat. (B) In Ordine Canonicorum Regularium professus Legatum summi Pontificis monasterium visitare volentem cum contemptu exclusit, ideóque ipsum monasterium interdicto suppositum fuit, cúmque alios Sacerdotes clàm celebrare videret, idem ipse fecit. (C) In Abbatem electus & Visitator Ordinis constitutus, dum visitandis per diversas Diœceses monasteriis incumberet, Confessario utitur in propria tantùm Diœcesi approbato. (D) Obtento à Papa privilegio, quòd possit omnia liberè facere sicut verus Episcopus & Ordinarius tam in iis, quæ sunt jurisdictionis, quàm in aliis quibuscunque ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, vi dicti privilegii Ordines confert, Ecclesias consecrat, &c. (E) Propter singularem virtutem in Episcopum electus dubitat, an quà Episcopus à Sede Apostolica petere possit pallium Archi-Episcopale, Sedi suæ Episcopali conferri solitum. (F) Pallio impetrato semper & ubique pro libitu utitur nixus Regulâ: *Privilegium personale personam sequitur.*

RESOLUTIO.

(A) PRivilegium Mediolanensium locale est, nec personas extra locum comitatur, unde *Sigebertus* Moguntiæ existens originis suæ non gaudebat privilegio. *Cap. quoniam. 21. de privileg.* Ubi privilegium Religiosis concessum, ne à quoquam interdici, suspendi aut excommunicari valeant, non suffragatur eis, qui degunt vel administrationem suscipiunt in Prioratibus jurisdictioni Episcopali subjectis.

(B) Præeminentia Primatis Universitatis personalis est, & ad certum determinata locum, extra quem non habet effectum, quare *Sigebertus* honorem ab Argentinensibus oblatum recipere, præcedentiæ tamen gradum, quia apud eos qualificatus non erat, prætendere non poterat. *Arg. cap. cùm capella. 16. de privileg.*

(C) Non obstante exemptionis etiam generalissimæ privilegio summus Pontifex

fex vel per se, vel per Legatos suos exemptorum monasteria plenissimam habet visitandi potestatem, cùm sit Judex ordinarius singulorum, & nulli fas sit forum ejus declinare. *Can. cuncta per mundum. 17. caus. 9. q. 3.* Hinc contra privilegii Authorem deliquit *Sigebertus* Legatum ejus repellendo. Privilegium tempore interdicti clàm celebrandi non extenditur de persona in personam, nec suffragatur eis, quorum culpâ vel fraude interdictum fuit positum. *Cap. quod nonnullis. 25. de privileg.* *Sigebertus* ergo utpote causa interdicti celebrando peccavit.

(D) Rectè *Regulam* sequitur *Sigebertus*, nam juxta *cap. ne pro delatione. fin. de pœnit. & remiss.* Confessarium ab Ordinario tamen approbatum sibi eligere poterat, & taliter electus per ipsam electionem quasi ordinariam à lege accepit jurisdictionem, unde & *Sigeberti* eligentis proprius ac ordinarius Sacerdos esse censebatur, ac ideo adinstar Parochi confessiones *Sigeberti* tanquam suæ ordinariæ jurisdictioni subjecti in quacunque Diœcesi habebat audiendi facultatem. *Fagn. in cit. cap. fin. n. 30.*

(E) Malè privilegium Pontificium *Sigebertus* à jurisdictione ad actus Ordinis extendit, cùm unum ab altero non comprehendatur, imò inter se maximè sint distincta. *Arg. cap. dilectus. 18. de offic. Ordinar.* Et privilegia contra jus commune indulta strictissimæ subjaceant interpretationi.

(F) Pallium est quidem de jure communi speciale Archi-Episcoporum ornamentum. Sunt tamen quædam Sedes Episcopales, quibus idipsum de singulari summorum Pontificum favore & gratia est concessum. Cùm igitur privilegium illud sit reale, utpote Ecclesiæ Episcopali perpetuò annexum. *Sigebertus* non tantùm poterat, sed & tempore à jure constituto videlicet intra tres menses à die consecrationis, vel per se, vel per alium ad hoc speciale mandatum habentem memoratum pallium petere debebat. *Can. 1. dist. 100.*

(G) Ineptè *Sigebertus* Regulam applicat, nec enim semper, nec ubique pallio uti licet. *1mo* quidem pallio utitur ejus honore insignitus non tantùm in Ecclesiis Cathedralibus, sed etiam in omnibus aliis suæ Provinciæ locis intra Missàrum Solemnia. *Cap. cum sis. 6. cap. fin. de author. & usu pall. 2do.* In aliena Diœcesi, & in propria in Missa Defunctorum non licet uti pallio. *Arg. cap. ex tuarum. 5. de author. & usu pall. 3tio.* Nec extra Ecclesiam v. g. in processione. *Cap. 1. de author. & usu pall.* Nec omnibus, sed certis & determinatis solemnioribus diebus pallio uti licet. Hos dies enumerat *Gloss. in cap. ad honorem. 4. de author. & usu pall. verb. ad honorem.*

REGULA VIII.

Semel malus, semper præsumitur esse malus.

QUæres *primo*. Quis hujus mirabilis Regulæ sensus & ratio?

℟. Sensus & ratio Regulæ est: quamvis quilibet præsumatur bonus, ùt suprà diximus, donec appareat malus, & legitimâ probatione de malitia fuerit convictus. *Cap. un. de scrutin. in Ord. faciend. cap. fin. de præsumpt.* Postquam tamen semel malus apparuit, ut quia pejeravit, prævaricatus est, adulterium commisit, tamdiu præsumitur malus, donec per pœnitentiam peccatum expiâsse, & animum mutâsse probetur. Colligitur ex *can. parvuli. 14. caus. 22. q. 5. & cap. scribam. 9. de præsumpt.* Exemplum habemus in *cap. majores. 3. de Baptism.* ubi dormientes & amentes, qui ante somnum vel amentiam se nolle Baptismum suscipere declarant, baptizari prohibentur, quia non præsumitur, quòd voluntatem mutaverint, sed in priori contradictionis proposito, usque dum contrarium probetur, perseverare intelliguntur.

Quæres *secundo*. Quæ Regulæ limitationes & exceptiones?

℟. Sequentes. *1ma*. Si tantùm in principio, & non in fine actus fuerit malus, hoc est: aliquis delictum quidem inchoavit, sed non consummavit, voluntariè ab incœpto scelere desistendo, is animum mutâsse præsumitur. *2da*. Non valet *Regula* in diversi generis delictis, sic qui malus fuit in adulterio, non præsumitur malus in homicidio. *3tia*. Præsumptio *Regulæ* non est juris, & de jure, ita, ut in contrarium probationem non admittat, sed probato, quòd malus pœnituerit, séque emendaverit, ulteriùs esse malus non intelligitur.

CASUS.

Theobaldus in minoribus constitutus, postquam Clericatum habitu & tonsurâ aliquo tempore professus esset, deponit habitum, & publicè pro Laico habetur, cùm autem à Magistro violentiarum in enormitatibus deprehenderetur, se Clericum esse dixit, quod cùm non crederetur. (A) In testem vocat Sempronium, qui exceptione perjurii rejectus est. (B) Re cum Magistro violentiarum per solutionem pecuniæ compositâ servitio Episcopi se addicit, apud quem furti accusatur à converso, qui ante ab Episcopo cum ancilla turpiter agere inventus fuerat. (C) Unde Episcopus tum per se, tum per alios *Theobaldi* actibus

bus studiosiùs invigilat, (D) Ab ipso beneficium petens examini se sistere jubetur, in quo ob incapacitatem rejectus fuit. (E) Deserto servitio Romam profectus Episcopum de gravi crimine accusat. (F) Et rescriptum cum clausula: *Si persona fuerit idonea*, ad beneficium impetrat, quod tamen Episcopus ei, nisi idoneitatem probaverit, conferre recusat. (G)

RESOLUTIO.

(A) CLericus ùt Laicus incedens Clericale non perdit privilegium, nisi tertiò à Prælato suo monitus depositâ sæculari veste Clericalem assumpserit. *Cap. in audientia. 25. de sent. excom.* *Theobaldus* tamen sine tonsura & habitu in delicto deprehensus per exceptionem Statûs Clericalis, cùm eam ad jurisdictionem Laicalem eludendam, & debitam pro excessu ultionem evadendam opponere præsumatur, censuram Judicis sæcularis subterfugere nequit, cùm malitiis hominum indulgeri non debeat, sed potiùs obviari. *Cap. ex parte. 27. de privileg.*

(B) Si quis pejeraverit, per quadraginta dies pœniteat in pane & aqua, & septem sequentes annos, & nunquam sit sine pœnitentia. *Can. si quis peieraverit. 4. caus. 22. q. 5.* Præterea nec testis post hoc, nec ad Sacramentum accedere, nec in sua causa, vel alterius jurator existere potest. *Can. parvuli. 14. caus. 22. q. 5.* Ideóque per *Regulam* Sempronius semel perjurus à testimonio ferendo justè repulsus fuit.

(C) Si *Theobaldus* in Episcopi servitio tanquam Clericus, & conservus ut Laicus versabatur, ab hoc iste judicialiter accusari non poterat, cùm Laicis Clericos accusandi non competat facultas. *Cap. cum Manconella. 10 de accusat.* Quamvis ex hoc, quòd in libidinis turpitudine conservus fuerit deprehensus, fides ei non sit deneganda per *Regulam*, cùm libidinosè agere, & calumniari diversi generis noscantur esse delicta.

(D) Non tantùm per *Regulam 2. lib. 5.* Episcopus res suas diligenter custodire, absque eo, quòd *Theobaldum* furem esse judicaret, sed etiam per *Regulam* præsentem velut suspectum & in malitia semel inventum omni studio cavere valebat, nec ipsi injuriam per hoc faciebat, cùm ex præteritis circa futura justa sit præsumptio. *Cap. mandata. 6. de præsumpt.*

(E) Omnes res & bona Ecclesiastica, beneficia, Ecclesiarum jura in Diœcesi ad Episcopi regimen pertinent. *Can. nullus. 11. caus. 16. q. 7.* Ideo providere incumbit Episcopo, ut beneficia dignis conferantur. *Theobaldum* ergo examini sistendo suum adimplevit officium.

(F) A denuntiatione Episcopi repellitur, qui eum non prænonuit. *Cap. si quis Episcopus. 2. de accusat.* Episcopi & alii Ecclesiæ Prælati non per quemlibet, sed per viros graves, providos & honestos accusandi sunt. *Arg. qualiter & quando. 24. & cap. fin. de accusat.* ne ad infamiam suorum quis facilè prosiliat

Prælatorum. *Cap. cum dilectus. 2. de calumniat.* Hinc calumnioſa Diaconi à Subdiacono facta accuſatio gravi mulctatur pœnâ in *cap. 1. de calumniat.* Dum Subdiaconatûs officio privatus, verberibus publicè caſtigari, & in exilium deportari jubetur. Niſi ergo quid ſingulare, quo animus Pontificis contra Epiſcopum moveri, & ad inquirendum incitari poſſit, accuſator *Theobaldus* attulerit, omninò rejiciendus eſt.

(G) Juxta *Regulam* à *Theobaldo* capacitatis ad beneficium juſtè Epiſcopus exigit probationem, nec impetranti patrocinatur *cap. dudum. fin. de præſumpt.* ubi impetranti reſcriptum ad beneficium cum clauſula : *Si perſona idonea fuerit*, neceſſitas ſe idoneum probandi non imponitur. *Cit.* enim *cap.* rationem addit: *Cùm primâ facie præſumatur idoneus, niſi aliud in contrarium oſtendatur.* Cùm verò *Theobaldus* ſemel ob incapacitatem in examine Synodali fuerit rejectus, nec eum ex poſt aliquando admiſſum fuiſſe conſtet, rectè adhuc incapax præſumitur; quapropter Epiſcopus ei providere non tenetur, niſi de novo examen ſubiêrit, & idoneitatem ſuam probaverit.

REGULA IX.

Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.

QUæres *primo.* Quid & quotuplex eſt fictio juris?

℟. Fictio juris eſt, quando jus fingit aliquid eſſe, quod non eſt, & hæc triplex eſt: *Inductiva, privativa & translativa.* Fictio *inductiva* eſt, quando lex vel Canon fingit aliquid eſſe, quod non eſt, ſic defunctum in jacente hæreditate fingit vivere, qui tamen non vivit. *L. non minus. 31. ff. de hæred. inſtituend.* Fictio *privativa* eſt, quâ aliquid non eſſe fingitur, quod re ipsâ eſt, ut Religioſus, qui vivit, pro mortuo habetur. *Can. placuit. 8. cauſ. 16. q. 1.* Demùm *translativa* eſt, quando actus ab uno agente, uno tempore, uno loco, aut modo factus à jure habetur, quaſi ab alio agente, alio tempore & loco geſtus fuiſſet, ita ratum habens vel approbans, quod à Procuratore ſuo nomine geſtum, facit, quod ſuo nomine actum ab alio, fictione *translativâ* ab ipſomet geſtum reputetur. *L. quo enim. 12. ff. rem ratam hab.*

Quæres *2.* Quis hujus Regulæ ſenſus?

℟. Id, quod ab alio geſtum eſt, ut quis ratum habendo per translativam juris fictionem ſuum faciat, requiritur, ut agens rem non proprio ſuo, aut alterius tertii, ſed ipſius ratihabentis nomine illam geſſerit. Ratio eſt : quia vera ratihabitio facit negotium per fictionem juris translativam ſuum, negotium autem, quod

quod neque per nos, neque per eos, quos in potestate habemus, neque mandato nostro effectum est, nostrum fieri nequit, nisi nostro perficiatur nomine, ut enim nostrâ ratihabitione negotium fiat nostrum, ejus à quo, & cujus negotium facimus, mutuus requiritur consensus. Exemplum est: Titius Clericum suum inimicum proprio nomine indignè tractat, quamvis ego factum Titii comprobando ratúmque habendo graviter delinquam, excommunicationem tamen non incurro, quia percussio non meo, sed Titii nomine facta est. *Cap. cum quis. 23. de sent. excom. in 6.*

Quæres *tertio*. Qui sunt casus ab hac Regula excepti?

R. Sequentes: *1mus*. Electionem Prælati Capitulares absentes à præsentibus contempti, nec ad electionem vocati propter bonum pacis ratificare possunt. *Cap. quod sicut. 28. de elect. 2dus*. Donationem Ecclesiæ à Laico indebitè factam Episcopus licitè & validè ratificat. *Cap. cura. 11. de iurepatron. 3tius*. Alienatio rei Ecclesiasticæ à Prælato facta per Capitulum ratificari potest. *Cap. cum nos. 3. de his, quæ fiunt à Prælat. 4tus*. Venditionem & oppignorationem rei suæ ab alio nomine proprio attentatam Dominus ratificando validare potest. *L. si fundus. 16. ff. de pignor. & hypoth. 5tus*. Si pater vel dominus negotium à filio vel servo proprio nomine gestum ratificat, suum facit. *L. si res. 5. ff. de in rem verso.*

CASUS.

Vincentius Capituli Collegiati Decanus, sciente nec contradicente Capitulo partem decimarum vendit. (A) Pro superfluo tamen venditionem à Capitulo postea ratificari curat. (B) In ratificationem consenserunt omnes Canonici duobus exceptis, quorum unus graviter in Decanum invectus varias calumnias ei publicè in Capitulo objecit. (C) Quod audientes servi Decani, rei indignitate commoti, pro vindicando Domino, cui gratum futurum, quod agebant, existimabant, Canonicum istum egregiè delumbârunt. (D) Quo cognito servorum factum laudavit & approbavit Decanus. (E) Peccati tamen gravitatem agnoscentes servi ex rebus Decani excessivas nomine ejus fecerunt eleëmosynas, quod ipse resciens laudavit. (F) Ad extrema deveniens è patrimonio suo villam cum jure patronatûs monasterio Canonicorum Regularium, Zenodochio verò centum Imperialium annuos reditus insscio, sed ratihabente postea Episcopo donavit. (G)

RESOLUTIO.

(A) Alienationes rerum Ecclesiasticarum, si temporales fuerint, factæ Capitulo sciente nec contradicente tolerantur per *cap. continebatur. 2. de his,*

quæ fiunt à Prælat. Perpetuæ tamen, quales sunt donatio, venditio, vel commutatio, irritæ sunt, nec in ullo foro valorem obtinent, quia collaudatio & subscriptio Clericorum seu Capituli intervenire debet. *Cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælat.* Ex quo patet non sufficere Capituli cum scientia taciturnitatem.

(B) Non erat superflua Capituli ratificatio, cùm sine ea, ut dictum, contractus venditionis invalidus esset; Capitulum autem alienationem, etiam eo reclamante, factam ratihabendi obtinere facultatem liquet ex *cap. cum nos. 3. de his, quæ fiunt à Prælat. &c.*

(C) Quanquam alienationi illegaliter factæ quilibet de Collegio Canonicus contradicere, rémque sic alienatam cum fructibus repetere valeat. *Cap. si quis Presbyterorum. 6. de reb. Eccles. non alienand.* Ratificatio tamen à majori & saniori parte Capituli facta obtinebat, in rebus enim Capitularibus nisi à pauciobribus & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit & ostensum, appellatione remotâ prævalet semper, & suum consequitur effectum, quòd à majori & saniori parte Capituli fuerit constitutum. *Cap. 1. cap. ex parte. 4. de his, quæ fiunt à maj. part. Cap.* Quare si absque consensu duorum contradicentium in ratificationem major & sanior pars Capituli condescendebat, ratificatio subsistebat, cùm unus in Decanum excandescens suâ passione se è saniori parte non esse probaret, propter excessum contra Superiorem graviter puniendus. *Arg. cap. dilectus. 11. de pœnis.*

(D) A servis tamen Decani puniri non poterat, ideóque ipsi Canonicum percutiendo enormiter deliquerunt, & excommunicationem, etsi occultè factum perpetrârunt, summo Pontifici reservatam incurrerunt. *Cap. non dubium. 5. cap. porro. 7. cap. tua nos. 19. de sent. excom.*

(E) In *cap. cum quis. 23. de sent. excom. in 6.* statuitur, quòd cùm quis absque mandato manus injicit in Clericum nomine alterius, si iste hoc ratum habuerit, excommunicationem latam à Canone incunctanter incurrat, cùm ratihabitio retrotrahatur, & mandato debeat comparari. Cùm igitur servi vindictam nomine Domini in personam Canonici exercuisse videantur, ipsum Decanum factum iniqnum approbantem & ratihabentem excommunicationis sententiam incurrisse non ambigitur.

(F) Domestici quanquam facultatem pauperibus ex rebus Domini eleëmosynas largiendi habeant, ea tantùm de ordinariis intelligenda est eleëmosynis, unde servi extraordinarias dare nequibant; quia autem excessum nomine suo factum Decanus ratificavit, servi ab onere restitutionis liberi existunt. *Arg. L. si indebitum. 16. ff. rem ratam haberi.*

(G) Episcopus donationem Zenodochio factam licitè ratificat. *Cap. cura. 11. de jurepatron.* Ad acquirendum autem jus patronatûs Ecclesiæ Regularium donatum nec consensus, nec ratificatio Episcopi requiritur, quamvis per talem donationem juri Episcopali non derogetur.

Cap. illud. 8. cap. cum sæculum. 12. de jurepatron. cap. unic. eod. in 6.

RE-

REGULA X.

Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.

QUæres *primo*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Approbatio, quâ actum vel negotium nomine nostro ab alio gestum ratum habemus, fictione juris retrotrahitur ad tempus, quo factum est, & vim mandati habet, quod non valet tantùm in contractibus aliisque judicialibus vel extrajudicialibus actibus, sed etiam in beneficiis & causis spiritualibus speciale mandatum exigentibus.

Quæres *secundo*. Quæ in ratihabitione, ut hujus Regulæ effectum habeat, conditiones requiruntur?

℟. Sequentes: *1mo* requiritur, ut persona habens actum ab alio suo nomine gestum, eo tempore, quo actus positus est, illum producere potuerit. Sic furiosus vel amens ratificare nequit illa, quæ suo nomine tempore furoris gesta sunt, eò quòd pro illo tempore hæc demandare nequiêrit. *2do*. Ratihabitio eo tempore fieri debet, quo, si actus nondum positus, ex mandato ratihabentis adhuc poni posset, ideo appellationem à sententia meo nomine ab alio post lapsum fatalium interpositam ratificare non possum. *3tio*. Tempore ratificationis res integra, sive omnia in illo statu esse debent, in quo tempore gesti negotii fuerunt. *4to*. Mandatum aut consensus de substantia actus esse non debet. *5to*. Actus vel negotium ratihabitione roborandum tale esse debet, ut per alium geri valeat.

CASUS.

Vltus Sempronii in Curia Romana Procurator, cùm sponsam, quam Venetiis habebat, à multis appeti audiret, ne Sempronius per moram eâ frustraretur, cùm ipsa nomine Principalis matrimonium contrahit, eique per litteras significavit, ut quamprimùm ratihabendo actum consentiret, quod & fecit Sempronius. (A) Dum matrimonio contrahendo *Vitus* occuparetur, sententia contra Sempronium fertur, à qua *Vitus* post lapsum fatalium nomine Principalis appellavit, qui & appellationem ratam habuit. (B) Appellatione rejectâ *Vitus* cum adversâ parte transegit, quam transactionem Sempronius pro parte ratificavit, & pro parte rejecit. (C) Interea Sempronius in Curia Romana pro filio suo contra Cajum beneficiariam litem accipit, hìc *Vitus* occasionem

nactus

nactus Sempronium propter primam litem perditam offensum placandi, rescriptum contra Cajum in favorem filii Sempronii impetrat, cujus impetrationem Sempronius quantociùs ratihabuit. (D) Rescripto cassato informatur *Vitus*, unde ad judicium citatus non comparuit, sententiâ nihilominùs contra Sempronium pronuntiatâ. (E) *Vitus* ad summum Pontificem pro rescindenda injustè lata sententia appellat, & Sempronius appellationem indebitè interpositam ratificans, (F) *Vito* alium adjungit Procuratorem, quo faciliùs agente litem contra Cajum evicit cum conditione, ut filius Sempronii beneficium obtineret, Cajo autem quot annis ex beneficii fructibus 100. Imperiales solveret. (G)

RESOLUTIO.

(A) UT matrimonium per Procuratorem contractum validum sit, Procuratorem ad hoc speciale mandatum habere necesse est. *Cap. fin. de procurat. in 6.* Quo cùm careret *Vitus*, invalidus erat matrimonii contractus, nec Sempronii ratihabitione revalidatur, cùm mandatum speciale & consensus de substantia matrimonii esse noscantur.

(B) Si *Vitus* citatus ad sententiam ex legitima causa Judici ignota non comparuit, tenet sententia eo absente lata, sed retractatur eo probante legitimam absentiæ causam. Si impedimentum plenè non probatur, sententia non retractatur, nisi de ipsius iniquitate doceatur. *Cap. cum Bertoldus. 18. de sent. & re judicat.* Post lapsum fatalium nulliter *Vitus* appellavit. *Cap. cùm sit. 5. de appellat.* Cùm igitur Sempronius post fatalia appellationem interponere non posset, à Procuratore suo taliter interpositam in vim *Regulæ* ratihabere quoque nequibat.

(C) Transactionem à Vito nomine Principalis factam Sempronius pro parte ratificare, & pro parte reprobare poterat. *Arg. L. cum debitore. 17. ff. rem ratam haber.*

(D) Si *Vitus* ad impetrandum rescriptum contra Cajum speciale mandatum non habuerit, impetratum non subsistit. *Cap. nonnulli. 2. §. sunt & alii. cap. ex parte Decani. 33. de rescript.* Licèt Sempronius, cujus nomine impetratum erat, id postea ratum habuerit. *Gloss. in Regulam præsentem verb. ratihabitionem.* Et hoc facit jus acquisitum illi, contra quem facta est impetratio, quod ab ipso invito & ignorante avelli non potest.

(E) Si *Vitus* infirmus ad judicium citatus infirmitatis causâ sese excusaverit, non valet sententia contra absentem pronuntiata. *Cap. querelam. 2. de procurat.*

(F) Procurator pro interesse Domini sui ad summum Pontificem appellare poterat. *Arg. cap. dilectus. 11. de procurat.* Appellationem quoque Sempronius per *Regulam* rectè ratificavit.

(G) Qualiter constituti duo Procuratores agere valeant ac debeant, exprimitur in *cap. si duo. 6. de procurat. in 6.* In causa spirituali & beneficiaria, uti hic erat, Judex ex duobus Procuratoribus simpliciter datis eligit magis idoneum, qui causam solus prosequi debet, nec alius

alius admittitur, nisi primo legitimè excluso, aut impedito. Per sententiam hanc non ipsum beneficium, sed Beneficiatus, quamdiu vixerit, manet obligatus, quo defuncto onus solvendi 100. Imperiales non afficiat beneficium, ita, ut Successor in eo ad præstationem allegatæ summæ pecuniariæ minimè teneatur. *Cap. nisi essent. 21. de præbend.*

REGULA XI.

Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori.

QUæres *primo*. Qui dicuntur partes?

℟. Illi, qui super re aut causa quadam coram legitimo Judice litigant, ex quibus, qui prior ad judicium provocat, & in eo actionem vel accusationem proponit, in civilibus actor, in criminalibus accusator appellatur; reus verò dicitur is, qui ad judicium tractus, actionem vel accusationem propulsando, contra actorem sese defendit. Jura partium sunt probationes, ùt litigantis confessio, testium depositio, instrumenta, sive scripturæ privatæ sive publicæ, præsumptiones, juramenta, aliæque obligationes in vim probationis productæ, in quibus intentionem suam actor, & reus exceptionem fundare nituntur. Hæc partium jura sunt obscura, quando Judex ponderatis omnibus pro & contra utramque partem productis, quæ aliis prævaleant, discernere non potest.

Quæres *secundo*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. In casu, quo probationibus & allegationibus omnibus æquo judicio ponderatis, quæ alteri prævaleant, non apparet, reo potiùs, quàm actori favendum, ita, ut reus potiùs per sententiam sit absolvendus, quàm condemnandus.

Quæres *tertio*. Quæ Regulæ ratio?

℟. Æquitas hujus *Regulæ* in hoc consistit: actor in judicium sponte descendit & paratus, reus invitus ad judicium trahitur, actor habet se per modum aggredientis, reus est defensor, vim actoris repellendo, reus pugnat pro libertate, in cujus est possessione, actor certat pro rei obligatione & servitute; dictat autem naturalis æquitas, magis favendum ei, qui invitus ex necessitate se defendendi judicium subibit, quàm qui volens alterum aggreditur, & non rarò ex mera insolentia vel cupiditate ad judiciale provocat certamen.

CASUS.

Winandus filiam suam primò genitam desponsans Ansberto, secundò genitam hæreditati renuntiare & monasterium intrare coëgit. (A) Ansbertus cum socero Winando rixas accipiens in verba irreverentiam sonantia prorupit, ideóque à Winando judicialiter accusatur, cúmque utriusque probationes ejusdem ponderis essent, dubitat Judex, cui juramentum litis decisorium deferendum, cùm utraque pars ad illud se offerret. (B) Re tamen amicabiliter compositâ Ansbertus dotem petit, quam cùm Winandus dare detrecta-ret, Ansbertus causam judicialiter instituit, & quamvis dotis solutionem sibi deberi plenè non probâsset, judex tamen pro parte ejus inclinat. (C) Interea mussitatur de impedimento affinitatis Ansbertum inter & uxorem filiam *Winandi*, qui matrimonium, ne dotem solvere cogeretur, solvi optans, testem de impedimento affinitatis attestantem producit. (D) Cúmque res protraheretur, *Winandus* filiam suam ab Ansberto dolosè abstractam domi recludit, quam sibi utpote spoliato Ansbertus restitui petit & impetrat. (E) *Winandus* Ansberto plenè reconciliatus eique omnia bona sua cedens à monasterio, in quo filia ejus secundò genita erat professa, ratione dotis & successionis in hæreditate impetitur, contra quod *Winandus* filiam successioni & juri ad hæreditatem renuntiâsse excipit. (F) Imò filia contra Professionem reclamat, sed cùm dubium esset, an Professionem liberè ratificaverit, Judex pro Professione judicat. (G) In causa successionis *Winandus* contra monasterium simul legem amortizationis opponit, ex quo capite illud totaliter excludere conatur. (H) Judex aliàs Regularium Osor præsentem *Regulam* arripit, & ex ea *Winandum* absolvit, sub prætextu, quòd partium jura essent obscura. (I) Cùm monasterium à sententia appellâsset, res ad compositionem venit, cum pacto, ut monasterium in bonis allodialibus æqualiter cum filia primò genita, non autem in feudalibus succederet. (K)

RESOLUTIO.

(A) REnuntiatio gravi metu extorta est invalida. *Arg. L. si donationis. 7. C. de his, quæ vi metúsve &c.* Præterquam quòd renuntiatio paternæ hæreditatis à filia facta omninò reprobetur & infirmetur per *L. pactum. 3. C. de collation.* Ex dispositione *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 18.* anathemati subjiciuntur omnes & singuli, cujuscunque qualitatis vel conditionis fuerint, qui quomodocunq; coëgerint aliquam virginem vel viduam aut aliam quamcunque mulierem ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscunque

quæ Religionis, vel ad emittendam Professionem, &c. Ex quo patet *Winandum* excommunicationis vinculo esse innodatum.

(B) Si *Winandus* in probatione omninò deficiebat, Ansbertus reus, etsi nihil probaverat, obtinere & absolvi debebat, In dubio autem, & præsumptione pro actore *Winando* stante juramentum *Ansberto* reo ad ostendendam suam innocentiam deferendum erat. *Cap. fin. §. sanè. de jurejur.*

(C) Causa dotis est favorabilis & perpetua. *L. 1. & 2. ff. de jure dot.* Hinc juxta Gloss. in *Regulam* nostram *verb. cùm sunt partium*, exceptio est à *Regula*, nisi actor causam favorabilem, puta matrimonii, libertatis, testamenti, vel dotis foveat, tunc enim actori est favendum.

(D) Conjugium jam contractum multum favoris obtinet, ideóque testes contra illud de auditu testantes, minùs validum perhibent testimonium. *Cap. tua nos. 7. de consang. & affin.* Et si vir & uxor aliquot annis sine quæstione simul fuerunt, qui matrimonium jam accusant, suspicione carere non videntur. *Cap. 1. qui matrim. accusat.* Unde repelluntur, qui illud propter quæstum accusant, vel tempore denuntiationis tacuerunt. *Cap. significante. 5. cap. cùm in tua. 6. qui matrim. accusat.* Dictum quoque unius testis etiam matris aut patris de impedimento deponentis matrimonii vinculo non officit, illud enim sinè plurium juramento dissolvi non debet. *Cap. super eo. 22. de testib.*

(E) *Winandus* filiam suam à vero marito separando peccavit, ideóque cùm probationes contra matrimonium contractum sufficientes non essent, justè Ansbertus petiit & obtinuit uxoris suæ restitutionem. *Cap. litteras. 13. de restitut. spoliat.*

(F) Cùm juxta dicta renuntiatio à filia secundò genita minis & gravi metu extorta invalida sit, non est dubium, quin monasterium, in quo ipsa validè est professa, in quotam patrimonialem succedat, bona ergo à *Winando* legaliter cessa Ansbertum inter & monasterium æqualiter erant dividenda.

(G) In dubio hoc distinguendum est, vel enim dubitat de facta ratificatione, vel certum est, ratificationem esse factam, sed dubitatur, an deliberatè facta fuerit. In primo casu videtur dicendum cum *Gloss. cit.* pro favore libertatis professam necdum obligari. *Arg. L. Lege Junia. 24. ff. de manumiss.* ubi dicitur, quòd si testes non dispari numero tam pro libertate, quàm contra libertatem dixerint, pro libertate pronuntiandum esse. In altero casu per *Regulam* favendum est reo, scilicet ratificationi, contra quam agit, nec probat professa indeliberationem, quia deliberatio actibus humanis inesse præsumitur, unde eam abfuisse probandum est.

(H) Exceptio frivola, frustratoria & omninò inutilis est, siquidem statutum illud invalidum est & inane, magis Principum hujus sæculi authoritate & potentiâ, quàm ratione vallatum, cùm *1mo* Immunitati Ecclesiasticæ. *2do.* Æquitati. *3tio.* Pietati. *4to* Reipub. bono, *5to.* Sanæ fidei. *6to.* Juri Divino, Cano-

nico & civili repugnet, quæ omnia hìc exprimere prolixum nimis foret. Quid jus civile de similibus statutis sentiat, docet integer *titulus de sacrosanct. Eccles.* ubi specialiter notanda est *authent. cassa.* omnes & quascunque consuetudines libertati & personis Ecclesiasticis adversantes cassans & irritans. Item *authent. si qua mulier.* ubi bona Professorum ad monasteria pertinere dicuntur. Item *L. si quis donaverit.* ubi qui rem etiam immobilem loco pio donâsse dicitur, solutionem præstare jubetur. Item *L. quoniam. fin.* ubi testamenta etiam de bonis immobilibus in causæ piæ favorem facta laudantur, approbantur, & in quibuscunque observari mandantur.

(I) Quòd renuntiatio à filia *Winandi* per metum & coactionem facta, & peremptoria, ùt putabat, legis amortizationis exceptio, invalida sint, nulla est obscuritas, & veritatem Judex agnovisset, si passione contra Regulares mentis oculus læsus non fuisset. Hinc malè applicando *Regulam* injustam pronuntiavit sententiam

(K) Secundùm Canones Clerici & Religiosi feuda habere possunt, de Clericis patet per *cap. ex transmissa. 6. cap. verum. 7. de foro compet.* De Religiosis constat *ex cap. un. §. verùm. de Statu Regular. in 6.* Ad quæstionem autem: an monasterium in bona feudalia professi succedat, respondet *Fagn. in cap. quæ in Ecclesiarum.* Quòd à Doctoribus ferè omnibus in eam sententiam itum sit, ut, si feudum requirat personale servitium, quod à vasallo Religioso nec per se, nec per substitutum præstari valeat, tunc minimè transeat ad monasterium, sed statim agnatis vel domino aperiatur: si verò tale requirat servitium, quod à Religioso vasallo vel per se, vel per substitutum honestè præstari possit, hoc casu benè transeat in monasterium, durante tantùm vitâ naturali ipsius professi. Jura autem Clericos & Religiosos à feudis excludentia restringi debent, & ad limites rationis, cui innituntur, reduci. Non potuit ergo universaliter monasterium à successione in feudalibus excludi, nisi ex sui natura sint talia, quæ tantùm ad hæredes sanguinis transeunt, & generi ac familiæ remanere solent.

REGULA XII.

In judiciis non est personarum acceptio habenda.

QUæres *primo.* Quid in hac Regula per nomen judicium significatur?

R. Intelligitur hoc nomine quilibet actus, in quo propter justitiam vel commutativam, vel distributivam meritorum, qualitatum & aptitudinis unius præ alio habenda est ratio.

Quæres *secundò.* Quid est personarum acceptio? R.

R. Est vitium, quo id, quod ex justitia debetur, uni personæ propter ejus conditionem & qualitates nihil ad debitum contribuentes præ altera, quæ in jure, meritis, dignitate superat, confertur, ut si beneficium consanguineo, qui extraneo consanguineum idoneitate superanti præfertur, solo carnis conferatur affectu.

Quæres *tertio*. Quis hujus Regulæ sensus?

R. Non solùm in judicio forensi, sed etiam in dignitatum, beneficiorum, officiorum collatione, in onerum communium distributione, cæterisque actibus, quibus aliquid benè meritis, vel certam qualitatem habentibus debitum ex justitia vel commutativa vel distributiva tribuendum est, id aliis tribui non debet intuitu conditionis vel qualitatis ad id, quod tribuitur, non conferentis. Ratio est: quia justitia requirit æqualitatem, commutativa quidem arithmeticam, quâ tantum detur, quantum debetur, distributiva geometricam, quâ bona vel onera communia, dignitates, munera publica personarum meritis, qualitatibus, idoneitati, aut facultatibus ita respondeant, ut his inter se comparatis, qui meritis, qualitatibus, vel capacitate alium superat, vel ampliores habet facultates, tantò honoratius munus, vel de bonis communibus plus consequatur, vel ad publicam necessitatem plus conferat, quantò alios meritis, idoneitate, qualitatibus vel facultatibus excedit.

CASUS.

Ulricus Aulicus Principis Sacellanus electione habitâ, an velit fieri Pastor in populoso oppido, ubi ùt plurimùm moratur, an in pago, oppidi elegit pastoratum. (A) Factus ergo Pastor durum se & morosum communi plebi, perhumanum verò primis & honoratioribus semper se exhibuit, hinc *1mo* pauperibus & minus habentibus ministeria parochialia non præstat, nisi priùs solutis juribus, cum ea tamen ditioribus remitteret. (B) *2do* in catechesi divitum filiis pretiosa munuscula, pauperibus nihil distribuit. (C) *3tio* primos oppidi mensæ suæ continuos habet convivales, pauperes etiam infirmos, quantumcunque rogatus, ne quidem micâ alit. (D) *4to*. Divitibus infirmis diu noctúque assistit & ministrat, pauperes præbitis obiter Sacramentis omninò deserit. (E) *5to* pauperes malè tectos hyemis tempore per tres quatuórve horas in templo pro confessione facienda exspectare permittit, cum divitibus audiendis non tantùm statim accurrat, sed etiam pulvinaria, ut molliter flectant, propriis manibus substernat, levésque pœnitentias imponat. (F) *6to* Sacellanos suos plurimo anni tempore Parochiale officium facere sinit, dum ipse Principi Sacrum legit, ejúsque mensæ accumbit. (G) *7mo* à divite & paupere litigantibus in arbitrum electus, dum laudum pronuntiat, non tantùm divitem juxta se sedere, pauperem au-

tem nudo capite stare jubet, sed etiam cùm partium jura essent obscura, pro divite pronuntiavit, dum tamen pauper reus erat. (H) Ad extrema deveniens nihil Ecclesiæ vel pauperibus reliquit, sed omnem pecuniam, supellectilem aliáque mobilia pretiosa inter divites suos donando distribuit, & pauperibus exultantibus exspiravit. (I)

RESOLUTIO.

(A) EX hoc casu patet non esse consultum, quòd Aulicos suos ministros Patroni faciant Pastores; vix enim exuunt aulicismum cum officio pastorali simpliciter incompossibilem, quem ipsa electio, quam fecit *Wiricus*, abundè probat, hunc, quia inter rusticos & paganos exercere non poterat, elegit oppidanos, non ponderans officium & qualitates in Pastore requisitas à *Trident. Sess. 23. de reform. cap. 1. & Sess. 24. de reform. cap. 12.*

(B) Parochus in jure etiam plebanus dicitur. *Cap. scriptum est. 40. de elect.* utique à plebe, cui tanquam pater præficitur. Contra *Regulam* ergo peccat *Wiricus* plebem quasi se indignam tractando, & honoratioribus servili humanitate plus, quàm decet, deferendo. Non est praxis timoratorum, quòd ministerium spirituale non præstetur, nisi solutis priùs juribus consuetudine aut statuto taxatis; licèt enim ea tanquam titulo sustentationis debita Pastor in jure fundatam habeat intentionem, anticipatam tamen eorum solutionem urgere, avaritiam sapit, præfert mercenarium, & simoniam involvit, *Cap. in tantum. 36. de simon.*

(C) Præcipit *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 4.* ut Parochi saltem Dominicis & Festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta doceant, contra *Regulam* tamen iterùm delinquit *Wiricus* pauperibus adolescentibus pro præmio vel animatione nihil, ditioribus omnia distribuendo; si enim conformiter *Trident. loc. cit. cap. 7.* in catechesi sacra eloquia explananda, & salutis monita omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserenda, quanto magis inutiles hæ & partiales munusculorum largitiones Parocho sunt evitandæ, quibus officium Parochiale contemni, & salutis monita noscuntur vilipendi.

(D) Juxta *Trident. Sess. 23. de reform. cap. 1.* præcepto Divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas bonorum operum omnium exemplo pascere, pauperum, aliarúmque miserabilium personarum curam paternam gerere, &c. ideo & hic *Regulam* offendit *Wiricus* pauperes præsertim infirmos pro posse non pascendo, *Arg. can. nulli. 62. caus. 16. q. 1.* Si igitur Pastor ad exemplum Christi opportuno tempore animam suam pro ovibus exponere obligatur. *Can. adversitas. 48. caus. 16. q. 1.* Quomodo *Wiricus* pro eis dabit animam, qui ipsis mensæ suæ dare recusat micam?

(EF)

(EF) Ex his patet *Wiricum* non tam esse divitum pastorem : quàm servum nec satisfacit obligationi suæ infirmos quandoque non visitando, estque mollis Sacramentorum minister, dum honoratiores ad pœnitentiam accedentes non pœnitentium, sed convivarum more tractat, attendere deberet ad id, quod docet *Trident. Sess. 14. de pœnitent. cap. 8.* Debent Sacerdotes Domini, quantùm spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere: ne, si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſsima quædam opera pro graviſsimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Dum igitur *Wiricus* pauperes suos cum impatientia & afflictione pœnitentiam exspectare permittit, non tantùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam delinquit, ipsisque Sacramentum pœnitentiæ facit esse forum iræ & pœnarum, contra *Regulam*, personarum acceptionem in Divino hoc judicio vel maximè prohibentem.

(G) Pastor per semetipsum oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbíque Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, & in cætera munia pastoralia incumbere debet. *Trident. cit. Sess. 23. de reform. cap. 1.* quod ab *eodem* iteratò declaratur & præcipitur. *Sess. 24. de reform. cap. 4. & 7.* Ideo peccavit *Wiricus* in Sacello Aulico diebus Dominicis & Festivis celebrando, & officium pastorale Sacellanis committendo.

(H) Palpabiliter contra *Regulam* egit *Wiricus* offendens quoque præceptum *S. Jacobi Apost.* in Epistola sua Canonica *cap. 2.* acceptionem personarum inter Christianos pro tali casu damnantis. Laudi iniquitas ex præcedente *Regula* satis apparet, cùm reo favendum fuisset. Unde cùm constet *Wiricum* nequiter arbitratum, laudum servandum non est. *Arg. cap. non sine. 2. de arbitris.*

(I) Clerici viventes & sui compotes moderatè valent aliqua de bonis, quæ per Ecclesiam adepti sunt, non ratione testamenti, sed eleëmosynæ intuitu erogare in ægritudine constituti. *Cap. ad hæc. 8. de testam.* Propria quidem & intuitu Ecclesiæ non acquisita *Wiricus* pro arbitrio suo distribuere poterat, ratione autem officii pastoralis aut Ecclesiæ parochialis comparata ad eam devolvebantur, ideóque ea divitibus suis dare nequibat infœlix Pastor. *Cap. relatum. 12. de testam.*

RE-

REGULA XIII.

Ignorantia facti, non juris excusat.

QUæres *primo.* Quid & quotuplex est ignorantia?

℟. Ignorantia est carentia scientiæ; in quo distinguitur ab errore, qui est intellectûs falsò judicantis judicium. *Ignorantia* alia *juris*, alia *facti*. *Ignorantia juris* est, quando quis legis, Canonis, legitimæ consuetudinis caret notitiâ, ut nescio, quod lucrum ex mutuo prohibita sit usura, quòd cum certis solemnitatibus instituenda sit rei sacræ alienatio, quòd percutiens Clericum Papæ reservatam incurrat excommunicationem. *Ignorantia facti* est: quando aliquid factum vel omissum nescitur, ut non scitur, an mutuatarius aliquid ultra sortem dederit, an in alienatione rei sacræ & Ecclesiasticæ servata juris solemnitas, an percussus fuerit Clericus. *Ignorantia facti* alia est facti proprii, dum non scio, an quenquam percusserim, alia facti alieni, ut nescio, an Petrus Clericum percusserit. *Ignorantia* tam *juris* quàm *facti* alia *vincibilis*, alia *invincibilis*. In foro externo invincibilem, probabilem ac justam ignorantiam habet ille, qui nescit id, quod status ejus vel conditio non requirit; econtra nesciens, quòd conditio vel status illius scire ipsum exigit, vincibilem habet ignorantiam: quia quilibet id, quod status ejus vel conditio requirit, scire præsumitur. In foro interno invincibili laborat ignorantiâ, qui ignorat id, quod hìc & nunc scire nequit; vincibilem autem habet ignorantiam, qui ignorat id, quod non ignorare tenetur, & scire hic & nunc valeret. Ignorantia vincibilis crassa est in eo, qui ad id, quod scire debet, nullam vel exiguam saltem adhibuit diligentiam. Ignorantia affectata est in eo: qui id, quod scire debebat, scire non voluit, aut ne sciret, impedivit, ut liberiùs peccaret: *Noluit intelligere, ut benè ageret. Psal. 35.*

Quæres *secundo.* Quæ ignorantia juxta hujus Regulæ sensum excusat?

℟. *1mo.* Ignorantia crassa & affectata sive juris, sive facti non excusat: quia ignorare id, quod quis facilè scire potest, deperditi, socordis & inexcusabilis hominis est *L. plurimum. 3. L. nec supina. 6. L. Regula. 9. ff. de jur. & facti ignor.* Crassa & affectata ignorantia scientiæ æquiparatur. *Cap. fin. de constitut. in 6. cap. eos qui. de tempor. ordinat. in 6.* Scire enim & scire debere, & scire posse paria sunt. *Cap. fin. de clandest. desponsat.*

2do. Probabilis & justa facti alieni ignorantia in foro externo excusat. *L. in omni. 2. ff. de jur. & fact. ignor.* quia nullus facta aliena scire tenetur. *3tio.*

3*tio.* Proprii facti ignorantia non excusat. *Cap. ab excommunicato.* 41. *de rescript.* quia nemo prudens factum proprium, nisi jam multi intercessissent anni, ignorare præsumitur.

4*to.* Ignorantia legis, Canonis vel receptæ consuetudinis in foro externo non excusat, ubi agitur de lucro acquirendo, ideoque error juris non prodest ad præscriptionem. *L. juris.* 7 *ff. de jur. & facti ignor.* de damno tamen vitando agentibus non obest: quia error propriæ rei amittendæ causa sufficiens non existit.

5*tò.* Ignorantia invincibilis, non tamen vincibilis, à legis transgressione præsertim in foro interno excusat.

6*tò.* Ignorantia etiam invincibilis pœnæ legi adjectæ à pœna legem transgredientem non excusat. Ignorantia vincibilis, dummodo affectata, vel crassa non sit, à pœna medicinali v. g. excommunicatione, propter contumaciam & inobedientiam lata excusat.

Quæres *quartò.* Quæ sunt ab hac Regula exceptiones?

℟. Sequentes: 1*ma.* Quando jus est ambiguum, ignorantia juris excusat, ut etiam acquirere volentibus non noceat. 2*da.* Milites, mulieres, minores, rustici, qui jura ignorare præsumuntur, propter juris ignorantiam excusantur.

CASUS.

Zasius Ecclesiæ Collegiatæ Ædituus cum manè Ecclesiam aperire vellet, invenit Canonicum in atrio ejus apertionem templi exspectantem, quem furem arbitratus graviter percussit, quamvis sciret hunc Canonicum devotionis gratiâ primum semper ad templum venire. Accusatus excusat se, quod Canonicum fuisse ignoraverit. (A) Idque juramento affirmare paratus est (B) Dum altare ornat, in dispositione Ss. Imaginum & Reliquiarum turbatus, mox hanc imaginem diabolum, alteram canem, tertiam alio injurioso nomine compellat, de super correptus dicit, hæc & similia ædituis propter familiaritatem, quam habent cum Deo, licere. (C) Corporalia & purificatoria, etsi laicus esset, lavabat, de quo monitus respondit, quod hoc ad officium ædituï pertinere putaret. (D) Reprehensus, quod Ecclesiam pulveribus & sordibus repleri permitteret, ornamenta reparari non curaret, & munditiem in rebus Sacris non quæreret, dicit, Deum odisse in domo sua superbiam (E) Jussus, ut nominatim excommunicatum, quem facie non noverat, à templi foribus arceret, eum non tantum ad divina, sed etiam ad mensam suam admisit. (F) Factus religiosus ab Episcopo Simoniaco Ordinatur (G) Postremo in Abbatem est electus, quem tamen Episcopus, nisi præstitâ prius pecuniæ summâ confirmare noluit, pecuniam in scio *Zasio* solvunt religiosi, & sic confirmatus fuit.

R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur. I RE-

RESOLUTIO.

(A) SI *Zasius* somnum plenè excussisset, sensusque Collegisset, exspectantem in atrio Ecclesiæ fuisse Canonicum illum, quem quotidie templi apertionem prævenire sciebat, advertere potuisset. Unde an ignorantia ipsum à censura excuset, non sine fundamento dubitatur. Pro *Zasio* militare videtur *Cap. si verò. 4. de Sent. excom.* Ubi dicitur, quod percutiens Clericum, ignorans probabiliter eum esse Clericum, excommunicatus non sit, nisi violenter contra oblivionem vel ignorantiam præsumatur, juxta *Cap. cum illorum, 32. de Sent. excom.* Ubi tamen ad incursionem Censuræ requiritur, ut quis scienter, & in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ factum prohibitum committat.

(B) *Zasius* ignorantiam, quod scilicet eum, quem percussit; Clericum esse ignoraverit, Juramento probare potest, quod juramentum si in dubio præstare recusat, pro excommunicato habendus est. *Cit. cap. si verò.*

(C) *Zasius* contra *Regulam 7. in lib. 5. quidquid in sacratis DEO rebus & Episcopis injustè agitur, pro Sacrilegio reputatur: quia Sacra sunt, & à quo quam violari non debent*, graviter peccavit, nec eum ignorantia, eum sit juris, excusare poterit.

(D) Sacra supplex, cui Corpus Domini cum involvitur, à laicis contingi non debet, unde à Clericis lavanda est, nec *Zasio* ignorantia suffragatur, cum quilibet officium suum scire teneatur.

(E) Graviter conqueritur Pontifex in *Cap. relinquit. 2. de Custod. Eucharist.* quod sint quidam, qui non solùm Ecclesias dimittunt incultas: verum etiam vasa ministerii, & vestimenta Ministrorum, ac pallas altaris, nec non ipsa Corporalia tam immunda relinquunt, ut interdum aliquibus sint horrori, unde præcipit, ut Oratoria, vasa, Corporalia & vestimenta Sacra munda & nitida conserventur, nimis enim videtur absurdum, in Sacris sordes negligere, quæ dedecent etiam in profanis. Deliquit ergo *Zasius* Ecclesiam ejúsque supplectilem tam negligenter tractando, & prætextus superbiæ est pallium inertiæ.

(F) Est error facti, quo, quem non noverat, excommunicatum ad Ecclesiam & mensam admisit, ideóque per *Regulam* Censuram non incurrit. *Arg. Cap. significavit. 18. de Sent. excom.*

(G) Qui scienter se à Simoniacis consecrari permittunt, ab exercitio Ordinum taliter susceptorum suspensi sunt, non autem illi, qui ignoranter ab ipsis ordinantur. *Can. si quis. 108. caus. 1. q. 1.* Si igitur *Zasius* Episcopum Ordinatorem simoniacâ labe respersum fuisse nescierit, in susceptis ordinibus ministrare poterit, cum probabilis & justa alieni facti ignorantia excuset.

(H) Si

(H) Si pecunia *Zasio* inscio, nec postmodum approbante pro Confirmatione data fuerit, non nocet ei commissa ab Episcopo & fratribus simonia, alioquin contingeret, quod alicujus factum insidias inimico parantis eidem damnosum existeret, cui penitus displiceret, & sic quis de fraude sua commodum reportaret. *Cap. sicut. 33. de Simon.*

REGULA XIV.

Cum quis in Jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere.

QUæres *primò*. Quid & quotuplex est successio?

℟. Est justa rei vel juris, quod fuit alterius, occupatio. Alia est generalis, alia particularis. Successio universalis est, quâ quis ex titulo universali vel per testamentum, vel ab intestato in Jus universum defuncti succedit. Particularis est, quando quis in re particulari succedit, ut Legatarius, Donatarius, emptor &c. huc Prælatus vel Beneficiatus reductivè pertinet. Hæc inter Generalem & particularem successorem juris est differentia, quod universalis suum repræsentet Antecessorem, sitque juris fictione ipse Antecessor, cujus onera portare debet. Successor particularis antecessorem non repræsentat.

Quæres *secundò*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. In Jus alterius & locum succedenti obesse nequit, si id, quod ab antecessore vel authore gestum est, ignorat. Ratio est; quia talis ignorantia de facto alieno justa est & probabilis, ignorantia autem probabilis, ut statim vidimus excusat, ideóque in alterius succedens locum justam habet ignorantiæ causam.

Quæres *tertiò*. Quæ Regulæ hujus exceptio?

℟. Successor vel hæres Universalis in vitium succedit defuncti, adeo ut rem, quam testator scivit esse alienam, hæres præscribere non possit, sed illi noceat mala antecessoris fides, ut præscriptionem per possessionem bonæ fidei à se captam inchoare nequeat, & præscriptionem ab antecessore inchoatam multò minùs complere valeat, & ita quantumvis hæres probabilem habeat ignorantiam, quod res sit aliena, illa tamen non excusat, nec ad præscriptionem juvat, cum hæc sit causa lucrativa, ad quam ignorantia facti

non patrocinatur. Aliud est in Successore particulari, qui sicut suum non repræsentat antecessorem, sic quoque in vitium illius minimè succedit.

CASUS.

Zonarius hæres ab intestato Aniani Canonici Metropolitani sine delectu omnia & singula bona defuncti sibi vendicat (A) inter reliqua pretiosum annulum apud Anianum depositum vendit, depositum esse ignorans. (B) Bonum allodiale, quod Anianus agnato suo abstraxerat, tanquam ab eodem præscriptum obtinere contendit. (C) Ex transactione Anianum inter & Sempronium legaliter inita Sempronius à Zonario 100. Imperiales exigit, quos hic in vim præsentis *Regulæ* solvere recusat. (D) Anianus ante mortem dispositionem Codicillarem in favorem Monasterii à Confessario & duobus testibus subscriptam fecerat, in qua eidem Monasterio sex equos Rhedæ honorariæ deputatos donabat, quos *Zonarius* extradere non vult, eo quod Codicillum septem testes non subscripserint. (E) Syndicus quoque Capituli proponit, quod Capitulum pro Aniano in Curia Romana pro beneficio litigante fidejusserit, omnésque expensas, in quas Anianus condemnatus fuerat, solverit, quas proin ab hærede restitui petit. *Zonarius* hæc se ignorare, & nihil ad se pertinere inquit. (F)

RESOLUTIO.

(A) IN *Cap. 1. de Succeff. ab inteft.* disponitur, quod si per hæreditatem, vel alio modo intuitu personæ Clericus aliquid acquisiverit, donare ei liceat, cui voluetit, dum vivit; Si autem ante obierit, quam hoc fecerit, Altari, cui servivit, omnia perpetuò sanctificantur, & in Jus ejus traduntur. Ex quo sequitur *Zonarium* ab intestato succedere non potuisse, aut si succedere posset, vel hæres scriptus esset, id intelligendum de bonis non intuitu Ecclesiæ, sed hæreditate, artificio vel doctriuâ acquisitis, in aliis enim, quæ ratione Ecclesiastici & Spiritualis Ministerii ac Beneficii obvenerunt, tam necessariò succedit Ecclesia, ut etiam quæcunque alia contraria testatoris dispositio invalida sit & inanis *Cap. 1. Cap. Cum in officiis. 7 Cap. relatum. 12. de testam.*

(B) Si hæres rem apud testatorem depositam vel commodatam distraxit, ignarus depositam vel commodatam esse, quia dolo non fecit, non tenetur de re, sed tantùm de pretio. *L. depositum. 1. §. fin. ff. depoſit.* per *Regulam* enim justam ignorantiæ causam habere censetur.

(C) Mala fides Aniani, quâ allodium alienum possedit, transit ad hæredem,

redem, & ideo sicut testator cum fidei vitio præscriptionem inchoare nequibat, ita quoque Successor universalis ob traducem vitii radicem præscriptionem continuare vel complere non potest. *Can. si Sacerdotes. 10. caus. 16. q. 3.*

(D) Male applicat *Regulam Zonarius*, si transactionem legitimè factam Semproonius probet, stante siquidem probatione cessat causa ignorantiæ, consequenter 100. Imperiales solvere renetur.

(E) Quæcunque dispositio sive per modum Testamenti, aut Codicilli, donationis aut aliter, ad causam piam coram tribus aut duobus legitimis testibus requisitis facta valet, cum in hoc passu non secundùm leges, sed secundùm Decretorum statuta dispositio talis sit tractanda. *Cap. relatum 11. de Testam.* Equos ergo *Zonarius* Monasterio tradere oblrgatur.

(F) Qui pro Clerico fide jussit, omnino indemnis servandus est, ne dispendium patiatur, unde videtur præmium meruisse, in tantum, ut, si Clericus, pro quo fidejussum, debita fidejussori solvere, & simul damna, quæ propter fidejussionem pertulit, resarcire detrectet, reditus beneficii, quod Clericus ille obtinet, tam diu fidejussori debeant assignari, donec damna resarcita fuerint, & debita sine diminutione soluta. *Cap. pervenit. 2. de fidejuss.* Frustra ergo exculpare sese nititur *Zonarius.*

REGULA XV.

Odia restringi, & favores convenit ampliari.

QUæres *primò* Quis amicabilis hujus Regulæ sensus?

℟. Leges, Canones, Privilegia, quæ odia continent, restringenda, & strictè sunt interpretanda: è contra quæ favores conferunt, amplianda sunt, latéque interpretanda. Hic sensus ad speciem clarus difficultatem habet in explicando, quæ favorabiles, & quæ odiosæ sint dispositiones.

Quæres *secundò.* Quæ dispositiones sunt favorabiles?

℟. Sequentes. *1mo.* Dispositiones, quæ sine juris communis derogatione, & tertii damno aut præjudicio merum Principis continent beneficium, meritò favorabiles appellantur. *L. beneficium. 3. ff. de Constitut. Princip. Cap. cum dilecti 6. de donat.* Exemplum habemus in Privilegio celebrandi & divina audiendi tempore interdicti per Pontificiæ Sedis largitatem indulto, vi cujus famuli & domestici privilegiati, licet in Privilegio non nominati, divinis

intereſſe poſſunt, eò quod ſit mera & nemini præjudicioſa ſummi Pontificis gratia.

2dò. Diſpoſitiones, quæ animarum, fidei aut religionis Chriſtianæ bonum concernunt, vel ad Eccleſiarum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, aut alterius cauſæ piæ pertinent utilitatem & incrementum, prò favorabilibus habendæ ſunt; ita Aſylum Eccleſiæ conceſſum ad loca eidem conjuncta extenditur, item immunitas localis nemini quocunque debitorum vel criminum non exceptorum onere gravato eſt deneganda: quia Privilegium intuitu Eccleſiæ eſt indultum. *Can. ſi quis in atrio. 7. cauſ. 17. q. 4. cap. inter alia. 6. de immunit. Eccleſ.* Sic etiam *Cap. fin. de præſcript.* quod malam fidem à præſcriptione removet, ad quamcunque præſcriptionem etiam immemorialem extenditur.

3tiò. Diſpoſitiones, quæ primævum & commune Jus iterum reducunt, ſunt favorabiles. *Gloſſ. in cap. ſtatutum. 3. de præbend. in 6. verb. numerandum.* Ita conceſſio decimarum Parocho, intra cujus Eccleſiæ fines proveniunt, facta etiam novalium Decimas comprehendit. *Cap. ex parte 27. de Decim.* cum de jure communi Parocho indiſcriminatim decimæ debeantur. *Cap. cum ſint 18. cap. ad Apoſtolicæ. 20. de Decim.*

4tò. Quando ratio concedendi æquè vel magis in aliis reperitur, privilegium extenditur: ſic privilegium competentiæ militibus conceſſum *L. Miles. 6. ff. de re judicat.* ad Advocatos & in ſacris conſtitutos extenditur, in his enim eadem, quæ in militibus ratio eſſe dignoſcitur.

Quæres tertiò. Quæ ſunt odioſæ Juris diſpoſitiones?

R. 1mo. Quibus juri communi, aut quæſito jam tertii juri derogatur, eò quod Princeps Jus commune ob utilitatem publicam introductum tollere, vel minuere, aut tertiò nocere non intendat. *Cap. Eccleſia. 57. de elect. cap. ſuper eò 15. de offic. delegat.* hinc diſpenſationes in defectu natalium, Clericorum, aut Eccleſiarum à jurisdictione Epiſcopali, vel Laicorum à ſolutionibus decimarum exemptiones odium continere non dubitamus.

2dò. Diſpoſitiones, quæ actus aliàs valituros infirmant, invalidòsque reddunt, inter odioſas computantur quam ob cauſam Decretum *Concil. Trident.* Matrimonium clandeſtinum irritans ſponſalia clandeſtina non complectitur.

3tiò. Diſpoſitiones, quibus inhabilitates inducuntur, aut facultas omnibus regulariter permiſſa adimitur, ut ſtatutum tollens vel reſtringens teſtandi facultatem, aut ad paternam ſucceſſionem inhabilem reddens, &c. odioſis meritò annumerantur.

4tò. Diſpoſitiones bonis moribus, vel naturali adverſantes æquitati, ut nuptiarum conſanguineos inter & affines permiſſio, inæqualitatis inter liberos introductio, &c. tantò ſunt odioſiores, quantò honeſtior inter conſanguineos & affines continentia, & laudabilior naturæque conformior liberorum in ſucceſſione æqualitas. Quæ-

Quæres *quartò*. Quæ dispositiones odiosæ à præsenti Regula excipiuntur?

R. 1*mo*. Illæ, quæ si non extenderentur, omni carerent effectu. *Cap. in his. 30. de Privileg.* exempla sunt: dispositio testamentum condere prohibens odiosa est, & tamen hæc Codicillum aliásque ultimæ voluntatis species comprehendit: dispositio quâ Civitas interdicitur, procul dubio odium continet, ast nihilominus ad suburbia extendi non ambigitur.

2*dò*. Illæ, quæ ad similia extendentem habent clausulam, sic hæreticorum ad beneficia & officia inhabilitas ad eorundem filios extenditur per *cap. ut officium 11. §. fin. de hæret. in 6.*

3*tiò*. Si non facta in odiosis extensione absurdum sequeretur. Ita lex odiosa in *l. 1. C. de secund. nupt.* irrogans infamiam mulieribus infra annum luctus secundas nuptias celebrantibus ad fœminas intrâ illud tempus turpiter viventes extenditur *per authent. eisdem. C. eod. tit.* & quamvis lex prima ista Juris Canonici authoritate justè correcta sit *cap. super illa. 4. cap. fin. de secund. nupt.* hodie adhuc obtinet vigorem prædictæ *authent. eisdem* dispositio.

CASUS.

ANgelinus ex Gentilismo conversus affinem ex *Can. quædam. 20. caus. 25. q. 3.* uxorem ducere voluit (A) quod cum denegaretur, dispensationem, Cajæ in secundo gradu affini nubendi impetravit, quâ ante Matrimonium contractum mortuâ, vi dispensationis ejusdem Titiam in tertio gradu affinem sibi copulari petiit. (B) Uxoratus privilegium obtinuit, ut tempore interdicti divinis interesse possit. (C) Quamvis jam ante in Suburbio divinis interfuisset. (D) Casu aliquem in rixa interficiens ad Ecclesiam confugit, quam cum clausam inveniret, in atrio Ecclesiæ mansit, unde Judex eum per milites extrahere parabat. (E) Decimas agrorum cultorum solvere paratus, novales tamen Parocho negabat. (F) Defuncta uxore ad Clericatum aspirans repellebatur, eò quod parentes habuisset sibi invicem consanguineos. (G) Impetratâ itaque legitimatione ad minores Ordines admissus, pastoratum ambiebat, cum tandem litteras Apostolicas pro proximo vacaturo pastoratu obtinuisset, per illas beneficium simplex, cum pastoratus hactenus non vacasset, adipisci cupiebat. (H) Obtento beneficio simplici, nihilominus pastoratum, aut aliud simplex beneficium impetrare studuit. (I) Demum cum ex statuto Clerici Testamentum condere non possint, ad extrema deveniens fecit Codicillum. (K)

RESO-

RESOLUTIO.

(A) PRivilegium Anglorum in *cit. Can. quadam.* Cum sit odiosum, ad alias gentes minimè est extendendum, ut ibidem docet *Gregorius* Author Privilegii.

(B) Dispensatio utpote odiosa à persona expressa ad aliam in gradu remotiore personam extendi non debet.

(C) Quia Privilegium interessendi divinis favorem continens nemini præjudicat à persona, cui collatum est, ad familiares ejus extenditur. *Cap. licet.* 11. *de Privileg. in 6.*

(D) Pœna interdicti imposita Civitati ad ejus suburbia extenditur: quia aliàs interdictum exiguum sortiretur effectum, si in suburbiis divina frequentare liceret. *Cap. si Civitas.* 17. *de sent. excom. in 6.*

(E) Privilegium immuniratis Ecclesiæ, quia in majorem Dei cultum & Ecclesiæ honorem est concessum, favorabile est, ideóque loca proximè vicina complectitur. *Can. sicut.* 6. *can. definivit.* 35. *caus.* 17. *q.* 4.

(F) Jus percipiendi decimas respectu Parochi favorabile est, Parochus enim fundatam habet in Jure communi Decimas percipiendi intentionem, unde sub nomine Decimarum novales quoque comprehenduntur. *Cap. ex ex parte* 27. *de decim.* econtra facultas colligendi decimas in privilegiatis religiosis, in Clericis decimas obtinentibus, in laicis decimas in feudum habentibus, est odiosa, cum Juri communi sit contraria, & ideo ad novales non extenditur. Sunt expressi textus in *cap. ex parte* 10. *cap. tua.* 15. §. *nec occasione. cap. cum contingat.* 29. *de decim.*

(G) Si Parentes in primo gradu non fuerint consanguinei, *Angelinus* legitimus erat, nec dispensatione, ut ex Gentilismo conversus ad Clerum admitteretur, egebat,

(H) Dispensatio in natalibus, quam à Jure communi exorbitantem veluti odiosam restringi oportet à minoribus Ordinibus ad majores, à beneficio simplici ad curatum, ab uno ad plura beneficia non est extendenda. *Cap.* 1. & 2. *de filiis presbyter. in 6.*

(I) Litteræ Apostolicæ super obtinendis beneficiis impetratæ, cum odium contineant, restringi, & ideo à beneficio majori ad minus; ab uno ad plura extendi non debent. *Cap. quamvis.* 4. *de prabend. in 6.*

(K) Qui testamentum condere prohibetur, Codicillum quoque facere nequit, aliàs enim testamenti prohibitio suo fine frustraretur. *Arg. cap. cum in officiis.* 7. *de testam. & arg. l. ne codicillos.* 5. *C. de Codicill.*

RE-

REGULA XVI.

Decet concessum à Principe Beneficium esse mansurum.

QUæres *primò*. Quid est Principis Beneficium ?

℟. Est secundum, vel præter Jus à Principe facta Concessio, ut si Princeps aliquid tribuit, quod juri non repugnat v. g. feudum vel domum de suo largitur, & in hoc à Privilegio distinguitur Beneficium, quod Privilegium sit Principis contra Jus, vel juri derogatoria concessio. Beneficium sive privilegium aliud est reale, aliud personale, hoc respectu personæ, illud intuitu rei immediatè conceditur.

Quæres *secundò*. Quis hujus Regulæ sensus ?

℟. Beneficium, privilegium aliæque gratiosæ Concessiones sine determinatione temporis à Principe factæ perpetuam obtinent roboris firmitatem, ita, ut si privilegium sit personale, ad vitam duret privilegiati; Si reale, ultra privilegiati vitam ad Successores transeat, in iis perseveret, nec absque justa & gravi causa à Successore Principe revocari possit. Colligitur ex *Cap. si cui. 36. de prabend. in 6.* & ratio est: Quia quamvis Successor, vel privilegium tribuens illud revocandi habeat potestatem, attamen naturalis exigit honestas, & Principis requirit dignitas, ut Privilegium maneat, ne, quod unâ manu largitur, alterâ retrahere, & consequenter illudere videatur, quod non tantùm indecentem in Principe populi capite arguit inconstantiam, sed etiam sanæ repugnat rationi.

Quæres *tertiò*. In quibus casibus Princeps concessum Beneficium illicitè revocat ?

℟. *1mò*. Si Beneficium sit remuneratorium, in præstiti obsequii compensationem datum. *2dò*. Si non subdito concessum, tunc enim velut liberalis donatio revocari nequit. *3tiò*. Si Beneficium transivit in contractum, cujusmodi est, quod Princeps, dum inauguratur, se daturum vel observaturum jurare consuevit. *4tò*. Quod Princeps accepto pretio indulsit, tunc namque speciem habet venditionis.

Quæres *quartò*. Quando Princeps privilegium revocare potest?

℟. In sequentibus casibus: *1mo* ob privilegiati ingratitudinem, propter quam & donatio inter vivos revocabilis est. *2do*. Si subditus privilegio vel beneficio abutatur. *3tiò*. Dum mutatis circumstantiis cessat finalis causa concessionis. *4tò*. Quia incipit esse damnosum, cum in Principis ejúsque supremæ authoritatis cedit præjudicium.

K. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.

CASUS.

Bavo Episcopus à Rom. Pontifice in mensibus Papalibus beneficia conferendi indultum obtinuerat, sed antequam eo uteretur, mortuus est Papa (A) nec *Bavo* diu amplius supervixit. (B) Successor *Bavonis* eodem privilegio uti tentabat, sed opponebatur, quod Privilegium ad Successorem non transisset, sed per mortem Pontificis exspirasset, aut jam revocatum esset, eo quod Bavonis Successor multos indignos promovisset, nec Sedis Apostolicæ Legatum suscipere voluisset. (C) ut omnibus obviaretur, Successor novum impetravit Privilegium, & Clerico irregulari Beneficium contulit, qui tamen Religionem ingressus, & Novitius factus à Prælato regulari est dispensatus. (D)

RESOLUTIO.

(A) SI *Bavoni* gratia facta fuerit, ea per mortem concedentis non exspirat, si vero eidem data providendi potestas, non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur, gratiam vel favorem, illa exspirat omnino, si concedens re integrâ moriatur. Est expressus textus in *Cap. si cui, 36. de prabend. in 6.*

(B) Si privilegium personale, & ipsius *Bavonis* intuitu concessum fuit, illud per mortem ejus extingui necesse est, Privilegium námque personale personam sequitur, & extinguitur cum persona *Reg. jur. 7. in 6.* Si reale, & Episcopalis Dignitatis intuitu datum, ad Successorem transire non dubitatur.

(C) *Gloss.* in præsentem *Regulam* docet, quod etsi privilegium deceat esse mansurum, in sequentibus tamen casibus idipsum cessare valeat *1mò per abusum*, quia privilegiatus favore concesso abutus est, ex quo capite justa causa subest, quare Princeps indultum gratiæ revocare possit. *2dò* per *non usum.* Exemplum ponitur in habente privilegium Nundinarum, si Nundinas non celebravit. *3tiò.* Per *ingratitudinem.* Sicut enim Donator ob ingratitudinem Donatarii licitè revocat donationem, ita quoque privilegii Author justè revocat privilegium ob ingratum animum privilegiati *4to.* Propter *præjudicium*, si videlicet privilegii Beneficium in grande alterius vergat detrimentum. Exemplum est in *Cap. suggestum. 9 de Decim.* Ubi Pontifex *Cistercienſibus* datum decimas percipiendi revocat privilegium, quia multiplicatis per totum Orbem Monasteriis *Cistercienses* in grave Parochiarum præjudicium decimas accipiebant. *5to.* Per *revocationem*, si nempe subdito Principis concessum fuit, secùs si non subdito datum, qualia sunt privi-

privilegia ab Imperatoribus Ecclesiis concessa, privilegium quippe non subdito indultum vim contractûs habet, qui ab initio quidem voluntarius, postmodum verò necessarius esse dignoscitur.

(D) Si existens Novitius per Ordinis privilegia in irregularitate dispensationem accepit, etiamsi eum abdicato religionis proposito è Novitiatu postea discedere Contingat, ab irregularitate liber manet & immunis, gratiam enim concessam manere oportet. Simile est in *Authent sed Episcopalis. C. de Episcop.* Ubi Filiusfamilias Patritiam vel Episcopalem Dignitatem adeptus à patria liberatur potestate, qui licet postmodum Dignitate privetur vi tamen præsentis *Regulæ* manet emancipatus.

REGULA XVII.

Indultum à jure beneficium non est alicui auferendum.

QUæres. Quis hujus Regulæ sensus ?

℟. Si alicui ex jure, Lege, aut Canone Beneficium, vel agendi quidpiam aut omittendi competat facultas, non est impediendus, quominus suo jure utatur. Ratio est : quia quod à Legibus concessum, ab alio, quàm ab eo, qui supra leges est, auferri nequit. Exempla sunt, *Cap. fin. de secund. nupt.* Corrigit *L. 1. c. de secund. nupt.* in qua vidua ad secundas nuptias transiens infamiâ notatur, cùm Matrimonii Vinculo solutis rursus nubendi Apostolus liberam concesserit facultatem, illa per Leges civiles auferri non potuit. Item in *Cap commissa. 36. de elect. in 6.* promoto ad Ecclesiam Parochialem injungitur, ut intra annum Sacerdotii Ordinem suscipiat, qui terminus cùm à Jure indultus sit, nec auferri, nec coarctari potest, ideóque Parochus ex defectu Sacerdotalis Ordinis infra annum licitè Parochiali non privatur beneficio. Demum Jura minoribus & Ecclesiis, si læsi fuerint, Beneficium restitutionis in integrum, reo exceptiones dilatorias & peremptorias, gravato per Sententiam appellationis concedunt remedium, quæ proinde cum sint Juris beneficia, à judice nec auferri nec limitari possunt.

CASUS.

CAjetanus Episcopus statuere voluit, ne viduæ intra annum luctûs, nec sæpius, quàm bis nuberent. (A) ut neo promoti ad pastoratus ad minus

primo medio anno Diaconatum ſuſciperent. (B) Ut appellationes intra octiduum fierent. (C) Ut electi ad Prælaturas intra menſem confirmationem peterent. (D) Ut minores læſi reſtitutionem in integrum intra triennium poſtularent. (E) hæc *Cajetanus* ſtatutis Synodalibus inſerere voluit. Oppoſuit Capitulum, quod Epiſcopus juris beneficia limitandi poteſtatem non haberet, replicat Epiſcopus, penès Superiorem eſſe, limitare terminum à Jure conceſſum, idque conſtare ex *Cap. quod ad conſultationem.* 15. *de Sent. & re judicat. Cap. cum ſit.* 5. *Cap. oblatæ.* 57. *de appellat.* (F)

RESOLUTIO.

(A) QUantumvis de Jure Civili Viduæ intra annum luctûs ad ſecundas nuptias convolantes ſeverè puniantur, L. 1. *C. de ſecund. nupt.* Quia tamen mulier mortuo Viro ſuo nubendi, cui vult, poteſtatem habet, ideo quoad has pœnas leges per Canones noſcuntur eſſe correctæ. *Cap. fin. de ſecund. nupt.*

(B) Parochiam adeptus pro ſuſcipiendo Sacerdotii Ordine integri anni terminum habet. *Cap. licet.* 14. *Cap. commiſſa.* 35. *de elect. in* 6. Quem terminum Ordinarius coarctare nequit.

(C) Decem dierum induciæ ad appellandum conceduntur *Can. anteriorum.* 28. *cauſ.* 2. q. 6. Qui dies nec à Prælato, nec à judice abbreviari poſſunt.

(D) Electus, cui præſentata eſt electio, intra menſem conſenſum præbere, & conſenſu præſtito intra tres menſes Confirmationem petere debet. *Cap. quàm ſit.* 6. *de elect. in* 6. cujus temporis ſpatium Epiſcopus limitare nequit.

(E) Eccleſia vel minor læſus quadriennium habet, intra quod Beneficium reſtitutionis in integrum ab eis eſt implorandum, quod ſimiliter Epiſcopo reſtringere non licet.

(F) Solutionem dat *Gloſſ. in Regulam* præſentem, quod ſcilicet *Regula* procedat in Judiciis, quæ dantur ſine tacito vel expreſſio judicantis miniſterio, non tamen in Judiciis, quæ licet dentur à jure, intervenit tamen in eis tacitum vel expreſſum miniſterium judicantis.

RE-

REGULA XVIII.

Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Actus, qui ab initio nullus fuit & invalidus, solo tractu & lapsu temporis absque alterius adminiculi accessione non reconvalescit, ut vim & firmitatem actûs ab initio validi consequatur. Ratio est: quia solus temporis lapsus inducendi vel tollendi obligationem modus non est, ideóque sola temporis mora actum in se invalidum sanare nequit, nisi interea medicamen aliunde adveniat.

Quæres *secundò*. Quæ hujus Regulæ exempla?

℟. Sequentia. 1*mum* in *Can. principatus. 25. caus. 1. q. 1.* Simoniacè ad Dignitatem promotus, quantumcunque laudabiliter sequenti tempore se gesserit in eadem, promotio tamen à principio invalida successu temporis non reconvalescit.

2*dum* in Cap *si eo tempore. 9. de rescript. in 6.* Quidam à Papa exspectativam ad beneficium vacaturum impetraverat gratiam, qui tempore impetrationis hujusmodi Beneficii ob Ætatis defectum capax non erat, quamvis postea tempore vacationis debitam habeat Ætatem, litteræ tamen impetratæ ab initio invalidæ sunt & manent inefficaces.

3*tium* in L. *inter stipulantem. 83. §. Sacram. ff. de Verb. obligat.* Quidam rem Sacram v. g calicem consecratum se dare stipulaverat, quem dare non poterat, quia res Sacra erat, successu temporis res Sacra promissa consecrationem amisit v. g. Calix est contractus, stipulatio vel promissio ab initio invalida lapsu temporis non revalidatur, nec promissum solvere tenetur.

4*tum* in *Cap. licet. 14. de Sent. excom. in 6.* Judex alicui sub pœna excommunicationis quidquam facere injunxerat, à quo decreto legaliter appellatum fuit, appellatione tamen non obstante subditus excommunicatus fuit, quamvis autem appellationem interpositam appellans non fuerit prosecutus, invalida nihilominus excommunicationis Sententia ex hoc, quod causa sit deserta, non reconvalescit.

5*tum*. Si testamentum, Legatum. &c à principio fuit invalidum, vel ex defectu personæ testantis, qui per ultimam volunratem disponere nequibat,

bat, vel ex hæredis aut Legatarii defectu, qui tempore conditi Testamenti velut hæres aut Legatarius succedere non poterat, licet hæ personæ postmodum testandi & succedendi capacitatem accipiant, testamentaria tamen aut legataria dispositio ab initio invalida tractu temporis robur aut valorem non consequitur.

6tum. Si ante completum ætatis septennium duo contraxerunt sponsalia, quæ postmodum majores facti non ratificaverunt, sponsalia hujusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minimè convalescunt, nec publicæ honestatis justitiam inducunt. *Cap unic. de desponsat. impub. in 6.*

Quæres *tertio.* Quæ hujus Regulæ limitatio?

℟. Quanquam solus temporis tractus actum à principio invalidum non revalidet, successu tamen temporis sublato impedimento aliquid intervenire potest, quod actui valorem tribuat, ut novus consensus tacitè vel expressè positus.

Exempla sunt *1mo.* in *L. fin. C. si major factus alienat.* Si Minor Curatorem habens sine eo contraxit, hic contractus ab initio nullus fuit, si tamen Minor iste Major factus per quinquennium quærelam de nullitate contractûs non proposuit, contractus reconvalescit per tacitum majorennis consensum, quia non querulando actum ratum habuit, vel suo Juri renuntiavit.

2do. In Trident. Sess. 25. de regular. cap. 19. professio religiosa de Jure invalida per lapsum quinquennii confirmatur, ita, ut contra eam reclamans non audiatur, non tamen præcisè ob temporis lapsum, sed quia à tanto tempore non reclamans professionem ratificasse præsumitur, quod si tamen nec tacitè nec expressè eandem renovaverit, ipsa est & manet invalida; quapropter sic nulliter professo per beneficium restitutionis in integrum succurritur, ut post lapsum quinquennii professionis probare valeat nullitatem.

3tio. Si vacante beneficio Juripatronatûs obnoxio Ordinarius præterito patrono beneficium contulit, nec Patronus intra tempus ad præsentandum de Jure requisitum reclamet, collatio ex negligentia Patroni tempore utili neminem ad beneficium præsentantis reconvalescit, quia Jus collationem nulliter factam roborat, ne diutina beneficii vacatio Ecclesiæ damnosa existat.

CASUS.

Desiderius in Abbatem Simoniacè electus optimè administravit, ob administrandi dexteritatem ad Episcopatum postulatus (A) ductus tamen conscientiâ, antequam possessionem caperet, petiit, & obtinuit à Simoniæ pœnis absolutionem. (B) Factus Episcopus quædam vasa sacra Principi promisit

misit, quæ & post confractionem & execrationem tradidit (C) accusatus apud summum Pontificem coram Delegato sese purgare debuit, qui cum excommunicationem comminaretur, si ad positionales articulos non responderet, appellavit, appellatione non obstante Delegatus *Desiderium* excommunicavit, qui excommunicatione contemptâ appellationem prosequi neglexit. (D) Coram Delegato tamen respondere coactus, pro se dixit, quod quamvis inhabilis ad Episcopatum ob vitium Simoniæ fuerit promotus, vitium tamen per Pontificiam absolutionem fuisse purgatum. *Arg. cap. cura. 11. de Jurepatron. Cap. de illis. 9. de desponsat. impub. cap. proposuit. 2. de Conjug. servor. Cap. cum nos. 3. de his quæ fiu t à Prælat. &c* (E)

RESOLUTIO.

(A) PEr quantumcunque laudabilem & fructuosam *Desiderii* administrationem Simoniaca labes non abstergitur, nec provisio benficii ab initio invalida revalidatur. *Can. Principatus. 25. caus. 1. q. 1.* postulatio quoque ad Episcopatum nulla est juxta Bullam S. Pii V. *quamprimum.* Quam tamen non in toto rigore, ut ante omnem obliget Judicis sententiam, receptam esse sustinent Authores.

(B) Absolutio post collationem vel provisionem facta titulum à principio ob vitium Simoniæ invalidum non sanat, secundum præsentis *Regulæ* intellectum.

(C) Juxta *Regulam Desiderius* promissione non obligabatur, & liquet *ex L. inter stipulantem. 83. §. Sacram. ff. de verb. obligat* ubi dicitur, non valere rei sacræ promissionem, licet rem sacram promissam postmodum profanam fieri contingat.

(D) Excommunicationis sententia post appellationem legitimam promulgata, nulla est, nec per negligentiam appellantis, appellationem suam minimè prosequentis, ratificatur aut convalescit, excommunicatus tamen nominatim, specialiter & expressè, qui post appellationem excommunicationis sententiam asserit in se latam, si appellationem intra tempus ad ipsam prosequendam ab homine vel à Jure statutum, non fuerit, ut debuit, prosecutus, lapso eodem tempore excommunicatus publicè denuntiari, & nedum in iudicialibus, sed etiam in extrajudicialibus evitari, ac à legitimis actibus removeri debet. *Cap licet. 14. de sent. excom. in 6.*

(E) Cæterorum solutio sumitur ex *Gloss.* in hanc *Regulam verb. firmatur.* illud, quod ab iuitio nullum fuit, solo tractu temporis non reconvalescit, post amotam tam impedimenti causam per novum sublequentem, quandoque tactum, quandoque expressum firmatur consensum, cujus exempla sunt in *Cap. cura. 11. de Jurepatron. aliisque locis supra citatis.*

RE-

REGULA XIX.

Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.

QUæres *primò*. Quis rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscere dicitur?

℟. *1mò* Qui rem alienam invadit. *2do*. Qui possessionem vacuam propriâ occupat authoritate. *3tio*. Qui domino invito ejus negotium administrat. *4to*. Qui alterius officium vel Jurisdictionem absque data commissione exercet. *5to*. Qui scientiam, officium vel artem, quam non callet, cujus incapax est, quæque statum ejus dedecet, profitetur.

Quæres *secundo*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Immiscens se rei alienæ, in qua nihil juris habet, vel negotio, aut ratione statûs, aut imperitiæ sibi prohibito, culpâ non vacat, ideóque *1mo*. ad damni etiam casu fortuito absque nova culpa secuti reparationem tenetur. *2do*. Ad pœnam quoque publicam pro facti vel circumstantiarum qualitate obligatur.

Quæres *tertio*. Quæ hujus Regulæ exempla?

℟. *1mo*. Si res aliena per casum merè fortuitum apud malæ fidei possessorem periit, hic ad restitutionem tenetur, cum semper sit in mora restituendi. *2do*. Clericus contra statûs decentiam balistariis vel alteri militari lusui se immiscens, si quem occidit, irregularitatis contrahit impedimentum. *Can. Clerico. 37. dist. 50. 3tio*. Clericus vel Religiosus Chirurgiam exercens, vel Doctorem Medicum agens, si ex ejus medicina vel operatione infirmus obierit, irregularitatem incurrit. *Cap. tua nos. 19 de homicid. Similia exempla habentur in cap. Presbyterium. 7. cap. continebatur. 8 cap. ad audientiam. 12. de homicid. Cap. fin. eod. in 6.*

CASUS.

E *Vagrius* Religiosus ludo immodestorum juvenum se immiscens Ecclesiæ fenestram furtuito casu frangit (A) vespertino tempore demisso exivit habitu, & circumvagatus defensionis propriæ gratiâ aliquem mutilat, ideoque irregularitatem metuit. (B) Cuidam mulieri tumorem per incisionem curare nititur, quæ ob negligentiam ipsius moritur, in quo casu cum charitatis

tatis præstitisset officium, ab omni culpa se putat esse immunem. (C) Ex conclavi vicini sui vestem surripit, quæ ex ejus cubiculo furto sublata est, angitur an ad restitutionem teneatur, pro excusatione affert, quod in perditione nulla culpa intercesserit. (D)

RESOLUTIO.

[A] AD reparationem fenestræ obligatur, eò quod ludo illicito sese immiscuerit. *Arg. cap. continebatur. 8. & cap. sicut. 20. de homicid.*

(B) Meritò metuit irregularitatem, quia operam rei illicitæ dedit, ex qua ad casum de homicidio fortuito tenetur. *Cap. suscepimus. 10. de homicid.*

(C) Irregularitatem incurrit, quia sese immiscuit rei, quæ ad eum non pertinebat. *Cap. tua nos. 19. de homicid.*

(D) Ad restitutionem obligatur, eò quod in mora fuerit, & si culpa casum prævenerit, de casu quis tenetur. *Glos. in hanc Regulam.*

REGULA XX.

Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

QUæres *primo.* Quid hic nomine defensionis intelligitur?

℟. In processu judiciario Actor, sive qui alterum in Judicium vocavit, suam proponit actionem, seu exponit, quale obtineat jus prosequendi in Judicio, quod ab altero sibi debetur. è contra provocatus sive reus se defendit, opponendo exceptionem vel dilatoriam, quâ contra se institutam retardat actionem, vel peremptoriam, quâ adversarii actio penitus eliditur. Sit pro exemplo: Titius in Judicio convenit Cajum exigens ab eo centum imperiales sibi per stipulationem debitos. Cajus reus seu provocatus se defendit per exceptionem vel dilatoriam, Judicem suspectum recusando, vel peremptoriam se vi vel metu adactum stipulationem feciſse allegando.

R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.

Quæres *secundo.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Quamvis actor ex pluribus actionibus circa eandem rem occurrentibus unam debeat experiri, nihilominus reus, cui lis movetur, pro juris sui conservatione plures titulos, ut donationem, transactionem, præscriptionem, privilegium defensionis gratiâ allegandi habet licentiam, ac ita pluri-

bus defensionibus uti potest, non quidem, ut ex omnibus illi res adjudicetur, sed ut, si unus titulus non sufficiat, altero vincat, suumque dominium conservet, ratio, quare hac in parte quod Actori denegatur, reo indulgeatur, est: quia sui defensio est juris naturalis, ideo Jura magis favent reo, quàm Actori, qui primus in reum insultum facit, contra quem reus meliori modo, jam hac, jam illâ exceptione, nec solum diversis, sed & contrariis exceptionibus, tam in causa criminali, quàm civili sese meritò defendit.

Exempla sunt *1mo.* Accusatus de homicidio primò crimen negat, postquam de perpetratione illius fere convictus est violentum aggressorem servato tutelæ inculpatæ moderamine occisum fuisse excipiendo opponit.

2dò. Mulier virum, qui divortium fecit, in Jndicio repetit, vir reus exceptionem adulterii ab uxore commissi objicit, quod cum plenè probari non possit, secundò consanguinitatem, & ex ea resultans impedimentum dirimens opponit. *3tiò in cap. auditis. 15. de præscript.* Episcopus contra Ecclesiam agebat collegiatam, quam sibi subjectam esse volebat, Capitulum exemptionem per Privilegium Apostolicum, & posito, quod exempta non esset, præscriptionem libertatis ulterius excipiendo proponebat. *4tò. in* L. *interpositas. 13. C. de transact.* contra transactionem duæ fiebant exceptiones. *Primo* quod ex metu. *2do.* quod cum proprio servo facta fuerit.

Quæres *tiò.* Quæ Regulæ limitationes?

℟. Sequentes: *1mo.* reus duas contrarias opponens exceptiones, eas absolutè veras esse asserere non debet, hoc enim repugnat, cum duo contraria vera esse non possint, sed conditionatè, vel alternativè, ut Ecclesiam vel Privilegio exemptam, vel libertatem præscripsisse. *2do.* reus ad duarum exemptionum probationem non simul, sed successivè admittendus est, ut si una probata non fuerit, convolet ad alteram. *3tio.* limitanda est hæc *Regula* per clausulam: *nisi lex impediat.* Sunt etenim plures casus excepti, in quibus, si exceptio opposita probata non fuerit, locus non datur secundæ: ita Conventus de noxa servi, sive de damno per servum illato, de pauperie per quadrupedem causata, de debito, pignore, possessione, si negaverit servum, quadrupedem, Chirographum, in quo debitum expressum, pignus, possessionem, & mendacii sit convictus, aliâ volens uti exceptione non auditur. *L. quoties 21. ff. de noxal. action. L. 1 §. noxa autem. ff. si quadrup. pauper. &c. Authent. contra C. de non numer. pecun. Authent. item Possessor. C. qui potior. in pign. hab.*

CA-

CASUS.

Freybertus tam in causis civilibus quam Ecclesiasticis versatissimus Causidicus defendit.

(A) *Primò.* Pastorem Ecclesiæ, in qua plures Parochiani qui antea in alia Parochia habitaverunt, in qua adhuc prædia habebant, ex quibus prædiis jam à pluribus annis Decimas Parocho habitationis, & non Parocho, in cujus Parochia prædia existebant, solvebant, & cum Parochus antiquæ Parochiæ opponeret, ad se suæ Parochiæ Decimas pertinere, eum *Freybertus* duplici repellebat exceptione, *1mò* Quod Decimæ ratione administrationis Sacramentorum deberentur, quæ Parochus habitationis administraret. *2dò.* Quod Parochus Decimas prædiorum in antiqua Parochia situatorum jam præscripsisset.

(B In causa appellationis cujusdam Episcopi, qui à Nuntio Apostolico excommunicatus erat, eò quod in Concilio Provinciali comparere detrectâsset, Episcopum defendit. *1mo.* Quod non fuerit contumax, quia durante Concilio Provinciali Viennæ in Legatione detinebatur, cui cum opponeretur, quod tempore Concilii Episcopus non Viennæ, sed in sua Diœcesi exstiterit, replicavit *Freybertus* Episcopum à comminatione excommunicationis appellâsse.

(C) In causa beneficiali, vacante Canonicatu in Ecclesia collegiata Episcopus eundem suo Sacellano contulit, Capitulum autem, quia sustinet, quod Episcopus Decano & Capitulo personam præsentare teneatur, & si id non fiat, collatio sit penes Capitulum, alium suscepit in Canonicum, contra quem Sacellanus Episcopi Romæ Canonicatum prætendit. *Freybertus* susceptum à Capitulo defendit. *1mo.* Ostendendo, quod ad Capitulum pertineat collatio, cúmque hoc plenè probare non posset, excipit, Episcopi Sacellanum Canonicatui renuntiâsse, & Canonicatum renuntiatum suo Clienti fuisse collatum.

(D) In causa Monasterii parochialem Ecclesiam sibi adjunctam habentis, hanc Episcopi Vicarius visitare tentavit, ex causa, quod in Diœcesi sita esset. Monasterium defendit *Freybertus. 1mo.* demonstrando, quod Antecessor Episcopus Ecclesiam parochialem Monasterio jure plenissimo incorporâsset. *2dò.* Quamvis Ecclesia memorata Episcopo quandoque subjecta fuisset, quod nihilominus Monasterium præscriptione se tueri valeat, cum per quadraginta annos ipsam pacifice possedisset.

(E) In causa alterius Monasterii exempti. Norbertus illius Abbas electus ab Episcopi Officialibus circumventus, ab Episcopo confirmationem petit, & obtinet, ei obedientiam jurando. Successorem præfati Norberti Episcopus benedici vetat, nisi priùs petitâ ab ipso confirmatione, quam sub pœna excommunicationis & interdicti peti mandat. Abbas Successor Sedem Apostolicam appellat, & Episcopus

eum excommunicat. *Freybertus* Advocatus ostendit 1*mo* Norbertum Antecessorem absque scitu Conventûs & Ordinis confirmationem ab Episcopo petiisse. 2*do*. Monasterium esse Ordinis notoriè exempti. 3*tio*. Monasterium jam à quadraginta annis libertate & exemptione fuisse gavisum.

(F) In causa Jurisdictionis. Episcopus Ecclesiam, in qua Abbas Jurisdictionem Episcopalem sub titulo Archidiaconi exercet, ad se lege Diœcesanâ spectare prætendit. *Freybertus* Abbatis Advocatus ad elidendam Episcopi actionem, Pontificia producit privilegia, & per testes probat, ab Abbatibus tanto tempore possessam esse Ecclesiam, ut in ea Jus Episcopale præscripsisse videantur.

(G) Abbas Gilbertus suos religiosos à quocunque Episcopo Ordinari posse prætendebat, *Freybertus* ejus Advocatus pro hoc adduxit 1*mò* præscriptionem. 2*do* Papale privilegium, in quo religiosis dabatur facultas, ut, si Episcopus eos ordinare nollet, aut excommunicatus esset, quemcunque Episcopum pro suscipiendis Ordinibus adire possent. Sed Abbas causâ cecidit.

(H) In causa electionis. Sede Episcopali vacante, Capitulares die statuto ad electionem convenerunt, ac Titium viâ compromissi in Episcopum elegerunt. Cùm autem quidam ex Capitularibus compromissum impugnarent, eò quod Compromissarii fines essent egressi compromissi, alterâ die convenientes eundem Titium per viam scrutinii, uno Capitularium absente, nec vocato, elegerunt. *Freybertus* primæ electionis voluit sustinere valorem, in qua cum aliqui difficultatem sentirent, ad minus secundæ electionis sensit petendam esse confirmationem.

(I) Caji bos vaccam sui vicini occidit, Cajus in Judicio Conventus Advocato utitur *Freyberto*, ac primò Bovem, qui vaccam occidit, negat esse suum, sed cum probaretur, quod bos occidens Caji esset, factum negavit.

(K) Petrus debitor solvit centum Imperiales creditori Paulo, cui procurator Petri tantundem solverat, quare Petrus centum Imperiales tanquam indebitè solutos repetit. Pauli creditoris Advocatus *Freybertus*, primò negat à procuratore se pecuniam accepisse, sed cum manu propriâ convinceretur, excipit pecuniam pro alio debito à procuratore fuisse solutam.

RESOLUTIO.

(A) CAsus habetur in principio *caus.* 13. *q.* 1. Ubi rei, sive Clerici novæ Ecclesiæ Conventi respondent, quod decimæ ratione administrationis Sacramentorum debeantur, cui cum Clerici Parochiæ antiquæ opponerent, personales quidem decimas & oblationes Parocho novæ Ecclesiæ Parochialis, non autem prædiorum in aliena Parochia situatorum decimas deberi, secundò excipiunt novæ Ecclesiæ Clerici; decimationes etsi Jure vobis

bis debentur, ut asseritis, tamen tricennalis objectio vobis silentium imponit. *ad Can. facultates. 1. caus. 13. q. 2.* Aliud simile ad hanc *Regulam* est in *Can. quisquis. 38. caus. 24. q. 1.* Ubi Vincentius Donatista objiciebat, quod Catholici ad Communionem hæreticos reciperent, cui respondet S. Augustinus: Si verum est, displicet nobis, sed non credimus, nec hoc monstratis, quæ prima erat exceptio. Etsi verum esset, multos tamen toleramus, quos corrigere non possumus. En secunda exceptio.

(B) Casus est expressus in *Cap. cum parati. 19. de appellat.* Ubi Episcopus Hispaniæ contra Cardinalem Legatum, qui eum ob Contumaciam non comparitionis Sententia excommunicationis perstrinxerat, duplicem opponit exceptionem. *1mò* Contumaciam negat, eo quod Legatione detentus comparere obligatus non fuerit, cui cum Legatus objecisset, quod tempore mandati ad comparendum in Legatione non fuisset, *2dò* opponit, quod à mandato excommunicationis comminatorio per appellationem provocasset.

(C) Casus deciditur in *Cap. post electionem. 7. de conces. præbend.* ubi Sacellano, qui ab Archi-Episcopo præbendam obtinuerat, præbenda adjudicatur, & proviso à Capitulo imponitur, ut probet, quod Sacellanus præbendæ renuntiaverit, & renuntiatam prorsus à Capitulo secundâ vice ab Archi-Episcopo impetraverit.

(D) Casus & solutio ejus è *Cap. Constitutus. 6. de Religios. domib.* petenda est ubi monasterium in sua libertate manutenetur, si vel privilegium vel quadragenariam ostenderit præscriptionem.

(E) Casus detumptus est ex *Cap. cum dilectus. 8. de religios. domib.* Ubi decernitur, quod si constiterit Abbatem ad Sedem Apostolicam, antequam Episcopus in eum excommunicationis, & in Monasterium interdicti Sententias tulerit, legitimè appellasse, vel monasterium à Jurisdictione Episcopi exemptum, eo non obstante, quod Abbas ab eo circumventus præter Fratrum suorum assensum ei obedientiam repromisit (cùm fraus & dolus illi patrocinari non debeant) Sententiæ non teneant, & tam Abbas, quàm Monasterium ab impetione Episcopi sit absolvendum.

(F) Ita est in *Cap. auditis. 15. de præscript.* Ubi Abbas Ecclesias, quæ aliàs ad Episcopum lege Diœcesana spectabant, ab ea solutas sibique pleno Jure subjectas vel Privilegio Pontificio, vel præscriptione probare tenetur.

(G) Idem est in *Cap. veniens. 19. de præscript.* Ubi Abbas, quod suos ad quemcunque Episcopum pro Sacrorum Ordinum susceptione mittere posset, prætendens condemnatur, quia primò præscriptionem adduxerat, quod in casu, quo Episcopus suos ordinare recusaret, ad quemcúnque alium Episcopum pro ordinatione eos mittere valeat, & ita Abbas, quando privilegium impetravit, Juri præscriptionis renuntia-

nuntiavit, præsertim cùm Privilegio usus fuerit. Si verò nondum consummata fuit præscriptio, dum impetratum privilegium, bonam fidem non habuit, nec consequenter præscripsit.

(H) Secundùm doctrinam *Cap. ut quis. 25. de elect. in 6.* electus unam electionem Confirmatori præsentare debet confirmandam, quâ rejectâ non fit transitus ad secundam.

(I) Cajus in pœnam mendacii ad reparationem damni in solidum condemnatur. *L. 1. §. 15. ff. si quadrup. pauper.*

(K) Casum tradit *Cap. fin. de solution.* Ubi statuitur quod is, qui conqueritur, indebitam pecuniam se solvisse, probare teneatur, quod indebitè sit soluta, nisi ejus adversarius solutionem inficians exinde convincatur, tunc enim diffitenti onus incumbit probandi, quod debitum recepisset, ideóque Creditor negans solutam pecuniam, postquam solutio probata, in se onus probandi suscipit, quod pro alio debito soluta fuerit pecunia.

REGULA XXI.

Quod semel placuit, amplius displicere non potest.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus?

R. Quod ex libero voluntatis consensu semel ita placuit, ut inde Jus alteri sit quæsitum, eo invito, & cum Juris jam quæsiti læsione revocari non potest. Concordat Regula 33. *mutare Consilium quis non potest, in alterius detrimentum.*

Exempla Regulæ sunt 1*mò* in matrimonio Carnali maximè consummato, quod nullâ humanâ potestate dissolubile est. 2*do* in professione religiosa. 3*tio*. In Contractibus & Conventionibus, sicut enim ab initio libera unicuique contractum ineundi, vel non ineundi est potestas, sic constitutæ semel obligationi invito compacíscente renuntiare non licet. L. *cut. 5. de obligat. & act.* 4*to* in Juramento. *Cap. cum contingat. 28. de jurejur. Cap. quamvis. 2. de pact. in 6.* 5*to* in votis, licet enim universis liberum sit arbitrium in vovendo, usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut sine propriæ salutis dispendio alicui non liceat resilire. *Cap. licet. 6. de voto. 6to* in judiciis, in quibus nec actori post litem contestatam reo invito recedere permissum est L. *pure. 5. ff. de dolo mal. & met. except.* nec reus, postquam semel per litis contestationem in

Judi-

Judicem consensit, eum velut incomperentem vel suspectum recusare potest, nisi nova suboriatur causa, *Cap* 1. *de judic. Cap pastoralis.* 4. *de except.* nec Judex Sententiam definitivam, quam semel pronuntiavit, revocandi habet libertatem. L. *Judex* 55. *de re judicat.* 7*mo* in electionibus publicatis electoribus ab electo recedere non licet. 8*vo.* in beneficiorum collationibus & resignationibus, quod semel placuit, revocari nequit. *Cap. extransmissa.* 3. *de renuntiat. Cap. si tibi absenti.* 17. *de præbend. in* 6.

Quæres *secundò.* Quæ sunt ab hac Regula exceptiones?

Rz. Sequentes: 1*mo* licitum est recedere ab eo, quod semel placuit, si cum Consensu utriusque partis fiat recessus, præterquam in matrimonio Consummato, quod non nisi morte naturali unius ex Conjugibus dissolubile est, & professione Religiosâ, à qua recedere nefas est, nisi ad Ordinem transeatur strictiorem.

2*dò.* Impuberes postquam pubertatis annos attigerunt, à sponsalibus, quæ ante pubertatem contraxerunt, recedere possunt *Cap. de illis.* 7. *Cap. à nobis.* 8. *de desponsat. impuber.*

3*tio.* Sponsi de præsenti, sive qui ratum contraxerunt matrimonium, ante ejus consummationem resilire valent, religionem ingrediendo, ad quem finem datur bimestre, intra quod matrimonium consummare non tenentur, sed an religionem intrare velint, deliberandi habent facultatem. *Cap. verum.* 3. *Cap. ex publico.* 7. *de convers. conjugat.*

4*to.* In contractibus innominatis: do, ut des, do, ut facias, facio, ut des, facio, ut facias ante impletionem Contractûs ex parte unius datur locus pœnitentiæ. L. *si pecuniam.* 5. *ff. de condiction. caus. dat.*

5*to.* In mandato ac Societate re adhuc integrâ tam ex parte mandantis, quàm mandatarii pœnitere licet. §. *Mandatum institut. de mandat.* §. *manet. institut. de Societ.*

6*to.* In ultima voluntate, quàm quilibet semper mutare potest, imò testator ne à priori voluntate recedat, sibi ipsi legem ponere nequit. L. *si quis.* 22. *ff. de legat.*

7*mo.* In Sententia interlocutoria, quam Judex revocare & corrigere potest. *Cap. cum cessante.* 60. *de appellat.*

8*vo.* In Appellatione, pars enim appellans ab interpositæ appellationis prosecutione semper desistere potest. L. *si quis libellos.* 28. *C. de appellat.*

9*no.* Demum Generaliter ab illo, quod ante placuit, recedere licet, quando nova supervenit causa, aut tale quid ad notitiam deducitur, quod ante cognitum priùs placitum impedivisset, cum ea, quæ de novo emergunt, novo indigeant consilio. *Cap. pastoralis.* 4. *de excep.*

CA-

CASUS.

Gebelina Matrimonium promisit Titio, quem, quia aliquando Monachum, & cum aliis fornicatum fuisse intelligit, à Sponsalibus recedere intendit. (A) Aut simplex castitatis votum emittendo, aut eum alio concontrahendo. (B) Id advertens Titius *Gebelinam* dolosè inducit, ut coram Parocho contrahat, quæ tamen matrimonium contractum consummare recusat. (C) Sed votum castitatis facit. (D) Et matrimonium invalidum esse prætendit. Titius Gebelinam ad Officialem citat, qui Cajum Causæ nominat Commissarium, quem post litem contestatam ut suspectum recusare conatur. (E) Tandem in arbitros uterque compromittit, adjecto juramento, quod eorum stare velint arbitrio. Arbitri dant laudum, quod *Gebelinæ* validum sit cum Titio matrimonium, *Gebelina* ne laudo stare, & matrimonium consummare teneatur, Religionem strictiorem ingreditur, in qua cum propter nimium rigorem manere non possit, exit è Novitiatu. (F) Et laxiorem ingressa, testamentum excluso Marito, quem ante ex asse hæredem instituerat, in Monasterii condit favorem. (G) Professa ad strictiorem Ordinem sese obligari existimat, cum recordetur, quod ante matrimonium hunc Ordinem ingrediendi, & in illo usque ad vitæ finem perseverandi votum emiserit. (H) Monasterii Mater resistit, quâ licet contradicente *Gebelina* cum tota substantia sua ad prius Monasterium redire parat, maximè cum Moniales illius eam absque novo Novitiatu se suscepturas appromittant. (I)

RESOLUTIO.

(A) *Gebelina* à sponsalibus recedendi habet facultatem, quando novum quid emergit, vel ad notitiam venit, quod si tempore Contractûs notum fuisset, sponsalia non iniisset. *Arg. Cap. ut Circa. 4. cap. nulli. 8. de elect. in 6. cap. pastoralis. 4. de except.* de novo enim emergentia novum requirunt Consensum. *Arg. Cap. insinuante. 25. de offic. delegat.*

(B) Non simplex castitatis votum, sed Ordo sacer, professio religiosa, & votum ingrediendi religionem contracta dirimunt sponsalia. *Cap. meminimus. 3. qui Cleric. vel vovent.* Sponsalia autem de præsenti solvunt præcedentia Sponsalia de futuro. *Cap. si inter. 31. de sponsal.*

(C) Matrimonium Contractum *Gebelina* non nisi post bimestris spatium consummare tenetur. *Cap. ex publico. 7. de convers. Conjugat.*

(D) Quia votum castitatis emisit, matrimonium licitè consummare nequit,

quit, sed, ut votum servet, ad religionem ingrediendam manet obligata.

(E) Postquam semel in Commissarium consenserat, nisi nova emergat causa, ipsum velut suspectum perhorrescere non poterat.

(F) Declarato valido *Gebelinæ* matrimonio, in ejus erat arbitrio, vel idipsum consummare, vel religionem intra bimestre intrare. *Cit. cap. ex publico.*

(G) Ante professionem laxiorem Ordinem ingredi valebat. *Arg. cap. ad nostram.* 8. *de Regularit.* Renuntiationes Novitiorum sub certa forma, quam *Trident Sess.* 25. *de regular. Cap.* 16. præscribit, sunt instituendæ, quam tamen ad testamenti confectionem non esse extendendam docet S. Congregationis declaratio.

(H) Quamvis votum de strictiore Ordine ingrediendo emisisset, illi, quod Ordinem hunc ante ingressa fuerit, jam satisfactum esse noscitur, & licet in strictiori Religione manendi votum fuisset, nihilominus per professionem in laxiori Ordine factam ab illo libera est, & licitè in eo perseverare potest, voto enim priori tanquam simplici per secundum solenne est derogatum. Est expressus Textus *in cap. qui post votum.* 5. *de regular. in* 6.

(I) Mater efficaciter resistere nequibat, licet enim, qui ad strictiorem Ordinem transire cupit, à Superiore licentiam petere debeat. *Cap. licet.* 18. *de Regular. Gebelina* nullam amplius de bonis relictis disponendi habet potestatem; Annus Novitiatûs integer debet esse & continuus, ideoque *Gebelina*, si, priusquam ad laxiorem Ordinem transmigraret, annum probationis in strictiori Ordine, è quo egressa est, non compleverit, novo Noviatûs anno probanda est, conformiter dispositioni. *Trident. Sess.* 25. *de Regular. Cap.* 15. quem Moniales remittere non possunt.

REGULA XXII.

Non debet aliquis alterius odio prægravari.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Ob alterius malè agentis factum, alius, qui ejus nec socius, nec particeps fuit, pœnam, damnum, aliudve incommodum sustinere non debet Ratio est: quia æquitas justitiæ exigit, ut ille solum gravetur, qui deliquit; & quis locus foret ignorantiæ, si alienum crimen macularet nescientem? *Can. quis locus.* 2. *caus.* 1. *q* 4.

Exemplæ hujus Regulæ sunt in *Can.*

si habes. 1. cauſ. 24. q. 3. ubi propter factum Patris filius non anathematizatur. *in cap. ſi Compromiſſarius. 37. de elect. in 6.* dum Compromiſſarii indignum elegerunt, propter hoc jure eligendi non privantur Compromittentes.

Quæres *ſecundò*. Quæ ab hac Regula exceptiones?

℟. Etſi pœna æterna, & ſpiritualis excommunicationis pœna nunquam pro delicto feratur alieno, attamen aliquando crimen unius aliis obeſſe noſcitur, ſic hæres pro defuncto, fidejuſſor pro Principali, ordinatus in odium gravatur ordinantis. *Can. nemimem. 1. diſt. 70.* in deteſtationem criminum Læſæ Majeſtatis, hæreſeos, Schiſmatis &c. filii puniuntur delinquentium; filius illegitimus ob exceſſum Patris excluditur à beneficiis, quia Eccleſia juſtè meruit in filio paternam propagari incontinentiam.

CASUS.

Hugolinus Laicus malè Epiſcopum ſuum tractavit, & ob hoc cum tota domo fuit excommunicatus. (A) Reconciliatus Epiſcopo ſine titulo ad Ordines admiſſus ab Archi-Epiſcopo ſuſpenditur. (B) Poſtquam Canonicus factus eſt, in electione Decani omnes in eum compromiſerunt, qui indignum nominavit. (C) Ex quo ad ſuperiorem devoluta eſt electio. (D) Qui *Hugolinum* Decanum nominavit. Hic mittens Procuratorem ad Epiſcopum pro confirmatione, ut diſpenſationem in natalibus quoque peteret, ei injunxit, quod Procurator petere neglexit. (E) Unde Confirmatio poſtea declarata eſt invalida. (F) Et facta nova Decani nominatio, cui cum major Capituli pars ſe opponeret, ab Epiſcopo totum Capitulum interdicto eſt ſuppoſitum. (G) Quod quidam Canonici, qui innocentes ſe noverant, non obſervantes nominatim ſunt excommunicati. (H)

RESOLUTIO.

(A) PRopter delictum unius totam domum excommunicationis ſententiâ perſtringi non poſſe conſtat ex *Can ſi habes. 1. cauſ. 24. q. 3. & concordat. Can Judæi. 7. Cauſ. 1. q. 4 cap. unic. de injur. & dam. dat. in 6. Cap. ſicut. 33. de Simon.*

(B) Rectè ſuſpenſus eſt ſecundum *Can. 1. & 2. diſt. 70.* non tam in odium ordinantis, quàm ordinari, qui abſque titulo Ordines ſuſcipere præſumpſit.

(C) Quantumvis *Hugolinus* indignum nominando in conſcientia peccaverit, pœnam tamen ſuſpenſionis à beneficiis, quæ in illa obtinebat Eccleſia, quam taliter eligendo ſpecialiter

ter noscitur offendisse, non incurrit, hæc namque non aliorum, quàm Episcoporum & Superiorum ipsorum electionibus, cum peccatur in ipsis, vindicat sibi locum. *Cap si Compromissarius. 37. de elect. in 6.*

(D) Si Compromittentes electionem indigni non ratificaverunt, cum ipsos Compromissarii odio non conveniat prægravari, elegendi potestas liberè revertitur ad eosdem. *Cit. cap. si Compromissarius.*

(E) Principalis gravatur odio Procuratoris. *Can. biduum. 29. caus. 2. q. 6. cap. cum olim 7. de caus. possess. & propriet.* Sic crimen læsæ Majestatis in filiis punitur, nam paterno debent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hæreditarii criminis exempla metuuntur. *Can. si quis. 22. caus. 6. q. 1.* Filii quoque hæreticorum tanquam progenies damnatorum Canonicæ subjiciuntur ultioni. *Cap. vergentis. 10. de hæret.* Civitati cujus cives quidam suum Episcopum occiderunt, dignitas subtrahitur Episcopalis. *Can. ita nos. 25. caus. 25. q. 2.* perit justus læpissimè pro impio. *Can. in sancta. 41. de consecrat. dist. 1. plura exempla adferuntur can. in Ecclesia 11. caus. 1. q. 4.*

(F) Confirmatio invalida est, nec Episcopus dispensandi potestatem habet, etsi enim ad minores Ordines cum illegitimo dispensare valeat, ad dignitates tamen & Personatus ac alia beneficia curam animarum habentia illegitimè natus sine dispensatione Sedis Apostolicæ minimè promovendus. *Cap. fin. de filiis Presbyter.*

[G] Propter majoris Capituli partis delictum Capitulum ipsum interdicto supponi potest, sicuti propter publicum Principis crimen totum ejus regnum juste interdicto subjicitur. *Cap. non est vobis. 11. de sponsal.*

(H) Interdicto tam innocentes, quàm nocentes afficiuntur, illudque servare tenentur. *Arg cap. quæsivit. de his quæ fiunt à maj. part. capit. cap si sententia. 16. de sent. excom. in 6. quæ contraria videntur, pulchrè concordat Gloss. in princip. caus. 34. q. 3.*

REGULA XXIII.

Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.

QUæres 1mo. Quis hujus Regulæ sensus?

R. Propter actionem, quæ dolo vel culpâ caret, nemini pœna est infligenda.

da. Exempla sunt in *can. satis perversum. 7. dist. 56. Cap. cognoscentes 2. de constit. L. si putator. 31. ff. ad Leg. aquil.* Ratio est: quia pœna est mensura culpæ, ubi autem non est mensurandum, mensura locum habere nequit.

Quæres *secundò*. Quæ ab hac Regula exceptio?

Rz. Sit unica Regulæ his verbis: *nisi subsit causa*, incluta exceptio, ita ab Ordinibus & Ecclesiasticis beneficiis præter illegitimos & ex parentibus hæreticis progenitos repelluntur ii, qui etiam ignari ab alio corruptam sibi desponsarunt uxorem. *Can. præcipimus. 10. dist. 34.* Clericus leprosus propter scandalum & abominationem populi ab administrationis Ecclesiæ removetur officio per *Cap. tua. nos. 4. de Cleric. agrot.* Qui beneficium per Simoniam ipso licet ignorante commissam adeptus est, idipsum dimittere jubetur. *Cap. nobis. 27. de Simon.* Dominus servi, qui noxam sive damnum intulit, vel noxam emendare, vel Servum pro noxa dare debet. *Inst. de noxal. act. in princ.*

CASUS.

IVo Viduus ad statum aspirat Ecclesiasticum, cui plura obmoventur, 10. quod ante aliquot annos servi illius jussu ligna cædentes rusticum casu occidissent. 20. quod defuncta *Ivonis* uxor ante matrimonium à Clerico corrupta fuisset. 30. quod stante Conjugio in causa criminali referentem egisset.

(A) Quibus non obstantibus ad Ordines dispensativè admissus, postquam per annos quosdam in Sacerdotio laudabiliter conversatus esset, in lepram incidit, ob quam Canonicatu privatus reliquum vitæ in Leprosorio egit. (B)

RESOLUTIO.

(A) OB factum servorum, nisi jusserit, Dominus irregularis non est. *Cit. can. satis perversum. 7. 56.* Si uxor *Ivonis* verè corrupta fuerit, & ordines suscipere, & in susceptis ministrare *Ivo* prohibetur. *Can. si cujus. 11. dist. 34.* nec tunc ob culpam, sed propter Sacramenti defectum ab altaris ministerio removetur. Si in causa criminali pronuntiaverit, ex defectu lenitatis irregularitatis incurrit impedimentum.

(B) Sacerdos leprosus ab officio est removendus, ita tamen, ut eidem ex facultatibus Ecclesiæ necessaria, quamdiu vixerit, ministretur sustentatio. *ap. tua nos. 4. de Cleric. agrot.* nunquam sine causa, sæpius tamen absque culpa quis suo spoliatur privilegio. Causas *Gloss. in Can. renovuntes. 6. dist. 22.* hoc versu enumerat:

Paupertas, odium, vitium, favor, & scelus ordo.
Personas spoliant, & loca jure suo.

RE-

REGULA XXIV.

Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ Sensus ?

Rz. Qui judicis, Patris, Prælati, Domini, vel alterius Superioris mandato obtemperat, à dolo excusatur, quæcunque enim Judex aut Superior præcipit, justè præcipere præsumitur. *Cap. sicut nobis.* 16. *de Sent. & rejudicat.* exempla sunt in milite, qui jussu Ducis sui occidit. *Can. miles.* 13. *caus.* 23. *q.* 5. in laicis Clericos de mandato Episcopi Capientibus. *Cap. si Clericos.* 15. *de Sent. excom. in* 6.

Quæres *secundò*. Quæ facienda Regulæ limitatio?

Rz. Addendum est : *Nisi justa non parendi subsit causa*, idcóque 1*mo* si mandatum naturali aut divino juri adversetur, parendi non est obligatio ; sic Conjux dirimentis conscia impedimenti, ad mandatum Judicis, etiam excommunicationem minitantis debitum Conjugale reddere nequit. *Cap. litteras* 13. *de Restitut. spoliat. cap. inquisitioni.* 34. *de Sent. excom.* item qui per Sententiam fallis allegatis nixam in Causæ Controversia triumphavit, per hujusmodi Sententiam adjudicatum sibi retinere nequaquam potest. 2*dò*. Si Judex inferior contra Jus manifestum, in quo dispensare nequit, aut contra Judicis Superioris imperat mandatum, subditus non tantùm obedire non tenetur, sed etiam obediens à culpa non excusatur. 3*tiò*. Si Judex quidpiam, quod ad officium illius non pertinet, vel absque prævia Causæ cognitione, vel alterâ parte non citatâ, nec audita &c. mandare tentaverit, non est obsequendi debitum, cum in tali casu contra Judicis mandatum militet præsumptio. *Cap, conquerente.* 7. *de Restitut. spoliat.*

CASUS.

KOlomannus Abbas conversum habet incorrigibilem, quem à famulis suis scutico excipi jubet, qui cum metu excommunicationis sese excusarent (A) Præcepit monachis, ut eum verberibus corriperent. (B) Sic correptus conversus in militiam aufugit, in qua uxorem duxit; aliquando

Sacellanum Campeſtrem interrogans, an uxori matrimoniale debitum reddere poſſit, reſponſum accepit: Si à tuo Officiali adſtringaris, ut velut maritus uxori tuæ cohabites, ex præſenti *Regula* debitum reddere potes. (C) tandem in Capitali deprehenſus flagitio ad mortem condemnatur. Unus ex militibus Sententiæ executoribus eum religioſum eſſe ſcivit, ideóque timet, ne irregularitatem incurrat. (D)

RESOLUTIO.

(A) BEnè ſe famuli excuſarunt, quia Abbas, ſi cauſa ſubſiſtat, religioſum ſubditum vel per ſeipſum, vel per monachos, aut Clericos excipere debet, aliàs tam ipſe, quam excipientes excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſervatam incurrunt, *Cap. Univerſitatis. 24 de Sent. excom.*

(B) Religioſi juſſi à Prælato incorrigibilem excipere poterant per *Regulam. & cit Cap. Univerſitatis.*

(E) Matrimonium poſt ſolennem profeſſionem attentatum invalidum eſſe non dubitatur. *Cap. unic. de Voto. in 6.* Juſſus ab Officiali, aut quacúnque poteſtate etiam Eccleſiaſtica debitum reddere non poterat, in iis enim, quæ juri naturali & divino contrariantur, plus obediendum eſt Deo, quàm hominibus. *Can. ſi Dominus. 93. Caus. 11. q. 3. Cap. inquiſitioni. 44. de Sent. excom.*

(D) Miles ſanguinis Sententiam exequens non incurrit irregularitatem ex delicto. *Can. miles. 13, caus. 23. q. 5.*

REGULA XXV.

Mora ſua cuilibet eſt nociva.

QUæres *primò*. Quid & quotuplex eſt mora?

R. 1*mò*. Mora eſt culpabilis & damnoſa eo tempore, quo quis poteſt & debet, quidpiam dandi aut faciendi dilatio. Sic debitor, qui ſolutionem debiti, dum debet & poteſt, non exhibet, moroſus debitor appellatur.

2*dò*. Mora alia eſt regularis, alia irregularis. Regularis, ſive, ut alii vocant, mora ex perſona eſt, quando ex legitima Creditoris interpellatione debitor in mora eſt: Ut Titius Cajo prædium pro 300. Imperialibus vendidit, die vel tempore, quo ſolutio præſtanda, non expreſſo, Cajus à

tempore, quo à Titio interpellatus solutionem non præstitit ex persona morosus fit debitor. L. *mora.* 32. *ff. de usur & fruct.* mora irregularis est, quando ipso jure temporisque lapsu sine ulla Creditoris interpellatione debitorem ad solvendum monet obligatio Sic 1*mo.* Possessor malæ fidei à malæ fidei tempore est in mora, ut fur, vel raptor, vel damnificans. L. *fin. ff. de Condict. furtiv.* 2*do.* Qui minori ex fideicommisso, Legato, aliovè Bonæ fidei contractu debet, ex Lege absque ulla hominis interpellatione in mora constituitur. 3*tio.* Emptor, qui ex re empta & tradita fructus percipit, pretium non solvens morosus est debitor. L. *Curabit.* 5. *C. de act. empt. & vendit.* 4*to.* in Contractibus, in quibus certa dies pro solutione determinata, dies pro homine interpellat, ac morosum efficit debitorem. L. *magnam.* 12. *C de contrah. & Com. stipulat.*

Quæres *secundò.* Quis hujus Regulæ sensus?

R. Quando debitor de eo, quod debet, præstando, sive ab homine, sive à jure interpellatus, id non præstat, mora debitori, non verò Creditori nocet, ita, ut omnia incommoda ex mora emergentia, etiam Casum fortuitum præstare & resarcire obligetur.

Exempla sunt 1*mo* in *Can. decima. 66. caus.* 16. *q.* 1. Parochianus in mora solvendi Parocho suo decimas, eas, etsi à mi[illegible]ribus ablatæ fuerint, postmodum solvere tenetur. 2*do.* Commodatarius, qui in mora est restituendi librum commodatum, qui casualiter incendio periit, æstimationem libri solvere obligatur. *Cap. unic. de commod.* 3*tio.* Depositarius deponenti rem suam requirenti reddere moratus, re post moram deteriorata, resarcire deterioratio em tenetur. *Cap. bona fides. 2. de deposit.* 4*to.* fur semper est in mora, ideoque rei æstimationem præstare tenetur, quamvis absque culpa sua eandem perire contingat. *L. Subtracto. 9. C. de furt.*

Quæres *tertiò.* Quæ ad hoc, ut Regula teneat, requiruntur?

R. Ad hoc, ut ex mora quis teneatur, requiritur 1*mo.* Ut se debere sciat, vel ad minus scire debeat. 2*do.* quod sive à jure, sive ab homine ad solvendum debitum fuerit interpellatus. 3*tio.* Ut dandi vel solvendi habuerit potentiam. 4*to.* Quod moram interpositam non purgaverit.

Quæres *quarto.* Qualiter mora purgatur?

R. Mora purgari dicitur, dum debitor morosus, antequam creditor ex solutionis dilatione damnum accepit, vel actu solvit, vel solutionem offert, quam si creditor, dum potuit, acceptare noluit, per posteriorem moram Creditoris purgatur prior mora debitoris. L. *illud.* 17. *ff. de pericul. & com. rei vend.* interim si pœna in contractu vel statuto moræ sit apposita, si semel est contracta, non purgatur, nisi lege vel Canone moram purgari posse caveatur. *Gloss. ad præsentem Regulam.*

C A-

CASUS.

L*Ambertus* Parochus decimas ab aliquot annis à Parochianis non ſolutas exigit. (A) Hi ſe excuſant, quod decimæ furto fuerint Ablatæ. (A) Vicino ſuo Paſtori ante triennium librum mutuavit, quem plenè corruptum mutuans reddere intendit, *Lamberto* novum librum exigente. (C) Eccleſiam filialem, ad quam *Lambertus* paſtorem nominare tenetur, per anni ſpatium à vicinis P. P. Recollectis adminiſtrari permiſit. (D) Eccleſia cenſum annum à triginta annis non ſolutum unà cum intereſſe prætendit, excuſat ſe *Lambertus*, quod in mora non fuerit, cum ſolutio non ſit exacta. (E)

RESOLUTIO.

(A) PArochiani ſunt in mora, cùm Parocho de jure communi decimas ſolvere teneantur *Can. decimæ. 66. cauſ. 16. q. 1.* & quidem ſtatim poſtquam fuerint collecti. *Cap. eum homines. 7. de decim.*

(B) Propter moram quoque per caſum fortuitum non excuſantur. *Cit. cap. cum homines.*

(C) Si deterioratio libri commodati culpâ accidit Commodatarii, ad reſarciendum damnum tenetur *Cap. unic. de Commodat.* Caſus fortuitus (niſi acciderit culpâ Commodatarii, vel intervenerit pactum, vel in mora fuiſſet) ei imputari non debet. *Cit. cap. unic.*

(D) Ad Superiorem devoluta eſt Eccleſiæ proviſio, nec poſt elapſum ſemeſtris ſpatium, priusquam Superior nominando provideat, moram purgare poteſt, dum enim dies à Canone vel lege pœnam imponenre adjicitur, pœnâ jam incurſâ, mora purgari nequit.

Exempla ſunt *in can. longinquitate 64 cauſ. 12. q. 2. Can. puella. 2 cauſ. 20. q. 2. Cap. cum in cunctis. 7. de elect. cap. licet. 3. de ſuppl. negligen.* &c. niſi per legem indulgeatur, quod mora purgari, & ſi lapſo termino præſtandum præſtetur, pœna valeat evitari. *Can quoniam. 1. diſt. 100. Cap. litteras. 4. de ſupplend. negligen Cap propter. 3. §. verùm de locat. de conduct.*

(E) Si certa dies, quâ Canon ſolvendus, in Contractu cenſûs fuerit expreſſa, *Lambertus* in mora fuit, cum dies pro homine interpellet, ſi verò ſolutionis dies non fuerit appoſita, ob moram non tenetur.



RE-

REGULA XXVI.

Ea, quæ fiunt à judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus ?

℟. Quod facit Judex vel Superior limites suæ Jurisdictionis aut potestatis egrediendo, nulliter facit. Ratio est: quia efficacia omnium illorum, quæ à judice vel Superiore fiunt, in ejusdem fundatur Jurisdictione, quâ velut fundamento respectivè ad personam, causam, territorium &c. deficiente, acta judicis non subsistunt. Ita nulliter agit Judex 1*mo* si Jurisdictionem in non subditum exercet. *Cap. etsi clerici. 4. de judic.* 2*do*. Si Jurisdictionem ad causam non commissam extendat. L. 1. *C. ubi in rem act. exercer. debeat.* 3*tio*. Si dicat Jus extra territorium. *Cap. ut animarum*, 2. *de Constitut. in* 6. 4*to*. Si ordinem juris non observet. *Cap. consequente. 7. de restitut. spoliat.*

Quæres *secundò*. Quæ à Regula exceptio ?

℟. *Regula* non tenet in Spiritualibus, quæ potiùs à potestate Ordinis, quam Jurisdictionis dependent, ita Episcopus validè alienam consecrat Ecclesiam, alienum ordinat subditum, quamvis Ordinatus exercitio Ordinum taliter Collatorum careat, & Episcopus Ordinans ab ordinationis actu suspendatur.

CASUS.

Marianus Abbas plurima bona facit. (A) Altaria consecrat, sacella erigit, indulgentias largitur, negligentiam pastorum supplet, Religiosos proprios & extraneos ordinat, causas matrimoniales cognoscit, æquissimus Judex. (B) à duobus super Beneficio litigantibus in arbitrum electus, uni beneficium, & alteri annuam ex beneficio pensionem adjudicat. (C) Duo Religiosi alterius Monasterii Coram *Mariano* tunc Vicario Generali cœptam injuriarum actionem exspirante jam Vicariatu adhuc continuant. (D) Cum Episcopi licentia in alieno territorio Ecclesiam consecravit, & in Consecratione duorum annorum, in anniversaria autem die unius anni tribuit indulgentiam. E) à Papa cum suis in Jejunio Ecclesiastico dispensandi habens facultatem, cum tota familia, ut carnes in quadragesima manducet, dispensare præsumit. (F)

RESOLUTIO.

(A) NOn sufficit bonum facere, nisi & benè fiat. *Arg. Cap. 1. de collus. detegend.*

(B) Omnia illa ad Episcopale spectant officium, quæ proinde simplex Sacerdos exercere non potest. *Cap. aqua. 9. de consecrat. Eccles.*

(C) *Marianus* tanquam solus arbiter reditus Beneficii, super quo litigabatur, dividere nequibat. *Cap. nisi essent. 21. de præbend.* ubi in Delegatos Sedis Apostolicæ factum erat Compromissum, qui partim judiciariâ, partim arbitratiâ potestate similem fecerant divisionem, quam tamen summus Pontifex hoc moderamine adhibito toleravit, ut non ipsum Beneficium, sed persona beneficiati pro pensione maneret onerata.

(D) Cessante Vicariatûs officio, cessat quoque Vicarii Jurisdictio, qui idem cum Principali tribunal habere dignoscitur.

(E) Si *Marianus* Apostolicum non habebat Privilegium, vi cujus ad minùs proprias valebat consecrare Ecclesias, eidem consecratio Ecclesiæ à Diœcesano committi non poterat. *Cit. cap. aqua.* in dedicatione Ecclesiæ ultra annum, & in Anniversario dedicationis ultra quadraginta dies ab alio, quàm à Papa, concessa indulgentiæ remissio excedere non debet. Pro præsenti tamen in consecratione Ecclesiæ indulgentia ad annum, utì & in Anniversario ad quadraginta dies valet per *Regulam jur. in 6. 37. utile non debet per inutile vitiari.*

(F) Distinguendum est inter Familiam, de qua quidam cum religiosis in claustro habitantes eorum sunt commensales, & in hos Prælatus obtinet Jurisdictionem: Alii extra claustrum in Monasterii versantur famulitio, & isti non Prælato, sed proprio subjiciuntur Pastori, secundùm declarationem Clement. X. in Bulla: *Superna Patrisfamiliàs.*

REGULA XXVII.

Scienti & consentienti non fit injuria neque dolus.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Qui in aliquid scienter, nullâ vi, dolo vel metu inductus liberâ Juris sui efficaciter abdicativâ voluntate consentit, nec injuriam patitur, nec dolo circumvenitur. Ratio clara est: quia nunquam est injuria, nisi Jus personæ,

sonæ, quæ injuriatur, resistat, & injuriosam prohibeat actionem, quando autem quis libero voluntatis Consensu juri suo efficaciter renuntiat, Jus non resistit, ideóque nec injuria irrogatur.

Quæres *secundò*, Quæ hujus Regulæ limitatio?

R. Nisi quis inefficaciter consentiat: quia cùm hominis voluntas non sit semper ita expedita, ut juri suo efficaciter renuntiare valeat, consentienti inefficaciter fit injuria. Sic pupillus, minor, Filiusfamilias in certis casibus, quantumcunque consentire videantur, juri suo cedere non possunt. Item Clericus sui percussionem permittens, maritus Conjugis suæ adulterio annuens, Religiosus suo monasterio renuntians inefficaciter consentiunt. *Cap. Significasti. 4. de divortiis. Cap. contingit. 36. de Sent. excom.*

CASUS.

Nasutus Monasterium, in quo rigidiorem noverat esse disciplinam, ingressus, post professionem propter teneriorem Corporis complexionem sese excusat à disciplinæ observantia, & quod à cognato ad Monasterium sit inductus sub spe, ut professus ad Parochiam foret promovendus. (A) Extra horam prandii alimenta è mensa furtivè reservata sine scrupulo sumit, cum Superior sciat, vel scire possit, aut debeat, qui licet sæpius prohibuerit, hactenus tamen apud immortificatos nihil efficere potuit. (B) In recreationibus ex joco cùm aliis religiosis pugnat, in pugna se invicem pertiunt, quandoque leviter, quandoque graviter, etiam cum notabilis læsionis periculo, sed quia hæc invicem de mutuo fiunt Consensu, ex præsenti *Regula* conscientiæ remorsum non patitur. (E) Quendam ex sociis suis, ut secum exiret, sub licentiæ prætextu induxit, qui inde gravem debuit subire pœnitentiam, ex hoc, quia socius in egressum consensit, ad satisfactionem se non teneri arbitratur. (D) Propter hæc Et similia *Nasutus* artiori Monasterio recluditur, qui lamentatur, quod innocens patiatur. Cui opponitur *Regula*: *Scienti & consentienti non fit injuria.* (E)

RESOLUTIO.

(A) NOn tenet excusatio, cum disciplinæ non ignoraret rigorem. *Arg. L. 1. ff. de act. empt & vendit.* ubi emptor diminutionem pretii rei venditæ propter servitutem, quam emptor quidem sciebat, sed venditor in emptione non manifestavit, petere prohibetur. Nec alterum relevat, cùm talis dolus non tam ad circumventionem, quam ad fatuitatem ipsius *Nasuti* debeat retorqueri, Casus similis est in *Cap. cum dilectus. 6. de his quæ vi metúsve çauſ.*

(B) A furto minimè est excusandus sub prætextu hujus *Regulæ*, nam *1mò* in *Regula* compulativè exprimitur : *Scienti & consentienti.* Superior autem quamvis sciat, non tamen consentit, sed expresè & positivè contradicit. *2do. Regula* est intelligenda, si Superior consentire possit, in iis verò, quæ Religionis Regulæ & constitutionibus repugnant, Superiorem consentire non posse per se notum est.

(C) Taliter ludentes, si casu mutilationis accideret in fortunium, à culpa & pœna Canonis, aut irregularitatis periculo non forent immunes : Solet enim contingere, ut, quod ab initio jocosum, in progressu & fine fiat serium. Deinde similes joci & ludi in *Regula* & Constitutionibus graviter sunt prohibiti, ideóque si ex in fortunio sequeretur mutilatio, tanquam dantes operam rei illicitæ irregularitatem incurrerent. Exemplum immodesti lusûs, ex quo homicidium omnino per accidens secutum irregularitatem induxit, habemus in *Cap. continebatur. 8. de homicid.* nec ex *Regula* præsenti excusationis sumere possunt Argumentum, cùm Clericus Canonis privilegio renuntiare nequeat ; hinc si Clericus volens & consentiens percutiatur, excommunicatio nihilominus incurritur, etsi enim hujusmodi manûs injectio non violenta, injuriosa tamen Ordini Clericali, in cujus favorem Canon est promulgatus, esse videtur. *Cap. contingit. 36. de Sent. excom.*

(D) Socio, eum sub prætextu licentiæ, quam non habebat, ad egrediendum inducendo, injuriam fecit, pro qua eidem satisfacere tenetur.

(E) *Nasuto*, si juxta Regulam & Ordinis sui statuta, quæ scit, aut scire debet, puniatur, non fit injuria ; unde nec pœnam declinare potest.

REGULA XXVIII.

Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

QUæres. Quis hujus Regulæ sensus ?

R. Dispositiones juri communi derogantes ad personas & Casus non expressos minimè sunt extendendæ. Ratio est : quia Jus commune, cùm propter publicam conditum sit utilitatem, favorabile est, quapropter ei contraria velut odiosa ob similitudinem, paritatem, rationis identitatem in consequentiam ad personas casusque non expressos haud sunt trahenda.

Exem-

Exempla hujus Regulæ sunt. 1*mo.* Jura laicis fundatoribus in præmium fundationis Juspatronatus concesserunt, idipsum ad Jus electionis, Jus cognoscendi causas spirituales, &c. extendendum non est. *Cap. sacrosancta. 51. Cap. messana. 56. de elect. Cap. quantò. de judic.* 2*do.* Illegitimus habens dispensationem ad beneficium, eam ad beneficium curatum extendere nequit. *Cap. 1 de filiis presbyter. in 6.*

CASUS.

Onosimus Studiosus videns Condiscipulis suis diligentioribus extraordinariam concedi veniam, eandem prætendit, & Professore præmium diligentioribus promittente, se illo privari querulatur. (A) Absolutis negligenter studiis Monasterium ingreditur, in quo Conservator Privilegiorum dici potest siquidem quidquid in proprio, vel ejusdem aut diversi Ordinis Cœnobiis aliquando permissum, concessum, aut scientibus, vel negligentibus, aut etiam invitis Superioribus exercitum audivit, pro Privilegio habet, nixus Regulâ juris: *favores ampliandi, odia restringenda.* (B) Ad Confessiones excipiendas applicatus studium. Omne in rimandis aliorum Ordinum Privilegiis collocat, parum curans, an revocata, an sub Communicatione cadant, an quadrent, &c. (C) Hinc ex Bulla Cruciatæ vel indulgentiarum, Sodalitatis de St. Trinitate sæpius extra Ordinem, etiam casus reservatos, confitetur. (D) Cum incestuosis Conjugibus dispensat. (E) Absolvit à casibus tam Episcopo, quam Summo Pontifici reservatis, sive sint occulti, sivè publici. (F)

RESOLUTIO.

(A) MAlè sibi diligentiorum præmia desiderosus poscit *Onosimus*, cum Privilegia singulorum communem legem omnino facere non possint. *Can. non exemplo. 4. caus. 26. q. 2.* debetur ergo præmium pigritiæ, quod est supplicium.

(B) Dato, quod Superiores certis de causis quædam contra communes disciplinæ Regulas permittant, illa statim in exemplum trahi non decet: quia temerarium est & indignum, aliquem sibi sua authoritate præsumere, quod legitima potestas alicui certâ ratione inspecta singularibus voluit beneficiis indulgere. *Cap. sanè. 9. de Privil.*

(C) Quamvis *Onosimus* in religioso Ordine, qui in omnibus aliorum Ordinum Privilegiis generalem habet Communicationem, sit constitutus, ut tamen eis in absolvendo, dispensando, &c. uti valeat à Superiore suo ad hoc, ut juxta Apostolica Privilegia ritè dispenset, aut absolvat, specialiter deputari

debet; deinde an Privilegium revocatum, nec ne, an usum obtineat, an quadtet, &c. providè est attendendum.

(D) Religiosi Sodalitatibus Privilegium cuicunque confitendi habentibus inscripti à non approbato per Prælatum suum absolvi nequeunt, juxta declarationem Papalem, cum contra Ordinem suum Privilegio uti non possint.

(E) Cum incestuosis Conjugibus dispensare posset, si specialem, ut dictum à Prælato habeat licentiam, vel ad hoc expositus fuerit.

(F) A casibus Episcopo reservatis eum absolvere non posse probat in hac materia facta propositionum damnatio.

REGULA XXIX.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

QUæres *primo*. Quot modis una res plures tangere potest?

℟. Modis duobis. 1*mo*. Aliqua sunt, quæ pertinent ad plures ut universos, sivè ut unum Collegium constituentes & in iis, quæ à majori parte Capituli fiunt, robur suum obtinent, alterâ etiam parte contradicente: dum enim principaliter agitur de rebus ipsum Capitulum concernentibus, major pars ipsum Capitulum repræsentat. *Cap.* 1. *de his, quæ fiunt à maj. part. ap.* 2*do*. Alia sunt, quæ ad plures ut singulos pertinent, cum principaliter de partium agitur interesse, & tunc *Regula* nostra locum habet.

Quæres *secundo*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Quod pertinet ad plures ut singulos, sive distributivè sumptos, ab omnibus approbari debet. Exempla sunt 1*mo*. Quia electio novi Prælati ad omnes & singulos spectat, cum cuilibet interfit bonum habere Pastorem, omnes, qui debent, volunt & possunt commodè interesse Electioni, sunt convocandi. *Cap. quia propter.* 42. *de elect.* licet dum omnes congregati, is in quem major pars consensit, in Prælatum sit eligendus, cum ipse electionis actus non fiat, ut à singulis, sed ut ab universis totum Capitulum constituentibus.

2*do*. Si ad electionem extraneus admittatur, omnes, nullo excepto, in illius admissionem consentire debent; quia jus eligendi competit Capitularibus omnibus, ut singulis, & distributivè sumptis, ac proinde illo privari, vel votum per extranei admissionem, uno etiam invito, minùs efficax fieri non potest.

Quæres

Quæres *tertio.* Quæ ab hujus Regulæ explicatione faciendæ sint exceptiones?

R. 1*mo.* Non tenet *Regula* in arbitris, dirimendarum litium favore: si enim in plures arbitros factum sit compromissum, valet à majori arbitrorum parte lata sententia. 2*do.* Si jus patronatûs pluribus competat Patronis, præsentatio à majori parte facta valet, propter Ecclesiæ favorem, ne videlicet per longiorem moram & vacationem Ecclesia detrimentum patiatur. 3*tio.* Si aliquid per plures, ut Collegium fiat, & sit merè gratiosum, omnes consentire oportet, veluti si dispensatio in statuto Collegii petatur, ut quis contra illius tenorem admittatur, unico dissentiente non est recipiendus.

CASUS.

PARadisus *DEI* non clausi Virginum Cœnobii Moniales habet de receptione clausuræ dissidentes, plures urgente Superiore clausuram admittere sunt paratæ, cæteris contradicentibus, dubitat Superior, an eas ad stringere possit, cum à tempore immemorial clausuram non habuerint, & ideo dissimulans præcipit, ut singulis diebus post Completorium Lytanias de Ss. Nomine JESU in Choro recitent, in quod omnes, unica exceptâ, consentiunt, quæ potius in alio Monasterio hospitari petiit. [A] Mortuâ Abbatissâ hanc extra hospitantem ad electionem non vocant, quæ tamen à maiori parte Monialium electa, utpote clausuram nunquam passura consentit, sed movetur difficultas ratione ætatis, numeri votorum &c. (B) Moniales igitur, reclamante licet electâ, ad novam procedunt electionem, & major pars consentit in Cajam. (C) Quæ in electione defunctæ Abbatissæ ob lapsum carnis rejecta fuerat. [D] Re ad Episcopum delata utraque electio rejicitur, daturque facultas novam coram Delegato Episcopali electionem instituendi, qui eas difficulter conventuras prospiciens suasit compromissum. E) In quod reliquæ, duabus exceptis consentiunt, & major pars compromittit in Confessarium, qui eam nominat, quam coram Deo judicat esse probiorem. (F)

RESOLUTIO.

(A) UNiversæ & singulæ Moniales, cujuscunque religionis sint vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes sub perpetua in suis Monasteriis debent permanere clausura. *Cap. periculoso. unic. de stat. regular. in 6.* ideoque ubi clausura non est, eam Moniales professæ non obstante quâcunque præscriptione vel consuetudine, admittere coguntur, cum in iis, quæ

quæ de substantia religionis sunt, nulla currat præscriptio; quam autem clausura necessarium sit in fœminis servandæ castitatis remedium, ipsa docet sexûs fragilitas, & periculosa cum mundo familiaritas, quâ plures deceptas esse constat in illius, cui suam integritatem voluntate spontaneâ devoverunt, gravem offensam, religionis opprobrium, & scandalum plurimorum. Justissimè igitur Episcopus Clausuræ urget introductionem, memor tremendæ Sententiæ *Trident. Sess. 25. de Regul. Cap. 5.* quâ universis Episcopis ac Monialium Superioribus sub obtestatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis, ordinariâ authoritate Clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè procurent, inobedientes atque contradictores per censuras Ecclesiasticas aliasque pœnas, quâcunque appellatione postpositâ, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis Episcopus Monialibus onus, ad quod vi statutorum aut Regulæ non obligantur, imponere quidem non potest, attamen in necessitate publica authoritate ordinariâ rectè similes preces injungit, quanquam in onus perpetuum meritò ab omnibus sit consentiendum.

(B) Si in Monasterio non clauso erat, ad electionem vocari debebat, & contempta pro irritatione illius agere poterat. *Cap. quod sicut. 28. Cap. bona. 36. de elect.* Specialia sunt in electionibus monialium, ad quas, si in discordia celebratæ fuerint, duæ partes sufficiunt. In Abbatissam eligi non potest, nisi triceſimum annum compleverit *Cap. indemnitatibus 43. de elect. in 6.*

(C) Ad novam electionem, nisi priore à superiore cassata, procedere nequibant.

(D) Caja, si ejus propter lapsum carnis aliquando irritata fuit electio, ineligibilis existebat. *Cap. super eo. 12. de elect.*

(E) In Compromissum juxta *Regulam* omnes consentire oportebat.

(F) Postquam in Compromissarium omnes consenserant, sufficiebat, quod major pars in Confessarium consentiret. *Cap. causam. 8. de elect.* qui nominando notitia sacramentali uti non poterat.

REGULA XXX.

In obscuris minimum est sequendum.

QUæres *primo.* Quid dicitur obscurum?

℟. Quod neque ex ipsius statuti aut alterius dispositionis tenore, aut ex antecedentibus vel consequentibus verbis, neque ex eo, quod actum usuque receptum

ptum, neque ex circumstantiis aliis verisimiliter colligi potest. Ex quo capite hæc regula subsidiaria nuncupatur; prius enim inspicitur, quod actum est, *2do* quod verisimilius, *3tio* quod fieri solet; si nullo ex his modis disponentis colligitur intentio, præsens *Regula* subintrat, locúmque obtinet, tam in foro externo quàm conscientiæ.

Quæres *secundò*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Regula nostra desumpta est ex L. 9. *ff. de reg. Juris*, & hunc sensum habet: Quando statuentis, aut aliter disponentis intentio ac voluntas, neque ex ipsius dispositionis tenore, neque ex verbis ei præmissis aut subjectis, neque ex eo, quod actum est, neque ex stylo aut consuetudine loci, neque ex aliis circumstantiis perspicuè apparet, aut verisimiliter colligitur, tunc demum quod minimum est semper sequimur. Ratio est: quia jura ad liberandum magis, quàm ad obligandum, ad minuendam quàm augendam obligationem sunt proniora. L. *Adrianus.* 47. *ff. de obligat. & action.*

Exempla sunt *1mò* in Cap. *ex parte.* 18. *de censib.* Duæ erant mensuræ ejusdem nominis, sed non æquales, una major, altera minor: aliquis voverat dare Ecclesiæ vel pauperibus hanc mensuram, & non expresserat, an majorem vel minorem, resolvit Pontifex ad minorem solvendam solùm esse obligatum. *2do in* L. *nummis.* 75. *ff. de Legat.* erant certi nummi, qui vocabantur scuta, vetera erant majoris, nova valoris minoris: Titius Cajo legaverat scuta decem, nec, an nova vel vetera, expresserat: Respondetur hæredem solum ad decem scuta nova obligari.

Quæres *tertiò*. Quæ hujus Regulæ limitatio?

℟. Quamvis hæc *Regula* in quantitate procedat & numero, non tamen tenet, quando ex contractu species, aut speciei æquipollentia, ut artefacta, debentur; quia si talia in testamento vel alio contractu obscurè sint expressa, non minimum, sed mediocre debetur: ut donatus fundus, sella, vas &c. nec optimum, nec minimum, sed mediocre præstandum est. *L. si quis argentum.* 35. *C. de donation.*

Exempla sunt *1mo* in L. *qui lancem.* 31. *ff. de auro & argen leg.* Quidam tres habebat lances inæqualis magnitudinis, legaverat unam, non exprimendo, qualem: resolvitur hæredem teneri ad lancem magnitudinis & æstimationis mediæ. *2do* in L. *Titia.* 38. §. 2. *ff. eod. tit.* testatrix hæredem oneraverat, ut in sui memoriam signum vel statuam in templo poneret, in quo similes statuæ aureæ, argenteæ, & æreæ reperiebantur: dubitabatur, qualem hæres ponere deberet, & resolutum est, quod ad argenteam, quæ erat media inter auream & æream, obligetur.

CASUS.

Quirinus infirmus vovit se ad Tumbam S. S. trium Regum cereum duorum pondo oblaturum, si restitueretur: Dubitatur, an ex cera virginea, cerâ communi longè cariori, cereum dare teneatur. (A) Ex fundatione singulis annis in Theophoria P. P. Capucinis portionem dare obligatur, in quo sentit difficultatem, eò quod multùm in numero creverint, cum tempore fundationis tres solùm Patres, & sex laici fuerint. (B) In testamento patrui vini mosellani dolium legatum fuit: cum hærede super duobus litigat: 1*mo* super mensura, quia in Mosella vini dolium septem amas continet, & hæres tantum quinque juxta mensuram Colonienſem præstare intendit. 2*do* super qualitate, cum hæres mosellanum ex mosella inferiori dare velit: *Quirinus* autem prætendit ex mosella Superiori, quia patruus vinum ex Mosella inferiori nunquam habuit. (C) In pago A avenæ centum maldera Coloniam avehenda emit: *Quirinus*, cum nihil sit expressum, marcoduranam, quâ in dicto pago utuntur, vult habere mensuram; Rustici, cum avena Coloniam sit avehenda, Colonienſem tantùm mensuram deberi prætendunt. (D) Cum rusticis transegit, ut pro maldero solveret imperialem; difficultas est, an summa transacta per 78. albos sit solvenda (E) Demum Titio mediatori promisit dare pileum suum, si res amicè componeretur: dubitat, an, cum tres habeat pileos, optimum dare obligetur. (F)

RESOLUTIO.

(A) SAtisfacit voto, si ex communi cera offerat cereum. Simile est in *Cap. ex parte.* 14. *de censib.* Ubi, qui mensuram frumenti S. Jacobo dare voverant, dum alii in majori, alii in minori mensura votum solverent, dicitur, quod voventes satisfaciant, si in mensura solvant minori.

(B) Quantumvis numerus sit adauctus, portionem tamen dare obligatur. *Arg. cap. quantò.* 16. *de censib.*

(C) Hæres mensuram dolii in loco, ubi legatum est, usitatam præstare tenetur. L. *semper.* 34. *ff. de Reg. Jur.* Quantum ad qualitatem, vinum mosellanum mediocre, sive illud in Superiori, sive inferiori mosella creverit, solvendum est *Arg. L. si quis argentum.* 35. §. *si verò.* C. *donat.*

(D) Si à rusticis Coloniæ avena tradenda, ibique mensuranda erat, Colonienſis sufficiebat mensura: secus si in pago, in quo coempta, tradenda erat.

(E) Pecunia transacta per 78. albos solvenda est. *Arg.* L. *nummis.* 75. *ff. de Legat.*

(F) Si tres habet pileos, medium dare debet. *Arg. L. qui lancem.* 31. *ff. de auro & argent. legat.* aliàs per hanc Regulam sufficit dare viliorem.

RE-

REGULA XXXI.

Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Qui de re vel negotio aliquo scientiam vel indubitatam habet notitiam, aut saltem habere deberet, illum per denuntiationem vel insinuationem certiorem reddere necesse non est. Ratio est: quia frustra denuntiatio vel insinuatio exigitur, ut rei jam plenè cognitæ notitia habeatur.

Quæres *secundò*. Quæ hujus Regulæ exempla?

℟. Sequentia: 1*mò*. in *Cap. si duobus.* 7. *de appellat.* hic proponitur casus: Latâ sententiâ uterque litigantium appellaverat, unus ad Archi-Episcopum, alter ad Papam: appellans ad Papam de interposita appellatione partem adversam non certioraverat; quia tamen Archi-Episcopus cum parte adversa de appellatione sciebat omnia acta post appellationis notitiam attentata esse declarantur. 2*do*. in L. 1. *de action. empt.* dicitur: Si quis vendat rem servitute obligatam, & emptor hoc sciat, licet in emptione venditor emptorem non certioraverit de onere servitutis emptori tamen utpote scienti actio quanti minoris denegatur.

Quæres *tertiò*. Quæ ab hac Regula exceptio?

℟. Si certioratio sive denuntiatio non præcisè ad rei notitiam, sed ex juris dispositione ad formam vel actûs valorem requiratur, etsi de re aliunde constet, nova fieri debet denuntiatio.

Quæres *quartò*. Quæ hujus exceptionis exempla?

℟. Sequentia: 1*mò* vacante Ecclesiâ quidam Capitularium absens vacationem & diem electionis aliunde cognovit, qui nihilominus ad electionem vocandus est, ne contemptus pro electionis instet rescissione. *Cap. quod sicut.* 28. *de elect.* 2*dò*. Clericus plura committit, propter quæ clericali privandus est privilegio, quo tamen ut privetur, prius moneri debet. *Cap. contingit* 45. *de Sent. excom. Clem. unic. de vita & honest. Cleric.* 3*tiò*. Excommunicationem ttina monitio præcedere debet, quamvis excommunicandus excommunicationis aliunde novit comminationem. *Cap. Sacro.* 48. *de Sent. excomm.* 4*tò*. Clericus concubinarius fructibus aut beneficio nisi præmissis canonicis monitionibus non spoliatur. *Trid. Sess.* 25. *de reform. cap.* 14. 5*to*. Venditor emptori ad evictionem non tenetur, nisi fuerit ab eo laudatus, ut loquuntur Juristæ, hoc est, de lite admonitus. L. *emptor.* 8. *C. de eviction.* 6*to* demum testamentum ex defectu testium est invalidum, si testes fuerint

quidem præsentes, non tamen ad hoc specialiter vocati & requisiti. L. *hæredes.* 21. §. *in testamentis. ff. qui testam. facere poss.*

CASUS.

Romualdus Canonicus Metropolitanus Trevirensis per plures annos Coloniæ tanquam Sæcularis absque habitu & tonsura cum persona quadam velut uxore habitavit, ita, ut civis Colonienſis putaretur. Electoris Trevirensis morte & electionis die divulgatâ Coloniæ mansit, usque dum novus Elector promulgatus: & ut donativorum particeps efficeretur, postmodum electioni, eò quod contemptus fuisset, se se opposuit. (A) Capitulares Trevirenses objiciunt *1mo*, quod ipsi mors & dies electionis sufficienter nota fuissent. *2do*, quod ad electionem vocari non debuerit, cum non esset Canonicus, tum quod habitum & tonsuram à tot annis non portaverit. (B) Tum quod esset in matrimonio, ut est fama, & aliter à Colonienſibus nunquam habitus, (C) Tum quia ad minus concubinarius est (D) & dato, quod adhuc Canonicus esset, nihilominus vocari non debuisset, quia excommunicatus erat tum à Jure, tum ab homine, cum singulis annis, qui ad minus per bimestre residere nolunt, ab Archi-Episcopo Trevirensi excommunicentur: (E) Et ex hoc Nuntius Apostolicus Capitulum & electum ab impetitione *Romualdi* absolvit, electúmque confirmavit, non obstante, quod *Romualdus*, ut dicebatur, appellaverit, & actu Romam ad prosequendam appellationem contenderit. (F)

(A) Si *Romualdus* Canonicatu privatus non erat, nec notoriè excommunicatus, sed in Sacris constitutus, quamvis mortem Electoris & diem sciret electionis, citari tamen debebat. *Cap. quod sicut. 28. de elect.* citatio enim non tantùm fit ideo, ut dies electionis citandis innotescat, sed etiam ut canonicè ad electionem convocentur, & ex hoc capite *Regula* præsens non tenet.

(B) Per depositionem habitûs & tonsuræ non ipso facto Canonicatu privatus est, *Cap. contingit. 45. de Sent. excom. Clement 1. de vit. & honest. Cleric.*

(C) Si de facto matrimonium contraxit, sive in Sacris sit constitutus, sive non, juxta probabilem Sententiam canonicatu privatus existit, cum eidem ipso facto renuntiasse censeatur: quantumvis alii distinguant, quod constitutus in minoribus ipso facto privatus sit, si uxorem duxerit, *Cap. quod à te. 3. Cap. diversis. 5. de Cleric. conjug.* in majoribus constitutus matrimonium contrahens, licet excommunicationem incurrat, *Clem. unic. de consang. & affin.* beneficium tamen ipso facto non amittat.

(D) Concubinatûs lutum ipso facto Clericum non privat beneficio. *Trident. Sess. 25. de reform. cap. 14.*

(E) Ex-

(E) Excommunicatio à Jure uti & ab homine per mandatum generale lata trinam monitionem non requirit, ſicut illa, quæ contra particularem ab homine pronuntiatur: *cap. ſacro. 48. eit.* & ex hoc capite *Romualdus* ad electionem non erat vocandus. Præterea propter matrimonium contractum, de quo fama, usque dum non contractum probaret, irregularis, ideoque voce activâ & paſſiva privatus reputari debebat. *Arg. cap. is qui. de ſent. excom.* Quanquam alii hujus Capituli textum ſolùm de irregularitate contracta ex hoc, quod quis in loco pœnæ interdicti ſuppoſito celebraverit, quia ſpecialiter odioſa eſt, intelligere velint.

(F) Niſi *Romualdus* frivolè appellaſſet, Nuntius Apoſtolicus appellationi, ſi eam factam eſſe ſciviſſet, deferre debuiſſet, quantumvis eidem debitè inſinuata non fuiſſet *arg. cap. ſi duobus. 7. de appellat.*

REGULA XXXII.

Non licet Actori, quod reo licitum non exiſtit.

QUæres Quis hujus Regulæ ſenſus?

℟. Nihil in Judicio ad intentionem ſuam promovendam permiſſum eſt actori, quod non etiam reo ad exceptionem ſuam fundandam ſit permiſſum. Ratio eſt: quia favorabiliores rei, quam actoris ſunt partes. *Reg. 125. ff. de Reg. Jur.* Exemplum habes in *cap. prudentiam 2. de mut. petit.* ubi quia actor impetraverat literas derogationis contra reum cum clauſulâ: *appellatione remotâ*, & ideo etiam reo coram eodem Judice delegato reconvenire conceditur *appellatione remotâ.*

REGULA XXXIII.

Mutare quis Conſilium non poteſt in alterius detrimentum.

QUæres. Quis hujus Regulæ ſenſus?

℟. Ille explicatus eſt in *Regula vigeſima prima: Quod ſemel placuit, amplius*

plius displicere non potest. Pro majori tamen dilucidatione exempla deserviunt sequentia.

Primum. Publicato Scrutinio Electores ab electo recedere non possunt, quamvis electo ante consensum in electionem Jus plenum ad rem non sit quæsitum. *cap. publicato. 58. de elect.*

Secundum. Postquam Patrono Episcopo vel ordinario Clericum ad vacans præsentavit beneficium, consensum suum revocare nequit Patronus etenim si patronus sit Ecclesiastic., id est, cui vi beneficii, aut dignitatis Ecclesiasticæ competit præsentatio, alterum præsentare non potest, eò quod officio suo jam functus sit; si Patronus sit laicus, ad quem nimirum ex titulo sæculari spectat præsentatio, variare quidem potest, etiam secundum præsentando, priorem tamen præsentatum, si ab Ordinario velut indignus non rejiciatur, excludere nequit, sed est officium Ordinarii ex duobus vel pluribus à Patrono laico simul vel successivè præsentatis intra quadrimestre eligere digniorem. *cap. cum autem 24. de Jure Patron.*

Tertium. Quamvis postulatio, sive Ecclesiæ vel Collegii vacantis petitio, ut quis Canonico impedimento dispensabili laborans ad vacantem Prælaturam admittatur, nullum tribuat Jus postulato: postquam tamen postulatio superiori præsentata, postulantes ex *hac Regula* à postulatione recedere non possunt. Idem est de beneficiato, qui renuntiationem suam, ut consensum obtineat, superiori Ecclesiastico præsentavit, ab illa amplius recedere nequit, ne superiori illudere videatur.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

VAcante per mortem MAXIMILIANI HENRICI Archi-Episcopi & ELECTORIS Colonienſis Ecclesiâ Metropolitanâ Colonienſi, constituta Electionis die ad eandem viginti Canonici Metropolitani convenerunt. *Primò* quæsitum est, an electioni locus esset, eò quod vivente Electore omnium votis in Coadjutorem cum futura successione Cardinalis de de Furstenberg sit electus? cui opponebatur quod præfata electio à Summo Pontifice confirmata non fuisset. (A) *2do.* Quærebatur, quæ personæ forent eligibiles? & responsum est, Cardinalem non esse eligibilem, cum Cardinalis esset. (B) Et Episcopus Argentinensis, nec Brevi eligibilitatis provisus. (C) Josephum autem BAVARUM per breve eligibilitatis capacem esse; cui objiciebatur, illud omninò obreptitium, partiale, & contra libertatem Nationis Germanicæ esse expraticatum; & quomodo Papa puerum nondum Capitularem, nullam scientiam & notitiam habentem, de quo non scire-

sciretur, an clericandi, vel in Clero permanendi animum haberet, ad tantum Archi-Episcopi onus capacem facere posset. (D) His præviis ad Scrutatorum processerunt Electionem, duosque Presbyteros & unum Comitem partis Furstenbergicæ elegerunt, qui postquam se scrutati essent, omnes de Capitulo singulatim audierunt, & publicato Scrutinio, quod tredecim postulassent, collatis votis Comes primus Scrutatorum communem fecit postulationem, inquiens: *Ego postulo in Archi-Episcopum Colonienſem Cardinalem.* Contra quam postulationem cum alii septem protestati essent, unus illorum dixit: *Ego nomine meo & mihi consentientium in Archi-Episcopum eligo Josephum Bavarum.* (E) Cardinalis postulationem acceptavit, contra quam opponebatur 1*mo.* quod à duabus Capituli partibus facta non esset. (F) 2*do.* Quod nequidem esset à majori parte, cum duo ex postulantibus, quod sub Gallicis signis militarent, irregulares existerent. (G) Et unus Presbyter à postulantibus ad eligentes transivisset. (H) Electioni opponebatur, quod non esset factâ ab uno Scrutatorum, nec à majori parte Capituli. (I) Re ad Summum Pontificem delatâ, Nuntio Apostolico cum clausulâ: *appellatione remotâ*, est demandata commissio, (K) à quo iterum est avocata, & Papa Innocent. XI. non obstante Gallorum oppositione postulationem duxit rejiciendam, & supplens omnes defectus Josephi Bavari confirmavit electionem, (L) à qua sententia Cardinalis ad futurum Concilium appellavit. (M)

RESOLUTIO.

(A) Coadjutoriæ cum futura successione prohibitæ sunt, & à solo Summo Pontifice dari possunt. *Trid. sess. 25. de reform. cap. 7.* Ex quo patet, quod Cardinalis Coadjutoria sine Papæ confirmatione non subsisteret.

[B] Ex hoc quod Cardinalis esset, postulandus erat, quamvis minus solemniter. *cap. bona. 3. de postulat.*

(C) Quia Episcopus, cum solemniter postulari oportebat. *cap. fin. de postulat.*

(D) Omnia illa non præstabant impedimentum, cum Brevi eligibilitatis munitus esset, & pro Superiore stabat præsumptio, quod illud pensatis quibuscunque circumstantiis digno largitus esset.

(E) Dum Scrutatores electionem Bavari per commune Decretum promulgare nollent, promulgationem unus ex Electoribus facere poterat.

(F) Quia hic Electio cum postulatione concurrebat, ut postulatio electioni præferenda esset, postulatus duas tertias habere debebat. *cap. scriptum est. 40. de elect.*

(G) Clericus militans ex hoc ipso irregularis non est, sed solum si quempiam in prælio occiderit. *cap. petitio.*

24. *de homicid.* & dato, quod irregulares essent, juxta sententiam tamen probabilem voce activâ eo ipso privati non erant: cum multi *cap. is qui. 18. de Sent. & com. in 6.* de speciali Casu, quo quis ob violatum interdictum irregularis est, intelligendum esse contendant.

(H) Antequam superiori præsentata postulatio, ab ea recedere possunt postulantes. *cap. bona. 4. de postulat.* non obstante *Regula 33tia*, nullum enim per postulationem jus acquiritur postulato.

(I) Sufficiebat, quod pro electo ultra tertiam essent partem. *cit. cap. scriptum.*

(K) Quando datur commissio cum clausula: *appellatione remotâ*, ad actoris petitionem, eadem reus in sui favorem uti quoque potest, *per Regulam 32dam.*

(L) Summus Pontifex nec postulationem, nec electionem admittere obligatur; non postulationem: tum quia non erat concorditer facta, tum quia quando aliquis ab aliis unanimiter postulatur, Pontifex ad admittendam postulationem eorum non tam ex Justitia, quàm gratiâ movetur, *cap. bona. 3. de postulat.* nec electionem; quæ à majori Capituli parte celebrata non erat.

(M) Appellatio ad futurum Concilium est à Superiore ad inferiorem provocatio, ideoque nulla, in Bulla Cœnæ sub gravibus pœnis prohibita, & hæreticæ pravitati affinis esse dignoscitur.

REGULA XXXIV.

Generi per speciem derogatur.

QUæres *primo.* Quid nomine generis ac speciei intelligitur?

R. Nomina: species & genus paulò aliter Juristæ explicant, quàm Dialectici: Genus juxta Juristarum sensum est omne id, quod plura sub se continet, ut bos, equus, vestis, triticum, quæ juxta Dialecticos species secundùm Juristas est quodlibet individium & singulare, & pluribus sub eodem genere comprehensis, ut vestis illa cærulea, triticum in hoc granario existens, equus ille hungarus. Pro exemplo sit: In contractu commodati commodatarius commodanti eandem speciem, hoc est, illud individuum, quod commodans commodanti ad usum concessit, reddere debet. In Contractu mutui non eadem species, sed idem genus mutuanti à mutuatario est restituendum,

dum, ut mutuans tempore ſementis triticum tempore meſis non idem in individuo triticum, quod mutuavit, ſed ſimile triticum recipit.

Quæres *ſecundo.* Quis hujus Regulæ tenſus ?

℟. Quando ſunt duæ diſpoſitiones ſibi contrariæ, ea, quæ ſpecialis eſt, derogat generali, quoad id, in quo eidem eſt contraria. Ratio eſt : quia genus communem repræſentat regulam, & ſpecies eſt veluti oppoſita regulæ exceptio : Sicut ergo exceptio derogat regulæ, & non regula exceptioni, ita ſpeciale derogat generi, & non generale ſpeciei.

Quæres *tertio.* Quæ hujus Regulæ exempla ?

℟. 1*mum* eſt in legibus & ſtatutis, ſi nempe lege generali aliquid ſit inhibitum, & ſpeciali conſtitutione idem quibusdam permittatur, ſpecies derogat generi, & ſpeciale poſterius limitat generale anterius. *Cap. 1. de conſtitut. in 6.* Item tempore obſidionis Magiſtratus generale fert ſtatutum, ut cives omnes in mœnibus ad propugnandum ſint præſentes: fert ſpeciale, ut Senatores in Curia adſint : ſpecies derogat generi.

2*dum* in conſuetudinibus: Conſuetudo ſpecialis alicujus loci particularis aliorum locorum generali derogat conſuetudini *Cap. fin. de conſuetud.* ut : ex conſuetudine generali in tota Eccleſia omnibus diebus Sabbathinis à carnibus eſt abſtinentia : ex conſuetudine particulari Belgæ diebus Sabbathinis inter Nativitatem Domini & Purificationem carnibus veſcuntur.

3*tium* in reſcriptis : ut exprimitur in *Cap. ſtuduiſti. 2. de offic. Legat.* quamvis Legatus à latere generalem in ſua Provincia habeat Jurisdictionem]: Si tamen ex reſcripto ſuæ Legationis à Sede Apoſtolica ſpecialis cauſa certo Commiſſario committitur: ſpecies derogat generi, & Legatus huic cauſæ ſeſe intromittere non poteſt.

4*tum* in privilegiis. Quidam per totam Parochiam decimas percipiendi generale obtinet privilegium : datur alteri privilegium decimas ex certo fundo non ſolvendi : ſpeciale derogat generali.

5*tum* in Legatis. Colligitur ex L. 1. *ff. de auro argent.* & L. *qui penum. 3. ff. de penu legat.* ut : Titius Paulo cellam ſuam vinariam vel penum, Petro autem vas vini moſellani ſub N 1. ex cella legavit : ſpecies derogat generi, & Paulo omnia cellæ vina debentur, excepto plauſtro, quod Petro eſt legatum. Item Caja Titiæ omnes veſtes ſuas, Sempronio autem ſuam veſtem nuptialem legavit : ſpecies derogat generi: Sempronio veſtis nuptialis, quæ eſt ſpecies, Titiæ verò reliquæ veſtes debentur, quæ ſub genere veſtis continentur.

Quæres *quartò.* Quæ ſunt exceptiones ?

℟. Sequentes. 1*ma.* Species non derogat generi, quando alteri per genus jam Jus eſt acquiſitum. Exemplum eſt: Titius debitor Cajo creditori pro ſecu-

ritate debiti in hypothecam omnia sua bona dedit, at postmodum ulterius indigens secundo creditori Sempronio pro hypotheca speciali aliquod certum prædium constituit : hic species non derogat generi, sed primus creditor & hypothecarius generalis hypothecario speciali præferendus est, per L. *qui generaliter. 2. ff. qui potior in pignor.* & L. *si generaliter. 6. Cod. eod. tit.* Simile exemplum subministrat Jus canonicum in *Cap. ex tua. 9. de filiis Presbyt.* ubi quidam Episcopus generalem obtinuerat facultatem, dispensandi cum filiis in Ecclesiis, in quibus parentes eorum beneficia obtinuerant ; postmodum aliquis Apostolicum impetravit rescriptum, ut sibi de beneficio, quod tales filii adepti fuissent, provideretur ; in quo dubio respondit Pontifex : Si Episcopus generali suo privilegio jam usus esset, & cum Clerico quopiam ante specialis rescripti usum dispensasset, quod speciale non deroget generali, cum per generale Jus nunc sit acquisitum.

2da *exceptio. Regula* præsens non tenet, si rescriptum generale in specie sit purificandum. Exemplum habemus in *Cap. ex parte. 12. de offic. deleg.* ubi hic est casus : In quadam Ecclesia plures erant Archi-Diaconatus, Titius Apostolicum mandatum imperraverat, ut ipsi de proximo vacaturo Archi-Diaconatu in dicta Ecclesia provideretur. Postea Cajus speciale obtinnerat mandatum, ut si Archi-Diaconus A in Ecclesia resignaret, Cajo resignatus Archi-Diaconatus conferretur. Dubio ad Pontificem relato, hic respondit, Titio & non Cajo de resignato Archi-Diaconatu providendum; quamvis enim ille generale tantùm haberet mandatum, illud tamen nonnisi in speciali Archi-Diaconatu proximè vacaturo purificatur.

REGULA XXXV.

Plus semper in se continet, quod & minus.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus ?

℟. Quantitas major in se semper quantitatem minorē continet. Ratio est : quia quantitas major secundum Juristas est numerus major, cujus pars est numerus minor : partem autem in toto contineri non ambigitur.

Quæres *secundo*. Quæ hujus Regulæ exempla ?

℟. Sequentia : 1*mum* est in *Can. Si quis dederit. 41. caus. 24. q. 1.* ubi inter Judices dubitabatur, quænam pœnitentia reo injungenda, unus pœnitentiam quinque, alius septem, alius verò decem annorum subeundam putabat ;

tabat, quibus intellectis resolvit Julius Papa injungendam esse quinque annorum, in quam omnes consenserunt, cum in septem & decem quinque contineantur.

2*dum* est in L. *inter pares.* 38. *ff. de re judicat. & cap. 1. de arbitris. in 6.* Si tres sint arbitri, quorum unus reum condemnat in tria, alter in quatuor, tertius in quinque, reus tantùm tria solvere tenetur, eò quod in istam quantitatem omnes consenserint.

3*tium.* Sunt duo testes, quorum unus de possessione triginta, alius de possessione viginti annorum testatur, per quæ duo testimonia possessio vicenaria plenè probata existit: quia in triginta viginti continentur.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

S*Ibido* Ordinem Præmonstratensem ingressus ante professionem testamentum facit coram duobus testibus, ut unus testis affirmat, aut tribus, quemadmodum Notarius testatur. (A) Totam suam Bibliothecam monasterio, corpus autem Juris Canonici Titio suo quondam legat amico. (B) Prælatus ob teneriorem complexionem indulsit, ut vitalitium sibi censum reservaret, de quo an ex statutis liceat, postmodum dubitavit. (C) Professo ut quandam haberet diversionem, Abbas inspectionem certæ villæ commisit, super quæ cum Provisore sæpius habet difficultates; (D) útque hoc exoneraretur labore & tædio, à quodam cognato Sæcularem obtinuit Pastoratum, opponente se se Vicario Generali, eò quod Canonici Regulares Beneficiorum Sæcularium non ampliùs capaces existant. (E) In parochia à Nobili quodam decimas exegit intra fines parochiæ existentes, qui libertatem ex capite Nobilitatis, & quod proprium Sacellanum curam animarum exercentem haberet, prætendebat. (F) Cum ipsi grex ovium legatus esset, ab hærede quoque capras & agnellos petebat. (G) Demum ad extrema deductus plures Theologos super damni cujusdam, suâ culpâ accidentis, reparatione consuluit, quorum aliqui totum, alii medietatem, alii tertiam partem restituendam esse responderunt. (H)

RESOLUTIO.

(A) NOn obstante Concilii Trident. dispositione, quod nulla renuntiatio aut obligatio Novitii facta valeat absque forma *Sess. 25 de Regular. cap. 16.* prælcripta, Novitius tamen testamentum condere potest, cum

juxta declarationem S. Congregationis *Cit. cap.* subjectam testamenta seu ultimæ voluntates præfato decreto non comprehendantur. Pro testamento Novitii ad pias causas facto duo testes sufficiunt, alias septem requiruntur. Plenè quoque per *Reg.* 35. probatum est.

(B) Etsi monasterio totam legârit Bibliothecam, legatum tamen amico factum tenet, corpus videlicet Juris Canonici, per *Reg.* 34.

(C) Reditus annui quamvis salvo paupertatis voto permitti queant, si Religiosus eos suscipiens independentem à Superioris voluntate non habeat ipsorum dispositionem: illos tamen non tantùm Ordinis statuta, sed & Trid. prohibet *Sess.* 25. *de regular. cap.* 2. inquiens: " Nemini Regularium tam „ virorum quam mulierum liceat bona „ immobilia vel mobilia, cujuscunque „ qualitatis fuerint, etiam quovis modo acquisita tanquam propria, aut etiam nomine conventûs possidere vel „ tenere, sed statim ea Superiori tradantur conventuique incorporentur."

(D) Nec hoc Tridentinæ dispositioni *L. c.* conforme videtur. ibi: Nec „ liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usum fructum, vel usum, administrationem aut commendam: administratio autem bonorum monasteriorum seu conventuum ad solos Officiales eorundem ad nutum Superioris „ amovibiles pertineat.

(E) Propter quotidianas Ordinariorum contradictiones præsens punctum prolixiorem meritò requireret tractatum, quem in aliud tempus & locum rejicientes congruenter hujus operis instituto brevitur dicitur, quod Canonicos Regulares de jure communi beneficii Sæcularis etiam Curati capaces esse apertè liqueat ex *Cap. quod DEI timorem. 5. de Stat. Monach.* Deinde *Trident. Sess.* 14. *de reform. cap.* 11. disertè statuit, Canonicum Regularem ad alium Ordinem translatum Beneficii Sæcularis etiam curati incapacem existere; ergo non translatum, sed in canonico suo ordine perseverantem dicti Beneficii capacem esse ab ipso Tridentino agnoscebatur. Decreto Greg. XIII. quo noluit licere Canonicis Regularibus absque permissu Summi Pontificis assumere beneficium curatum etiam ad tempus, Præmonstratenses justè opponere possunt, quod per generalem constitutionem prohibitivam specialibus locorum & personarum privilegiis minimè derogetur. *Cap.* 1. *de constit. in* 6. Subintrat quoque *Cap. porrò. 7. de Privileg.* ubi Pontifex prohibet judicari de privilegio, nisi ejus tenore inspecto. Privilegia ergo Præmonstratensium eorumque statuta & consuetudines, cum in facto consistent, Pontifex non tantùm non inspicere, sed & probabiliter ignorare potuit, consequenter de iis non judicavit, multò minus generali suo decreto comprehendit; maximè cum constitutio Gregoriana contra Canonicos Lateranenses emanaverit. Sicut igitur privilegium uni concessum ad alium non debet extendi propter rationis identitatem, *Cap. sanè. 9. de Privileg.* sic quoque dicta declaratio

Juris

Juris communis correctiva ac pœnalis, quatenus novam inhabilitatem Canonicis Regularibus inducit, strictissimè est interpretanda, solùm obstans Canonicis Lateranensibus, ad Præmonstratenses haud extendenda. Exceptionem quidem istam non admittit *Pignat. tom. 1. consult. 44.* ubi quoscunque Canonicos Regulares, & Præmonstratenses in specie Parochiarum Sæcularium incapaces esse probare nititur, sed re penitius inspectâ *Pignatelli* Præmonstratensium institutum ignorasse, & fortius affectui, quàm rationi suggessisse videtur argumentum. Interim ex hoc suo Adversario notent Præmonstratenses ea, quæ *loc. cit. n. 2.* ita habet: Constitutio Gregor. XIII. inter Pontificias sanctiones non reperitur, & Gregorii voluntas per mortem exspiravit, dum non fuit redacta ad actum legis, quodque verè ita evenerit, ostendunt decisio Rotalis post Gregorium emanata, & decretum S. Congregationis Concilii sub anno 1602. in hæc verba: Congregatio Concilii censuit decretis ejusdem Concilii Canonicum Regularem non prohiberi obtinere Beneficia curata sæcularia, nisi fuerit ex his translatis, de quibus habetur in decreto *Cap. 11. Sess. 14.* Hæc confessio sufficit pro præsenti.

(F) Pastor fundatam habet omnes decimas in sua parochia percipiendi intentionem: ideóque Nobili, quod specialiter per Regulam: *Generi per speciem derogatur*, exemptus sit, probandum incumbit.

(G) In grege ovium agnelli, juxta *Reg. 35.*, non tamen capræ continentur, cum hæ sint diversæ ab ovibus speciei.

(H) Tertiam partem, in qua omnes consulti convenerunt, restituere obligatur.

REGULA XXXVI.

Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.

Quæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Qui rem alienam justè vel injustè possidet, eamque ab alio vindicandam advertens, dolo malo in alterum transtulit, vel consumpsit aut destruxit, & ita possidere desiit, nihilominus pro possessore habetur, perinde ac si eandem adhuc possideret, non in sui commodum, sed incommodum. Ratio est: quia fraus & dolus nulli patrocinari debet, quod fieret, si is, qui rem alienam possidere malitiosè desiit, commodum haberet, & ille, qui rem suam

vindicare tentat, maximum sustineret præjudicium; siquidem ab obligatione restituendi per dolosam rei alienæ destructionem vel translationem cum Domini damno & injuria factam liberari naturali repugnat æquitati.

Quæres *secundo*, Quis hujus Regulæ effectus?

℟. Ex hac regula is, qui rei alienæ possessionem dolo amisit, rei vindicatione convenitur, non quidem velut verus possessor actione directè, ut rem alienam restituat, sed actione utili, quâ, petitur, ut rem ab alio, ad quem pervenit, recuperet, Dominóque restituat, vel si hoc nequeat, ad rei condemnetur æstimationem, quam actor edicere debet Juramento, quod Juramentum vocatur affectionis. Quod si Dominus immodicam faciat rei æstimationem, Judicis est, taxatione suâ æstimationem moderari, & ad æquitatem reducere.

REGULA XXXVII.

Utile non debet per inutile vitiari.

QUæres *primo*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Illud, quod in se utile, hoc est, validum est, vim & valorem suum non amittit ex hoc, quod aliquid inutile sive jure invalidum accedat, vel addatur. Ratio est: Quia actus taliter est interpretandus, ut potius valeat, quam non valeat. *Cap. Abbate. 25. de V. S.*

Quæres *secundo*. Quæ Regulæ exempla.

℟. Sequentia. *1mum*. Electio à majori parte Capitularium in unam personam consentientium celebrata valida est, quamvis quorundam excommunicatorum contra cæterorum protestationem electioni sese immiscentium vota fuerint invalida. *Cap. constitutis, 23. de appellat. 2dum*. Electio canonica contra canones invalidè & illegaliter confirmata valorem suum per inutilem non amittit confirmationem. *Cap. si confirmationem. 39. de elect. in 6. 3tium*. Concessio indulgentiæ ab Episcopo facta valida est ad tempus anni à Jure permissum, & invalida quoad excessum. *Cap. fin. de pœnit. & remiss. in 6. 4tum*. In manumissione servi Ecclesiæ cum ejusdem Ecclesiæ bonorum donatione manumissio valida, ast donatio adjuncta est invalida. *Can. si quos. 57. caus. 12. q. 2. 5tum*. Donatio inter vivos summam quingentorum aureorum excedens absque insinuatione apud Judicem facta quoad summam intra legis terminos constitutam valida est, quo-

ad

ad exceſſum invalida. *L. ſancimus. 34. C. de donation.*

Quæres *tertio.* Quæ Regulæ exceptio?

℟. Regula non tenet in actibus individuis, hoc eſt talibus, qui vel ex natura rei, eò quod partibus non conſtent, vel propter formam aut dependentiam unius ab alio, vel ex juris diſpoſitione aut agentium voluntate exigunt, ut unum ſine altero non ſubſiſtat.

Quæres *quarto.* Quæ exceptionis exempla?

℟. Sequentia. 1*mo.* Epiſcopi vel alterius Prælati Eccleſiaſtici à Clericis cum Laicis celebrata electio nulla eſt, etſi Clericorum major pars in electum conſenſerit. Eſt expreſſus Textus in *cap. Meſſana. 56. de elect.* 2*do* Compromiſſum factum in duos, quorum unus arbiter eſſe nequit, non ſubſiſtit. *L. Pedius. 7. ff. de recept. arbitr.* 3*tio.* Si cauſa duobus delegata, quorum unus velut ſuſpectus recuſatur admiſsâ recuſatione alter delegatus procedere non poteſt. *Cap. cum ſuper. 23. de offic. deleg.* 4*to.* Sententia Judicis de ſumma, quæ eius jurisdictionem excedit, etiam quoad Summam non excedentem, eſt invalida. *L. in hoc Judicio 27. ff. famil. erciscund.*

5*tò.* Donatio bonorum omnium præſentium & futurorum tota eſt invalida, licet donatio bonorum ſolùm præſentium valida fuiſſet.

6*tò.* Literæ Apoſtolicæ, ſi in aliqua parte vitium contineant, aut ſtylo Curiæ diſcordent, omninò ſunt invalidæ. *Cap. ad audientiam, 11. de reſcript.* 7*mò.* Teſtimonium teſtis, quod in parte reperitur falſum, nihil probat, quod de Notarii inſtrumento pariformiter dicendum.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

T*Anneredus* Germanus ſub ſignis Gallicis militans patriæ ſuæ plurima damna cauſavit: pœnitens omnibus tuis inter commilitones diſtributis, Monaſterium eſt ingreſſus. (A) Cui Conventuales primùm ſeſe oppoſuerunt, poſtmodum conſentientes. (B) In profeſſione majorem ſenſit difficultatem, Conventualibus univerſis etiam Laicis & converſis aſſentientibus, ſolo Abbate contradicente. (C) Quare dimiſſus ſtatum clericalem eſt amplexus, & Canonicatum ex favore Decani per munuſcula famulo data requiſiti obtinuit. (D) Canonicus factus, Decano mortuo, urgente & minitante Principe territoriâli in Decanum à majore, ſed non ſaniore Capituli parte, pluribus voto privatis concurrentibus eſt electus. (E) Ideo Epiſcopus confirmationem denegavit, quam tamen quibusdam amicis familiam Epiſcopi corrumpentibus

bus, est adeptus. (F) In Decanatu certa causa Ecclesiastica *Tanneredo* & præposito à Nuntio Apostolico fuit delegata, in qua cum recusaretur Præpositus, solus usque ad definitivam processit sententiam. (G) Reum in causa principali, & actorem in expensas condemnando. (H) Moriens in Testamento cognatis omnia reliquit, quod Testamentum, quia Ecclesia in eo præterita erat, à Capitularibus impugnatur. (I)

RESOLUTIO.

(A) MOnasterium ingredi non poterat, antequam malè parta suis dominis, si sciri poterant, restituisset, vel ad causas pias applicasset, à qua obligatione per rerum suarum inter commilitones distributionem non liberatur juxta *Reg.* 36.

(B) Oppositio Conventualium secundùm statuta Ordinis Præm. in admissione Novitii inutilis est; ideoque Prælati non vitiat admissionem, per *Reg.* 37.

(C) Ad professionem admittere debet Prælatus cum consensu majoris partis Capituii, si vel Prælati, vel majoris partis Capituli deficiat consensus, professionulla est, cum hæc ad formam requirantur. Consensus etiam totius Capituli per dissensum Prælati vitiatur.

(D) Canonicatus Simoniacè est obtentus, quia temporale ad eum aditum fecit.

(E) In electione ad Decanatum plura sunt ponderanda: *1mò* electus est per abusum sæcularis potestatis, de qua electione sic statuitur in *cap. quisquis* 34. *de elect.* „ Quisquis electioni de se „ factæ per sæcularis potestatis abusum „ consentire præsumpserit, contra Ca„ nonicam libertatem, & electionis „ commodo careat, & ineligibilis fiat „ nec absque dispensatione ad aliquam „ valeat eligi dignitatem. Qui verò „ electionem hujusmodi, quam ipso „ jure irritam esse censemus, præsum„ pserint celebrare, ab officiis & bene„ ficiis penitus suspendantur per trien„ nium, eligendi tunc potestate privati.

2dò. Electus est à majore, non tamen saniore Capituli parte, quod tamen in *cap. quia propter.* 42. *de elect.* requiritur. Quanquam omnis rigor dicti *cap. quia propter* in Prælatorum inferiorum electionibus non sit omninò servandus.

3tiò. In electione plures voce activâ & passivâ privati concurrebant, qui si à Capitulo admitti poterant, electioni secundùm se non officiebant: aliàs si admitti nequibant, suisque votis majorem partem constituebant, electionem ex hoc quoque capite invalidam esse non dubitamus.

(F) Quamvis electionem aliàs canonicè celebratam & validam invalida non vitiet confirmatio. *cap. si confirmationem.* 39. *de elect. in* 6. attamen si Simoniaca electionem vitiat, nisi electus contra protestatus fuerit. *cap. sicut.* 33. *de Simon.*

(G)

(G) Uno ex delegatis recusato, alter procedere non potest. *cap. cum super. 23. de offic. deleg.*

(H) Actor, nisi inutilium expensarum causa fuisset, reo in causa principali condemnato, in expensas condemnari non poterat; aliàs sententia ex una parte justa & ex altera injusta esse potest; ita quandoque utraque pars litigans appellat, & in quantum pro, agit gratias pro benè administrata Justitia, & in quantum contra, appellat.

(I) Intuitu Ecclesiæ acquisita eidem sunt relinquenda; ex hoc tamen totum Testamentum impugnari nequit, cum utile per inutile non vitietur.

REGULA XXXVIII.

Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.

QUæres *primo.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Qui legem, rescriptum, instrumentum, testamentum, aliamvè dispositionem in Judicio impugnat, ex eo, quod impugnavit, commodum habere non debet. Ratio est; quia cum illud impugnans velut inutile, invalidum & injustum reprobavit, Juri suo, quod ex eo sibi competit, renuntiasse censetur. *Cap. cum olim. 19. de censib.*

Quæres *secundò.* Quæ Regulæ exempla?

℟. Sequentia. *1mo.* Qui constitutionem Apostolicam authenticam esse negavit, eam pro se fructuosè allegare non potest. *2do.* Qui instrumentum velut falsum impugnavit, eo pro se uti non permittitur. *Cit. cap. cum olim. 3tio.* Qui testamentum velut inofficiosum aut invalidum rejecit, ex illo nihil consequitur. L. *Papinianus. 8. §. meminisse. ff. de inofficios. testam.*

Quæres *tertio.* Quæ Regulæ limitationes?

℟. Sequentes. *1mo.* Ut Regula locum habeat, usque ad ipsam Sententiam Judicialis debet præcessisse impugnatio. *2do.* Debet facta fuisse proprio nomine. Sic Tutor, qui pupilli nomine testamentum impugnavit, legatum ex eo relictum capere potest. *L. adversus. 30. ff. de inofficios. testam. 3tio.* Quamvis is, qui dispositionem aliquam impugnavit, illâ contra eundem uti non valeat, attamen contra cæteros eam rectè producit, cum inter aliquos acta aliis præjudicium non generent. *Cap. quamvis. 25. de Sentent. & re judicat.*

REGULA XXXIX.

Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus ?

R. Quando aliquid jure prohibitum, omnia illa, quæ ex eo ordinariè & per se propter quandam connexionem sequuntur, prohibita esse censentur, si eadem prohibendi ratio contra illa militare videatur. Ratio est: quia accessorium sequitur principale, quæ autem ex prohibito procedunt, illi connexa & accessoria esse dignoscuntur.

Quæres *secundò*. Quæ Regulæ exempla ?

R. Sequentia. 1*mum* est in *Can. denique* 6. *dist.* 4. Prohibito in 4oma carnium esu, prohibita intelliguntur omnia, quæ sementinam carnis trahunt originem, videlicet lac, caseus, & ova, à quibus abstinetur in locis, in quibus adhuc viget primævi rigor jejunii.

2*dum* est in *Can. eos etiam.* 18. *dist.* 81. in pœnam sui delicti suspensus ab officio, per consequens etiam est suspensus à beneficio, cum beneficium detur propter officium.

3*tium* est in *Cap. pastoralis.* 53. §. *verum. in fin. de appellat.* Cui Ecclesiæ communio denegatur, illi proventus ecclesiastici meritò subtrahuntur.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

UBaldus Canonicus Tutor nepotis ex fratre ejusdem fratris testamentum, in quo filius in legitimam, *Ubaldus* in tertiam partem, & soror in reliqua omnia bona im- & mobilia hæres instituta, acriter impugnavit, (A) Sed quia ab altera parte Judex stare videbatur, cum Sorore, magis in proprium, quàm pupilli favorem, translegit. (B) Pupillus major factus restitutionem in integrum petiit, & obtinuit, (C) ac *Ubaldum* coram eodem Judice convenit. (D) Coram quo cum *Ubaldus* declinatoriam fori exceptionem non obmoveret, lis est contestata, & ea propter Episcopus *Ubaldum* ab

ab officio suspendit. (E) Quo non obstante cum fructus beneficii adhuc perciperet, excommunicatus est; (F) cumque in excommunicatione insordesceret, omnibus stipendiis & obventionibus privatus instituit pro alimentis. (G) His quoque denegatis sese submittere, liti coram Laico cœptæ renuntiare, & sub arbitrio Decani & Senioris de Capitulo stare coactus fuit, qui voluerunt, ut *Ubaldus* in reparationem damnorum pupillo causatorum Canonicatum in præfati pupilli favorem resignaret, reservatâ sibi congruâ portione; & ita *Ubaldus* totâ vitâ suâ ob negotia Sæcularia inquietus annos suos transegit. (H)

RESOLUTIO.

(A) SI *Ubaldus* testamentum fratris tutorio nomine impugnavit, tertiam partem adhuc petere poterat. Simile est in *L. cum quadam. 26. C. de administrat. Tutor.*

(B) Etiam ex hoc capite non tenebat Regula, eò quod *Ubaldus* ab impugnatione testamenti per transactionem desisteret. L. *Papinianus. 8. §. meminisse. ff. de inofficios.* ac ita testamentum fraterum, inchoando processum, inefficaciter solùm oppugnavit, sive valida, sive invalida fuerit transactio.

(C) Minor in ætate pupillari læsus, postquam major factus, intra quadriennii spatium restitutionem in integrum petere potest. *Cap. constitutus. 8. de in integr. restitut.*

(D) *Ubaldus* coram Judice ecclesiastico, utpote Clericus Beneficiatus conveniendus erat. *Cap. nullus. 2. de foro compet.*

(E) Nec *Ubaldo*, exceptionem fori declinatoriam non obmovendo, sed litem contestando, Jurisdictionem Laici prorogare licebat. *Cap. si diligenti. 12. de foro compet.* idcóque justè ab officio suspensus fuit.

(F) Suspensus ab officio ex consequenti à perceptione fructuum Beneficii suspensus existit: Beneficium enim datur propter officium; quare prohibitus administrare officium, fructus, qui ex officio consequuntur, percipere quoque prohibetur.

(G) Segregatus à communione Ecclesiæ ab omnibus etiam stipendiis & obventionibus ratione ministerii ecclesiastici debitis segregatur.

(H) Hæc renuntiatio ex triplici capite simoniam continebat. *1mo.* quia fiebat in damnorum temporalium compensationem. *2do.* quia coram Ordinario in favorem tertii. *3tio*, quia coram Ordinario sub pensione instituebatur; quamvis si *Ubaldus* absolutè resignasset, Ordinarius eidem congruam ex beneficio sic resignato portionem pro alimentatione assignare potuisset.

REGULA XL.

Pluralis locutio duorum numero eſt contenta.

QUæres *primo*. Quis hujus Regulæ ſenſus ?

℟. Quando lex vel alia diſpoſitio plurali utitur numero, ad eam verificandam duo requiruntur, & ſufficiunt. Ratio eſt: quia cum numerus ſingularis non niſi de uno dicatur, ideo cum ſint plures quàm unus, in numero plurali comprehenduntur.

Quæres *ſecundo*. Quæ Regulæ exempla ?

℟. 1*mo*. Juxta canones antiquos Sacrificio Miſſæ ad minus duo aſſiſtere debebant. *Can. hoc quoque. 61. de conſecrat. diſt. 1.* cum in miſſa Dominus vobiscum, & Orate Fratres in plurali numero dicatur. 2*do*. Si Papa ad plura diſpenſat beneficia, id ſolùm de duobus intelligitur, *Cap. is cui. 19. de prabend. in 6.* 3*tio*. Si in teſtamento poſt annos relicta ſit ſervo libertas, poſt biennium liber erit. L. *libertas. 17. § poſt annos ff. de manumiſſ. teſtam.*

Quæres *tertio*. Quæ Regulæ exceptio ?

℟. Niſi plura exigi, aut unum ſufficere Jus exprimat, aut aliunde de eo conſtet. Ita ſi ad actus valorem duo requirantur teſtes, regulariter duo ſufficiunt. *Can. ſi teſtes. 3. caus. 4. q. 3.* quia tamen jura plures teſtes ad ſolemne teſtamentum requirunt, hæc Regula in teſtamentis non obtinet. Pronomina: Nos, Vos, Veſter plura ſignificant, & tamen ex conſuetudine propter dignitatem perſonæ pro uno ſumuntur: quemadmodum Papa ſe ſemper in plurali ſcribit. *Cap. quam gravi. 6. de crimine falſi.*

REGULA XLI.

Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ ſenſus ?

℟. Qui aliquid facere debebat, nec facit, ei ad pœnam non imputatur omiſſio,

sio, si propter obstans legitimum impedimentum facere non fuerit in illius potestate. Ratio est: quia ad impossibile nemo tenetur, nec unquam quis sine culpa pœnam subire, aut jure suo privari debet: non enim est in culpa, qui non agit id, ad quod agendum legitimè est impeditus.

Quæres *secundo*. Quæ hujus Regulæ exempla?

℟. Sequentia: 1*mo*. Electoribus, Collatoribus, beneficiorum Patronis, quominus intra tempus à jure præscriptum Prælatum eligant, beneficium conferant, Clericum ad vacans beneficium præsentent, impeditis spatium trium vel sex mensium non currit. *Cap. ne pro defectu. 41. de elect. cap. quia diversitatem. 5. de conces. prabend.*

2*dò*. Ad beneficium curatum promotus, si intra annum ordinem Sacerdotii suscipere impeditur, Parochiâ non privatur. *Cap. commissa. 35. de elect. in 6.*

3*tiò*. Beneficiatus infirmus excusatur, nec beneficii fructibus privatus, quamvis officium suum exercere non possit. *Cap. 1. de Cleric. ægrot.*

4*tò*. Legatarius, per quem non stetit, quominus conditio legato adjecta impleretur, legatum consequitur. L. *qua sub conditione. 8. §. fin. ff. de condition. institut.*

5*to*. Si appellans interpositam appellationem per annum prosequi justè impediatur, causa pro deserta non habetur. *Clem. sicut. 3. de appellat.*

Quæres *tertio*. Quæ ab hac Regula exceptio?

℟. Nisi quis suâ culpâ in casum incidisset, propter quem, quod faciendum fuit, facere non potuit: illud enim negligentiæ ejus tribuitur, quia casus sequens regulariter ad culpam imputatur. Exemplum foret: si quis ex sua culpa ordinem collato beneficio annexum, ut quia irregularitatem contraxit, suscipere non posset, beneficio privandus esset. *Cap. 1. de ætat. & qualit.* Hæc exceptio limitari solet, quando culpa verisimiliter ad talem casum est ordinata, ut in exemplo adducto; aliàs si culpa non est ordinata ad casum, non tenetur quis de casu, sed tantùm culpa ei imputatur, licet illa casum præcedat. Pro exemplo adducitur L. *verum est. 38. ff de furt.* ubi is, qui fores mulieris causâ libidinis effregerat, & casu fures non ab eo inducti, sed aliàs ingressi mulieris res egressérant, furto non teneri judicatur.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

Wilmarus famulus Rectoris Magnifici, qui in suo Testamento ducentos imperiales famulis reliquerat totam Summam solus prætendit, cum tempore mortis ille solus famulus fuerit, [A] quâ obtentâ propter promis-

sionem pecuniæ, quam tamen postea non solvit, Parochiam quoad Titulum, non possessionem fructuosam ob litem in Curia Romana per sex vel septem annos protractam adeptus est: quâ tandem finitâ S. Ordines suscepit. (B) Fructus quoque sequestratos exigit, cum ipse interea officium pastorale nec per se nec per alium exercuerit. (C] Calu in venatione, cui plurimùm addictus, Parochianum occidit, quare Parochiam per annum deseruit, nulla ministeria implevit, sacra & anniversaria non servavit, vices ejus supplente quodam amico è Societate JESU, & tamen dispensatione impetratâ omnes fructus retinuit. (D] Quadam nocte animo peccandi domum vicinæ ingressus occasionem dedit, quod vicina de minus honesta conversatione diffamata, & vicinus de adulterio suspectus, servi & ancillæ per fures omnibus reculis suis fuerint spoliati, quæ damna cum Pastor impedire non posset, in conscientia se te liberum arbitratur. (E)

RESOLUTIO.

(A) QUia per *Reg.* 40. *pluralis locutio duorum numero est contenta*, *Wimarus* legatum famulis relictum solus prætendere non poterat, cum famuli in plurali, ad minus duos significet.

(B) *Wimarus* simoniacè quidem Pastoratum obtinuit, verùm cum esset Simonia conventionalis ab utraque parte nondum completa, pœnas Simoniæ realis non incurrit, quamvis re ad superiorem dilata Titulo Parochiæ privandus esset. Ex eo quod intra annum Sacerdotium non susceperit, titulo Pastoratûs privandus non est: quia juxta *Regul.* 41. imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat; quod per eum faciendum fuerat; nunquam enim in pacifica fuit possessione, quam ut obtineret, per eum non stetit.

(C) Justè sequestratos fructus petit, debentur quippe triumphanti, etsi lite pendente non administraverit: quia ut administraret, per eum non stetit.

(D) Cum exercendo actionem illicitam statúmque clericalem dedecentem homicidium commiserit, non obstante quod omnem diligentiam adhibuerit, irregularitatem contraxit. Simile est in *cap. tua. nos.* 19. *de homicid.* fructus tamen recipere potest, quia usque ad obtentam in contracta irregularitate dispensationem ministeria pastoralia per alium exercuit; quod autem quis facit per alium, per se ipsum facere censetur.

(E) Regulariter casus sequens ad culpam imputatur. *Arg. cap 1. de etat. & qualit. &c.* videlicet quando culpa ad eum casum verisimiliter est ordinata.

RE-

REGULA XLII.

Acceſsorium naturam ſequi congruit principalis.

QUæres *primo*. Quid nomine principalis & acceſſorii intelligitur?

℟. Principale eſt, quod per ſe ſtat, acceſſorium verò, quod non per ſe, ſed dependentur ab alio, cui ineſt, vel accidit, ſubſiſtit. Varia ſunt exempla: ſic hortus eſt acceſſorius domui, torcular vineæ, frænum equo, capſula vaſi aureo vel argenteo, cui incuditur, vagina gladio vel cultro eſt acceſſoria &c.

Quæres *ſecundo*. Quis hujus Regulæ ſenſus?

℟. Quod de principali diſponitur, afficit acceſſorium, ita ut permiſſo vel prohibito, poſito vel ablato principali, conceſſum vel prohibitum, poſitum vel ablatum cenſeatur acceſſorium. Ratio eſt: quia acceſſorium quâ tale cum principali eſt connexum, ab eoque dependet, connexorum autem eadem eſt ratio, ita, ut quod de uno dicitur neceſsè ſit, ut de altero intelligatur. *Cap. translato. 3. de conſtitut.*

Quæres *tertio*. Quæ hujus Regulæ exempla?

℟. Sequentia *1mum*. eſt in Judiciis. Cui delegata eſt jurisdictio, ei quoque delegata ſunt acceſſoria jurisdictioni. *cap. præterea. 5. cap. prudentiam. 21. §. ſexta. de offic delegat.* ita, cui data commiſſio, ut de matrimonio in ordine ad divortium cognoſcat, ei quoque, an diſſoluto matrimonio per divortium reſtituenda ſit dos, cognoſcendi data eſt facultas.

Secundum in gratiis. Quidam obtinuit gratiam, ut in Canonicum recipiatur, ad quem finem datus eſt gratiæ executor, ſicut ergo morte concedentis non expirat gratia, ſic nec executoris officium gratiæ acceſſorium. *Cap. ſi ſuper. 9. de offic. deleg. in 6.*

Tertium in Simonia. Quia ſimoniacum eſt ſpirituale vendere officium, ideo etiam redituum temporalium venditio Simoniæ labem continet: hi enim annexi, & ad officium ſpirituale ſunt acceſſorii, cum dentur propter officium.

Quartum in Teſtamentis. Si paternum non valet teſtamentum, nec pupillaris valet ſubſtitutio, quæ pars & ſequela eſt paterni teſtamenti. §. *liberis. 5. inſtitut. de pupillar. ſubſtitut.* Legato domo hortus quoque domui acceſſorius legatus eſſe cenſetur.

Quintum in beneficiis. Si Parochia Canonicatui eſt annexa & acceſſoria, eadem ætas idemque ordo, qui ad principalem requiritur Canonicatum, ad acceſſoriam ſufficit Parochiam.

Quæres *quarto*. Quæ Regulæ exceptiones?

℟. Sequentes. *1ma*. Niſi acceſſorium

rium vel ex ſe vel ex legis diſpoſitione à principali ſit ſeparabile; ita licet juramentum, quo contractus confirmatur, contractui ſit acceſſorium, invalido tamen contractu obligat juramentum. Sic quoque Juramentum promiſſioni uſurarum, quæ invalida eſt, adjectum tenet & ſervandum eſt. *Cap. debitores. 6. de jurejur.* cum enim tale juramentum ex parte jurantis turpitudinem non contineat, à principali ſeparabile & adimplendum eſt, non obſtante, quod contractus invalidus exiſtat: quia non vergit in æternæ ſalutis diſpendium, nec redundat in alterius detrimentum. *Cap. cum contingat. 28. de jurejur. cap. quamvis. 2. de pactis. in 6.*

Secunda. Niſi ſit alia acceſſorii, quàm principalis ratio, & juris diſpoſitio: ſic matrimonio ob uxoris adulterium diſſoluto, quod eſt principale, penes maritum manet dos matrimonio acceſſoria, quod à jure in pœnam adulterii & favorem innocentis ſpecialiter eſt conſtitutum.

Tertia. Niſi acceſſorium omninò ſit voluntarium, ut ſunt legata, fidei commiſſa, quæ teſtamento non ſunt neceſſariò acceſſoria, cum etiam ſine eodem fieri valeant. *Authent. ex cauſa. C. de liberis. præter.* Item legata pia in teſtamento ob ſolemnitatis defectum irrito valorem obtinent. *Cap. indicante 4. cap. relatum. 11. de teſtam.*

Quarta. Niſi acceſſorium ſpeciali innitatur rationi, ita quamvis pupillus ſine tutoris authoritate contrahens nec naturaliter, nec civiliter obligetur, fidejuſſor tamen, qui pro pupillo interceſſit, & naturaliter & civiliter obligatur, licet fidejuſſio contractui ſit acceſſoria: Jura enim præſumunt, quod intercedens pro pupillo ſeipſum principaliter obligare voluerit.

Demum quantumvis corruente principali corruat acceſſorium, attamen corruente acceſſorio non corruit principale; ita ſi in lege jejunii quoad ſecundam refectionem diſpenſatum fuerit, ex hoc tamen in abſtinentia à carnibus, quæ eſt principale in re per legem jejunii præcepta, diſpenſatum eſſe dici non debet. Teſtamentum minus ſolemne inter liberos ſubſiſtit, attamen relicta extraneis legata, quæ ſunt acceſſorium, non ſubſiſtunt. *L. hac conſultiſſima. 21. C. de teſtam.*

CASUS.

Egerus ex vitæ melioris propoſito profeſſionem regularem emiſit: dubitatur, an monaſterium in bona ſuccedat. (A) Teſtamentum quidem antequam de religone cogitaſſet, fecerat, ſed ex pluribus Capitibus nullum, in quo quædam pia legata inſtituerat, quæ monaſterium prætendebat. (B) Ob ſtomachi debilitatem impetratâ in jejunio regulari diſpenſatione, toties, quoties placebat, carnes de die comedebat. (C) Sacerdotii ob mutilationem incapax à Prælato etiam Subdiaconatum ſuſcipere prohibetur: (D) Diſpenſatus tamen à ſummo Pontifice Ordines minores ſimul cum Subdiaconatu ſuſcipit, (E) in

(E) in quo etiam ſæpius miniſtravit. (F) Parochiam, quæ aliquando ſæcularis erat, nunc monaſterio incorporata, adeptus eſt, in qua plura altaria reditus particulares habentia. (G) Dolo circumventus minisque adactus ſe intra annum curatum Beneficium dimiſſurum, & ad clauſtrum redituram juravit; quia verò ſe ſine Prælati proprii licentia nihil potuiſſe promittere novit, promiſſionem invalidam, neque ſe Juramento teneri arbitratur. (H) Cum licentia Prælati emit fundum, cui Jus patronatûs, feudum, aliæque ſervitutes annexa ſunt, ſuper quibus litem movebat venditor, quod ſimilia alienandi nunquam intentionem habuiſſet. (I) Sæpius *Zegerus* ſcrupulum habuit, an profeſſio ſua valida eſſet, eò quod nunquam illam feciſſet, ſi ſciviſſet, quod religioſi tam intra quàm extra clauſtrum conſtituti Prælati ſui ubique exiſtant obedientiarii. (K)

RESOLUTIO.

(A) MOnaſterium bonorum in communi capax, ut ſunt omnium Religionum cœnobia exceptis Capucinorum & Obſervantium per *Trident. Seſſ. 25. de Regular. cap. 3.* & paucis aliis per ſpeciales conſtitutiones approbatis, ut Diſcalceati, in omnia bona & Jura profeſſi ſuccedit per hanc Regulam: Cui per profeſſionem Religioſus dat principale, id eſt ſe, etiam dat ſua, quæ ſunt, acceſſoria.

(B) Quamvis teſtamentum ob ſolemnitatum defectum nullum eſſet, pia tamen legata valebant. *Cap. indicante. 4. cap. relatum. 11. de teſtam.* licet enim teſtamento acceſſoria ſint legata, neceſſariò tamen acceſſoria non ſunt.

(C) Diſpenſatus in Jejunio quantùm ad unam refectionem, in abſtinentia diſpenſatus non eſt, nec econtra; quantumvis enim illa in præcepto Jejunii conjuncta ſint, partes tamen præcepti ſeparabiles ſunt: ideóque dispenſatus in una parte præcepti, in altera diſpenſatus non eſt.

(D) Sacerdotii v. g. ob carentiam oculi canonici incapax, Subdiaconatûs tamen capax eſt; ſiquidem etſi Ordines inferiores ad Sacerdotium ordinentur, merè tamen acceſſorii non ſunt, ita, ut ſuscipere Sacerdotium, vel in eodem miniſtrare prohibitus, Subdiaconatum quoque ſuscipere, vel in illo miniſtrare prohibeatur.

(E) Eadem die Subdiaconatus cum quatuor minoribus conferri non debet quod ſi tamen Subdiaconatum cum minoribus conferendi fuerit conſuetudo, ſuscipientes non ſunt ſuspenſi *S. Congreg. ad cap. 13. Trident. de reform. Seſſ. 23.*

(F) Duos ordines Sacros eodem die ſuscipiens ſuspenſionem quidem incurrit, *Cap. literas. 13. de tempor ordinat.* & conſequenter ordinem taliter ſusceptum exercens irregularis efficitur,

citur. *Cap. Apoſtolica. 9. de Cleric. exsomm.* quod tamen de eo, qui eodem die Subdiaconatum cum quatuor minoribus ſuscipit, dicendum non eſt.

(G) Si altaria reditus ſpeciales habentia in particularia beneficia non fuerint erecta, *Zegerus* eo ipſo quo Paſtor eſt, etiam Rector altarium vi præſentis Regulæ exiſtit; ſecùs, ſi altaria ſpecialia ſint beneficia.

(H) Juramentum hoc promiſſionis non firmat contractum, qui duplici ex capite infirmus eſt: 1*mò*, quia dolo & minis extortus; 2*dò*, quia à perſona Prælato per votum obedientiæ ſubjecta factus; ideóque Juramento ex religionis tantùm virtute obligatur, in quantùm res jurata licita eſt & honeſta, ac ita tam promiſſio quàm Juramentum implicitam conditionem: Si Prælatus conſentiat, involvit, quo contradicente non poteſt, conſentiente poteſt, & vi Juramenti cedere debet. *Cap. debitores. 6. Cap cum contingat. 28. de jurejur. Cap. quamvis. 2. de pact. in 6.*

(I) Vendendo fundum ceu principale, ſimul tanquam acceſſoria ceſſit Jus patronatûs & ſervitutes prædio annexas, quamvis de illis non cogitaverit, dummodo ſpecialiter non exceperit. *Cap. ex literis. 7. de Jure patronat.*

(K) Eodem modo volens *Zegerus* principale, in tali nempe ordine & monaſterio facere profeſſionem, ad omnia quoque acceſſoria ejusdémque monaſterii diſciplinam & conſtitutiones ſeſe obligare voluit, unde ſcrupulus inanis non ſubſiſtit.

REGULA XLIII.

Qui tacet, conſentire videtur.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ ſenſus?

℟. Qui tacet in dubio non diſſentire, ſed conſentire videtur, dummodo res in ſe æqualiter dubia ſit, nec in contrarium appareat conjectura. Ratio eſt: Cum enim à natura nobis inditum ſit, ut iis, quæ fieri nolumus, contradicamus, niſi à contradictione aliunde retrahamur, ideo ſi tacemus & non contradicimus, in dubio non diſſentire, ſed conſentire rectè præſumimur.

Quæres *ſecundò*. Quæ hujus Regulæ exempla?

℟. Sequentia: 1*mò*. Si filia ſoluto matrimonio patri dotem repetenti non contradicat, in actionem patris pro dote conſentire præſumitur. *L. ſoluto. 2. §. voluntatem. ff. ſoluto matrimon.*

2*dò*.

2*do.* Si parentes in liberorum præsentia pro illis sponsalia contrahant, liberi non contradicentes sponsalibus obligantur 3*tio.* Si filius patri absenti se nomine illius mutuum susceperunum per literas significet, nec pater contradicat, quasi consentiens mutuum solvere tenetur. L. *si filius familias.* 16. *ff. ad Senat. consult. macedon.* 4*to.* Collationem beneficii quis ex taciturnitate acceptare præsumitur. 5*to.* Si servus sciente & non contradicente Domino in Clero fuerit ordinatus, ex hoc ipso liber & ingenuus est. *Can. si servus.* 20. *dist.* 54. 6*to.* Prædio Ecclesiæ vel monasterii locatione temporaneâ elocato, si Capitulum sciat nec contradicat, locatio firmum robur habet. *Cap continebatur.* 2. *de his, quæ fiunt à Prælato &c.*

Quæres *tertio.* Quæ Regulæ limitationes?

R. Regula non tenet 1*mo.* Si tacens id, quod agitur, vel penitus ignorat, vel non intelligit. 2*do.* Si is, qui aliquid fieri novit, sed contradicere non potest: ut; quando Superiores ad inferiorum transgressiones tacent, quia illos absque tumultu vel scandalis cortigere nequeunt, dispensare vel legem abrogare non censentur. *Can. nervi.* 2. *dist.* 13. 3*tio.* Quando verba vel signa æquipollentia ad formam actûs requiruntur; Sic adultus baptizatus in sui baptizationem consensisse non censetur, si ad prævias interrogationes tacuerit. *Can. cum pro parvulis.* 77. *de consecrat. dist.* 4. 4*to.* Si ex consensu sequatur delictum. Sic Prælatus ad illegalem rei Ecclesiasticæ alienationem tacens consentire non præsumitur, sed tacendo non tam velle, quàm nolle dicendus est, ad excludendam peccaminosam voluntatem, quæ in dubio adesse non judicatur. *Cap. nihil.* 2. *de præscript.* 5*to.* Si jura aliud non statuant; ita in fraudulentam rei suæ contrectationem non consentit, cui videnti & tacenti res sua auffertur, disponente in furis odium *L. si quis.* 91. *ff. de furtis.*

REGULA XLIV.

Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.

QUæres *primo.* Quis hujus Regulæ sensus?

R. Qui ad interrogationem tacet, nec pro confesso, nec pro negante habetur. Ratio est: quia inter confessionem & negationem medium est silentium seu taciturnitas, quæ nec est confessio nec negatio; in contrariis autem

tem, quæ non habentur ad exclusionem illius, non sequitur inclusio alterius, ut ex hoc, quod quis negetur esse albus, non sequitur, quod concedatur esse niger; quia inter album & nigrum medium est. Differt hæc Regula à præcedenti, quod in illa de consensu, in hac de negatione & confessione agatur. Exemplum est: Si Titius à Cajo creditore extra judicium interrogatus, an sibi non debeat, ad interrogationem taceat, vi præsentis Regulæ nec debitum fatetur, nec inficiari videtur. L. *si filius.* 19. *ff. de interrogat. in Jus. faciend.*

Quæres *secundo.* Quæ Regulæ exceptio?

℟. Regula non tenet, si legitimè vel legaliter interrogatus non respondeat, tunc enim pro confesso habetur.

Exempla sunt 1*mo.* Titius in Judicio interrogatus, an hæres sit, si tacet, pro confesso habetur. L. *de ætat.* 11. §. *qui tacuit. ff. de interrogat. in Jur. faciend.* 2*do.* Reus positionibus ab adversario sibi factis interrogatus jussusque à Judice respondere, si absque rationabili causa recuset, aut nolit, haberi debet super iis, de quibus in ejusdem positionibus interrogatus existit, pro confesso *Cap si post* 2. *de confess. in* 6. 3*tio.* Qui de duobus in judicio sibi objectis unum negat, & alterum tacet, hoc ipsum, de quo silet, confiteri præsumitur. *Cap. nonne.* 5. *de præsumpt.* ubi pro exemplo adducitur Christus, cui à Judæis objiciebatur: *Nonne bene dicimus, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* ad primum tacuit, & se Samaritanum esse tacendo concessit, ad secundum respondit: *Ego dæmonium non habeo.* 4*to.* A potestate publicâ interrogatus, cujus sit religionis, si taceat, religionem negare videtur. Colligitur ex propositione ab Innoc. XI. damnata: *Si quis à potestate publica interrogatur, fidem integrè confiteri ut DEO & fidei gloriosum consulo: tacere ut peccaminosum per se non damno.*

CASUS.

Ad utramque Regulam.

A *Ldobrandina* vestibus religiosis (exto ætatis anno induta, & duodecimo ætatis anno ad monasterium deducta ibidem per quatuor annos & ultra inter religiosas vixit. (A) Mortuis parentibus à proco è monasterio educta (B) & ab Episcopo interrogata, an matrimonium ineundi, ac hunc ducendi animum haberet, aut ei matrimonium promiserit, tacuit. (C) Interrogata 2*do*, an existens in monasterio voluptatem ad religiosam vitam, aut animum in ea permanendi habuisset, respondit: dum mihi bene erat, ibidem totâ vitâ manere, dum malè, suspirabam, & ne momento, si pos-

sem

sem, in eo perseverare volebam. (D) Procus *Aldobrandinam* unius mensis inducias petentem ad Parochum suum abduxit, ac ibidem ei dans manum coram duobus testibus se illam in uxorem accipere dixit: ad quod ipsa silet. (E) Et modestè se subducens ad prius monasterium revertitur; petens admitti cum contestatione, quod si hactenus professionem non fecerit, jam hoc momento eam facere parata sit. (F) Moniales eam non aliter, quàm ut novum servet novitiatum, cum verum novitiatum nunquam habuisset, admittere volebant: (G) Procus econtra suæ uxoris restitutionem urgebat. (H)

RESOLUTIO.

(A) SI *Aldobraadina* post adeptam quindecim annorum ætatem ultra annum in habitu & religiosis exercitiis cum aliis permansit, tacitè professa censetur, nisi de oppositio contestata fuerit. *Cap. ad nostram. 8. cap. ex parte. 22. de Regular.*

(B) Si cum proco monasterium egressa professionem invalidam vel non legitimè se professam prætendebat, formam à *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 19.* contra professionem reclamare volentibus præscriptam servare debebat.

(C) Ad extrajudicialem Episcopi interrogationem tacendo non confitebatur, quod procum ducendi animum habuerit, multò minùs quod sponsalia contraxerit, conformiter Regulæ 44tæ.

(D) Ad tacitam professionem sufficiebat, quod animo perseverandi ultra annum habitâ legitimâ ætate habitum religiosum portaverit, actúsque communes cum cæteris Monialibus exercuerit. Nec illæ velleitates tempore desolationis indicant *Aldobrandinam* absque proposito se per vota obligandi habitum gessisse.

(E) Coram Parocho & testibus ad verba proci silendo non contraxit matrimonium; quamvis enim in facto appetibili taciturnitas pro consensu habeatur, juxta *Reg. 43.* non tamen in facto oneroso, sed tunc regulariter expressus requiritur consensus. *Gloss. in Reg. 44.*

(F) Posito, quod *Aldobrandina* cum proco contraxisset, ante consummationem tamen matrimonii pœnitere, & ad monasterium reverti poterat. *Cap. verum. 2. de convers. conjugat.*

(G) Quadriennalem servavit Novitiatum, cum quadriennio habitum religiosum portaverit, ac intra claustrum animo ibidem permanendi cum reliquis Monialibus vixerit; ideóque *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 15.* continuum novitiatûs annum præscribenti abundè satisfactum.

(H) Ex dictis constat procum non habere Jus repetendi *Aldobrandinam.*

REGULA XLV.

Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.

QUæres. Quis hujus Regulæ sensus?

R. Quando disponentis mens & voluntas aliunde non constat, nec certa est, sequimur id, quod ponderatis omnibus circumstantiis veritati magis est conforme & proximum, aut in negotiis similibus communiter fieri solitum. Exempla sunt: *1mum.* Si quis instituto in hæredem filio extraneum substituat, substitutio sub conditione: Si filius sine liberis decesserit, facta præsumitur. L. *cum avus. 102 ff. de condition. & demonstrat. 2dum.* Percussio filii à Patre potius correctionis quàm vindictæ aut injuriandi causâ facta esse censetur. L. *unic. C. de emendat. propinquor. 3tium.* Ex Jure Canonico mulier metu mortis ad Monasterium confugieus & in eo perseverans, quamdiu causa metûs durabat, tacitè professionem emisisse non præsumitur. *Cap 1. de his, quæ vi metúsve cans. &c.*

REGULA XLVI.

Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.

QUæres *primò.* Quotuplex est in jure Successor?

R. Pro intelligentia hujus Regulæ, in universalem & particularem distinguendus est Successor. Universalis est, qui in omne sive universum defuncti testatoris jus succedit, ejusdemque personam ut hæres repræsentat. L. *quoties 9. §. 12. ff. de hæredib. instituend.* & §. *servus institut. eod. tit.* Et perinde est, sive sit hæres ex asse, aut in tota hæreditate, sive sit hæres ex parte, ut in tertia vel quarta parte hæreditatis: quia hæres in parte, in qua succedit defunctum, uti

uti hæres ex asse eundem in tota repræsentat hæreditate. Inter hæredes universales Rex in Regno, Princeps in Principatu, Prælatus in Abbatia succedentes numerantur. Successor singularis, & particularis est, qui in certa aliqua & singulari re succedit, ut Legatarius, cui in testamento legatum relictum vel in quem ex contractu donationis, cessionis, emptionis, permutationis &c res quædam est translata.

Quæres *secundò*. Qualiter Regula de Successore universali est intelligenda?

℟. Successor universalis consequitur jus agendi tam personale quàm reale, quod defuncto competebat: è contra Jus agendi, quod aliis contra defunctum competebat, iidem etiam habent contra Successorem universalem. Item Jus excipiendi, quod defunctus habebat in universalem transit Successorem: econtra jus excipiendi, quod alii contra defunctum obtinebant, iidem in universalem Successorem ;justè extendunt. Ratio est: quia hæres vel Successor universalis cum defuncto aut antecessore suo fictione Juris una eademque persona esse censetur, una verò eademque presona diverso Jure uti non debet. *Cap. cum in tua. 30. de Decimis.*

Quæres *tertio*. Quæ Regulæ exempla?

℟. Sequentia. 1*mo*. Hæredi defuncti aut antecessoris mala fides nocet, ita, ut quamvis in bona fide existat, rem tamen à defuncto vel ejus antecessore malâ fide possessam & ad se devolutam præscribere non possit. L. *cum hæres. 11. ff. de diverſ. temporal. præscript.*

2*do*. Facto defuncti hæres etiam ex propria persona contravenire nequit, ita, ut si mater paterna filii bona vendiderit, filius, si hæres esse velit, bona divendita vindicare non valeat, sed doli mali exceptione submoveatur. *L. cum à matre. 14. C. de rei vindicat.*

3*tio*. Successor in Regno, Principatu vel relig one pacis fœdera, infeudationes, pactiones publicas, quin & contractus cum subditis ab antecessore initos servare obligatur.

4*to*. Prælatus ab antecessore gesta rata habere, & pactis nomine Ecclesiæ factis stare debet. *Can. Eleutherius. 30. cauſ. 18. q. 2.*

5*to*. In dignitate vel Prælatura Successor rescripta Apostolica ad Antecessorem dignitatis nomine data executioni mandare tenetur. *Cap. quoniam. 14. de offic. delegat.*

6*to*. Demum Prælatus vi rescripti contra Antecessorem impetrati rectè convenitur. *Cap. significavit. 36. de rescript. cap. dilecti. 17. de foro compet.*

Quæres *quarto*. Qualiter Regula de Successore particulari intelligenda?

℟. Successor in re particulari omnia Jura realia agendi & excipiendi, quæ Antecessor obtinebat, habere non dubitatur, cum res cum quibuscunque oneribus & privilegiis realibus transferatur; sic prædio vendito & tradito aquæ ductus transit ad emptorem. *L si aquæ ductus. 47. C. de contrahend. emption.* Jura tamen & obligationes personales ad Successorem particularem non devolvuntur: hæc enim personam sequuntur, cum illâque extinguuntur; hinc

hinc mala fides legantis, donantis, vendentis, Legatario, Donatario, emptori non adfert nocumentum. L. *an vitium. 5. ff. de diverſ. temporal. præſcipt.*

Quæres *quinto.* Quæ ab hac Regula exceptiones?

℟. Sequentes: 1*ma.* Obligatio contractûs mandati vel ſocietatis non tranſit ad hæredes vel Succeſſorem univerſalem. L. *qui negotia. 34. ff. mandati.* L. *actione. 65. §. ſocietas. ff. prò ſocio.*

Secunda. Pœna ab Anteceſſore ob delictum debita ab univerſali non eſt ſolvenda Succeſſore, ne pœna ulterius progrediatur quàm delictum. L. *ſancimus. 22. C. de pœnis* niſi lis contra defunctum ſuper crimine conteſtata, vel ex ſcelere aliquid turpiter acquiſitum; tunc enim Succeſſorem vel in ſolidum, vel in quantùm ad eum pervenit, conveniri poſſe, Juris abſolutiſſimi eſt. L. *unic.* C. *ex delictis defunct.*

Tertia. Donationem quam ob donatarii ingratitudinem revocare poteſt donator, revocare nequit donatoris Succeſſor. *Cap. fin. de donat.* L. *fin. C. de revocand donat.*

Quarta. Privilegium mariti, quod in reſtituenda dote ultra id, quod commodè reddere poteſt, conveniri non valeat, ad hæredes mariti non extenditur. L. *maritum. 12. ff. ſoluto matrim.*

Quinta. Licet debitor Creditori ſuo debitum per partes ſolvere nequeat, ſi tamen plures debitoris ſunt hæredes, quilibet partem ſuam ſolvere poteſt. L. *planè 3. ff. famil. erciſcund.*

6*ta.* Legatarius quamvis legatum ſuum pro parte acceptare, & pro parte repudiare non valeat; ſi tamen plures legatarius habeat hæredes, unus legati ſui partem acceptare, alter repudiare poteſt. L. *legatarius. 38. ff. de legat.*

Septima. Clericus hæres laici coram ſuo Judice conveniendus eſt. *Can. nullus 1. 6. 33. cauſ. 11. q. 1.*

Octava. Juspatronatûs ſi à laico ad Eccleſiam transfertur, Eccleſia habet ſex menſes, quamvis laicus ſolùm quatuor habuerit. *Cap. unic. de Jure pat. in 6.*

CASUS.

Ad utramque Regulam.

Beatrix unica Regis filia, quia à Parente ad inviſas nuptias compellebatur, ad Monaſterium confugit, ibique habitum recipiens usque ad mortem Patris manſit; (A) poſtquam egreſſa Regni prætendebat gubernacula, (B) & adſtipulante Miniſtrorum factione cum Rege Acatholico fœdus & ſponſalia contraxit in caſum, quo Romanus Pontifex vel eam à votis abſolveret, vel ad minus diſpenſaret. (C) Et eo fœdere ſubditi plurimùm ſunt paſſi obligati ſummam appromiſſam ſolvere, ſi Regina à fœdere diſcederet

deret. [D] Accedente Summi Pontificis dispensatione Regis Catholici filio nupsit. (E) Qui mortuâ Regina à Rege Acatholico, ut cæteras à Regina initi fœderis conditiones impleret, bello impetitus fuit. (F) Varia quoque debita, quæ Regina tempore regiminis contraxerat, exigebantur. Regina subditis promiserat, quod si fideles manerent, per decennium ab omni ordinaria contributione eos liberos fore. (G) Votum quoque fecit, quod si ex omnibus hisce emergeret difficultatibus, ad ædem Lauretanam Xenium 20000 imperialium donare vellet. (H) Consiliarii Regis vidui eundem ad nullum horum obligari putant, eò quod conjux defuncta in istis conjuncturis in quibus erat ante matrimonium, quodlibet cuilibet promisisset: sed obsistebat Confessarius. (I)

RESOLUTIO.

(A) METus, ex quo *Beatrix* Monasterium ingressa, ut invisas fugeret nuptias, ad extorquendum religionis ingressum, incussus non erat, qualis tamen, ut matrimonium carnale vel spirituale irritum reddat, requiritur *in cap.* 1. *de his, quæ* vi &c. ideoque tacita vel expressa *Beatricis* professio non obstante *Regul.* 43. valorem habebat.

[B] Fœdus & sponsalia cum Rege Acatholico etiam sub conditione: si Papa absolveret, vel in votis dispensaret, illicita erant, nec obligationem inducebant, cum non detur vinculum iniquitatis. *Arg. cap. quantò* 18. *de jurejur.*

(C) Fœdere illicito & invalido à Regina contracto subditi non tenentur, & damna ipsis ex hoc emergentia Regina ejusve Successor maritus compensare obligatur, si Regina vitæ suæ tempore hæc non resarcierit, per *Reg.* 46.

(D) Summus Pontifex ex causa publica, ut hic erat, in solemni religionis voto dispensandi habet potestatem. Est communior Canonistarum sententia, fundata in *cap. unic. de voto in 6.* ubi voti solennitas ex sola constitutione Ecclesiæ dicitur adinventa.

(E) Successor eodem Jure, quo Regina, contractum iniquum servare non tenebatur,

(F) Promissa tamen subditis facta per eandem *Reg.* 46. solvere debebat.

(G) Similiter reale uxoris votum de præstando Xenio reddere obligatur. *Cap. licet. 6. de voto.* L. *si quis. 2. ff. de pollicit.*

(H) Regem, quod promissa ex metu facta fuerint, non excusat, metus enim ad ea extorquenda non fuit incussus. Hinc Consiliariis malè consulentibus benè resistebat Confessarius.

REGULA XLVII.

Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus ?

℟. Ea quæ in facto consistunt, in dubio quis ignorare præsumitur, nisi ejus scientiam habuisse probetur. Ratio est: quia quæ in facto consistunt, probabiliter ignorari possunt: ideóque non Juris, sed facti excusat ignorantia, ubi autem quis præsumptionem non habet contra se, dicenti incumbit probatio, & ex hoc in dubio facti non præsumitur scientia. Exemplum est in L. *verius.* 21. *ff. de probat.* cujus hic est casus: Quando testator rem legat, quam alienam esse sciebat, hæres illam redimere, vel æstimationem tradere tenebatur: sed petebatur, quis, quod testator rem sciverit esse alienam, probare debeat; & respondetur per hanc Regulam, quod legatarius probare teneatur, sciviſſe testatorem, quod res esset aliena; quia in dubio præsumitur ignorantia, quâ præsumptione onus probandi in allegantem scientiam transfertur. In Jure canonico exemplum habemus *Cap. si verò. 4. de Sentent. excom.* ubi percutiens Clericum obligatur probare ignorantiam Clericatûs in persona, quam percusſit, ob præsumptionem scientiæ ortam ex eo, quod percusſus ex habitu & tonsura pro Clerico publicè habitus fuerit; si verò habitum non detulerit, alteri, quod percutiens Clericum esse sciverit, probandi onus incumbit.

Quæres *secundò*. Quæ ab hac Regula exceptiones ?

℟. Sequentes: *1mo.* Si factum non sit occultum, cum circa ea, quæ publicè fiunt, præsumatur scientia, nisi probetur ignorantia. *2do*, cessat Regula in his, quæ quis scire vel indagare tenetur, in quibus ignorantia, nisi probetur, non præsumitur. Exemplum est in electione Prælati: Electores in vitam & mores eligendi inquirere debent, ideóque si indignum eligant, quod indignitatem nescierint, probare coguntur. *Can. In Sacordotibus. 2. dist. 61. can. dilectissimi. 2. caus. 8. q. 2. cap. cum in cunctis. 7. cap. innotuit. 10. de elect. 3tio.* Fallit Regula in factis propriis, quæ quilibet scire existimatur. L. *fin. ff. pro socio.*

Quæres *tertio*. Quomodo ignorantia probatur ?

℟. Modis tribus. *1mo* per Juramentum, ut si me ignorasse in veritate Juramento affirmem. *Cit. cap. si verò. 4. de Sent. excomm. Cap. pastoralis. 4. de excep.*

except. 2do. Si id, ad quod necessariò ignorantia consequitur, ut me impotentem aut amentem fuisse, demonstretur. *Cap. cum dilectus. 3. de Succes.* *ab intestat. 3tio.* Si id, ex quo verisimiliter me ignorasse sequitur: ut me isto tempore absentem fuisse probetur.

REGULA XLVIII.

Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.

QUæres *primò.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem. Exempla sunt 1*mo.* Si pupillus vel minor restitutionem in integrum petat, ea non aliter conceditur, quàm ut non ex alieno ditescat detrimento, & perceptos ex fundo fructus restituat. L. *Si pupilli. 66. ff. de solut.* 2*do.* Ecclesia cujus fundum Prælatus illegaliter alienavit, adversus contractum, nisi reddito pretio, si exstet, vel in Ecclesiæ versum utilitatem, in integrum non restituitur.

Quæres *secundo.* Quæ Regulæ exceptio?

℟. Regula præsens limitatur in casibus, in quibus quis propter utilitatem publicam, ut in præscriptionibus &c. Jure suo privatur.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

Carolina libera cum Titio servo matrimonium contraxit, quo consummato *Carolina* pro separatione instat, eò quod servilem Titii conditionem ignoraverit. (A) Opponit Titius se publicè ut servum habitum fuisse: (B) & dato, quod ante matrimonium contractum nesciverit, sciviſse tamen ante ejusdem consummationem, (C) aut saltem tunc debuisse & potuisse scire, quia frequentabat ædes Domini, in quibus Titium ut servum haberi videbat. (D) Econtra opponit *Carolina*, quod Titium famulum conductitium, non autem servum propriè dictum esse putaverit, cum nequidem sciverit one-

ra propriè dictæ servitutis, (E) & offert Juramentum, quod nec ante matrimonium contractum, nec ante illius consummationem onera proprie dictæ servitutis noverit. (F) Judex matrimonium dissolvit, *Carolinæ* tamen prolis alimentationem injungit, cum servus eam alere non possit, nec Dominus teneatur, si contractum matrimonium aut *Carolinam* liberam esse ignoravit. (G)

RESOLUTIO.

(A) Titio servo probandum est, quod *Carolina* ipsum noverit esse servum, per *Reg.* 47. Si *Carolina* servitutis conditionem verè ignoravit, nullum est matrimonium. *Cap. proposuit. 2. cap. fin. de conjug. Servor.*

(B) Si Titius publicè habitus fuerit ut servus, contra *Carolinam*, quod servitutem sciverit, militat præsumptio, quæ onus probandi transfert in eandem. *Cap. si verò. 4. de Sentent. excom.*

(C) Si ante matrimonii consummationem servilem sciverit conditionem, ipso facto in servum consensit, ideoque validum est matrimonium. *Cap. fin. de conjug. Servor.*

(D) Si facilè scire poterat, sciviſſe præsumitur.

(E) Cum ex antecedentibus contra *Carolinam* violenta oriatur præsumptio, ipsa probare debet, quod Titium non mancipium, quod est facti, sed famulum conductitium fuisse putaverit: similiter eidem probandum est, quod naturam propriæ servituris ignoraverit, quod est Juris, cujus ignorantia non præsumitur.

(F) *Carolina* per Juramentum suum probare debet ignorantiam. *Cit. cap. si verò. 4. de Sent. excom. cap. pastoralis. 4. de exception.*

(G) *Carolina* libera prolem alimentare tenetur, cum partus ventrem sequatur: aliàs si alimentatio incumberet domino, vel injungeretur servo, *Carolina* ab onere isto absoluta contra *Reg.* 48. cum Domini locupletaretur jactura.

REGULA XLIX.

In poenis benignior est interpretatio facienda.

QUæres *primo*. Quis hujus Regulæ sensus?

R. Dum dubitatur, quænam ex duabus aut pluribus pœnis delinquenti sit infligenda, vel legis verba sunt ambigua, ita, ut in mitiorem vel severiorem

riorem sensum trahi valeant, mitiorem ac benigniorem sequi oportet. Ratio est: quia odia restringenda, favores autem ampliandi. *Reg.* 15. *de reg. Jur. in* 6.

Quæres *secundo.* Quæ Regulæ exempla?

℟. 1*mo.* Si quid sub pœna præcipitur, ipso Jure pœna non incurritur, sed solùm pœnæ comminatio esse videtur. *Gloss. in cap. Sicut tuis.* 33. *de Simon. V. Anathematis.* 2*do.* Ut pœna incurratur, delictum consummatum, & liquida debet esse probatio. 3*tio.* In pœnis nunquam in defectu probationis defertur Juramentum. 4*to.* Pœna in una parte apposita, in altera non censetur repetita. 5*to.* Pœna locum non habet, nisi sit expressè constituta.

Quæres *tertio.* Quæ sunt Regulæ exceptiones?

℟. Sequentes: 1*mo.* In pœnis fit extensio, quatenus verborum significat proprietas. 2*do.* In pœna excommunicationis Regula non tenet, cum nomine excommunicationis major intelligatur excommunicatio. *Cap. si quem.* 59. *de Sentent. excom.* 3*tio.* Ad fraudem removendam in pœnalibus fit extensio, ne illusoria reddatur dispositio. 4*to.* Quando in materia pœnali de publica agitur utilitate, facienda est extensio, ne delicta maneant impunita. 5*to.* Quando de Ecclesiæ fidei, animarúmque agitur favore, pœnalis extenditur constitutio.

REGULA L.

Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

QUæres *primo.* Qui actus dicuntur legitimi?

℟. Pro intelligentia hujus Regulæ inter actus legitimos distinguendum est: 1*mo.* Aliqui actus dicuntur legitimi, quia per legem sunt introducti, approbati & recepti; tales actus sunt testamentum, codicillus, donatio, venditio, locatio, cum reliquis contractuum speciebus, uti etiam electio, postulatio, sponsalia, matrimonium. De actibus legitimis in hoc sensu præsens Regula non tractat: sed actus hîc vocantur legitimi, qui ex natura sua, aut speciali Juris dispositione adjectionem conditionis de futuro, vel certæ diei non admittunt. Tales sunt omnes actus, qui ex institutione sua aut Jure sic disponente certam & absolutam verborum formam requirunt His præmissis

Quæres *secundo.* Quis Regulæ sensus?

℟. Actus legitimi, qui vel ex natura sua, sive ex institutione, sive ex spe-

ciali Juris prohibitione conditionis de futuro contingenti, vel diei appositionem non admittunt, per diei aut conditionis appositionem vitiantur, & invalidi sunt. Ratio est: quia tunc conditionis vel diei adjectio actûs contrariatur substantiæ, cum conditionis vel diei appositio vim hujusmodi actuum suspendat, eò quod hi actus instituti sint, ut certò & statim purum sortiantur effectum.

Quæres *tertio*. Quæ Regulæ exempla?

R. Ex jure canonico sunt sequentia: *1mo*. Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia Extrema unctio, & ordo, cum ex institutione Christi certam & absolutam verborum formam habeant, conditionem de futuro, & adjectionem diei, à qua valorem suum obtineant, non admittunt, quia effectus horum Sacramentorum à conditione & eventu futuro dependere nequit: ideo quamvis confessarius pœnitentem de cujus dispositione dubitat, in necessitate sub conditione de præsenti, si est dispositus, absolvere valeat, non tamen sub conditione de futuro, ut: absolvo te, si furtum restitueris: absolvo te à die, quâ occasionem hanc deserueris.

2do. Sacramentum matrimonii licet conditionem de futuro honestam admittat, attamen per adjectionem conditionis tribus bonis matrimonii, videlicet indissolubilitati, prolis procreationi & fidei conjugali repugnantis vitiatur. *Cap. fin. de condition. appos.*

3tio. Electiones & postulationes Prælatorum sub conditione de futuro instituì non possunt. *Cap. in electionibus. 2. de elect. in 6* nec ad certum tempus quis eligi valet. *Gloss. in cit. cap. in electionibus. v° incerta.* Nec electus aut postulatus in electionem aut postulationem de se factam sub conditione consentiendi habet potestatem.

4to. Collationes beneficiorum Ecclesiasticorum sub conditione, saltem à Prælatis Ecclesiasticis Summo Pontifice inferioribus, fieri non possunt.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

D*Elinquenda* Canonissa sæcularis in Collegio utriusque Sexûs eligitur, vel postulatur in Abbatissam per majorem Capituli partem, (A) quibusdam votum dantibus sub conditione: si statuta ante jurata servatura esset, & electa consensit pariter sub conditione: si Capitulares appromissam reverentiam & obedientiam præstituræ essent. (B) Quidam Canonicorum opponit electionem illegaliter esse factam: *1mo*. quia à duabus partibus concorditer facta non est. (C) *2do*. Quia *Delinquenda* puella octodecim annorum. (D) *3tio*. Quia putaretur esse illegitima, quod quidem in admissione oppositum, sed oppositores

res forsan corrupti ab oppositione destiterunt. (E) 4*to.* Quia disjunctivè elegissent, vel postulassent. (F) 5*to.* Quia aliquæ conditionatum dedissent votum. (G) 6*to.* Quia electa conditionatè consensisset, unde cum peccatum esset in forma, & consentientes indignam elegissent, pro hac vice penes se & paucos sibi consentientes totam esse eligendi facultatem. Ludovicam igitur quinquagenariam Canonissam Capituli præpositam nominavit. (H)

RESOLUTIO.

(A) QUantumvis Ecclesia statum Canonissarum sæcularium non approbet, earum tamen Abbatissæ eodem modo & formâ, quâ Abbatissæ Regulares eligendæ sunt. *Cap. indemnitatibus.* 43. §. *supra dicta. de elect. in* 6. nec ad electionem Abbatissæ major pars sufficit, si in discordia facta sit, hoc est, si eligentes duas fecerint electiones, & quælibet pars electionem suam per commune Decretum promulgavit. *Cit. cap. indemnitatibus.*

(B) Per Regul. 50. & *cap. in electionibus.* 2. *de elect. in* 6. vota eligentium absoluta esse oportet, & consensus in electionem similiter absolutè & sine conditione ab electa præstandus est.

(C) Si electio in discordia facta fuerat, & major pars unam, & minor pars alteram fecerat electionem, accessus fieri poterat, ita, ut minor ad majorem accederet partem, quo accessu facto, si duæ partes consentirent, confirmanda erat electio, si autem aliæ non accederent, aut accedentes duas partes non facerent, antequam confirmaretur, vel infirmaretur electio, audiendi erant consentientes: interim administratio, absque facultate tamen alienandi est penes electam à majori parte. *Cit. cap. indemnitatibus.* §. *sanè.*

(D) Circa ætatem Abbatissarum Regularium in *Cit. cap. indemnitatibus* §. 1. disponitur, quod eligenda non sit nisi tricesimum annum compleverit, quod etiam in Abbatissis sæcularibus requiritur.

(E) Si duæ partes ad minus per accessum in electam consenserunt, electio admittenda & confirmanda est, & accusantes post confirmationem sunt audiendi. *Cit. cap. indemnitatibus* §. *caterum.*

(F) Si vota disjunctivè dederunt: postulo vel eligo: nulla erant. *Cap. unic. de postulat. in* 6.

(G) Similiter vota conditionata reprobantur in *cap. in electionibus in cit.*

(H) Eligentes in forma peccantes non ipso facto privati, sed eligendi potestate sunt privandi. *Cap. quia propter* 42. *de elect.* ibi: *Qui vero contra præscriptas formas eligere attentaverint, eligenda eâ vice potestate priventur.* Quæ verba de privatione per Judicem facienda intelligi debent, per *Reg.* 49. Demum consentientes in indigni electionem potestate istâ vice eligendi ipso facto privati existunt

existunt. *Cap. eum in cunctis. 7. cap. cum Wintonensis. 25. de elect. cap. perpetua. 7 eod. in 6.*

Quapropter omnibus his in facto consistentibus ab uno vel paucis innocentibus electa Ludovica foret confirmanda.

REGULA LI.

Semel DEO dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum.

QUæres *primo.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Ecclesiæ, Altaria, Cœmiteria, Calices, Patenæ, Vestimenta, & Suppellex Sacra, mediante benedictione, consecratione aut alia Episcopali ordinatione ad cultum divinum & sacrum deputata Ministerium, ad humanos id est sæculares ac profanos, maximè viles & humiles usus non sunt applicanda; Ratio est: quia reverentia rebus sacris debita postulat, ut quæ spiritualibus usibus perpetuò sunt applicata, in sacri Ministerii contemptum ad profanos usus non transferantur. *Can. nulli. 3. caus. 12. q. 2. cap. adhæc. 4. de religios. domib.*

Quæres *secundo.* Quæ ex Regula consequuntur?

℟. Deducuntur ex ea sequentia: *Primo* Sacri Calices, Patenæ, Pallæ, Corporalia, Purificatoria, quæ Sacratissimum CHRISTI CORPUS in Sacramento Altaris proximè attingunt, munda & nitida semper conservari debent: nimis enim videtur absurdum, in Sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis. *Cap. relinqui. 2. de custod. Eucharistiæ.*

Secundo. Eadem Sacra Vasa à laicis, fœminis &c. non sunt attingenda. *Can. sacratas. 25. dist. 23. Can. in sancta. 41. de consecrat. dist. 1.* imò juxta modernam Ecclesiæ consuetudinem similia Sacra Vasa attingi non possunt etiam à Clericis, nisi Subdiaconatus Ordine fuerint initiati; quamvis antiquitùs juxta *Can. non liceat. 33. dist. 23.* Acolytho dicta Sacra Vasa attingere licebat.

Tertio. Episcopus Calicem inscio vel invito domino consecrans non Calicem sed solum pretium restituere tenetur. *Can. comperimus. 2. caus. 14. quæst. 6.*

Quarto. Cadavera Laicorum indumentis Altaris vel Ecclesiæ involvi non debent, nec talia indumenta ad actus concedi profanos. *Can. nemo. 40. Can. ad nuptiarum. 43. de consecrat. dist. 1.*

Quinto.

Quinto. Ligna & lapides collapsæ Ecclesiæ non ædificio vel operi profano, sed Ecclesiæ aut alteri loco sacro applicari vel igne concremari debent. *Can. ligna* 38. *de consecrat. dist. 1.*

Quæres *tertio*, Quæ Rugulæ exceptiones?

℟. 1*mo.* Regula non tenet in rebus animatis quamvis DEO consecratis. Sic servus, qui domino invito Minores, aut unum etiam ex S. Ordinibus suscepit, domino est restituendus. *Can. ex antiquis.* 9. *can. frequens.* 10. *dist* 54. *cap. de servorum.* 2. *de servis non ordinand.*

Secundo. In necessitate ad Redemptionem captivorum, aut ingentia Ecclesiæ debita diluenda Calices aliaque sacra etiam Laicis, dummodo prius confracta sint aut diminuta, vendi possunt. *Can. ea enim.* 2. *caus.* 10. *q.* 2.

REGULA LII.

Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.

QUæres *primo.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Actus, qui de Jure nullus, ideoque omni caret effectu, alteri actui, quominus valeat, non est impedimento. Ratio est: quia quod nullum est, nullum producit effectum, & aliquid esse nullum, esse sine effectu, non fieri, & effectum non sortiri paria esse noscuntur.

Quæres *secundo.* Quæ Regulæ exempla?

℟. Sequentia: 1*mò.* Quod quis invalidè susceperit baptismum, nihil obstat, quod iterato baptizari valeat. *Can. quos à Paganis.* 51. *de consecrat. dist. 4. cap.* 1. *de Presbyt. non baptiz.*

2*dò.* Titius in prohibito gradu contraxit matrimonium: puellæ nondum septenni futuras promisit nuptias, hi Contractus cum sint de Jure invalidi, non obstant, quin cum alia matrimonium vel sponsalia contrahere possit. *Can.* 1. *caus.* 31. *q.* 2. *cap. literas.* 4. *cap. accessit.* 5. *de desponsat. impub.*

3*tiò.* Publicato electionis Scrutinio apparuit, quod suffragia eligentium in indignum concordaverint, & ideo novum inchoatur Scrutinium, ex quo sequitur concors digni electio: hæc subsistit, quia præcedens Scrutinium invalidum fuit, nec ad electionis effectum est productum. *cap. perpetuo.* 7. *de elect. in* 6. Secus foret, si ex Scrutinio anteriori effectus electionis fuisset consecutus. *Cap. quanquam* 18. *de elect. in* 6.

Tunc enim Jus eligendi vel ad superiorem, si omnes nocentes, vel ad innocentes Capitulares foret devolutum.

4tò. Prius conditum Testamentum per secundi inchoationem non infirmatur, si ante secundi perfectionem testator è vita decesserit. §. *ex eo 7. institut. quibus modis testament. infirment.*

Quæres *tertio.* Quæ Regulæ sunt exceptiones?

℟. Sequentes: *1ma.* Ex matrimonio rato, quantumvis invalido, dummodò ob alium quàm consensûs defectum, publicæ honestatis usque ad quartum gradum dirimens oritur impedimentum. *Cap. 1. de sponsal. in 6.* & ita matrimonium præstat impedimentum, licet de jure non sortiatur effectum.

2da. Quando superior ex jure devoluto, v. g. propter negligentiam eligentium quia per tres menses à die habitâ notitia vacationis Prælatum ad Sedem vacantem non elegerunt, Prælatum nominat aut eligit, qui tamen vel non consentit, vel ante confirmationem renuntiat, aut vita excedit, tunc etsi electio ex jure devoluto facta nullum sortiatur effectum, attamen superior ad novam nominationem vel electionem progredi nequit, sed jus eligendi redit ad Capitulares, qui pro unâ tantùm vice illo jure privati fuerunt. *Cap. si electio 26. de elect. in 6. junct. Gloss. v. integrum.*

3tia. Legitima Procuratoris constitutio prior per secundam alterius ad eandem causam constitutionem revocatur, quamvis posterior effectum non consequatur, eò quod secundò constitutus Procuratoris munus suscipere recusaverat. *Cap. non injustè. 14. de procurator. Gloss. in cap. si duo. 6. de procurator. in 6. V. simul.*

4ta. Legatum priori legatario ademptum censetur, etsi in persona legatarii secundi non subsistat. L. *planè. 34. ff. de Legat.* & L. *licet. 20. ff. de adimend. legat.*

5ta. Sacerdos excommunicatus Sacramentaliter quempiam absolvens ex hoc irregularitatem incurrit, quamvis ob defectum Jurisdictionis invalida sit, nec ullum habeat effectum absolutio.

6ta demum. Compromissarius eligens indignum iteratò eligere nequit, licet prima electio invalida omni careat effectu: cum suo functus sit officio. *Cap. si compromissarius. 37. §. si verò. de elect. in 6.*

CASUS.

Ad utramque Regulam.

E *Merentiana* nobilis prosapiæ Virgo ex reverentiali parentum timore cum Narcisso ejusdem nobilitatis adolescente matrimonium invita contrahit. (A) Ipsâ nuptiarum nocte profuga ad monasterium convolat, ad habitum admit-

admitti rogat, & de facto admittitur. (B) Narcissus cum *Emerentianam* violenter extrahere non posset, ejus Sorori matrimonium promittit, si *Emerentiana* professionem faceret, quâ professâ eandem de facto duxit. (C) *Emerentiana* vix professa ad munus Sacristanæ applicatur, ac rerum Sacrarum custos sedulò officium peragit, purificatoria lavando, calices mundando, paramenta reparando, nova conficiendo, detrita ad alios usus applicando. (D) Uná vice cum Sacerdos casu calicem consecratum evertisset, & species Sacræ tam mappas altaris, quam ejusdem pedem contigissent, quid agendum, nesciebat. (E) Defuncta Monasterii Priorissâ inter cæteras in considerationem venit nostra *Emerentiana*, & in primo scrutinio cum divisa essent vota, canonica electio fieri non potuit, (F) in secundo Scrutinio *Emerentiana* electa consentire in electionem recusavit. (G) Cum igitur convenire non possent, tres compromissarias elegerunt, inter quas *Emerentiana*, (H) quæ Senioriſlam quamvis aliàs probissimam, propter senium tamen & continuas infirmitates inhabilem elegerunt, quam ea de causa Superior confirmare noluit: (I) & quia tempus electionis elapsum, ex Jure devoluto nominavit *Emerentianam*, eique sub præcepto obedientiæ injunxit, ut regimen susciperet, (K) quæ deprecata omninò consentire detrectavit, potius eligens carcerem, quàm Priorissæ locum Nominavit ergo aliam, quam Moniales recipere noluerunt, (L) sed concordibus votis aliquam ex alio ejusdem Ordinis monasterio elegerunt. (M)

RESOLUTIO.

(A) METus matrimonium dirimit, *Cap. cum locum.* 14. *cap. veniens.* 15. *cap. consultationi.* 28. *de Sponsal.* sed debet esse talis, qui in constantem virum cadere possit *Cap. cum dilectus.* 6. *de his, quæ vi metusvè causâ.* qualis non fuit metus purè reverentialis, minis &c. non qualificatus.

(B) Etsi matrimonium validum fuisset, nihilominus *Emerentiana* ante ejus consummationem ad religionem convolare, sacrúmque habitum suscipere poterat. *Cap. verum.* 2. *de convers. conjugat.*

(C) Si ante Sponsalia, vel matrimonium validum, vel etiam invalidum ex alio capite quàm ex defectu consensûs cum *Emerentiana* Narcissus contraxerat, erat in eo publicæ honestatis impedimentum. *Cap. Sponsam.* 8. *de Sponsal. cap. unic. eod. in* 6. Quamvis igitur matrimonium ex alio capite quam ex defectu consensûs nullum fuisset, impedimentum tamen præstitisset, contra *Reg.* 52.

(D) Res Sacræ ad usus profanos applicandæ non sunt per *Reg.* 51. & *cap. conquestus* 16. *de for. compet. cap. ad hæc.* 4. *de religios. domib.* Oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta Sacra mun-

da & nitida conservari debent, nimis enim videtur absurdum in Sacris sordes negligere, quæ dedecent etiam in profanis. *Cap. relinqui cu.*

(E) Hoc casu mappæ altaris lavandæ, & aqua in Sacrarium fundenda erat. *Rubrica Missal.*

(F) In electione Monialium, si vota sint discordia, & nulla duas tertias habeat, minor pars ad majorem accedere potest. *Cap. indemnitatibus. 43. §. sanè. de elect. in 6.*

(G) Electæ consensus intra octiduum est requirendus, qui habitâ electionis notitiâ intra mensem est præstandus. *Cap. cupientes. 16. de elect in 6.* Electâ consensum præstare nolente electores ad novam electionem procedere possunt. *Cap. si electio. 26. de elect. in 6.*

(H) Compromissum omnibus consentientibus fieri debet per *Regul. Juris. 29. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*

(I) Rejectâ à Superiore per Compromissarias electâ Jus eligendi ad Capitulum devolvebatur. *Cap si Compromissarius. 37. §. si verò. de elect. in 6.*

(K) Si Compromissariæ ante evolutum trium mensium terminum non elegissent, Jus eligendi ad Superiorem devolutum esset, aliàs non *Cu. cap. Si compromissarius.*

(L) Invita cogi non poterat. *Arg. cap. si tibi. 17. de præbend. in 6.* Si Jus ad Superiorem devolutum, recusante *Emerentiana* semel nominatâ, Superior aliam secundò nominare non poterat: quia pro una solùm vice Jus nominandi ad Superiorem devolvitur, quo indignam vel recusantem nominante Jus eligendi redit ad Capitulum. *Cap. ne pro defectu. 41. de electione. junct. Gloss. V. câ vice. Arg. cap. cum Wintonenſis. 25. de elect.*

(M) Ex alio ejusdem Ordinis monasterio, dummodò requisitis non careret, eligendi habebant potestatem.

REGULA LIII.

Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus.

QUæres *primo.* Quis hujus Regulæ sensus?

R. Cui licet, quod est plus sive majus, licet etiam, quod est minus, & econtra, cui non licet, quod est minus, etiam, quod est plus sive majus, non licet. Ratio est: quia minus plerumque sub majori continetur.

Exempla sunt *1mo.* Sacerdoti in missæ Sacrificio corpus & Sanguinem Christi conficere licet, quod majus est, ergo etiam in fine missæ populum benedicere

dicere licet, quod minus est. *Can. ecce. 6. dist. 95. 2do.* Cui cura animarum est commissa, etiam rerum ecclesiasticarum administratio concedi potest; si enim animæ hominum pretiosiores illi sint creditæ, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere. *Can. præcipimus. 24. caus. 12. q. 1. 3tio.* Si monasterio decimæ in parochia per unionem incorporata per privilegium sunt concessæ, ex eo decimæ novalium concessæ quoque intelliguntur. *Cap. ex parte. 27. de decimis. 4to.* Qui nequit à venialibus, à mortalibus etiam absolvere nequit. Qui Clericum Clerici percussorem ab excommunicatione absolvere non potest, cum eodem ad usum ordinum dispensandi caret facultate; cum majora intelligantur illis prohibita: quibus vetita sunt minora. *Cap. cum illorum. 32. de Sentent. excomm.*

Quæres *secundo.* Quæ Regulæ limitationes?

℟. Tres sequentes: *1ma.* Si plus & minus diversi sunt ordinis, tunc ex concessione majoris minoris non infertur concessio: ut cui criminalium commissa est cognitio, ex hoc non sequitur, quod civilium quoque causarum commissio delata sit. L. *solemus. 61. ff. de Judiciis.*

2da. Cessat Regula, si in utroque majori & majori ratio non sit eadem; ut: si Episcopus ad majorem videl. Metropolitanam Ecclesiam transeundi acceperit facultatem. *Cap. 1. & fin. de translat. Episcopor. junct. Gloss. V. ad parem.* in torneamento vel duello occumbenti quamvis poscenti pœnitentia non negetur, ecclesiasticâ tamen caret sepultura. *Cap. 1. de torneamentis.*

3tia. Non tenet Regula majoris ad minus, si specialis Juris obstet dispositio. Sic Sacerdoti sacrificanti Eucharistiæ sub utraque, non tamen sub una specie, quod est minus concessa est sumptio. *Can. comperimus. 12. de consecrat. dist. 2.* Gratiam ad majus obtinens beneficium, vi illius minus obtinere nequit. *Cap. cui non de Sacerdotali. 27. de præbend. in 6.*

REGULA LIV.

Qui prior est tempore potior est jure

QUæres. *primò* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Quando duo in Jure pares, quis eorum sit præferendus, contendunt, ille præfertur, cujus Jus antiquius esse constat. Exempla sunt *1mo.* Dum quæritur, quis prius instrumentum subscribere debeat, ille præponitur, qui prior est ordinatus *Can. fin. dist. 17. 2do.* In Capitulo vel Choro qui senior est

Canonicus, priorem habet sessionem. *Cap.* 1. *de majorit. & obedient.* 3*tio.* Cum duo gratiam exspectativam habent, illi prius providendum, qui prior gratiam impetravit, *Cap. eum, cui.* 7. *de præbend. in* 6.

Quæres 2*do.* Quæ sunt Regulæ limitationes?

R. Sequentes: 1*ma.* Regula non tenet in actibus, qui ab unius dependent voluntate, ut sunt leges, testamenta, in quibus posterius derogat priori, & constitutio posterior revocat anteriorem. *L. sed & posteriores* 28. *ff. de legib. cap.* 1. *de constitut. in* 6. per testamentum posterius tollitur & rumpitur testamentum prius. §. *posteriore.* 2. *institut. quibus mod. testament. infirment.*

2*da.* Non valet Regula, quando duo à priori pacto recesserunt, & novam pactionem de mutuo consensu incurrit; tunc enim non prius, sed novissimum pactum obtinebit. L. *pacta* 12. C. *de pact.*

3*tia.* Cessat Regula in Privilegiis, ex quibus unum ob causam magis privilegiatam altero favorabilius est: tunc enim non ex tempore, sed ex causa sunt æstimanda. L. *privilegia.* 32. *ff. de reb. authorit. Judic. possidend.*

4*ta.* Ratione temporis non datur præferentia, quando jus ab utraque parte non est æquale: ideo in eadem re diversis temporibus pluribus vendita & is præferendus est, cui prius vendita: Si autem utrique successivè tradita, ille præferendus, cui prius tradita: si uni prius vendita, & alteri postmodum vendita & tradita, ille, cui vendita & tradita, quamvis sit posterior, est præferendus.

5*ta.* In judiciis reus vel possessor præferendus est actori, nec tanta est prærogativa temporis, quanta est ratio possessionis.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

F*Florida* undecim annorum puella Titio ejusdem ætatis Juveni matrimonium promittit. (A) Anno ætatis duodecimo Cajo sexdecim annorum adolescenti similiter matrimonium promittit (B) quem cum postea aversaretur, cum Sempronio decimum quartum ætatis annum attingente per verba de præsenti matrimonium init (C) Cajus ante consummatum cum Sempronio matrimonium *Floridam* Monasterio includi facit, cujus institutum illa perhorrescens auffugit: (D) cumque ad matrimonii cum Sempronio consummationem non multùm afficeretur, eque Cajum aut alium ducere posset, cum simplici castitatis voto in Sæculo sub habitu religioso manere præeligit, ex Regula: *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus.* (E) Huic propositi-

to sese opponens Sempronius ordinarium interpellat, ut *Florida* matrimonium consummare vel Monasterium ingredi compellat. (F) *Floridam* ad Legatum Apostolicum, & illo gravante ad Summum Pontificem confugit. (G) Ordinarius, cum causa apud illum præventa, *Florida* excommunicationem minatur, quâ eam in contumacia persistentem de facto perstringit.(H)

RESOLUTIO.

(A) SPonsalia in ætate impuberi post completum septennium contracta valida sunt, & impedimentum publicæ honestatis inducunt. *Cap. literas 4. cap. accessit. 5. de desponsat impuber.*

(B) Impuberes, qui sponsalia post septennium contraxerunt, si ad annos pubertatis pervenerint, resilire possunt. *Cap. à nobis. 8. de desponsat. impuber* Ideoque non tenet hîc Regula. *Qui prior est tempore, potior est jure.* Licet enim prior Titius cum *Florida* contraxerit sponsalia, quia tamen illa ob infirmitatem ætatis infirma, ea rumpere, & cum Cajo nova sponsalia contrahere poterat *Florida*, pubertatis annos jam adepta.

(C) Hic iterum fallit *Regula 45.* Quia matrimonium tempore posterius priora dissolvit spontalia. *Cap. si inter. 31. de sponsal.*

[D] Quanquam *Florida* ob fractam Cajo sponsalitiam fidem punienda esset, per Cajum tamen à Sempronio jam vero marito separari nequibat, & licet ipsa ad Monasterium libere confugere valebat, invita tamen eidem includi non debebat.

(E) Regula: *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus*, hic non *quadrat*: quia illud plus est diversæ rationis ab eo, quod est minus. Professio religiosa ratum dissolvit matrimonium, simplex castitatis votum illud non dissolvit; unde quamvis Sponsa ante matrimonii consummationem Sponso invito religionem intrare possit, castitatem tamen in Sponsi præjudicium in sæculo vovere nequit.

(F) Ordinarius *Floridam* termino ad consummationem matrimonii, vel religionis ingressum designato compellere debet. *Cap. ex publico 7. de convers. conjugat.*

[G] Ordinario primæ jus instantiæ competit: ideoque *Florida* nondum gravata ab eodem ad Legatum recurrere non poterat, maximè cum causa apud Ordinarium præventa, per *Regulam 45.*

(H) Quapropter justè excommunicabatur; nisi ab excommunicationis comminatione legaliter appellasset.

RE-

REGULA LV.

Qui sentit onus sentire debet commodum & econtra.

QUæres *primo.* Quis primæ partis hujus Regulæ sensus?

℟. Qui onera, damna, & incommoda rei vel actionis sustert, ad eum etiam cum re connexa, vel ex ea provenientia commoda & emolumenta pertinere debent. Ratio est: quia nemo facile reperitur, qui subeat onus, si illud spe commodi & emolumenti non compensetur: adeo, ut etiam magnus ille *Apostolus* ad sufferenda patienter adversa pro CHRISTI Nomine præmii spe fideles animare non erubescat: *sicut enim Socii passionum estis*, inquit, *sic eritis & consolationis.* 2. *Cor.* 1.

Quæres *secundo.* Quæ hujus Regulæ Exempla?

℟. Sequentia: *1mo.* Monasterium, in quod Clericus propter incontinentiam ad pœnitendum est inclusus, sicut habet onus Clericum alimentandi, ita ex illatis Clerici bonis sentire debet subsidium. *Can. de lapsis. 5. caus. 16. q. 6.*

2do. Parochus Parochianis Sacramenta administrandi, & officia divina celebrandi onus sustinet, & ideo eum gaudere oportet congruæ & Canonicæ portionis emolumento. *Cap. 1. & cap. certificari. 9. de sepultur.*

3tio. Emptor, qui emptione perfecta, licet res empta nondum fuerit tradita, rei emptæ sustinet periculum, ita in illius compensationem fructus & incrementum rei ex alluvione aut pretii augmento proveniens justè acquirit. L. 1. C. *de pericul. & commod. rei vend.*

4to. Usufructuario arbores emortuæ cedunt, quia loco earum aliàs substituere est obligatus. *L. agri 18. ff. de usufr.*

5to. Demum in Contractu Societatis, quamvis non fuerit expressum, tacitè tamen censetur conventum, ut qui plus æris vel periculi in Societate sustinet, plus etiam lucri capiat.

Quæres *tertio.* Quæ hujus partis limitatio?

℟. Regula non tenet, si onus ex sua institutione vel speciali juris dispositione officio vel commodo est annexum. Exemplum est: Capitulum Sede vacante Jurisdictionem & Episcopales exercet functiones, & tamen pro hoc onere non sentit commodum ex mensæ Episcopalis fructibus; hi enim Ecclesiæ & in Cathedra Successori reservandi sunt.

Quæres *quarto.* Quis secundæ partis Regulæ sensus?

℟. Qui rei cujusdam vel actionis emolu-

emolumenta, & ex ea provenientia percipit commoda, eum quoque onera vel annexa rei incommoda ſufferre oportet. Exempla ſunt: Beneficiato non reſidenti nec officium exercenti fructus & beneficii negantur reditus. *Trid. Seſſ.* 24. *de reform. cap.* 12. cum beneficium detur propter officium. *Cap. fin. de reſcript. in 6.* 2*do.* Si Eccleſia collapſa, nec eidem reditus, ex quibus reædificari valeat, ſuppetant, Rector Eccleſiæ omnesque in ea beneficiati ad reædificationem concurrere debent. *Cap.* 1. *de Eccleſ. ædificand.* Quia enim omnes illi commodum in Eccleſia habent, onus quoque conſervationis & reædificationis ab eis eſt ſuſtinendum. 3*tio* Legato cenſetur indignus, qui onus Legatarii à teſtatore impoſitum ſubire recuſat. L. *quamvis.* 10. *ff. de damno infect.*

Quæres *quinto.* Quæ hujus partis limitatio?

℟. Qui ſentit commodum, onus ſentire non debet, quando ejus ferendi incapax eſt, vel Jus eum ab onere ſpecialiter deobligat. *Sic* 1*mo.* Beneficiatus infirmus reditus officii percipiendo commodum ſentit, & tamen ab onere officii liber exiſtit. *Can.* 1. *caus.* 7. *q.* 1. *de Cleric. ægrotante.* 2*do.* Maritus dotem lucratur, quamvis uxorem adulteram ſuſtentare non teneatur. *Cap. plerumque.* 4. *de donat. inter vir. & uxor.* 3*tio.* Legatarius ex legato ſibi relicto commodum habet, & tamen hæreditatis onera ſuſtinere, vel debita ſolvere non obligatur.

REGULA LVI.

In re communi potior eſt conditio prohibentis.

QUæres *primo.* Quot ſupliciter res pluribus poteſt eſſe communis?

℟. Dupliciter. Vel eſt communis ut ſingulis, ſive pertinet ad ſingulos diſtributivè ſumptos, vel eſt communis pluribus, ut Collegio, ſive pertinet ad plures collectivè ſeu collegialiter acceptos. In primo ſenſu præſentem Regulam procedere affirmamus.

Quæres *ſecundo.* Quis Regulæ ſenſus?

℟ Quando res ad duos vel plures ut ſingulos ſpectat, & de ea reparanda, deſtruenda, aut aliquo circa eam faciendo agitur, quod ſingulorum intereſt, idipſum vel unius impedire poteſt contradictio. Ratio eſt; quia nullus invitus ſuo Jure eſt privandus, nec ulli facto alieno inferendum eſt præjudicium, quod profectò contingeret, ſi ſocio vel ſociis uno ex ſociis invito rem alienare, vendere vel deſtruere liceret.

Exempla ſunt 1*mo.* Contracto &

consummato matrimonio una conjux alterâ invitâ ad religionem convolare nequit. *Cap. quidam. 3. Cap. placet. 12. de convers. conjugat. 2dò.* In electione Prælati, si unicus Capitularium contradicat, ne per compromissum instituatur electio, vel ad eam extraneus admittatur, nec viâ compromissi electio celebranda, nec votum extraneo est deferendum: quia quod omnes tangit, ab omnibus est approbandum. *3tio.* Si paries duobus vicinis sit communis, unus illorum altero invito parietem destruere non potest: quia non solus Dominus est. L. *parietem. 8. ff. de servitutib. prædior. urban.*

Quæres *tertio.* Quæ sunt Regulæ limitationes?

℟. Sequentes. *1ma.* Unus socius circa rem communem altero invito aliquid facere potest, si per illud socius non lædatur; ita parietem duobus vicinis communem quilibet à parte sua incrustar, picturis ornare &c. valet. L. *quidam. 13. ff. de servitut. prædior. urban.* quilibet enim pati debet, quod sibi non nocet, & alteri prodest.

2da. Unus socius altero invito re communi eo usu, ad quem res illa deputata est, utendi habet Jus; ut: duo commune habent sepulchrum, unus altero invito suum defunctum in illo tumulare potest. L. *Si plures. 41. ff. de religios. & sumptib funer.*

3tia. Si necessitas postulat, unus socius altero invito rem communem conservare potest, & quidem communibus sumptibus, ut trabem in murum immittendo, tectum ruinosæ domûs reficiendo &c.

4ta. Quando Jus pluribus commune, vel potiùs Juris communis exercitium in bonum vel utilitatem tertii principaliter est ordinatum, melior est plurium consentientium, quàm unius vel paucorum dissentientium aut contradicentium conditio; Sic quando Jus patronatûs sive Jus præsentandi Clericum ad Ecclesiam vel beneficium vacans pluribus compatronis ut singulis competit, prævalet major in unam personam præsentandam pars consentientium. *Cap. quoniam. 3. de Jure patron.* quia Jus patronatûs vel præsentatio non Patronum sed Ecclesiæ utilitatem, & animarum respicit salutem.

5ta. Quando de rebus, quæ plures ut singulos concernunt, cum præjudicio singulorum aliquid decernitur, in bonum tamen communitatis, cujus singuli membra existunt, consensus plurium prævalet contradictioni paucorum; ita quamvis fructus præbendarum ad Canonicos ut singulos spectent, in casu tamen, quo agitur de Ecclesiæ ruinam minantis reparatione prævalet major pars, quæ partem redituum præbendarum ad necessariam Ecclesiæ restaurationem decernit esse applicandam. *Cap. fin. de his, quæ fiunt à major. part. &c.*

6ta. Fiscus speciale obtinet privilegium, quod rem cum privato habeat communem, eam socio invito, ut pluris illam vendat, totam distrahere valeat. L. *multum. 2. C. de commun. rer. alienat.* L. *unic. C. de vendit. rerum fiscal. cum privat. commun.*

7tima.

7tima. In favorem libertatis statutum est, ut servus duobus communis ab uno manumissus libertatem consequatur. L. 1. C. *de communi servo, manumiss.*

CASUS.

Ad utramque Regulam.

Gudula matrimonium contrahit cum Dejecto. In pactis dotalibus omnia communia fecerunt. *Gudula* cum Dejectum nihil ad commune conferre, sed plus indies consumere videret, eum deserere, & ad monasterium convolare resolvit. (A) Cum autem post matrimonii consummationem absque Dejecti consensu recipi non posset, ab incepto destitit, & quia maritum ex bonis suis alebat, condit testamentum, in quo omnia bona sua tam patrimonialia, quàm acquisita ad pias causas applicat. Dejectus opponit, quod in re communi potior sit conditio prohibentis; Gudula excipit, quidquid acquisitum ad se pertinere, propria sua bona esse, cum Dejectus nihil contulerit, nec quod à *Gudula* collatum, augmentârit, sed ex parte consumpserit; ideo prævalere *Regulam*: *Qui sentit onus sentire debet commodum.*

RESOLUTIO.

(A) Post matrimonium consummatum *Gudula* ad monasterium convolare non poterat, per *Reg.* 56.

(B Si Dejectus nec bona nec industriam ad commune contulit, ea quæ à *Gudula* acquisita, non sunt bona communia ad Societatem pertinentia, unde & de illis vel inter vivos, vel per testamentum liberam habet disponendi facultatem.

REGULA LVII.

Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.

Quæres *primò*, Quis hujus Regulæ sensus?

R. Verba dubia legis, contractûs, vel dispositionis contra proferentem, sive

sive eum, à quo dicta aut scripta noscuntur, sunt interpretanda, isque sibi imputet, quod cum facilè potuisset, apertius tamen locutus non fuerit, & intentionem vel obligationem, quam alteri imponere voluit, clariùs non expresserit. Exemplum est in *Cap. in præsentia. 8. de probat.* ubi quidam professionem suam invalidare volebat ex eo, quod in minori ætate eam emisisset; Verba illa: *in minori ætate*, erant dubia, an in minori ætate infra 14. annos, an verò in minori ætate infra 25 annos significarent: & deciditur esse interpretanda contra proferentem, quod nimirum in minori ætate infra 25. annos professionem fecisset.

Quæres *secundo*. Quæ Regulæ limitationes?

℟. Regula non tenet *1mo*, quando ex eo, quod actum est, aut aliunde de mente proferentis certò aut verisimiliter constat. *2do.* Si interpretatione contra proferentem facta nulla redderetur dispositio: interpretatio enim ita facienda est, ut potius valeat, quàm pereat dispositio. L. *quoties.* 12 *ff de rebus dubiis. 3tio.* Si interpretatio contra proferentem facta peccatum involveret. *4to.* Quando in votis dubia est rei promissæ quantitas, vovens non ad majorem, sed ad minorem duntaxat partem est astringendus, *Cap. ex parte. 18. de censib.*

REGULA LVIII.

Non est obligatorium contra bonos mores præstitum Juramentum.

QUæres Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Juramentum, quo Jure illicitum & inhonestum promittitur, vel is, cui præstatur, ad liberius peccandum inducitur, invalidum est, & nullam inducit obligationem. Exempla sunt *1mo.* Si quis rem suam apud tertium adjecto deposuit Juramento, quod, quamvis depositarius re abuteretur, remque dolosè destrueret, actione tamen depositi contra eum agere nollet, Juramento non tenetur, eò quod ad peccandum inducat depositarium. *2do.* Qui patrem suum occisurum, aut si eum non occideret, alteri centum se numeraturum juravit, in casu quo non occidit, centum solvere non obligatur. *3tio. In Capitul. quintavallis. 23. de Jurejur* inter quasdam vicinas jurgia versabantur: maritus unius Juratò promisit, quod si adhuc semel à sua uxore

uxore & filiabus injuriarentur, illis, quamcunque peterent, dare vellet satisfactionem, & illæ petiverunt, ut uxorem repudiaret, filiásque ex hæredaret: ad quod, cum Juramentum sit illicitum, obligari non poterat.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

Humberta juvenis vix ad matrimonium apta puella à parentibus egenis importunis precibus & largitionibus inducta Titio hæretico nubit, [A] hac conditione, ut sive proles acciperent sive non, *Humberta* in omnia Titii bona succederet, proles autem in paterna educarentur secta: (B) quod ab utraque parte juratum. (C) Matrimonio contracto *Humberta* prolem tantùm gignit fœmellam, quam Titius scholas hæreticas frequentare jubet. *Humberta* opponit, quod verba illa de educatione prolium juxta morem patriæ de prolibus masculinis intelligenda sint: (D) & cum durius haberetur, cum prole sua abscedit, eligens potius mendicare, quàm prolis pati perversionem. (E) Consuluit autem Theologum, an valorem matrimonii impugnare possit, eò quod sufficientem libertatem non habuisset: (F) quod in minori ætate contraxisset: [G] quod contraxisset cum conditione vel modo bono matrimonii & honestæ prolis educationi adversante: (H) aut an Titius per dominum territorialem, ut Filiam Catholicè educari permittat, seque in conjugem recipiat, cogi valeat. (I)

RESOLUTIO.

(A) Matrimonium validum, sed illicitum est; validum: quia importunæ preces & largitiones excessivæ consensûs non vitiant libertatem; illicitum est: quia cum periculo perversionis prolis contrahitur, & Sacramentum matrimonii indignè administratur, cum hæreticus illud dignè suscipere non possit.

(B) Conditio turpis erat contra finem matrimonii. *Cap. fin. de condit. apposit.*

(C) Juramentum quoque per *Regulam* 58. non tenebat.

(D) *Humberta* sese opponere obligabatur, & pro se *Regulam* 57. adferre poterat, quia enim omnes proles non expresserant, verba juxta patriæ consuetudinem accipienda erant.

(E) A marito recedere poterat & debebat, cum ipsi amplius absque injuria Creatoris cohabitare nequiret. *Cap. quæsivit. 2. de divort.*

(F) Ex illo capite valorem matri-

monii impugnare non poterat: non enim metu, sed precibus & largitionibus, quæ voluntariè non contrariantur, inducta erat.

(G) Nec ætas oberat, quia ex consummato matrimonio prolem susceperat, quæ capacitatem ad matrimonium probabat.

(H) Si in ipsa matrimonii celebratione conditio apposita fuisset, hæc istius valorem impediviſſet. *Cit. cap. fin. de condit. appoſit.* Secus si interpacta dotalia matrimonium antecedentia, de religione, in qua proles educanda, conveniſſent.

(I) Maritus etiam auxilio brachii sæcularis omninò cogendus erat, ut uxorem reciperet, prolemque in religione Catholica educari permitteret.

REGULA LIX.

Dolo facit qui petit, quod reſtituere oportet eundem.

QUæres *primo.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Qui ab altero petit id, quod eidem mox reſtituere debet dolo facere, & alterum defraudare velle præsumitur. Ratio est: quia bona fides adesse non potest, cum illud, quod petitum, statim reſtituendum. Præterea lex & natura inutilem abhorret circuitum, ut fiat pluribus, quod paucioribus expediri potest. *Arg. L. 1. C. ne uxor. pro marito &c.* Exempla sunt *1mo.* Fœneratori promiſſas usuras exigenti opponitur exceptio, quod usuras exactas statim reſtituere teneatur. *Cap. cum tu. 5. cap. tuas. 13. de uſur.* *2do.* Marito dotem à Socero promiſſam post mortem uxoris postulanti doli objicitur exceptio, eò quod soluto per mortem matrimonio dotem receptam mox reſtituere obligetur. L *apud Celſum. 4. §. apud Julianum. ff. de doli mali & metûs except.*

Quæres *secundo.* Quæ hujus Regulæ exceptiones?

℟. Sequentes. *1mo.* Non tenet Regula, quando non eidem, sed tertio facienda est reſtitutio. Sic Commodatarius rem sibi commodatam & à fure ablatam ab eodem justè repetit, eò quod res commodanti ejus domino sit reſtituenda. *2do.* Fallit Regula, si non statim, sed post temporis intervallum facienda sit reſtitutio; ut Pater à filia sua Titii uxore hæres est inſtitutus, & rogatus, ut hæreditatem post mortem suam nepoti teſtatricis Titii filio reſtituat: in quo casu Pater in petitione hæreditatis filiæ suæ doli exceptione repelli nequit

quit: quia non statim, sed post mortem suam hæreditatem restituere obligatur. *3tio.* Non tenet in depositi Contractu: deponenti quippe rem suam eandémque repetenti nulla compensatio, deductio &c. in rei dominio non fundata opponi potest: ideo si deponens pecuniam depositam à depositario repetat, quamvis deponens ex emptione ædium depositario factus fuerit debitor, depositarius tamen doli opponere nequit exceptionem. L. *si quis.* 11. C. *depositi.*

REGULA LX.

Non est in mora, qui potest exceptione legitimâ se tueri.

QUæres *primo.* Quis in mora esse dicitur?

℟. Qui cum sciat, aut facilè scire posset, & deberet, quod debitor existat, nihilominus ab homine vel Jure interpellatus non solvit, aut, quod debet, præstare omittit.

Quæres *secundo.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Non est in mora, à quo solutio aut rei cujusdam præstatio jure peti nequit, vel petenti legitima, hoc est talis, quæ à potiore, per replicationem elidi non potest. opponi valet exceptio. Ratio est: quia qui debitum præstare non obligatur, aut etiam contra exigentem legaliter se defendere potest, si non præstet, quod prætenditur debitum, non est in culpa, consequenter nec in mora, cum mora delictum, dolum, vel culpam præsupponat. L. *quod te. 5. ff. de reb. credit.*

Quæres *tertio.* Quæ sunt à mora excusantes legitimæ exceptiones?

℟. Sunt doli mali, metûs, jurisjurandi, quod debitum non sit liquidum, quod Contractus à petitore non sit impletus, quod tempus solutionis nondum advenerit, quod compensatio facta, quod solutio sit impossibilis &c. legitimæ exceptiones.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

JUstina Filia nobilis, postquam cum Capitaneo Borussico, ut dicebat, Catholico matrimonium contraxerat, post annum literas Capitaneo à sua uxore

re in Borussia residente scriptas intercipit, & auffugit. (A) Capitaneus apud Ordinarium uxorem repetit, séque spoliatum ante omnia restituendum esse sustinet. (B) *Justina* ligaminis opponit impedimentum: excipit Capitaneus hoc pertinere ad petitorium, ante omnia restituendam uxorem, & si quid illa contra suam personam habeat, illud postea proponendum. (C) Ordinarius *Justinæ* sub pœna excommunicationis reditum ad virum præcipit. (D) Illa moras nectit, usque dum è Borussia de vivente adhuc uxore certiorata: ideóque excommunicatur. (E) Ex Borussia nuncium accipit, quod nota sit literarum manus, & ipsa sit uxor Capitanei: sed cum plene probari non posset, & Capitaneus omnis generis exceptiones opponeret, Ordinarius iteratò imponit, ut *Justina* Capitaneo convivat, usque dum melius probare possit. Cujus Decreti executionem cum Ordinarius minitaretur, *Justina* ad consilium Confessarii auffugit.

RESOLUTIO.

(A) *Justina* ex literis de impedimento ligaminis edocta debitum petere non poterat; *cap. literas. 13. de restitut. spoliat.* & quia Capitaneus bonæ fidei possessionem non habebat, nec debitum reddere licebat, ad quod ne cogeretur, auffugere debebat.

(B) Capitaneus dolo facit, dum petit quod cum restituere oportet. Interim in foro externo pro se habet. *Cap. ex conquæstione 10. de restitut. spoliat.*

(C) *Ex cit. cap. ex conquæstione.* Uxor primùm restituenda est: verùm ex *cap. 1. de ordin. cognit.* prius, an prima Capitanei uxor viveret, examinandum erat. Quæ jura in speciem contraria concordantur in *cit. cap. literas. de restit. spoliat.* quod nempe *cap. ex conquestione.* de possessorio, & *cap. 1. de ordin. cognit.* de petitorio sit intelligendum.

(D) Si *Justina* paratas in continenti probationes offerre poterat, in domum viri, sed non ad Thorum aut debitum matrimoniale restituenda erat. *Cit. cap. litetas.*

(E) Quamvis *Justina* reverà in mora non sit, quia tamen præcedentem Capitanei uxorem adhuc vivere in continenti probare nequit, si mandato ordinarii parere, & ad virum redire renuit, excommunicanda erat: excommunicationis nihilominus sententiam, thori negando consortium, donec paratas offerat probationes, humiliter tolerare debebat. *Cit. cap. literas.*

(F) Nullum aliud *Justinæ* quàm fugæ suppetebat remedium, nisi tanta viri probaretur sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri; tunc enim non solùm non debet restitui, sed ab eo potius amoveri. *Cit. cap. literas.*

RE-

REGULA LXI.

Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

QUæres. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Quod alicui velut favor, gratia, & beneficium conceditur, non est sinistrâ eò trahendum interpretatione, ut in onus, incommodum cedat & detrimentum Ratio est: quia datum ad unum effectum, in contrarium retorqueri non debet: quod fieret, si gratiam & favorem in onus & odium cedere permitteretur.

Exempla sunt: *1mo.* Antiquitus annus novitiatûs tam in favorem Novitii quam monasterii fuit indultus: ideóque si quis de consensu Capituli in ordine non mendicantium ante novitiatûs complementum professionem emittebat, valida erat professio, ne illud, quod à Jure in favorem erat introductum, cederet in gravamen. *Cap. ad Apostolicam. 16. de Regular.* Modò completus Novitiatûs annus ad substantiam pertinet professionis, ut ex universali liquet Tridentini Sanctione. *2do.* In *Can. charitatem. 45. caus 12. q. 2.* statuitur, quod datus Ecclesiæ Oeconomus pro inventarii confectione nihil sibi tollere vel reservare debeat, ne favore Ecclesiæ introducta eidem damnosa sit inventarii confectio. *3tio.* Minor ætate in Spiritualibus pro majore habetur. *Cap. fin. de judic. in 6.* attamen si in beneficii renuntiatione minorem lædi contingat, ex beneficio ætate minoribus competente restitutionem in integrum petere potest, ne Juris ille favor, quod in Spiritualibus pro majore habeatur, in gravamen detorqueatur.

REGULA LXII.

Nullus ex consilio, dummodò fraudulentum non fuerit, obligatur.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus?

R. D. Schnurrenberg. in Reg. Jur.

℟. Qui bonâ fide consilium dedit; nec reparare damnum, nec sufferre de-

bet incommodum, quod ex consilio dato præter intentionem & per accidens est subsecutum. Ratio est: quia nemo acceptum obligatur sequi consilium, sed quilibet prudens, an obsequi consilio expediat, explorare & deliberare potest ac debet: ideóque si damnum ex secuto accepit consilio, illud voluntariè est passus, sibíque imputet, necessè est. Hæc autem notanda venit inter mandatum & consilium differentia: quod mandans per mandatum mandatario imponat obligationem, quapropter mandans mandatarium, si quod incommodum ex mandati incurrat executione, indemnem servare tenetur, cum non proprio, sed principalis nomine mandati fiat executio; at consulens minimè obligat consilio, sed ut dicitur *Can. quisquis. 3. caus. 14. q. 1.* ubi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi præceptum, necessitas est servientis.

Quæres *secundo.* In quibus casibus consultor ex consilio obligatur?

℟. Cum *Glossa in Regulam præsentem* distinguendo: aut consilium datur circa contractum vel quasi contractum, aut circa maleficium, vel quasi: *1mo.* Si circa contractum non fraudulentum datur consilium, consulens secundùm Regulam ex consilio non tenetur: *2do*, si consilium circa contractum fuerit fraudulentum, ei, cui consuluit, actione de dolo consultor obligatur. Exemplum est in L. *quod si, cum scires. 8. ff. de dolo mal.* ubi hic casus: Titius sciens Cajum non esse solvendo, cui ille summam 100 crediderat, mihi consulit, ut credam Cajo 100. in finem, ut Tirius hoc modo sortem creditam recipiat: Titius ob fraudulentum consilium mihi de doli tenetur actione. *3tio.* Si datur consilium ad maleficium vel quasi, tenetur consultor ex consilio non illi, cui consulit, cum huic injuriam non fecerit, etsi juxta Theologos contra charitatem scandalo directo graviter deliquerit, sed illi contra quem consuluit, non actione de dolo, sed nomine maleficii obligatur; nam si homicidium consuluit homicida, si vero fugam vel furtum consuluit, fur & servi corruptor esse non dubitatur.

Quæres *tertio.* Quæ Regulæ exceptio?

℟. Excipiuntur Assessores Judiciales, Consiliarii Principum, advocati, medici confessarii, qui ex imperito tenentur consilio; culpa enim lata dolo æquiparatur: qui autem officium suscipit aut administrat, aut profitetur artem, necessariâ non instructus scientiâ, culpam latam committere dignoscit.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

Illiana ancilla hero suo uxorem seniculam & querulosam habenti dat consilium, ut ei pultem Hispanicam præpararet, (A) à quo per confessa-

rium

rium deterritus exſpectare voluit, usque dum per mortem naturalem à malo liberaretur. Intereà cum *Kiliana* magis indies familiari herus peccat, quæ ſe concepiſſe advertens, magìs ac magìs eum incitat, ut uxorem occidat, vel ad minus non nimium confortantes medicinas præbeat. (B) hæc ſi non faceret, abituram ſe & commiſſum adulterium propalaturam minatur. (C) Herus ad conſilium confeſſarii, ut *Kilianam* placet, ſcripto promittit *1mo*, quod prolem ex adulterio ſecuturam alere, *2do* *Kilianam*, quamdiu vixerit uxor, velut conjugem tractare, *3tio* uxore mortuâ eam more honeſto in facie Eccleſiæ ducere velit. (C) *Kiliana* quia inconſtanti hero non fidebat, habito conſilio cum Juris conſulto petit *1mo*, ut herus prædicta tria juret: *2do*, de quolibet ſeparatim det manum ſuam, ut eò facilius ad omnium promiſſorum obſervantiam adigi poſſit, quæ facit herus. (E) Aſt mortuâ poſt medium annum uxore à prudentiori confeſſario inſtructus *Kilianam* ducere recuſat. (F) Quæ iterum convenit, & obtendit factam poſt mortem uxoris matrimonii promiſſionem quam per propriam heri manum probat, cujus datum mutaverat Notarius. (G) Herus *1mo* negat ſe unquam *Kiliana* matrimonium promiſiſſe, cum autem propriâ manu convinceretur, promiſſionem ante mortem uxoris factam confitetur. (H) At cum propriam allegando turpitudinem ſcedam ante mortem uxoris datam eſſe probare non poſſet, ut *Kilianam* ducat, vel ei mille imperiales ſolvat, condemnatur. (I)

RESOLUTIO.

(A) CONſilium datum eſt maleficium, quod ſi ſecutum fuiſſet, *Kiliana* maleficiatæ ad ſatisfactionem vel reſtitutionem obligata foret.

(B) Quia homicidium ſecutum non erat, impedimentum criminis necdum exſtabat, nec illud ex ſolo adulterio, conſpiratione effectum non habente, ortum habet. Si directè vel indirectè maritûs uxorem occidiſſet ex conſilio *Kiliana* herum ducendi intentione, jam ex hoc ſolo capite, præſcindendo ab adulterio, criminis fuiſſet impedimentum.

(C) Conſilium per tales minas factum fraudulentum fuit; ideóque per *Reg.* 62. de damnis ex eo hero ſecutis teneretur.

(D) Conſilium confeſſarii fraudulentum eſt, quia ex craſſa ignorantia datum ad reparationem damnorum inde obvenientium obligat. Ad *1mum* tenebatur herus: per *2dum* in proxima peccandi occaſione fovebatur: per *3tium* criminis incurrit impedimentum: quapropter promiſſio quoad duo extrema illicita erat & invalida.

(E) Conſilium Advocati non *Kilianæ* ſed heri reſpectu fraudulentum erat, inde conſiliarius Advocatus non illi ſed huic ad damna ſecuta obligabatur. Juramentum quoque utpote rei illicitæ valorem non obtinebat.

(F) Rectè eam ducere recusabat, quia matrimoniali conjunctioni criminis impedimentum obstabat.

(G) Notarius falsarius ad omnia damna hero ex crimine falsi accidentia in *Kiliana* defectu tenebatur.

(H) Exceptio heri, si eam probare potuisset, intentionem *Kiliana* exclusisset.

(I) Cum ergo ipsam probare nequeat, hinc servato Juris ordine justè condemnatur, & quia *Kilianam* sine dispensatione in impedimento criminis ducere non potest, dictatam mulctam solvere obligatur.

REGULA LXIII.

Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Reus actori ad actionem & intentionem ejus elidendam, exceptionem opponens, excipiendo actionem confiteri non censetur. In exemplo res clarior erit. Actor est, qui in Judicio aliquid petit, reus, à quo petitur. Actor petendo actionem instituit, reus excipiendo actionem elidit. Titius à Cajo rem suam velut actor repetit, Cajus excipit se rem illam habere titulo venditionis, donationis, aut permutationis &c. ex hoc tamen Titium actorem rei quæstionatæ dominium aliquando habuisse non confitetur: idcóque per exceptionem Caji Titius ab onere probandi se rei Dominum fuisse non liberatur. Iterum actor fundum à me titulo rei Judicatæ, titulo dispositionis Testamentariæ &c. exigit; ego Sententiam fuisse nullam, testamentum non subsistere excipio: ex hoc tamen latam esse Sententiam, existere Testamentum non confiteor: idcóque adversarius Sententiæ pronuntiationem & testamenti confectionem probare tenetur. Ratio Regulæ est: quia contra exceptionis foret naturam, ut per quam actoris intentionem elidere volo, illam confitendo corroborem; qua de causa tacitam habet conditionem, si actor suam intentionem ut dominium rei, quod vendicat, Sententiam latam, ex qua rem judicatam petit, testamentum conditum, ex quo hæreditatem postulat, probaverit, ego excipio, quod rem titulo venditionis habeam, quod sententia lata sit nulla, quod Testamentum prætensum sit ruptum.

Quæres *secundo*. Quæ ab hac Regula exceptio?

℟. Excipitur, nisi reus absolutè affirmaret. Ut in exemplo: accusatus sum

de

de commisso heri homicidio: Excipio, me Petrum quidem occidisse, sed defensionis gratiâ cum moderamine inculpatæ tutelæ. Actor à me petit debitum civile 100 imperial. mutuatorum: ego excipio, me quidem accepisse 100 imperiales, sed jam dudum mutuum solvisse: tali modo intentionem actoris confiteri, & confessionem exceptioni præmittere, ac consequenter actorem ab onere probandi commissum à me homicidium, me levasse mutuum centum imperialium censeor liberare. *Cap. præterea. 10. de transact.*

CASUS.

Udgerus Comes ultimus de familia Canonicus Metropolitanus in extremis constitutus testamentum condens Ecclesiam suam Metropolitanam in bonis mobilibus & immobilibus allodialibus ex asse scripsit hæredem, feudalia agnatis relinquens. (A) Post decennium agnati à Capitulo repetunt villam, eo quod inter feuda paterna numeraretur, & vasa argentea mensæ, domûs Successori relinqui solent. [B] Excipit Capitulum & villam & vasa se titulo dispositionis testamentariæ possidere, nec agnatis jus ad prædicta competere (C) Agnatis ad tribunal Imperiale Wetzlari confugientibus Capitulum opponit exceptionem fori incompetentis. (D) Fundatâ fori competentiâ ratione vasorum argenteorum excipit se ea jam præscripsisse, cum per decennium ipsa sine contradictione possedisset. (E) Durante processu Capitulum documenta domus, quæ apud agnatos erant, sibi exhiberi petebant, quod negârunt agnati, cum contra se probationes adducere non tenerentur. (F) Coacti tamen à judice ipsa exhibuerunt, ex quibus patuit villam quæstionatam inter allodialia numerari: (G) unde à Judice in expensas condemnati eas Capitulo solvere recusârunt, excipientes se bona fide processisse, ideoque expensas compensandas esse. (H)

RESOLUTIO.

(A) TEstamentum Comitis ad piam causam factum sine dubio in utroque fore valorem obtinet. *Arg. cap. cum dilectus. 3. de succes. ab intest.* In tantùm enim testamentum ad causam piam privilegiatum est, ut manu testatoris scriptum, qualitercunque ultima ejus voluntas appareat, etiam sine ullo teste, qui in eo non sunt de solemnitate substantiali, sed solum probatoria, executioni mandari debeat.

(B) Gravis est quæstio, an feudum paternum sine consensu agnatorum præsertim ad causam piam invalidè alienetur, accedente Domini directi voluntate; siquidem Ecclesias aliásque loca pia feudorum capacia esse liquet ex *cap. ex transmissa.* & *cap. rerum de*

foro competent. Feuda autem familiaria extinctâ familia pro cujus conservatione & decore sunt instituta, in Vasallo jus proprietatis fundare videntur, ita ut domino consentiente ea alienandi liberam habeat potestatem. De vasis argenteis certum est, quod licitè & validè in Ecclesiam sint translata; non enim domui materialiter sumptæ, sive lignis & lapidibus, sed familiæ domûs similia pretiosa conservari solent; cum ergo *Ludgerus* eorum proprietatem haberet, & in ipso familia deficeret, cuicunque lubebat, illa dare licebat.

(C) In vim Regulæ, & *cap. venerabilis. 6. de except.* Capitulum possessionem objiciens non intelligitur fuisse confessum, quod dominium ad agnatos pertineat, vel pertinere possit.

(D) Quanquam Vasallus coram domino feudi conveniendus sit, *cap. caeterum. 5. de foro compet.* Si tamen actio feudalis cum repetitione vasorum argenteorum conjungebatur, justè Capitulum exceptionem fori in competentis opposuit, cum hîc utile per inutile vitiaretur.

(E) Res mobiles spatio triennii cum Titulo præscribuntur. §. *Jure civili institut. de usu cap.* Capitulum præscriptionis exceptionem opponendo dominium ad agnatos pertinuisse non confitebatur. *Gloss. in Regul. V. exceptionem.*

(F) Rectè instrumentorum editionem petit Capitulum, cum illa Successoribus tam in allodialibus, quàm in feudalibus communia esse debeant. *Arg. cap. contingit. 5. cap. perpetuus. 12. de fide instrum.* Per exceptionem, quod instrumenta contra se producere non teneantur, agnati intentionem Capituli confiteri videntur; cum enim ex fide documentorum litis penderet decisio, agnati documenta sibi contraria esse fatentes, ea Capitulo favere, & consequenter pro ipso justitiam fundare agnoscebant.

(G) Judex agnatos ad instrumentorum editionem justè coegit. *Cap. accepimus. 4. cit. cap. perpetuus. 12. de fide instrum.* Nisi enim ad partis instantiam Judex instrumenta communia apud adversarium existentia, produci imperet, licitè ab eo appellatur. *Cit. cap. perpetuus.*

(H) Rectè in expensas agnati condemnantur, nec bonæ fidei exceptio suffragatur: cum ignorantia probabilis allegari non possit. Licet enim probabilis & justa facti alieni ignorantia in foro externo excusaret, *per L. in omni. ff. de jur. & fact. ignorant.* Agnati tamen instrumenta aliena per successionem fecerunt sua; sicut ergo proprii facti ignorantia non excusat, *cap. ab excommunicato. 41. de rescript.* Sic quoque propriorum documentorum tenorem nemo probabiliter ignorare præsumitur,

REGULA LXIV.

Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.

QUres *primo*. Quot modis actus contra jus esse potest?

℟. Modis duobus: vel est contra jus simpliciter prohibens, vel est contra jus irritans, quod tunc est, quando irritans additur clausula, aut indicatur, quod nullus futurus sit actus, aut actibus forma substantialis inducitur. Magna est inter hos modos, inter prohibere & irritare differentia: nam prohibere actum, est obligare, ne fiat: irritare est, voluntatem ad faciendum actum reddere inefficacem.

Quæres *secundo*. Quis Regulæ sensus?

℟. Quæ sunt contra legem vel Canonem irritantem, ipso jure sunt invalida, & pro infectis habentur. Ita matrimonium ex metu, vel aliter quàm coram proprio contrahentium Parocho & duobus testibus celebratum, irritum est: Professio religiosa ante 16. ætatis & completum probationis annum est invalida: electio contra formam *cap. quia propter. 42. de elect.* instituta, alienatio rei immobilis ad Ecclesiam pertinentis absque Capituli consensu attentata omni caret roboris firmitate.

Quæres *tertio*. Quæ Regulæ limitatio?

℟. Quæ sunt tolùm contra legem simpliciter prohibentem, illicita quidem, valida tamen sunt. Ratio est: quia multa prohibentur, quæ si facta fuerint, valorem obtinent. *Cap. ad Apostolicam. 16. de Regular. cap. ex literis. 2. de matrim. contract. contra interd. Eccles.* Hinc matrimonium absque præviis proclamationibus, aut contra prohibitionem Episcopi, vel cum voto continentiæ, aut cum sponsalibus cum alia persona antea initis Contractum subsistit quidem, sed est illicitum; Baptismus à fœmina extra necessitatem collatus, Ordinatio Clerici aut Ecclesiæ consecratio ab alieno facta Episcopo, testimonium judiciale excommunicati, quamvis contra jus acta sint, ea valere tamen affirmamus.

RE-

REGULA LXV.

In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis.

QUæres *primo.* Quis hujus Regulæ sensus?

℣. Quando duorum in delictis, debitis & contractibus causa est æqualis, melior est conditio possidentis: adeó ut alteri non possidenti præferatur. Ratio est: quia duo Tituli potiores sunt & uni prævalent, possidens autem duos habet titulos, unum dubium, an res ad se pertineat, & in hoc adversario suo non possidenti est æqualis: alterum in juris fundatum præsumptione: jus enim in dubio favet possidenti; quo titulo caret adversarius, ideoque possidenti postponendus.

Quæres *secundo.* Quæ Regulæ Exempla?

℣. Sequentia: 1*mum.* est in *Can. non sanè 15. caus. 14. q. 5.* ubi quidam corruperat Judicem, ut iniquam ferret sententiam, qui postea pecuniam à corrupto Judice repetiit, utique velut ob causam turpem datam; sed respondetur Judicem ad reddendam corruptionem non obligari; quia in pari delicto melior est conditio possidentis.

2*dum* in *cap. quia frustra. 14. de usur.* Usurarius usuras à se suis creditoribus datas repetiit: sed respondetur usurarium prius obligari perceptas restituere usuras, quàm repetere à se datas: quia in pari delicto melior est conditio possidentis

3*tium.* in *cap. si à Sede. de prabend. in 6.* ubi duo simul & eodem tempore, unus à Papa, alter à Collatore Ordinario idem impetraverant beneficium: & resolvitur: si non appareat, quæ collatio fuerit primò facta, est potior conditio possidentis: si verò neuter possideat, is cui Sedes Apostolica, vel Papa contulit, propter conferentis ampliorem prærogativam est alteri præferendus.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

LIdvvina promisso Titio 12. annorum Juveni matrimonio (A) contrahit prætermissis proclamationibus, tempore interdicto, stante prohibitione Ordinarii, (B) coram quo super alia promissione conventa, præsentibus testibus

stibus, puèro 8. annorum ac muliere semifatuâ, ac putatitio pastore, excommunicato, hæretico, de quo fundatè dubitabatur, an esset Sacerdos (C) cum Cajo fratre uterino Titii, qui novercam *Lydvvinæ* ante cognoverat, (D) Titius, antequam matrimonium cum Cajo consummaret, implorat Ordinarium, qui *Lydvvinam* à Cajo separat. (E) Sed cum causa ab utraque parte esset dubia, judicat pro matrimonio, ex Regula: *in pari causa potior est conditio possidentis.* (F)

RESOLUTIO.

(A) SPonsalia cum impubere contracta valida, sed infirma erant.

(B) Ideo contrahendo; antequam Titius pubertatis annos attigerit, prætermissis proclamationibus, tempore interdicto, agit contra Jus, quia tamen non agit contra Jus irritans, sed solùm simpliciter prohibens, non est invalidum ex hoc Capite matrimonium.

(C) Ad essentialem matrimonii solemnitatem quicunque testes rationis compotes sufficiunt. Si errore communi putabatur parochus, validè assistebat, Ecclesiâ propter communem errorem cum titulo colorato defectum supplente, dummodò aliàs capax esset. Nec ut Jurisdictionis parochialis quis capax sit, Sacerdotium requiritur, sed sufficit clericatus. Unde si Clericus communi errore putetur Parochus, non vitiatur contractus.

(D) Ex sponsalibus cum impubere contractis publicæ honestatis oritur impedimentum. Hinc nullum erat ex hoc capite matrimonium, quamvis Cajus Novercam *Lydvvinæ* cognoscendo affinitatem cum *Lydvvina* non contraxerit, cum noverca *Lydvvinæ* non esset consanguinea.

(E) Ordinarius Cajum, si de impedimento non constabat, post contractum matrimonium à *Lydvvina* separare nequibat.

(F) In dubio tamen benè per *Reg.* 65. pro matrimonio judicavit.

REGULA LXVI.

Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.

QUæres *primò*, Quis hujus Regulæ sensus?

R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.

R. Quoties in lege, contractu, testamento, aliáve in favorem alicujus

factâ dispositione apposita est per eum adimplenda conditio, & is, cui apposita est, eorum, quæ ad implectionem pertinent, nihil intermittit, perindè haberi debet, ac si conditio adimpleta fuisset. Ratio est: quia cum ad impossibile nemo teneatur, dispositionis author non aliter quàm si conditionem implere possem me obligare voluisse censendus est. Exemplum habemus in L. *fin. C. de condition. insertis.* Titius in testamenro disposuit, ut Servus, si hæredi scripto duodecim scuta offerret, post mortem Domini libertatem consequeretur; dum scuta obtulit, quamvis ea hæres acceptare noluerit, liber efficitur, ac si hæres acceptasset.

Quæres *secundo*. Quæ sunt Regulæ limitationes?

℟. 1*mo*. Non tenet Regula, si conditio adjecta formam inducat, quod tunc est, quando constat, vel rationabilis est præsumptio disponentis voluntatem conditionis eventui ita fuisse alligatam, ut ex quacunque demum causa illa non eveniat, dispositionem non valere, & indultum favorem competere non voluerit.

2*do*. Præsenti Regulæ potissimum locus est in conditione potestativa, hoc est tali, quæ à voluntate ejus, cui apponitur, dependet; non autem tenet Regula in conditione casuali, vel eventuali, cujus eventus à casu pendet, aut mixta, quæ partim à voluntate illius, cui apposita est, partim aliunde dependet. Ut: quis Titio legavit 100. Imperiales, si testatoris filiam ducat, quod si hanc præmortuam non duxerit, legatum amittit, etsi per eum non steterit, quominus conditio adimpleretur. L. *Legatum. 4. C. de condition. insertis.*

REGULA LXVII.

Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Quæ licitè non fiunt nomine & voluntate propriâ, nec licitè fiunt nomine & voluntate alienâ, nisi ratio prohibitionis proprio duntaxat nomine agenti obsistat. Ratio est: quia in omni negotio pro se & rebus ad se pertinentibus faciliùs quis, quam pro aliis admittitur. *Can. prohibentur. 14. §. hi tamen. caus. 2. q. 1.* qui ergo pro se agere prohibetur, multò magis ab actione pro aliis repellitur. Exempla sunt: Non solùm in iis, qui Juri naturali & divino repugnant, ut sunt furta, usuræ, perjuria &c. sed etiam in iis, quæ humano Jure prohibentur, alieno nomine agere non licet. Sic simplex Sacerdos

nec

nec ſuo nec alieno nomine Sacrum chryſma conficere, confirmare, Ordines conferre, Eccleſias benedicere poteſt; Excommunicatus nec ſuo nec alieno nomine agens in Judicio admittitur. *Cap. intelleximus. 7. de Judic. cap. à nobis. 2. de except. cap. poſt ceſſionem. 7. de probat.*

Quæres *ſecundò*. Quæ Regulæ limitatio?

℟. In actibus prohibitis, quando ratio prohibendi ſuo ſolùm nomine agenti obſtat Regula non procedit. Exempla ſunt: cum conſanguinea vel affine proprio nomine matrimonium contrahere non licet. *Cap. non debet 8. de conſanguinit. &c.* alieno tamen nomine veluti Procurator conſanguineus cum conſanguinea contrahere poteſt. *Cap. ex parte. 14. de reſtitut. Spoliat.* Epiſcopus ſubditis non ſuis vel in aliena Diœceſi Ordines nomine proprio conferre prohibetur, attamen nomine Diœceſani alterius tam proprios quam alienos ordinandi habet licentiam. Demum delegatus, qui ſuo nomine cauſam cognoſcere, & in ea pronuntiare nequit, illam alieno nempe delegantis nomine licitè judicabit.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

Monica Abbatiſſa Sæcularis in Feſto S. Quirini Patroni principalis ob infirmitatem divinis officiis non interfuit, hinc Capitulum eidem 10. maldera tritici, Abbatiſſæ, ſi utrisque interſit Veſperis, dari ſolita præſtare detrectat. (A) Dum lis, quam cum Capitulo ſuper Jure patronatûs habebat, ultra annum protraheretur, Epiſcopus paſtoratum contulit. (B) Fecit teſtamentum, in quo ſingulis Canonisſis, ſi ad ſepulchrum ejusdem Pſalm. *De profundis* orarent, in anniverſaria mortis die, duos florenos aureos legavit, quod aliquot annis propter bellum reſidere impeditæ non fecerunt. (C) In eodem teſtamento 100. Imperiales Eccleſiæ legaverat, ſi corpus ibidem, ut petierat, tumularetur, ſed Executores teſtamenti in Eccleſia Collegiata, ubi viliori pretio ſepeliri poterat, eam ſepeliendam cenſuerunt. (D) Aliam difficultatem Abbatiſſæ Advocatus contra Capitulum faciebat, cui Abbatiſſa 200. imperiales promiſerat, ſi intra biennium cauſam, quam cum Capitulo habebat, evinceret, quod Abbatiſſæ Executores ſolvere renuebant, quia *Monica* primo anno cum Capitulo tranſegiſſet. (E) Titius Laicus Capituli Syndicus opponit, quod *Monica* tranſactionem quidem cum Capitulo fecerit, illam tamen non ſervaſſet: (F) ideo teneretur ad expenſas frivolè cauſatas, impediendo per ſuum mandatarium, ne præſentatio à Capitulo facta admitteretur.

RESOLUTIO.

(A) UT locus sit Regulæ 66 ex qua *Monica* 10. mald. tritici petit, probare debet, quod infirmitatis causâ in Festo S. Quirini divinis non interfuerit.

(B) Patronis inter se litigantibus Ordinarius vacantem rectè confert Ecclesiam, si nempe Laici intra quadrimestre, & Ecclesiastici patroni intra semestre præsentare differant, qui pro illa vice, quamvis impediti, carent præsentatione. *Cap. cum propter. 27. de jurepatr.* Hæc exceptio *à Regula* nostra in favorem animarum constituitur, ne videlicet Ecclesiæ plus debitò maneant viduatæ Rectoribus, quod in ipsarum grave dispendium noscitur redundare.

(C) Quanquam Canonissæ orationem Psalm. *De profundis* ad sepulchrum facere non potuerint, cuilibet tamen earum florenus aureus debetur annuatim per *Reg.* 66.

(D) Ecclesiæ, in qua ab Abbatissa electa sepultura, legatum debetur, licet in illa sepulta non fuerit: quia per Ecclesiam non stetit, quod ibidem non sepeliretur.

(E) Advocato conventum injustè negatur salarium; per eum enim non stetit, quominus litem intra biennium evinceret. L. *qui operas. 38. ff. locat. conduct.*

(F) Etsi Laicus in causa Ecclesiastica nomine proprio agere non valeat, nomine tamen Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ, ut Syndicus, Procurator &c. agere non prohibetur: ac ita est exceptio à *Reg.* 67.

(G) Abbatissæ mandatarius sicut præsentatum à Capitulo frivolè impedire nequibat nomine proprio, sic nec ei licebat ponere impedimentum injustum nomine alieno.

REGULA LXVIII.

Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus?

Rz. Qui actum, contractum, aut aliud negotium sive Judiciale sive extrajudiciale validè & licitè per seipsum facere potest, illud quoque rectè facit per alium. Talia sunt in Judicio litigare, causam Judicialem cognoscere, matrimonium cum determinata persona contrahere, Juramentum fidei facere & acceptare. &c. Ratio est: quia cum homo aliis negotiis distractus & impedimentis

mentis sæpius aliquid per seipsum exercere non valeat, necessè est, ut per alium faciendi habeat facultatem. Quod ergo per alium factum fuerit, perinde accipiendum est, ac si per seipsum factum fuisset, inquit *Reg.* 72.

Quæres *secundo.* Quæ hujus Regulæ exceptiones?

℟. Varias præsens Regula patitur limitationes. Sic *1mo.* Non tenet, si ad negotium specialiter electa fuerit certæ personæ industria. *Arg. cap. fin. de offic. deleg.* Quando videlicet res ardua & præjudiciosa intuitu fidei, discretionis vel experientiæ alicui specialiter demandatur. Sic committi solet specialis in certam personam inquisitio, Ecclesiæ vacantis de Prælato provisio, matrimonii cum persona nominata Contractus, & qui tanquam Procurator ad matrimonium contrahendum electus est, non potest deputare alium, nisi hoc eidem specialiter sit commissum. *Cap. fin. de Procurator. in 6.*

2do. Non tenet, si nudum ministerium, vel mera commissa sit executio, ut Titio committitur, ut ab excommunicatione absolvat, pœnitentiam injungat, in irregularitate dispenset, &c. in quibus casibus commissum sibi ministerium per alium conficere nequit. *3tio.* Non tenet in tutoribus & curatoribus; hi enim, antequam lis in causa fuerit contestata, Procuratorem in rem rem pupilli vel minoris dare non possunt. *L. neque tutores. 11. C. de Procurator. 4to.* Excipitur generaliter negotium, quod vel ex sua natura, aut institutione vel statuto superioris aut testatoris voluntate, consuetudine vel mutuâ conventione per propriâ gerendum est personam: ut sunt susceptio pœnitentiæ. *Can. quem pœnitet. 88. de pœnit. dist. 1.* Sacramentorum, matrimonio excepto, susceptio. Episcoporum, Parochorum, Canonicorum residentia. *Cap. quia nonnulli. cap. cum. ad hoc. 16. de Cleric. non resident. Trid. Sess. 24. de reform cap. 12.*

Quæres *tertio.* An sicut, quod quis per se facere potest, etiam per alium facere potest, ita quoque quod per alium, etiam per se ipsum facere possit?

℟. Regulariter loquendo id verum est, & ex præcedenti sequitur Regula, Casus tamen excipiuntur sequentes: *1mo.* Prælatus Ecclesiasticus territorialem obtinens jurisdictionem malefactores per substitutum Prætorem vel satrapam suum ad mortem condemnare potest, quod tamen per se ipsum facere prohibetur. *Cap. fin. ne Clerici vel Monachi. in. 6. 2do* Pupilli, mente capti, prodigi non per se ipsos, sed per Procuratorem litigare valent. Colligitur ex *cap. pastoralis. 14. de Judic. 3tio.* Excommunicatus, quantumvis convenirì possit, per alium tamen in Judicio respondere debet. *Cap. intelleximus, 7. de Judic.*

REGULA LXIX.

In malis promissis fidem non expetit servari.

QUæres *primo*. Quot modis malè promissum esse potest?

℟. Duobus. *1mo*: quia de re turpi, inhonesta, & lege prohibita facta est promissio. *2do*. Quia promissio est quidem de re licita, attamen per vim, metum & minas promissarii extorta, aut in ea juris forma non observata: unde duplex est hujus Regulæ intellectus.

Quæres *secundo*. Quis primus hujus Regulæ intellectus?

℟. Promissio de re mala, illicita, & quacunque lege prohibita obligandi non habet virtutem: quia quod justè & honestè fieri nequit, homini censetur non possibile. *Can. faciat. 15. caus. 22. q. 2.*

Quæres *tertio*. Quis secundus Regulæ intellectus?

℟. Promissio metu, dolo, alióve pravo modo obtenta, non expedit, ut servetur, sed penitus rescindatur; hæc etenim promissio per exceptionem aut alium modum est rescindenda, cum id expediat promittenti, qui taliter promittendo est læsus: expediat promissario, qui lucrum ex delicto sperat: expediat Reipublicæ, cum publico interest, ne malitiosi homines per injurias, violentias ac dolosas pactiones lucrum capiendi exquirant occasiones. Quod si tamen tali promissioni adjectum sit juramentum, idipsum servandum est. *Arg. cap. debitores. 6. de Jurejur.* nisi juramenti impetrata sit relaxatio. *Cap. 1. de Jurejur.* Omne enim juramentum, quod non vergit in salutis dispendium, nec in 3tii præjudicium est servandum. *Cap. cum contingat. 28. de Jurejur.*

CASUS.

Ad utramque Regulam.

Natolia Virgo Regia à Patre ad nuptias cum Rege hæretico ineundas destinatur. Quas ut impediat *Natolia*, mittit Ancillam honorariam ad Comitem Formosum ei offerendo matrimonium (A) insciis Parentibus contrahendum. (B) Ancilla cum alloquium Comitis habere non posset, Aulæ Præfecto voluntatem suæ Dominæ indicat cum literis hujus tenoris: *De facultatem*

tem Ancillæ meæ, ut cum Comite Formoſo ſponſalia jurata contrahat. Comes remittit Aulæ Præfectum ad Ancillam cum mandato, ut eidem renuntiet: *Meus Comes tibi nomine tuæ Principalis matrimonium jurato promittit, & à te nomine tuæ Dominæ promiſſum acceptat.* (C) Poſt aliquot dies cum matrimonium coram Parocho contrahendi non haberent occaſionem, *Natolia* ſuæ Ancillæ & Comes famulo dat commiſſionem, ut euntes ad Parochum ſe tertiò proclamari petant, quaſi famulus cum Ancilla matrimonium iturus eſſet. (D) Die autem ſtatuto convenientes in Eccleſia, ordinariæ formulæ: *Ego te duco in meum*, addunt gallicè: *nomine mei Principalis*, quod unus ſolùm teſtis linguam gallicam callens advertit. (E) Matrimonio invalido declarato dubitavit *Natolia*, an ad minùs ſponſalibus obligaretur. (F) *1mo.* Quia erant de re illicita, matrimonio nempe inſciis Parentibus contrahendo. G) *2do.* Quia non fuerunt libera, cum *Natolia* ex timore juſto, ne à Parentibus ad nuptias cum hæretico celebrandas cogeretur, Comiti matrimonium promiſerit. (H)

RESOLUTIO.

(A) MAtrimonium (idem eſt de ſponſalibus) per Procuratorem contrahi poſſe, conſtat ex *cap. fin. de Procurator. in 6.* ubi ſpecialiter tria requiruntur. *1mò.* Procurator ad contrahendum matrimonium ſpeciale mandatum cum certa & determinata perſona contrahendi habere debet. *2dò* Absque ſpeciali licentia aut commiſſione alium ſuſtituere nequit. *3tiò.* Si Procurator antequam contraxerit à domino fuerit revocatus, contractum poſtmodum matrimonium ab eodem, licet tam ipſe, quàm ea, cum qua contraxit, revocationem penitus ignorent, nullius momenti exiſtit, cum illius conſenſus deficiat, ſine quo infirmitatem habere nequit.

(B) Filios in electione ſtatûs conſilium à Parentibus capere oportet, quod ſi tamen eos conſultos reſtituros; ſtatumque eligendum irrationabiliter impedituros prudenter judicare poſſunt, eos conſulere non obligantur, & hoc erat in præſenti.

(C) Sponſalia per mandatarios & Procuratores ab utraque parte contracta valida fuerunt, cum *Natolia* pediſſequa Aulæ Præfectum non ſubſtituerit, ſed ſolùm per eundem Comiti Formoſo mandatum Dominæ ſuæ inſinuaverit.

(D) Juxta præſcriptum proclamandi ſunt illi, qui matrimonium nomine proprio celebrare intendunt. Nec Procuratores proclamari ſufficit, ut ex fine legis innoteſcit.

(E) Matrimonium per Procuratores taliter contractum nullum erat; non enim valebat nomine proprio, cum intentionem nomine proprio contrahendi non haberent: nec valebat nomine Principalium; quia Parochus & teſtes, qui eos nomine proprio contrahere arbitrantur

bitrantur, testari non possunt Principales per Procuratores contraxisse, consequenter erat clandestinum, invalidatum à *Trident.* matrimonium.

(F) Sponsalibus, ut ante dictum, validis procul dubio obligabatur.

(G) Quando illicitum propter modum, qui objectum promissionis non intrat, promittitur matrimonium, promissio tenet, ut est in præsenti, dum verò circumstantia, propter quam matrimonium est illicitum, sub promissionis cadit objectum, promissio non dubitatur esse invalida, per Regul. 69. quod hîc non erat.

(H) Quantumvis *Natolia* ex metu gravi, ne cum Rege hæretico nuptias celebrare injustè cogeretur, Comiti Formoso matrimonium promiserit, ille tamen ad extorquendum cum Comite matrimonium incussus non erat, ideoque invaliditatem illius haud operabatur.

REGULA LXX.

In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri.

QUæres *primo.* Quid est alternativa dispositio?

℟. Dispositio alternativa est quando quid sub disjunctione per particulas: *vel*, *aut*, præcipitur, vel ordinatur. Exempla sunt in alternativa personarum: lego Titio, vel Cajo. *L cum quidam. 4. C. de verbor. & rer. significat.* in alternativa rerum: Vendo tibi meum equum vel nigrum vel album: in alternativa locorum: pecuniam mihi mutuatam reddam tibi post annum vel Coloniæ vel Francofurti: in alternativa temporum: Merces coemptas tradam vel 1mâ Januarii, vel 1mâ Februarii.

Quæres *secundo.* An particulæ istæ disjunctivæ semper sumantur disjunctivè.

℟. *Negativè.* Quia propositio disjunctiva sæpius copulativè est sumenda, quando scilicet scopus disponentis, iniquitas, vel alterius incommodi vitandi necessitas copulativam suadet interpretationem, ut in sequentibus exemplis: 1*mò.* In alternativa personarum. Sit meus hæres Titius vel Cajus. Dono aut lego Sempronio vel Cajo. Sit tutor filii relicti Petrus vel Paulus; præpositio *vel* pro & sumitur, ut alternativa in copulativam resolvatur. *Cit.* L. *cum quidam. 4. Cod. de verbor. & rer. signif.* 2*dò.* Quando alternativa per particu-

particulam *seu* concipitur, potius copulativa, quam disjunctiva censenda est præpositio, maximè in rebus favorabilibus, quæ latam suscipiunt interpretationem. *Cap. inter cæteras. 4 De rescript. 3tio.* Quando alternativa inter genus & speciem, partem & totum ponitur, copulativæ æquivalet particulæ: ut: facimus pactum vel translationem; dedi aut donavi tibi fundum. L. *sæpe. §3. ff. de v. s.*

Quæres *tertio.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. In dispositionibus alternativis sufficit, si unum, idque debitoris eligendum arbitrio fiat, aut præstetur. Ratio est; quia uno præstito propositio disjunctiva verificata, & dispositioni satisfactum est. In favorem autem debitoris, hoc est illius, qui ex dispositione aliquid facere obligatur, adjecta centetur alternativa, & quamvis electione nondum factâ debitor decedat, ad hæredes transit eligendi facultas.

Quæres *quarto.* Quæ hujus Regulæ exceptiones?

℟. Regula non tenet *1mo* in gratiis & beneficiis à Principe alternativè concessis, in quibus electio potius penes recipientem, quam concedentem est; beneficia enim Principum plenissimam recipiunt interpretationem. *Cap. cum dilecti. 6. de donation. 2do* in legatis. Quia si verba legati aut ultimæ voluntatis executionem respicientia ad hæredem sint directa, ut: hæres dabit centum, vel illum cedet fundum, hæredi qui legati debitor est, competit electio: si verò alternativa referatur ad legatarium, ut: Titius centum vel fundum accipiat, Legatarii est electio. L. *planè. 34. ff. de legat.* quia Testator eum, ad quem verba direxit, prætulisse censetur. *3tio.* In electivis remediorum actionum Judicialium electio competit creditori, sive ei, cui duæ alternativæ conceduntur actiones. *L. rescriptum. 10. ff. de pact. 4to.* In alternativa pœnarum non ad delinquentem, sed ad Judicem tanquam legis executorem pertinet electio: nisi alternativa legis pœnalis verba non ad Judicem, sed ad reum dirigerentur, ut: reus talis criminis vel mille pendat, vel urbe excedat, electio est penes delinquentem. *5to.* In alternativa locorum: solvet Coloniæ vel Francofurti: si debitor ultrò ante petitionem creditoris solvit, optio est debitoris. L. *non utique. 3. ff. de eo, quod certo loco &c.* Si verò debitor non præveniat, penes creditorem est electio. *6to.* In alternativis personarum, inter quas ordinis vel affectionis est prærogativa, ordo, quo in testamento positi sunt, observandus est, ut: in majoratu filius aut nepos, filius aut filia natu major succedat.

CASUS.

Odilia duobus fratribus promisit, quod vel Titium vel Cajum ducere velit. (A) Mortuo Cajo promissi solutionem urget Titius, cui se obligari negat

negat *Odilia*, eò quod matrimonium sub disjunctione promiserit. (B) Interea à Sempronio seducitur *Odilia* per promissionem, quod eam vel ducere vel mille imperiales dare velit, si corporis copiam fecerit. Sempronius, postquam *Odilia* prolem enixa, ipsam ducere recusat, sed mille imperiales numerari facit: (C) attamen in testamento legat *Odiliæ* vel ejus proli ter mille imperiales ex Banco Dusselano vel Ambstelamensi solvendos. (D) Defuncto Sempronio hæres ejusdem ex Banco Dusselano vult solvere legatum. Consentit *Odilia*, si pecunia in aurea vel argentea grossa moneta numeraretur. (E) Receptâ pecuniâ Testamentum condit *Odilia*, in quo filiæ suæ tutorem vel avum paternum vel maternum constituit. (F) at si proles sine liberis, vel intestata post illam decederet, substituit Pastorem ad S. Andream, (G) apud quem velut unicum tuum amicum totam substantiam, ut plurimum in paratis pecuniis consistentem deponit restituendam vel sibi vel post mortem hæredi. (H) Mortuâ *Odilia* unica filia monasterium ingreditur, ac in novitiatu periculosè infirmæ Testamentum facit, in quo hæredem instituit vel Ecclesiam vel infirmitorium, quod distinctos ab Ecclesia reditus ex consuetudine obtinebat. (I)

RESOLUTIO.

(A) NOn sunt vera sponsalia: hæc enim cum determinata ineunda sunt persona.

(B) Titium ducere tenetur, licet ante mortem Caji, ex præsenti *Regula*, electionem haberet. Simile est in *L. non utique. 3. ff. de eo, quod certo loc. dari oport.*

(C) Ex Regula nostra est in electione Sempronii vel *Odiliam* ducere, vel ei summam solvere promissam.

(D) Servandus est ordo scripturæ per L. *cum pater. 77. §. 32. ff. 2. de legat.* Simile est in *Cap. mandato. 10. de præbend. in 6.* Melius dicitur utrique legatum esse solvendum. L. *cum quidam. 4. C. de Verb. & rer. significat.*

(E) Ante petitionem hæres locum, quem volebat, assignare poterat, sed ante solutionem creditor, ubi volebat, legati solutionem petere valebat. *cit. l. non utique.* Ubi hæc Regula pro locorum ponitur alternativa. In electione tamen debitoris est, an in aurea vel argentea moneta solvere velit, per *Reg. 70.*

(F) Uterque tutor esse debet; particula enim disjunctiva in similibus disjunctionibus pro copulativa sumitur. *Cit. L. cum quidam.*

(G) Iterum disjunctiva pro copulativa sumenda est, si nimirum filia & sine liberis & intestata decedat. L. *Generaliter. 6 C. de institut. & substitut.*

(H) Est in electione deponentis repetere depositum. Quod si non repetat, hæredi est restituendum. L. *donationes. 31. §. ejusmodi ff. de donat.*

(I) Et Ecclesia & infirmaria succedunt. *Cit. L. cum quidam.* R E-

REGULA LXXI.

Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus ?

℟. Cui in Jure pro re adipiscenda competit actio, illi multò magis, quâ alterius pro eadem re agentis actionem excludat, competit exceptio. Ratio est: quia agere est reum impugnare, & ab alio in Judicio aliquid petere, excipere verò est se defendere contra impugnantem, ejus actionem excludendo; rei autem se defendentis favorabilior est conditio, quàm actoris impugnantis: ideóque plus est agere, quàm excipere, & sæpe, cui negatur actio, conceditur exceptio. *Cap. cum inter. 5. de except.* ei autem, cui plus licet etiam quod minùs est, licere in *Reg. 53.* supra explicavimus.

Quæres *secundo*. Quæ sunt Regulæ exempla ?

℟. *Regula* in sequentibus exemplificatur casibus. *1mus*. Titius contra Cajum per possessionem vicennalem agrum præscripsit, Cajus post 20. annorum absentiam reversus Titium ex agro ejicit: Titius ejectus agit interdicto *unde vi* ad recuperandam possessionem, si autem Cajus in Judicio præscriptum repeteret agrum, Titius præscriptionis exceptione se tueretur. *Can. placuit. 8. caus. 16. q. 3. L. si quis. 8. C. de præscript. 30. vel. 40. annorum.*

2dus. Titius à Cajo prædium ad 30. annos conduxit, Cajus conductorem è prædio expellit; Titius conductor utilem habet rei vindicationem: & ideo etiam, si possessio impugnaretur, conducti prædii haberet exceptionem. *Cit. L. si quis.*

3tius. Titius in testamento hæredem scripsit Cajum, præterito filio Sempronio, hic Cajum hæredem scriptum impugnat inofficiosi querela testamenti: & ideo si Sempronius à Cajo ad extradendam paternam hæreditatem urgeretur, huic competit exceptio. *L. Papinianus. 8. §. Si filius. ff. de inofficios. testam.*

4tus. Caji uxor commisit adulterium, maritus sicut licitè agit ad divortium, *Cap. ex literis. 5. de divort.* ita eandem Cajam post notorium adulterium ad se revertentem exceptione adulterii justè repellit. *Cap. significasti. 4. de divort.*

Quæres *tertio*. Quæ Regulæ exceptiones ?

℟. Hæc *Regula* vim non obtinet, quando actio & exceptio in diversa tendunt, & Jura specialiter negant ex-

ceptionem, ut fit in casibus sequentibus :

1mus. Titius apud Cajum 100. deposuit imperiales, cui etiam 100. debet: Cajus adversus Titium deponentem debiti habet actionem, attamen si Titius depositos 100. imperiales in Judicio repetat, Cajus compensationis exceptione sese defendere nequit. *Cap. bona fides. 2. de deposit.* L. *si quis.* 11. C. *depositi.*

2dus. Cajus ex domûs possessione vi est ejectus, ideóque restitutionem in Judicio petit: hic exceptione dominii repelli non potest, quamvis postquam restitutus, à Domino rei vindicatione in Judicio valeat conveniri. *Cap. in literis. 5. de restitut. Spoliator.*

3tius. Cajus agri conductor, si cum locatore super agri proprietate litigare velit, locatori agrum prius restituere debet, & tunc actionem habet, etsi ante restitutionem contra locatorem rem suam repetentem non obtineat exceptionem. L. *si quis. 25. de locat. & conduct.*

4tus. Petrus à Paulo mutuavit 100. cum Juramento de solvendis usuris : Paulus in Judicio usuras exigit, contra quem Petrus propter Juramenti religionem exceptione tueri se nequit. *Cap. debitores. 6. de jurejur.* postquam tamen Paulus usuras solvit, eas proposita in Judicio actione repetere potest. *Cit. cap. debitores.* ubi creditores ad solutas usuras restituendas ecclesiasticâ severitate dicuntur compellendi. *Cap. ad nostram. 20. de jurejur.*

5tus. Prælatus electus, postquam confirmationem impetravit, exceptione criminis à capienda possessione impediri non potest: attamen captâ jam possessione denuntiari vel accusari valet. *Cap. constitutis. 46. de appellat. cap. indemnitatibus. 43. §. caterum. de elect. in 6.*

REGULA LXXII.

Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.

QUæres Quis hujus Regulæ sensus?

R. Similis est *Regulæ 68. Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.* Sensus autem Regulæ est: Quod quis per delegatum, Procuratotem, vel mandatarium subrogatum facit, eandem vim & effectum habet, ac si faceret per se ipsum. Ratio est: quia effectûs ex mandato secuti ipse mandans principalis est causa, si enim mandatum abfuisset, nihil actum fuisset: ideo effectus man-

mandati non tam causæ proximè executrici, quàm Principali mandanti, causæ initiali, & primò moventi est attribuendus. Quod adeo verùm est, ut etiam delicta ex mandato perpetrata mandanti imputentur.

Exempla sunt *1mò.* Titius famulo mandat, ut Cajum è possessione domûs ejiciat: Cajus mandantem ex interdicto *unde vi* convenire potest. *2do.* Titia Paulum per famulam suam injuriari jussit: Paulus adversus Titiam, quæ injuriam inferri jussit, habet actionem. *L. non solùm* 11. *ff. de injur.*

3tio. Andreas Petrum per sicarios occidi mandavit: non solùm exequentes mandatum, sed etiam Andreas mandans irregularitatem incurrit. *Cap. fin. de homicid. in 6.*

4tò. Petrus personam Pauli Sacerdotis injuriosè tractari jussit: non solùm exequens, sed etiam Petrus mandans incidunt in excommunicationem Canonis. *Si quis suadente. Cap. mulieres* 6. §. *illi vero. de sentent. excomm.*

CASUS.

Ad utramque Regulam.

PErpetua juvencula munusculis & amplâ largitione ad sponsalia inducta viduo matrimonium promittit, sed quia de minùs honesta cum aliis conversatione suspecta, viduus eam ducere renuit. (A) Ideo *Perpetua* ornatum muliebrem à viduo repetit, quem apud eum deposuerat. Excipit viduus sibi prius restituendum, quod *Perpetua* futurarum nuptiarum intuitu dederat. (B) Item mutuò datos 100. imperiales, quos *Perpetua* cum usuris intra annum restituere jurârat. (C) *Perpetua* in Judicio causâ cadit, sed sententiæ executionem per restitutionem in integrum impedire conatur. (D) Re cum viduo compositâ per pecuniam in Collegio utriusque Sexûs *Perpetua* præbendam adipiscitur, (E) ex cujus possessione vi dejicitur, excipiente quadam domicellâ *Perpetuam* simoniacè ingressam, malæ fidei possessorem esse, ac ideo non restituendam. (F) *Perpetua* restituta partem adversam muneribus placat, & efficit, ut liti renuntiet. (G) Mortuâ Abbatissâ *Perpetua* eligitur & confirmatur, & dum possessionem capere vult, quidam ex Capitularibus se opponunt. (H) Villicus Capituli cum *Perpetua* agit, & villam, quam à Capitulo elocatam tenet, emit. Capitulum id advertens alteri villam elocare parat: Villicus opponit villam jam tum esse emptam. (I) Cum *Perpetua* modò sufficienter provisum, Parentes eam in tota legitima instituunt, & pro memoriali auream crucem legant, quam ipsa fratribus non vocatis secum sumit, cujus restitutionem aliqui ex hæredibus postmodum urgent. (K) Demum cum *Perpetua* in Capitulo Ca-

nonicum quendam perpetuum pateretur oppositorem, suæ familiæ indicavit, ut si possent dominam suam ab injuriis & damnis per præfatum Canonicum illatis vindicarent, vitæ tamen parcerent. (L) Qui Canonicum tam graviter percusserunt, ut exinde 3tiâ die mortuus fuerit. (M)

RESOLUTIO.

(A) SPonsus ob admissam à Sponso fornicationem à sponsalibus etiam juratis resilire potest. *Cap. quemadmodum. 25. de Jurejur.* ac ita est exemplum *Regul. 71.*

(B) Depositum nullâ penitus exceptione obstante reddi debet: quo reddito contra deponentem depositario datur actio. *Cap. bona fides. 2. de deposit.* & est 1*ma* à *Reg. 71.* exceptio.

(C) Qui usuras solvere juravit, sine exceptione easdem ex religione juramenti solvere cogitur: solutas tamen institutâ actione repetere non prohibetur. *Cap. debitores, 6. de Jurejur.* quæ est 2*da.* exceptio.

[D] Quamvis contra latam sententiam in integrum detur restitutio, non tamen exceptio, ne ideo sententia executioni mandetur: *cap. suscitata. 6. de in integr. restitut.* & est 3*tia* exceptio.

(E) Magna est quæstio, an similium præbendarum emptio simoniacâ labe contaminetur, cum Ecclesiastica beneficia non sint. Verior est sententia affirmativa; quia sunt revera fructus, qui propter spirituale dantur obsequium.

(F) Etsi contra simoniacè ingressum vel malæ fidei possessorem actio institui possit; spoliatus tamen ante omnia restituendus. *Cap. in literis. 5. de restitut. spoliat.* ac ita rursus non tenet *Regula 71.*

(G) Est iterum Simonia legitimum oppositorem, ut in materia beneficiali ab intentata desistat actione, pretio vel quacunque re temporali permovere.

(H) Hæc oppositio non obest, quominus possessionem capere valeat. *Cap. post electionem. 7. de conces. præbend. cap. indemnitatibus. 40. §. sanè de elect. in 6.*

(I) Villicus ante omnia villam deferere debet, sicque postea titulum suum probare potest. *L. si quis conductionis. 25. C. de locat. & conduct.*

(K) Si Legatarius propriâ authoritate rem legatam occupet, ad restitutionem tenetur. L. 1. *ff. quod legatorum.* Ac ita rursus non tenet *Regul. 71.*

(L) Quod hîc *Perpetua* per alium facit, perinda est ac si faciat per se ipsam, juxta *Regul. 72.*

(M) Ideo rea est percussionis, & exinde secuti homicidii. *Cap. mulieres 6. de sentent. excom.*

REGULA LXXIII.

Factum legitimè retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.

QUres *primo*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Si Contractus vel alius actûs stabilem inducens obligationem semel validè sit gestus, ita, ut ab agentis libera non amplius dependeat voluntate, retractari ab eo nequit, quantumvis casus seu circumstantia superveniat, quæ si antecessisset, ejusdem inchoationi obstitisset.

Exempla sunt *1mò*. Si matrimonio impotentia, cognatio, amentia superveniat, integrum tamen manet, quanquam hæ circumstantiæ idipsum ab initio invalidassent. *Can. neque furiosus. 26. caus. 32. q. 7. cap si vir. 2. de cognat. spiritual. cap. tua. 10. cap. fin. de eo. qui cognovit &c.* 2*dò*. Qui fecit Testamentum, & postmodum in amentiam actus, vel bonis interdictus fuit, validum manet Testamentum. §. *præterea. 1. instit. quib. non est permiss. facere testam.* 3*tio*. Petrus ex præsentatione Patroni, qui tempore præsentationis in possessione Jurispatronatûs erat, obtinet beneficium, modò tamen in Judicio Jus patronatûs ab alio evictum fuit; Petrus nihilominus retinet beneficium. *Cap. consultationibus. 19. de Jurepatron.* 4*tò*. Cœcus Magistratum, quem videns obtinuit, retinet, licet ad novum aspirare non possit. L. 1. §. 5. *ff. de postul.* 5*to*. Qui legitimè fundum præscripsit, quantumvis scientia, completâ præscriptione, prædium fuisse alienum superveniat, restituere non tenetur: etsi scientiæ, si ante adfuisset, præscriptionis inchoationi & inchoatæ perfectioni impedimentum præstitisset. *Cap. vigilanti. 5. cap. fin. de præscript.*

Quæres *secundo*. Quæ hujus Regulæ exceptiones?

℟. Hæ duæ. 1*a Reg.* solùm in actibus perfectis & consummatis tenet; quia si actibus nondum plenè consummatis impedimentum, à quo incipere non potuissent, superveniat, sæpe sunt invalidi. Ut: *1mo*. Sponsalia legitimè contracta per matrimonium cum alia à Sponso initum, aut accidens affinitatis, voti &c. impedimentum dissolvuntur. *Cap. sicut. 22. cap. si inter. 31. de sponsal.* 2*do*. Prælato electo, si post electionem aliquod crimen committat, quod si electionem antecessisset, eandē impedivisset, denegatur confirmatio. *Cap. fin. de Jurejur. in 6.* 3*tio*. Si lite contestatâ causa justa Judicium recusandi superveniat, illâ probatâ Judicium sistitur. *Cap. insinuante. 25. de offic. delegat.* Quia per litis contestationem solùm inchoatur, non autem consummatur Judicium. *Se-*

Secunda Regula locum non habet, si illius, quod legitimè gestum est, de Jure vel de facto impossibilis redditur effectus. Sic sponsalia propter superveniens affinitatis impedimentum reddunturnulla: votum extinguitur, eò quod actio promissa propter accidentem prohibitionem impossibilitatem accipiat: stipulatio evanescit, si res promissa sacra vel religiosa efficiatur, aut hominum commercio subtrahatur. L. *si ex legati. 24. ff. de verbor. obligat.*

REGULA LXXIV.

Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

Quares. Quis hujus Regulæ sensus?

R. Ea, quæ Privilegio, dispensatione, vel alia simili gratiâ contra Jus, vel ultra id, quod Jure communi permissum, personis singularibus conceduntur, ab aliis in exemplum trahi, & in simili casu sibi quoque permissa censeri non debent. Ratio est: quia Privilegia, dispensationes, & quævis gratiæ à Jure communi exorbitantes odiosæ sunt, & strictæ interpretationis, ita ut in consequentiam trahi nequeant, nec à casu, causa, persona una ad aliam extendi valeant. Exempla sunt *1mo.* in *cap. sanè. 9. de privileg.* Papa temerarium & indignum esse dicit, eum, qui sibi suâ authoritate præsumit, quod Romana Ecclesia alicui, certâ ratione inspectâ, singularibus voluit beneficiis indulgere. *2do.* in *can. petiisti.* 17. *caus. 7. quæst.* 1. Zacharias Papa S. Bonifacio Archi-Episcopo Moguntino Successorem designare concedit, addendo: *Hoc nulli concedi alii patimur, quod tibi charitate cogente largiri censuimus. 3tio.* in *can. contra morem. 8. dist. 100.* Quidam Archi-Episcopus contra Ecclesiæ morem extra missarum solemnia pallio Archi-Episcopali utebatur, quem redarguens Pontifex dicit, ipsum, si suæ Ecclesiæ Privilegium probare nequeat, singulari aliarum Ecclesiarum favore nullatenus defendi. *4tò.* in *can. hinc est. 39. caus. 16. q. 1.* Cuidam Laico Prælati Ecclesiastici electioni interesse specialiter concessum erat, quod exemplum alii Laici sequi nitebantur; sed respondet Papa: *Quod uni sigillatim conceditur, non statim omnibus convenit.*

RE-

CASUS.

Ad utramque Regulam.

Quærebunda postquam Cajo matrimonium promisisset, frater Caji se Cajum esse simulans ab eadem copiam corporis obtinet. (A) Quare ducit Titium, qui ante consummatum cum *Quærebunda* matrimonium per maleficium redditur impotens ad matrimonii consummationem. (B) Ideo Titius *Quærebundâ* consentiente cum ejusdem Sorore carnaliter vixit, usque dum post annum sublatum fuit maleficium. (C) Quo sublato Titius dispensationem petit à Parocho, qui à Regularibus eam dari audiens, etiam se velut Parochum eandem habere potestatem arbitratur.

RESOLUTIO.

(A) SPonsalia de futuro legitimè inita, propter supervenientem affinitatem, à qua incipere non potuissent, rumpuntur. *Cap. veniens. 2. de eo, qui cognovit &c. cap. super eo. 2. de consanguinit. & affinit.*

(B) Matrimonium solemniter contractum ob furorem, affinitatem, aut impotentiam supervenientem, propter quæ incipere non potuisset, non subvertitur.

(C) Per copulam carnalem cum Sorore *Quærebundæ*, cum hac affinitatem contraxit, quæ quamvis matrimonium ab initio validum solvere non possit ejus tamen usum impedit. *Cap. fraternitatis. 10. de eo, qui cognovit &c.*

(D) Parochus privilegium Regularibus Ordinum mendicantium concessum sibi arrogare non poterat, per *Regulam* 74.

REGULA LXXV.

Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.

QUæres. Quis hujus Regulæ sensus?

R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.

R. Is qui fidem conventione alteri datam non servat, & ex ea debitum non

præstat, ab altera parte, ut fidem servet, & ex ea debitum præstet, petere non potest. Ratio est: quia omni contractui tacita inest conditio, de eo, quod promissum, servando: si fidem alteri datam servaverit: L. *cum proponas*. 21. C. *de pactis*. Is autem qui sub conditione promittit, ex conventione quacunque non tenetur, nisi conditio impleatur. §. *sub conditione. 4. institut. de V. O.* quod adeò verum, ut quamvis contractui adjectum sit Juramentum. Sicut enim promissioni simplici tacita inest conditio: si fidem datam alter servaverit: ita quoque inest appositio Juramento, quâ proinde deficiente Juramenti non urget obligatio. *Cap. pervenit. 3. de Jurejur.*

REGULA LXXVI.

Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Si Ecclesiæ membrum, Oeconomus, Syndicus, Procurator, Rector vel Prælatus delictum committat, ad reperationem injuriæ vel damni tertiò illati, vel ad pœnæ solutionem Ecclesia non obligatur. Ratio est: quia Ecclesia Jure pupilli & minoris illæsa servari debet. *Cap. 1. de in integr. restit.* Ideóque Prælatus vel administrator licet Ecclesiæ conditionem meliorem, deteriorem tamen facere non potest. *Cap. fraternitatem. 2. de donat.* ac ita delinquendo Prælatus vel Rector Ecclesiæ nomine agere non præsumitur.

Exempla sunt *1mo*. Si Episcopus deponatur, aut feloniam committat, bona Ecclesiæ fisco non cedunt, nec Dominus directus illis se immiscendi habet facultatem. *Can. si Episcopum. 3. caus. 16. q. 6. 2do*. Immobilia Ecclesiæ bona malè alienata à Successore alienantis, Superiore, Capitulo, imò ipso Prælato illegaliter alienante & propriam turpitudinem allegante repeti possunt. *Can. Apostolicos. 13. caus. 12. q. 2. cap. si quis. 6. de rebus Eccles. non alienand. 3tio*. Si Syndicus Ecclesiæ falsum instrumentum ab ipso Prælato confectum in Judicio producat, nullum per id Ecclesiæ præjudicium generatur. *Cap. cum Venerabilis. 6. §. ad hæc. de exception.*

Quæres *secundo*. Quæ Regulæ exceptio?

℟. *Regula* in commissionis, non in omissionis procedit delictis; Prælatus enim suâ negligentiâ Ecclesiæ obesse potest. Sic ex negligentia Prælati contra

tra Ecclesias quadragenaria currit præscriptio. *Cap. de quarta. 4. cap. ad aures. 6. cap. auditis. 15. de præscript.* Sic quoque negligentia Prælati vel Procuratoris instrumenta in Judicio non exhibentis in tantùm obest Ecclesiæ, ut nonnisi beneficio restitutionis in integrum ei succurratur. *Cap. cum venissent. 2. de in integr. restitut.* Aliqui hanc secundam addunt exceptionem: nisi delictum à Prælato cum consensu Capituli fuerit perpetratum; quia tunc, cum tota Ecclesia deliquisse censeatur, in faciendo Ecclesiæ infert præjudicium. Exemplum est in *Cap. cum dilectus. 2. de ordin cognition.* ubi Ecclesiæ spoliationis à Prælato factæ nocet exceptio.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

Renata Belgii gubernatrix Coronæ Galliæ pacis proponit conditiones, quas illam non accepturam novit, ut illo modo avertat, ne cum hoste Sueco fœdus ineat. (A) Coronæ Galliæ conditiones pacis recusanti temestris offert inducias, ut interea de aliis pacis conditionibus deliberetur Inducias Gallia acceptat; sed cum *Renata* tempore induciarum, quidquid nervi bellici, ex Germania confœderata adveheret, Gallia inducias rumpit, & bellum ab utraque parte acrius urgetur. (B) Super quo quidam Galliæ fautores *Renatam* fugillant, quod ipsa ex lege Christiana pacem etiam cum iis, qui pacem servare nolunt, servare teneatur, ad exemplum Davidis, qui de se ait: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* (C) Maximè cum inducia ab utraque parte Juratæ essent. (D) Postquam bellum annis quibusdam duravit, intervenientibus Germaniæ Principibus pacis fiunt consultationes. *1mo* petit Gallia urgentibus Germaniæ Principibus hæreticis, ut liberum maneat toleratarum in Imperio religionum exercitium. (E) *2do.* Ut liberum religionis exercitium juretur, & si quid contra illud admittatur, statim à Germaniæ Principibus mediatoribus & pacis defensoribus fiant repressaliæ. (F) *3tio.* Cum Elector quidam Ecclesiasticus huic bello sese implicaverit, ideóque ab Imperatore Electoratu privatus, Galli plenam ejus restitutionem, omniúmque damnorum reparationem ex *Reg. 76.* exigunt. (G) Metropolitanum etiam interveniens Capitulum Ecclesiam suam ex recessione Prælati & Electoris plurima damna per eandem Regulam reparanda pertulisse conqueritur. (H) Quibus ab altera parte opponitur, ipsum Capitulum in fœdus contra imperii constitutiones cum Gallia initum consensisse, & ea de causa detrimentorum petere non posse reparationem. (I) Imò quidam sustinebant Ecclesiam illam

esse perpetuò dignitate Electorali privandam, eámque ad aliam Ecclesiam cathedralem vel Metropolitanam transferendam; quia Imperatores & imperium eâ lege & conditione Ecclesiis illis dignitatem contulerunt, si fideles Imperio permanerent. (K)

RESOLUTIO.

(A) QUamvis hosti servanda fides, eum tamen per stratagemata absque fidei violatione decipere licet. *Can. Dominus. 2. caus. 23. q. 2.*

(B) Quia *Renata* veluti provida administratrix tempore pacis & inducia-rum de bello cogitare, & quæ ad illius, si pax non sequeretur, prosecutionem necessaria, comparare poterat: ideo Gallis inducias perfidè rumpentibus, *Renatæ* bellum à parte sua urgere liberum erat, per *Regul. 75.* & *cap. quia frustra. 14. de usur.* Nec obstabat *can. innocens. fin. caus. 22. q. 4.* ille enim publicam non continet necessitatem, sed ad perfectionis pertinet plenitudinem.

(C) Homo privatus in foro conscientiæ non solùm pacem cum non servante pacem servare, sed etiam inimicum diligere tenetur. Alioquin audiet: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cælorum.* Nec plus vult *Can. inter verba. 55. caus. 11. q. 3.* & *can. Dominus. 25. dist. 93.* Aliud est de Magistratu Jus pacis & belli obtinente.

(D) Non obstat adjectum à *Renata* induciis Juramentum; promissio enim tacitam habebat conditionem: Si Corona Galliæ pactas inducias etiam servet. *Arg. L. si quis fundum. 37. ff. de contrahend. empt.*

(E) *Renata* in hanc conditionem, nisi necessitate coacta aliter extricare se non possit, consentire nequit; cum turpis hæc conditio sanæ religioni contrarietur.

(F) Hanc quoque conditionem sola excusat necessitas, & sicut, qui latroni mille dare juratò promittit, vi Juramenti, usque dum à Superiore ab eodem absolvatur, manet obligatus, ita etiam Juramentum, quo hæreticis religionis exercitium est promissum, solâ durante necessitate obligat, cum aliter Catholici jurare non valeant.

(G) Quando Episcopus vel Prælatus feudum à Principe non personæ sed Ecclesiæ datum propriâ culpâ perdit, eo vivente ex feudo nec damnum nec fructum habet Ecclesia; eo tamen mortuo res feudalis ad Ecclesiam vel Successorem redit.

(H) Quanquam Ecclesia ex Prælati delicto per *Reg. 76.* damnum directè non patiatur, indirectè tamen pati potest. Sic Prælatus Ecclesiæ in acquirendis nocere valet. Exempla sunt in *Cap. auditis. 15. de præscript. cap. cum venissent. 2. de integr. restitut.*

(I) Nec nocet Ecclesiæ Prælati & Capituli delictum: sed sicut Prælatus

quia

quia est solus bonorum Ecclesiæ administrator, eidem per malam administrationem obesse nequit, ita ut proprio facto contravenire, & propriam allegando turpitudinem rem malè alienatam Juramento non obstante vindicare possit. *Gloss. in cap. 1. de integr. restitut. in 6. V. contractum.* ita etiam quia Capitulares sunt solùm cum Prælato Ecclesiæ administratores, eidem suo delicto nocere non possunt, per *Reg.* 76. *& Reg.* 22. *Non debet aliquis alterius odio prægravari.*

(K) Etsi etiam sub memorata conditione collata sit Ecclesiæ electoralis dignitas, Jus tamen electorale Ecclesiæ innocenti jam plenè quæsitum ob Electoris defectum non est auferendum per *Reg.* 76. sed

Quares. Titius fundavit anniversarium in Ecclesia Regulari sub condidione: ut si Religiosi anniversarium non servent, fundatio ad Ecclesiam parochialem transferatur. An anniversarium, Religiosis illud non servantibus, transferendum?

℟. *Affirmativè.* Quia Ecclesiæ regulari non absolutè, sed sub conditione; si servetur anniversarium, est acquisita fundatio.

REGULA LXXVII.

Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.

QUæres *primo.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Qui in dignitate aut in alio honorifico succedit munere, eum quoque in onere & connexis obligationibus decet succedere, juxta illud Gregorianum: Cum honoris augmento cura quoque sollicitudinis debet accrescere, ut cultui vestium actionis ornamenta conveniant. *Can. rationis. 9. dist. 100.*

Quæres *secundo.* Quæ Regulæ sunt Exempla?

℟. Sunt 1*mo.* Filii vel hæredes Patroni, quia in Jurispatronatûs succedunt honore, eos etiam in onere defendendi Ecclesiam succedere oportet. *Can. filiis. 31. caus. 16. q. 7.* 2*do.* Prælatus sicut in honore, sic quoque succedit in onere solvendi prædecessoris sui debita, pro Ecclesiæ utilitate contracta. *Cap. 1. de solution.* ibi: *Sicut filius debita Patris solvere tenetur, ita Prælatus sui prædecessoris, pro Ecclesiæ necessitate contracta.*

REGULA LXXVIII.

In Argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.

QUæres *primò.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Ea, quæ necessitatis intuitu in casu particulari conceduntur, in argumentum trahi non debent, ut in simili casu necessitate cessante permissa censeantur. Ratio est: quia quod pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate debet utique cessare, inquit Innocent. in *can. quod pro necessitate.* 41. *caus.* 1 *quæst* 1. Idem repetitur in *can. quod pro remedio.* 7. *caus.* 1. *q.* 7. & generale est, quod cessante causâ cesset effectus. *cap. cum cessante.* 60. *de appellat.*

Quæres *secundo.* Quæ Regulæ Exempla?

℟. Sequentia. 1*mo.* Beneficia sæcularia Religiosis in necessitate & defectu Clericorum sæcularium conferri possunt: ex hoc tamen non sequitur, quod extra necessitatis casum Religiosi hujusmodi beneficia valeant obtinere. *can.* 1. *dist* 55. 2*do.* Si cum promovendo in Episcopum in ætatis defectu ob necessitatem vel Ecclesiæ utilitatem fuerit dispensatum, quod pro necessitate temporis factum est, à posteris in exemplum trahi non debet *cap. cum in cunctis.* 7. *de elect.* 3*tio.* In humani generis principio frater cum sorore licitè contraxit, cum urgeret necessitas. Eâ hodie sublatâ nec licitè nec validè intra quartum gradum contrahi potest. *cap. non debet.* 8. *de consanguin. & affin.* 4*to.* Tempore famis Parentibus filium distrahere & vendere licet, ex quo non sequitur, extra necessitatis articulum ipsis eandem competere potestatem.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

SPecioſa Hiſpaniarum infans in Belgii Gubernatione *Renata* ſuccedit, quæ ex ingenita Auſtriacis pietate dubitabat an obligaretur ad ſubſcriptas juratásque pacis

pacis conditiones, 1*mo*. quoad liberum Hæreticis in universo Belgio Religionis exercitum. 2*dò*. Quod Jurisdictio Ecclesiastica quoad Hæreticos esset suspensa. 3*tio*. Quod nullus Princeps vel Magistratus eos à publicis officiis excludere possit. 4*to*. Imò quod in quolibet Magistratu vel communitate aliqui ex Hæreticis ponerentur Officiales &c. Pro parte affirmativa afferebatur *Reg*. 77. quod cum *Renata* Belgii Gubernatrix in tali necessitate has conditiones subscripsisset, & jurasset pro se & suis Successoribus, ad earum observantiam *Speciosa* in gubernandi potestate succedens obligaretur; pro parte negativa militabat *Reg*. 78. Quidquid enim *Renata* in favorem Hæreticorum subcripserat, id metu graviorum malorum adacta fecerat.

RESOLUTIO.

Speciosa ad nullam ex positis conditionibus obligatur. Liquet ex *Can. Presbyteros. 32. dist. 50. can. 1. caus. 15. q. 6.* Et illud, quod pro necessitate temporis concessum est, cessante necessitate debet cessare pariter: quia alius est Ordo legitimus, alia usurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit. *Can. quod pro necessitate. 41. caus. 1. quæst. 1.*

REGULA LXXIX.

Nemo potest plus Juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.

Quæres *primo*. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Qui rem certam, sive per ultimam voluntatem, sive per actum inter viros in alium suo nomine transferre vult, in eum plus Juris transferre nequit, quam constet eum habere actu vel potentiâ. *cap. nuper. 6. de donat. inter vir. & uxor.* Ratio est: quia nemo dat, quod nec actu habet, nec potentia.

Quæres *secundo*. Quæ Regulæ limitatio?

℟. *Regula* solum procedit de rrum translatione, quæ suo nomine, & propriæ voluntatis sit efficaciâ, & tunc in alium non plus transfertur, quàm ante habetur. Unde, quæ huic *Regulæ* contrari

traria videntur, sequentia solvuntur:

1mo. Si Abbatem Episcopus benedicere recusat, Abbas non benedictus Religiosos suos benedicere, iisdemque Ordines Minores conferre, ac ita, quod non habet, dare potest. *Cap. 1. de supplend. neglig. Prælat.* in hoc enim casu Abbas de Jure probenedicto habetur, ideoque iis, quibus Abbates gaudent benedicti, privilegiis uti non prohibetur.

2do. Archi-Episcopus ante Pallii Archi-Episcopalis receptionem alteri Episcopo Commissionem dare potest, ut suffraganeum suum consecret, quem tamen ipse ante Pallii receptionem consecrare nequit, ac ita dat Commissionem faciendi id, quod ipsemet facere non potest. *Cap. suffraganeis. 11. de elect.* Cujus ratio est: quia dare Episcopo Commissionem, ut subditum suum ordinet, vel consecret, est actus Jurisdictionis, quam Archi-Episcopus per confirmationem obtinet: Episcopum autem consecrare est Ordinis actus, quem Archi-Episcopus ante Pallii receptionem exercere nequit.

3tio. Patronus laicus à die habitæ notitiæ, quod Ecclesia vacet, quatuor menses habet, intra quos præsentare tenetur, quod si tamen Jus suum Patronatûs Ecclesiæ vel Monasterio cedat, illa sex menses habet, intra quos præsentatio instituenda, ac ita plus accipit, quam Patronatus laicus habuit. *Cap. unic. §. verum. de Jurepatron. in 6.* Ratio est: quia per cessionem Juspatronatus, quod ante erat laicale, quatuor tantùm mensium habent terminum, fit Juspatronatus Ecclesiasticum, cui terminus sex mensium indulgetur.

4to. Si quis rem alienam malâ fide possessam in alterum v. g. per donationem transfert, tunc donatarius bonâ fide rem donatam acceptans præscriptionem incipere potest, quamvis donatori propter malam fidem præscriptio currere nequiret. *Cap. vigilanti. 5. cap. fin. de præscript.* & ita donatarius plus Juris habet in re donata, quam ante habuerit donator, cum mala fides non reale, sed personale sit vitium, quod cum re donata non transit in donatarium.

5to. Creditor vendendo pignus, dominium rei oppignoratæ, quod ipse non habet, transfert in emptorem. *L. non est novum. 46. ff. de acquir. rer. domin.* idem est in Prælato res Ecclesiæ distrahente, in Tutore, Curatore, Procuratore, qui licet non sint domini, per traditionem tamen dominium transferunt, quia non proprio nomine distrahunt.

6to. Judex legis ex Reipub. ita Ordinantis Authoritate per sententiam rei judicatæ in Actorem transfert dominium, ut quod jus non est, jus sit & fiat per sententiam secundùm leges promulgatam. *Arg. L. fin. C. de rejudicat.*

RE-

REGULA LXXX.

In toto partem non est dubium contineri.

QUæres. Quis hujus Regulæ sensus?

R. Quia totum dicitur, quod ex partibus est compositum, ideo cui competit totum, illi etiam competunt partes. Ut in exemplis sequentibus: 1*mo* cui pro tota re sua ab alio possessa competit vindicatio, illa quoque pro singulis ejus partibus competit. L. *quæ de tota. 76. ff. de rei vindicat.* 2*do.* Toto fundo evicto, ejus quoque pars evicta censetur. L. *ex mille. 64. ff. de eviction.* 3*tio.* Rei judicatæ exceptio sicut obstat ei, qui prius pro tota domo in Judicio egit & succubuit, sic eidem obstat, si postea pro ejusdem domûs parte agere intendit. L. *si quis. 7. ff. de except. rei judicat.*

CASUS.

Ad utramque Regulam.

THeodorus & *Theresia* Conjuges reciprocum faciunt Testamentum, *Theresia* virum exasse hæredem instituit. In omnibus bonis suis dotalibus. (A) Feudalibus (B) Fideicommissis. (C) Allodialibus, in quibus al qua per furtum, rapinam aliásque violentias à patre *Theresiæ* acquisita inveniebantur, quanquam *Theresia* in bona semper fide fuerit. (D) Econtra *Theodorus* hæredes Universales suos proximos instituit agnatos. *Theresiæ* conjugi imprimis legat usumfructum in omnibus bonis immobilibus, inter quæ fideicommisso quædam sunt gravata. (E) Eidem *Theresiæ* legat omne aurum & argentum, ex quo ipla sibi quamcúnque pecuniam auream & argenteam arrogare præsumit. (F) Præterea legat fundum, ut dicebat, meum inter istos limites existentem, qui fundus tamen nunquam *Theodori* fuit. (G) Demum legat hortum, ut dicebat, meum ædibus meis adjacentem, ille tamen *Theodoro* cum fratribus suis communis erat. (H)

RESOLUTIO.

(A) DOs profectitia, hoc est, à patre data, ad patrem adhuc viventem dissoluto redit Matrimonio, ideóque per *Reg.* 79. non poterat dari viro.

(B) Bona feudalia, si ad familiam pertinebant, cum in iis *Theresia* solum usumfructum haberet, in virum transferri nequibant.

(C) In Fideicommissis etiam *Theresia* plenum non obtinebat dominium, quare nec hæc viro tradere valebat.

(D) Res furtiva, item fundus vi occupatus, reale habebat vitium, quod non purgatur, nisi rursum ad verum devenerit Dominum, unde de illis, licet bona fide possideret, disponere non poterat. Si autem aliàs rem alienam vitio reali non affectam habuisset, quam bonâ fide præscripisset, vel præscribere incepisset, illam in maritum licitè transtulisset, sícque exceptio à *Reg.* 79. locum habuisset.

(E) Usufructus causalis est pars dominii. Cum igitur totum per *Reg.* 80. contineat partem, qui per fideicommissum dominium rei ad alium transmittere gravatur, partem quoque vel usumfructum transmittere debet, unde legatum usufructûs rei fideicommissò oneratæ non subsistebat.

(F) Cùm aurum & argentum in genere legatur, pecunia signata non continetur. L. *cum aurum.* 19. L. *Quintus Mutius.* 27. *ff. de auri. & argent. legat.* aurum enim & argentum pro re vendibili, pecunia verò signata pro pretio sumitur, quapropter pecunia velut species sub auro tanquam genere non comprehenditur.

(G) Quando testator sciens fundum alienum, quem falsò appellat suum, legat, hæres illum à Domino redimere, & Legatario præstare debet: quia cum fundus in rerum natura sit, demonstratio falsa legatum non perimit. L. *quibus.* 40. §. *qui dotalem. ff. de condit. & demonstrat.*

(H) Cum fundum communem esse sciebat, verè appellavit meum, videlicet quoad partem, quam quoque legasse censetur. L. *servi electione.* 5. §. *cum fundus. ff.* 1. *de legat.*

RE-

REGULA LXXXI.

In Generali Concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus ?

℟. Quando in humana dispositione quidquam termino vel vocabulo Generali conceditur, non intelliguntur illa concessa, quæ verisimile non est in specie ac expresè fuisse concedenda. Ratio est: quia Generales concessiones fiunt plerúmque prævia solùm confusa specialium cogitatione, quæ ordinariè & faciliter concedi solent, nullâ ponderatione eorum, quæ si de iis cogitaretur, verisimiliter excipienda, & non concedenda fuissent, unde ad talia, utpote non satis cognita, intentionem & voluntatem concedentis extensam fuisse non præsumitur.

Quæres *secundo*. Quæ Regulæ exempla ?

℟. Sunt sequentia: 1*mum* qui ab Ordinario sibi quemcunque eligendi Confessarium impetravit facultatem, ab electo à reservatis absolvi nequit. *Cap si Episcopus. 2. de pœnit. & remiss. in 6.*

2*dum*. Officialis vel Vicarius Generalis Episcopi beneficia ecclesiastica ad Episcopi Collationem pertinentia conferre non potest, nisi Beneficiorum collatio ipsi specialiter sit commissa. *Cap. fin. de offic. Vicar. in 6.*

3*tium*. In commissione generali, quam Legatus Apostolicus habet, non continentur causæ fidei. *Can. frater. 52. caus. 16. q. 1.* nec translationes Episcoporum, nec uniones vel divisiones Episcopatuum. *Cap. quod translationem. 4. de offic. Legat. cap. deliberatione. 4. eod. in 6.*

4*tum*. Qui ex Generali mandato bona alterius administrat, ex bonis administratis liberales donationes facere non potest. *cit. Cap. fin. de offic. Vicar. in 6. L. filiusfamilius. 7. ff. de donat.*

5*tum*. In Generali pignoris obligatione non venit uxor, alumnis. Quos neminem credibile est pignori specialiter daturum fuisse in generali pacti conventione. L. 1. *C. quæ res pignor. &c.*

REGULA LXXXII.

Qui contra Jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.

QUæres *primò*. Quis hujus Regulæ sensus ?

℟. Is, qui contra publicam & Notoriam legis aut Canonis prohibitionem aliquid emit, id dolo & cum peccato facere præsumitur, & ideo rei sic emptæ malæ fidei possessor vel est, si legem scivit, vel esse censetur, si legem ignoravit Ratio est: quia quilibet actiones suas legum canonúmque normæ & formæ accommodare debet, & quod quis ex præscripto facere tenetur, cum scire obligetur, scire præsumitur, ideóque qui nescit, quod scire potuit & debuit, non minùs est in culpa, quam qui scit, quid facere debeat, & non facit, juxta Apostolum : *Si quis ignorat, ignorabitur.* Unde qui contra juris prohibitionem rem emit, sive mercatur, malæ fidei possessor esse non ambigitur. L. *quemadmodum.* 7. C. *de agricol. censit. &c.*

Quæres *secundò*. Quæ hujus Regulæ exempla ?

℟. Sequentia : *1mum.* Qui contra Canonum prohibitionem emit Ecclesiam Beneficium Ecclesiasticum, Officium ab Ecclesia in rei Sacræ reverentiam, ad quam ordinem dicit, emi prohibitum à simonia non excusatur. *Cap. non satis.* 8. *cap. cum in Ecclesia.* 9. *de Simon.* *2dum.* Cum pupillis res suas absque aurhoritate Tutoris vendere à jure interdicatur, non est in bona fide, qui aliquid à pupillo emit, non interveniente Tutoris authoritate. L. *pro emptore.* 2. §. 15. *ff. pro emptor.* *3tium.* Emptor & possessor malæ fidei est, qui rem immobilem Ecclesiæ vel Monasterii sine juris solemnitatibus à Prælato emit. *Cap.* 1. *de reb. Eccles. non alienand. in* 6.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

UDalrica Ducissa vidua supremo Aulæ Præfecto plenam dat rerum suarum administrationem. (A) Qui plures facit donationes (B) Juniori Prin-

Principi Prælaturam in Ecclesia Metropolitana datis de more muneribus acquirit. (C) Filiæ natu majori Comitis ditissimi, sed non ejusdem cum Ducissa conditionis matrimonium procurat. (D) à Prælato Monasterii fundum arci Ducali proximum & perutilem excessivo pretio absque scitu & consensu conventûs emit. (E) Parum versatus in Theologicis cum Principe hæretico, per quem maxima spes Ducalem elevandi Domum, Ducissæ suæ suadet matrimonium. (F)

RESOLUTIO.

(A) Hic Aulæ Præfectus mandatum cum libera, ut ajunt Juristæ, accepit, vi cujus etiam alienare potest. *Cap. qui ad agendum. 4. de procurat. in 6.*

(B) Licet Procurator Generalis cum libera alienare valeat, per *Reg.* 81. tamen donationes liberales facere nequit.

(C) Peccat Aulæ Præfectus contra utramque Regulam, contra 81. quia in Generali concessione illicita non censentur concessa; contra 82. quia contra Jura mercatur, unde bonam fidem habere non præsumitur.

(D) Hic contra *Reg.* 81. peccat, cum Ducissa ad contrahendum cum inferioris conditionis Sponso matrimonium per Concessionem generalem mandatum dedisse non censeatur.

(E) Offendit iterum utramque Regulam, 81*am* quia excessivo emit pretio, quod vi generalis concessionis haud permissum esse videtur. 82*dam* quia contra Jura prætermissis eorum solemnitatibus fundum mercatur.

(F) Rursus contra *Reg.* 82. impingit, matrimonium Hæretici contra Jura mercando, nec rusticitati venia est: quia matrimonium fidelis cum Heretico aut infideli Jure naturali prohibitum esse dignoscitur. *Arg. L. venia. 2. C. de in Jus vocand.*

REGULA LXXXIII.

Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.

QUres *primo*. Quis hujus Regulæ tensus?

2. Si unus vel plures summam debeant, & pro ea unus, vel omnes aut fi-

dejussor plene satis fecerit, Creditor ab aliquo debitorum solutionem iterum bonâ fide exigere nequit. Ratio aperta est: cum id æquitati & justitiæ æqualitatem exigenti repugnet, unde dum idem bis solutum, tanquam indebite solutum restituendum est. Hæc *Regula* in pœnis quoque tenet; quia si quis pro delicto pœnam, delicti gravitatem adæquantem sustinuerit, ulterius puniendus non est, ne vindicativæ justitiæ limites excedantur.

Quæres *secundo*. Quæ Regulæ limitatio?

R. *Regula* de debitis, quorum obligatio unicâ exactione & solutione exhauritur, intelligenda est, hinc contraria solvuntur Exempla: 1*mo* maritus uxori reddens debitum ad iteratam adstringitur solutionem, quia debitor manet, quamdiu matrimoniale durat vinculum.

2*do*. Episcopus ante annum parochialem visitans Ecclesiam, procurationem accipit hoc anno rursus visitans procurationis exigit solutionem, procuratio enim toties debetur, quoties Ecclesia visitatur. *Cap. cum Venerabilis. 21. de censib.*

3*tiò*. Rei æstimationem consecutus ab eo, qui dolo malo illam possidere desiit, v. g. à fure, qui rem ablatam malâ fide vendidit, adhuc rem ipsam à possessore vindicare non prohibetur. *L. Stichum. 95. ff. de solution.* Ratio est: quia fur, qui rem meam possidere desiit, rei æstimationem præstando debitum pœnale ex delicto descendens solvit, quod à debito ex rei dominio, vel potius ex rei alienæ possessione est diversum, cum fur ex injusta acceptione, possessor autem ex re accepta solvere teneatur

4*to*. Titius Filiam maritatam constupravit, ex hoc delicto tribus videlicet filiæ, marito & Patri ad satisfactionem obligatur. *L. 1. ff. de injur.* tres enim læsit, ideoque uni satisfaciens pro delicto adæquatè non satisfecit.

5*to*. De interfectore Cardinalis ab Ecclesia pœnâ Ecclesiasticâ castigato dicitur in *Cap. fin de pœnit. in 6.* per hoc quoque sæcularibus potestatibus non adimimus facultatem utendi legibus contra tales, quas adversus sacrilegos Catholici Principes ediderunt. Ac consequenter tale delictum duplici pœnâ punitur, & postquam delinquens pœnam solvit Ecclesiasticam, iterum pœnam à sæcularibus Judicibus infligendam sustinere cogitur. Ratio est: quia criminis atrocitas gravius, quam Judices Ecclesiastici dictare valent, aut solent, exigit supplicium.

RE-

REGULA LXXXIV.

Cum quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti.

Quares 1mo. Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Is, cui aliquid simpliciter & principaliter ratione sui prohibitum est & illicitum viâ seu modo uno, ad id viâ seu modo altero non est admittendus. Ratio est: ne in legem fraus committatur; quando enim legislator aliquid simpliciter & ratione sui prohibet, illud in effectu fieri non vult, quocunque tandem fiat modo.

Quæres *secundo.* Quæ Regulæ Exempla?

℟. *1mo.* Ad Prælaturam electus ante confirmationem obtentam administrare prohibetur. *Cap. nosti. 9. Cap. qualiter. 17. de elect.* ideo etiam Titulo Oeconomi vel Procuratoris administrandi non habet facultatem. *Cap. avaritia. 5. de elect. in 6.*

2do. Clericus duo beneficia in Titulum habere nequit. *Cap. quia in tantum. 5. de præbend.* & ideo unum in Titulum, alterum in Commendam perpetuam retinere vel admittere prohibetur.

3tio. Si materno Testamento Pater ab administratione bonorum liberis à Patria potestate solutis relictorum excluditur, eorum administrationi Titulo Curatoris se se ingerere non potest. *L. scire. 21. ff. de tutor. & Curat. dat.*

Quæres *tertio.* Quæ Regulæ limitatio?

℟. *Regula* non tenet, si prohibitio principaliter ad viam vel modum, non autem ad rem se habeat, dupliciter enim res prohiberi potest.

1mo Simpliciter & ratione sui, ut homicidium, furtum, perjurium &c.

2do Quoad viam sive modum, sic beneficium Ecclesiasticum per laicum, vel pro pecunia, vel re temporali concedi prohibetur. Qui vitio Natalium, aut alio Canonico laborat impedimento, Prælaturam per viam electionis obtinere non potest, res Ecclesiæ immobiles absque juris solemnitatibus non alienari præcipiuntur; quando igitur prohibitio non rem, sed viam seu modum principaliter respicit, quod unâ viâ prohibetur, aliâ obtinetur, sic Prælatus res Ecclesiæ non liberè; sed cum forma Juris alienare potest. *Cap. tua nuper. 8. de his quæ fiunt à Prælat.* Clerici bona intuitu Ecclesiæ acquisita per actum inter vivos, non per Testamentum in usus pios licitè expendunt. *Cap. ad hæc. 8. cap quia nos. 9. de testament.* Prælaturæ alligatus alteram dignitatem

per

per electionem, non tamen per postulationem adipisci prohibetur. *Cap. fin. de postulat. Prælat.* Qui non acculare juravit, bene tamen denuntiat, qui petendo rem unâ actione repellitur, per aliam admittitur, sic deponens agens commodati rejicitur, agens verò depositi auditur. *Cap. examinata. 15. de Judic.*

CASUS.

Ad utramque Regulam.

Wilhelmina conjugata adulterium committit, propter quod à Judice Ecclesiastico aliquot pondo ceræ punitur, coram Magistro quoque violentiarum centum imperiales contra *Reg.* 83. pendere coacta fuit. (A) Vir ejus sentiens se duplici gravari pœna, cum adulterii propalator fuisset, uxori suæ se nunquam deinceps de commisso adulterio eam accusaturum jurato promittit. (B) Interim *Wilhelmina* adulterinis jam assueta complexibus secundum committit adulterium, & metuens ne à viro accusetur, eundem blanditiis inducit, ut pro hac vice adulterium tegere interposito spondeat juramento. (C) Re tamen melius perpensa, cum fere nullam de *Wilhelmina* emendationis spem haberet, ipsam apud Judicem Ecclesiasticum denuntiare statuit, quod an propter *Reg.* 84. facere possit, dubitat. (D)

RESOLUTIO.

(A) QUando crimen mixti, sive utriusque fori Sæcularis & Ecclesiastici, quale est adulterium, delinquens in utramque legem, civilem & Canonicam, committit injuriam, cum utriusque præcepta violare noscatur; ac per consequens se pœnis per utramque legem impositis obligasse censeatur, eò quod distinctæ sint Jurisdictiones. *Can. cum ad verum. 6. dist.* 96. aliàs etiam dum pœna per Judicem Ecclesiasticum non est sufficiens, nec commensurata culpæ, Judex sæcularis idem delictum puniendi habet facultatem. *Arg. cap. fin. de pœnit. in 6.*

(B) Juramentum illicitum est, nec obligatorium, cum ansam præbeat peccati, impunitatem ante criminis perpetrationem uxori promittendo. *Cap. quemadmodum 25. de Jurejur.*

(C) Juramentum hoc validum erat, ideoque ob ejus religionem adulteram, quatenus de thori separatione, suoque agebatur Judicio, accusare non poterat.

(D) Juramento tamen non obstante adul-

te adulteram denuntiare valebat. *Cit. cap. quemadmodum §. fin. de Jurejur.* Quia accusationis & denuntiationis diversa ratio exigit, cum accusatio ad pœnam, denuntiatio ad agendam tendat pœnitentiam, quam de adulterio denuntiata, sustinere debet.

REGULA LXXXV.

Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.

QUæres *primo.* Quis hujus Regulæ sensus?

℟. Contractus quoad ea, quæ illorum substantiæ accedunt, à contrahentium voluntate & conventione dependent, & ita obligant, quo modo inter eos mutuo consensu est conventum. Hinc Contractus jure subsistunt, & obligationem inducunt, quibus de re propria, humano Commercio subjecta, de majori vel minori quantitate aut qualitate, certo eventu, tempore, loco, modo, de aliquo dando vel accipiendo à paciscentibus convenitur. Ratio est: quia quilibet rerum suarum moderator est & arbiter, ac Contractui non reprobatas conditiones, modos, dies, locumque apponere potest, prout contrahentes, qui sibi legem dicunt, fieri voluerint.

Exempla sunt *1mo.* in *Can. Eleutherius.* 30. *caus.* 18. *q.* 2. Conventio inter Episcopum & fundatricem Ecclesiæ inita quoad oblationes & obventiones in festo ipsius Ecclesiæ præscribitur observanda. *2do.* Quamvis depositarius deponenti solum de culpa lata & dolo teneatur, si tamen conventio interveniat, ut depositarius de culpa levi vel levissima, aut etiam de Casu fortuito obligetur, illa servanda est. *Cap. bonæ fides. 2. de depositi.*

Quæres *secundo.* Quæ Regulæ limitatio?

℟. Dummodo sint dispositiones honestæ & possibiles: quia pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de jure, vel de facto nullam obligationem inducit. *Cap. fin. de pact.* unde si Conventum, ne dolus præstetur, non valet, hoc enim bonæ fidei Judicio contrarium est. *L. Contractus, 23 ff. de reg. jur.*

REGULA LXXXVI.

Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.

QUæres. Quæ Regulæ aliàs ex terminis perspicuæ ratio ?

℟. Quia damnum quasi pœna suum tenere authorem, nec ulterius progredi debet. L. *sancimus.* 22. *C. de pœn.* & sicut causæ effectus alteri non imputatur, ita damnum culpæ authori, ex quo sequitur, est imputandum.

Exempla sunt 1*mo* in *Can. displicet.* 38. *caus.* 23. *q.* 4. ubi reo imputatur, quod ad Judicem deducendus seipsum læserit, ad terram graviter collidendo. 2*do* in *Cap. si Clericus* 11. *de præbend. in* 6. cum duo Beneficium essent exspectantes, illi imputatur, quod præbendam vacantem non acceperit, qui eam petere negligenter omisit. 3*tio.* in L. *emptore.* 8. C. *de eviction.* si emptor re evictâ in Judicio non fuit, de evictione non agit contra venditorem, cùm suâ culpa res evicta videatur.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

Zaverius Villæ elocationem sub hac suscipit conditione: ut ejus emolumentis liberè fruatur, & omnia onera tam realia quàm personalia sustineat, & ad casum fortuitum ac quodcúnque damnum villæ obveniens teneatur. (A) *Zaverius* tempore elocationis famulos Villæ Vicinæ fructus ex arboribus decerpentes in horto invenit, quos cum servorum suorum adjutorio egregriè delumbavit, ad quod vindicandum omnes arbores nocte sequenti exciduntur. (B) Canes domesticos de nocte non ligavit, qui ad villam vicinam excurrentes omnes porcos occiderunt. (C) Cohors Militaris à *Zaverio* hospitium petit, cui cum durius *Zaverius* respondens portas clauderet, milites in furorem acti foribus effractis, obvia quoque destruxerunt. (D) Ex agris Villæ vicinæ partem quandam suis agris successu adjecit; unde magnam sustinuit litem, & tandem succumbens in expensas

penſas condemnatur. (E) Filios ſuos Nocturno tempore vagari, ac ex hortis vicinorum fructus deprædari permittit, quod reſcientes vicini repreſſaliis ulciſcuntur. (F)

RESOLUTIO.

(A) DE ſubſtantia locationis ſunt res & merces, quibus contraria contrahentium voluntas derogare non poteſt, in præſenti autem non eſt merces, quæ in contractu locationis eſt vel portio fructuum, vel certa penſio. Dicendum igitur, quod ſit contractus innominatus, per quem datur alteri poteſtas liberè fruendi bonis erga onus periculum rei & caſum fortuitum ſuſtinendi.

(B) Si propter inimicitias Conductoris Vicini arbores exciderunt, aut rebus locatis damnum intulerunt, ſibi, & non locatori Conductor damnum imputare debet per *Reg.* 86. & L. *ſi merces.* 25. §. 4. *ff. locat. conduct.* L. *damnum.* 12. *C. de locat. & conduct.*

(C) Negligentiæ ſuæ imputare, & vicino villico ſatisfacere debet, ſi Canes de nocte villam exire ſoliti pecoribus Vicinorum detrimentum causârunt.

(D) Eodem modo damna à militibus ob indiſcretionem & ruſticitatem ſuam illata reſarcire tenetur.

(E) Expenſas ſibi & injuſtitiæ ſuæ imputet, cùm malâ fide rem alienam ſuæ adjunxerit, & temerariè litem ſuſtinuerit.

(F Detrimenta per Vicinorum repreſſalias facta ſibi adſcribat, cum illorum per nimiam in filiorum evagatione & nocturna graſſatione conniventiam occaſionem dediſſe cenſeatur.

REGULA LXXXVII.

Infamibus portæ non pateant Dignitatum.

QUæres *primò*, Quis hujus Regulæ sensus ?

℟. Personæ Juris aut facti infamiâ notatæ ad Dignitates & munia honorifica non sunt admittendæ. Ratio est: quia ex infamiæ probro in animis hominum nascitur contemptus, ita, ut ex promotione infamium ad Dignitates & honores, non tam honorentur infames, quàm infamentur honores, ideo Justinianus Imperator L. 2. *C. de Dignitat.* inquit : *neque famosis & notatis, & quos scelus aut vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honestorum cœtu segregat, Dignitatis portæ patebunt.* Et rectè quidem, cum Spiritus S. per os sapientis dicat : *quis honorificabit ex honorantem animam suam. Ecclesiast.* 10. *v.* 32.

Quæres *secundo*. Quæ juris & facti dicitur infamia ?

℟. Fama est existimatio, quam homines de aliquo habent, si sit existimatio boni, vel homines aliquem bonum communiter esse judicent, bona fama vocatur, si malum vel impium homines existiment, infamia nuncupatur. Hæc in juris & facti dividitur infamiam. Juris infamia est, quæ à Jure vel Canonico vel civili irrogatur, quod fit, quando Leges vel Canones aliquem infamem declarant, vel dignum, ut de illo mala habeatur existimatio, licet fortè apud viros bonos ejus opinio actu non fuerit gravata, quod dupliciter contingere potest : 1*mo*. Dum Lex vel Canon immediatè, seu non mediante Judicis Sententiâ aliquod illicitum notat infamiâ, & tunc ut incurratur infamia, non est necessaria Judicis Sententia, quamvis enim delictum per Judicialem Sententiam declaretur, ipso tamen facto, quo quis in tali delicto deprehenditur, est infamis, ut exercens lenocinium, in adulterio deprehensus &c. 2*do*. Infamia juris est, quando factum aliquod vel personam facientem non quidem immediatè Lex vel Canon, sed Judicis Sententia contra Canonem vel legem delinquentem notat infamiâ, ut si lex dicat: qui rapinam, furtum, injuriam vel dolum fecisse judicatus seu condemnatus fuerit, sit infamis. Huc infamia juris per quasi Sententiam reducitur, ut si quis de crimi-

crimine infamante accusatus vel denuntiatus illud in Judicio sit confessus, aut de eo convictus. Infamia facti est, dum quis apud bonos & graves viros malè audit, licet illi à Jure vel ex Legibus nulla infamia irrogetur.

Quæres *tertio.* An infamis extra locum diffamationis ad honorifica Officia promoveri valeat?

℟. Infamis non solùm in loco, in quo infamia contracta, aut per sententiam est illata, verum nec in alio quovis loco promoveri potest. Ratio est; sicut enim lepra sequitur leprosum, quocunque ierit & sicut is, cui membrum mutilatum est, mutilum membrum ubique secum defert, & sicut excommunicatus in uno loco ubique est excommunicatus, ita sententia hominem infans (idē est de infamans facti) ubique locorum eum infamat, cum infamia personam afficiat, eamque velut individuus Comes subsequatur, unde testis in uno loco infamis in quocunque Judicio justam patitur repulsam.

REGULA LXXXVIII.

Certum est, quod is committat in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

QUæres 1*mo*. Quis hujus Regulæ sensus ?

℟. Contra legem delinquit, quisquis solummodo verba legis, & non sensum à Legislatore intentum observare studet. Ratio clara est: quia leges non in verbis, sed in verborum sensu per verba significato, non in superficie & cortice, sed in medulla consistunt, scire namque leges non hoc est: verba earum tenere, sed vim & potestatem. L. *scire 17. ff. de legib.* ideo pœnas insertas non evitabit, qui se contra Juris sententiam lævâ prorogativâ verborum fraudulenter excusat. L. *non dubium est. 5. C. de legib.*

Quæres *secundo*. Quæ Regulæ Exempla?

℟. Sequentia: 1*mum* Theologicum est: Lex Ecclesiæ diebus Dominicis & Festis Sacrum audire præcipit, cui non satisfacit, qui Sacerdotis celebrantis sola verba audit, nec tremendo huic Sacrificio cum debita attentione & devotione assistit. Item lex Ecclesiæ semel in anno confiteri, & in Paschate Sacram Eucharistiam sumere jubet, his Præceptis per sacrilegam Confessionem & Communionem non obeditur, ut constat ex propositionibus in hac materia damnatis.

2*dum*. Juridicum est: Magistratus tempore caritatis annonæ prohibet, ne frumenta extra Patriam evehantur, in hanc legem peccat, eique fraudem facit, qui farinam frumentorum in alium locum transfert, legis enim intentio est subditorum succurrere necessitatibus, & potius suorum, quàm extraneorum sublevare indigentiam, iterum maritus, qui uxori donare tam Civili quam Canonico Jure prohibetur, legi non obedit, si rem suam uxori vendat, eique post emptionem pretium remittat, aut si Sponsus det mille Titio, ut summam acceptam Sponsæ suæ post celebratas nuptias tradat. *L. si Sponsus 5. ff. de donat. inter vir. & uxor.*

3*tio*. Exempla Canonica sunt: electus in Prælatum per Canones ante confirmationem administrare non potest, contra hos Canones peccat electus, si se in Oeconomum usque ad confirmationem constitui permittat, aut procurret. *Cap. avaritiæ. 5. de elect. in 6.*

in 6. Item Clericus pro beneficio Ecclesiastico pecuniam vel aliud temporale Patrono vel Collatori ante præsentationem vel collationem offerens aut promittens non ut pretium, sed ut purum donum gratuitum à Simoniaca pravitate non excusatur juxta propositionem 48. ab Innocent. XI. damnatam.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

Zelander ex illustri Familia perditus Juvenis militiæ nomen dat, ex qua quia fugitivus, nomen ejus Berlini patibulo affigitur. (A) Utque sustentationem habeat, se feci hominum, quos Zichenos vocant, consociat. (B) Vitæ istius pertæsus, apud histrionem mutato nomine servitium assumit. (C) Postquam in hoc servitio plurima scelera, furta, adulteria &c. perpetrasset, & ob hæc in vincula conjectus ad furcam damnatus esset. (D) Fugit ex carcere in patriam reversus nomen familiæ domi assumit. Parentes de reditu filii, quem mortuum credebant, gaudentes, eidem ad sacros Ordines anhelanti in Ecclesia Metropolitana præbendam muneribus procurant. Ante sacros Ordines in confessione generali totam anteactæ vitæ seriem Confessario exponit, qui angitur, an *Zelandro*, quod sit irregularis, ideoque S. Ordines suscipere non possit, exponere debeat (E) respondet pœnitens: quæ tibi confessus sum, fecit *Zelander*, quod nomen assumpsi, ut familiæ parcerem, & esto *Zelander* infamis sit infamia juris & facti, non tamen ego de tam illustri domo Comes. (F) Nihilominus Comes Ordines suscipit, in quibus exterius Angelicam vitam degit, revera tamen in antiquis sceleribus vivens: religiosis largas facit Eleemosynas, qui eum vacante Decanatu propter externam virtutis speciem omnibus dilectum impensè commendare student. (G)

RESOLUTIO.

(A) PEr sententiam mortis ob perfugium in nomine ejus executioni mandatam juris incurrit infamiam, non enim illam nomini, sed personæ nomen tale gerenti, sive verum, sive falsum fuerit, infligitur.

(B) Per associationem cum Zichenis facti infamiam incurrit, quia omnes illi infamiâ plurimorum criminum laborant, ob quam modò à Principibus territorialibus ubique exterminantur.

(C) Per exercitium apud Histrio-

nes

nes infamiam Juris ipso facto ante Judicis sententiam contraxit.

(D) Propter scelera plurima condemnatus ad furiam infamiâ Juris & facti est notatus.

(E) Idcoque nec ad sacros Ordines, nec ad præbendam in Ecclesia Metropolitana promoveri potest, quamvis enim infamiam facti emendatione vitæ valeat abolere, infamiam tamen Juris abstergere nequit.

(F) Hæc Comitis responsio reprobatur per *Regulam* 88. legis siquidem intentio est, ut tales personæ sub quocunque nomine à dignitatibus arceantur.

(G) Demum per *Regulam* 87. ad speciem Angelus veluti infamis & simoniacus ad Decanatum est indignus, nec rerum omnium Conditori DEO, cujus oculi semper sunt aperti super facientes mala, renesque ac corda scrutatur, sed sibi ipsi miser & calamitosus imponit.

Totius Operis

FINIS.

O. A. M. D. G.



INDEX

INDEX

Regularum Juris.

Ex Lib. V. Decretalium.

REg. I. Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. pag. 2.

II. Facta, de quibus dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretamur. 4.

III. Utiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur. 6.

IV. Quod non est licitum in lege, necessitas licitum facit. 10.

V. Quod latenter, aut per vim, aut aliàs illicitè introductum est, nullâ debet stabilitate subsistere. 13.

VI. In ipso causæ initio non est à quæstionibus inchoandum. 15.

VII. Quidquid Sacratis DEO rebus, & Episcopis injustè infertur, pro Sacrilegio reputatur: quia sacra sunt, & à quoquam violari non debent. 18.

VIII Qui ex timore præceptum facit, aliter, quàm debeat, facit, & ideo jam non facit. 21.

IX. Defleat peccator, quia offendens in uno factus est omnium reus. 22.

X. Non potest esse justa Pastoris excusatio, si lupus ovem comedat, & pastor nescit. 24.

XI. Indignum est, & à Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro Spiritualibus facere quis homagium compellatur. 27.

Ex Lib. VI. Decret.

I. BEneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione Canonica obtineri. 30.

II. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. 33.

III. Sine possessione præscriptio non procedit. 36.

IV. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum. 39.

V. Peccati venia non datur, nisi correcto. 42.

VI. Nemo potest ad impossibile obligari. 45.

VII. Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum personâ. 47.

VIII. Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus. 50.
IX. Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum. 52.
X. Ratihabitionem retrotrahi & mandato non eſt dubium comparari. 55.
XI. Cum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potiùs, quàm actori. 57.
XII. In judiciis non eſt perſonarum acceptio habenda. 60.
XIII. Ignorantia facti, non Juris excuſat. 64.
XIV. Cum quis in Jus ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere. 67.
XV. Odia reſtringi, & favores convenit ampliari. 69.
XVI. Decet conceſſum à Principe Beneficium eſſe manſurum. 73.
XVII. Indultum à Jure beneficium non eſt alicui auferendum. 75.
XVIII. Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non ſubſiſtit. 77.
XIX. Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet. 80.
XX. Nullus pluribus uti defenſionibus prohibetur. 81.
XXI. Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt. 86.
XXII. Non debet aliquis alterius odio prægravari. 89.
XXIII. Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.
XXIV. Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere neceſſe. 93.
XXV. Mora ſua cuilibet eſt nociva. 94.
XXVI. Ea, quæ fiunt à Judice, ſi ad ejus non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt. 97.
XXVII. Scienti & conſentienti non fit injuria neque dolus. 98.
XXVIII. Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda. 100.
XXIX. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. 102.
XXX. In obſcuris minimum eſt ſequendum. 104.
XXXI. Eum, qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet. 107.
XXXII. Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit. 109.
XXXIII. Mutare quis conſilium non poteſt in alterius detrimentum. ibid.
XXXIV. Generi per ſpeciem derogatur. 112.
XXXV. Plus ſemper in ſe continet, quod & minus. 114.
XXXVI. Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere. 117.
XXXVII. Utile non debet per inutile vitiari. 118.
XXXVIII. Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare. 121.
XXXIX. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo. 122.
XL. Pluralis locutio duorum numero eſt contenta. 124.
XLI. Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum. ibid.

XLII. Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis. 127.
XLIII. Qui tacet, conſentire videtur. 130.
XLIV. Is qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur. 131.
XLV. Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit. 134.
XLVI. Is, qui in Jus ſuccedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit. ibid.
XLVII. Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur. 138.
XLVIII. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura. 139.
XLIX. In pœnis benignior eſt interpretatio facienda. 140.
L. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem. 141.
LI. Semel Deo dicatum non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum. 144.
LII. Non præſtat impedimentum, quod de Jure non ſortitur effectum. 145.
LIII. Cui licet, quod eſt plus, licet utique, quod eſt minus. 148.
LIV. Qui prior eſt tempore, potior eſt jure. 149.
LV. Qui ſentit onus, ſentire debet commodum & econtra. 152.
LVI. In re communi potior eſt conditio prohibentis. 153.
LVII. Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, interpretatio facienda. 155.
LVIII. Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum. 156.
LIX. Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eundem. 158.
LX. Non eſt in mora, qui poteſt exceptione Legitimâ ſe tueri. 159.
LXI. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum. 161.
LXII. Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur. ibid.
LXIII. Exceptionem objiciens non videtur de intentione adverſarii confiteri. 164.
LXIV. Quæ contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. 167.
LXV. In pari delicto vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis. 168.
LXVI. Cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet. 169.
LXVII. Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit. 170.
LXVIII. Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum. 172.
LXIX. In malis promiſſis fidem non expedit ſervari. 174.
LXX. In alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterũ adimpleri. 176.
LXXI. Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus. 179.
LXXII. Qui facit per alium, eſt perinde, acſi faciat per ſeipſum. 180.
LXXIII. Factum legitimè retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, à quo non potuit inchoari. 183.
LXXIV. Quod alicui gratioſè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum. 184.

LXXV.

LXXV. Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat. 185.

LXXVI. Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare. 186.

LXXVII. Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore. 189.

LXXVIII. In Argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa. 190.

LXXIX. Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur. 191.

LXXX. In toto partem non eſt dubium contineri. 193.

LXXXI. In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus. 195.

LXXXII. Qui contra jura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere. 196.

LXXXIII. Bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterum exigatur. 197.

LXXXIV. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti. 199.

LXXXV. Contractus ex conventione Legem accipere dignoſcuntur. 201.

LXXXVI. Damnum, quod quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi debet, non aliis imputare. 202.

LXXXVII. Infamibus portæ non pateant dignitatum. 204.

LXXXVIII. Certum eſt, quod is committat in legem, qui legis verba complectens, contra Legis nititur voluntatem. 206.





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN